This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

3 3433 08231494 3

RDF

Nolte.

IO. FRID. NOLTENII
LEXICI
LATINAE LINGVAE
ANTIBARBARI
QVADRIPARTITI
TOMVS POSTERIOR,

CONTINENS

SVPPLEMENTA TOMI PRIORIS

ET

BIBLIOTHECAM LATINITATIS RESTITVTAE.

EDIDIT & PRÆFATVS EST

IO. ANDREAS NOLTENIVS, FIL.



BEROLINI, APVD GOTTL. AVG. LANGIVM.
&
VPSALIAE, APVD M. SWEDERVM.
MDCCLXXX.

PRAEFATIO EDITORIS.

Promiſerat Parens meus publice, rem videlicet eruditis haud omnino ingratum facturus, ſe foras aliquando daturum eſſe indicem locupletiorem ſcriptorum eorum omnium, quorum praeclaris ſubſidiis partim ex inſtituto, partim interdum, nec niſi pro re nata, in concinnando *Lexico* ſuo *Antibarbaro* uſus fuiſſet.

Conſervare videlicet hac opera voluit Pater optimus memoriam librorum omnium, quotquot nimirum eorum in notitiam pervenerunt ſuam, qui a primis litterarum παλιγγενεσίας temporibus cauſam latinitatis vel ſtrenue, tamquam heroës, vel utcumque ſaltem, fidelium pediſſequarum iſtar, egerunt. Quum enim in concinnando Lexico ſuo L. L. Antibarbaro potiſſimos eorum preſſo propemodum pede ſecutus ſit, aliis ceteroquin longe praeſtantiſſimis, praeſertim vero minoris notae hoc in genere ſcriptoribus vel plane neglectis, quum parum aut nihil ad rem facerent ſuam, vel non niſi heic atque illic in conſilium adhibitis, noluit, quemquam temere praeterire, cujus vel minima heic enituerit aliquando induſtria.

Titulum autem libro fecit *Bibliothecae*, ad imitationem eorum, qui ſuas certi cujusdam generis librorum recenſiones eodem inſcripſerunt vocabulo; ſatis nimirum apto et conveniente: eamque ſub duplici quaſi conſpectu ſiſtit, tum generali, tum ſpeciali. *Conſpectus generalis* eorum auctorum ac librorum, qui deinceps in Conſpectu ſpeciali ad ordinem Alphabeticum cum uberiori quadam recenſione proponuntur, duas et viginti conſtituit claſſes. *Conſpectu ſpeciali* recenſum ordine Alphabetico agit eorumdem voluminum ac librorum, qui laboranti latinitati a tribus retro ſaeculis potiſſimum ſuccurrerunt, ut de ſingulis, quoties operae pretium eſt, vel uberiorem ſententiam pronuntiet modo ex ſui ipſius, modo ex aliorum doctiorum judicio, vel argumenta et rerum ſummas det, uno obtutu ſpectandas. Quandoquidem vero hujus generis auctores variis modis intereuntis aliquando latinitatis decus ab extremo interitu revocare ita conati ſunt, ut modo recta inculcarent, modo damnarent, quae vel temporum injuria cum barbaris barbare dicta irrepſiſſent in Latium, vel alia quadam ratione reprehendenda aut in orcheſtram producenda eſſe viderentur; in duas et viginti claſſes diſpeſcuit omnem illam librorum ſupellectilem, quae heic poſſit venire in numerum; tenuitque hunc ordinem, ut Claſſis I. complectatur Scriptores Orthographicos; II. Proſodicos; III. Etymologicos; IV. Nomenclatores; V. Lexicographos; VI. Phraſeologicos; VII. Particularum interpretes; VIII. Elegantiarum ſcrutatores; XI. Adagiorum collectores; X. Diacriticos, i. e. ſcri-

ſcriptores, qui vocabulorum differentias explicuerunt; XI. Grammaticos, i. e. eos doctores, qui grammaticae artis praecepta certis diatribis et commentationibus umquam tradiderunt; XII. Antibarbaros, i. e. ſcriptores, qui partim Latini ſermonis barbariem ex inſtituto perſecuti ſunt, partim linguae hujus elegantiam ac nativum decus omni conatu adſertum ivere; XIII. Hiſtoricos, i. e. ſcriptores; qui fata et temporum viciſſitudines, quibus latina lingua obnoxia umquam fuit, percenſuerunt; XIV. Stilographos, i. e. qui ſtili latini recte et ad imitationem melioris notae ſcriptorum formandi rationem edocuerunt; XV. Polemicos, qui varias circa latinam linguam controverſias agitarunt. XVI. Apologeticos, qui genuinae latinitatis cauſam contra ejusdem adverſarios egerunt; XVII. Criticos; XVIII. Paradoxologos; XIX. Palaeographos; XX. Methodicos, i. e. ſcriptores, qui viam quandam compendiariam docendae ac diſcendae latinitatis oſtenderunt; XXI. Miſcellaneos, i. e. ſcriptores, qui varii generis obſervationes circa latinitatem in unum corpus compegerunt, vel talia in lucem ediderunt meletemata, quae L. L. notitiam utcumque ornent; XXII. Micrologos, i. e. ſcriptores, qui in unico ſaepe vocabulo enucleando, vel in aliis hujusmodi minutiis, quae ad latinitatem ſpectant, eam poſuerunt operam, quae integro libello facile conſtet. Has omnes claſſes in Conſpectu ſpeciali miſcuit ſic, ut ſinguli auctores ſecundum litterarum ordinem prodirent, et opera ea, quibus latinitatis ſtudium quisque adjuverit, uno obtutu repraeſentarentur. De multis eorum, quos in orcheſtram pro-

 duxit,

duxit, modo judicium vel ſuum ipſius, vel aliorum ſubjecit, modo brevem ſummam eorum, quae pertractant, adnexuit.

Ne vero obſcuram diligentiam aliquis in eo accuſet Parentis, quod ſubinde tot unius item atque alterius libri editiones recenſuerit, is, neque alium in finem id ab illo factum eſſe ſciat, qui iniquam propterea cenſuram in illum agere velit, quam ut inde lector colligat, quanta olim talis liber floruerit gratia, quum tot iteratis vicibus recuſus ſit. Judicia eorum, quos honoris cauſa nominavit, ita ſaepe adduxit, ut non nihil verborum interdum interſereret, interdum etiam omitteret, praeſertim quum id ad rem quadamtenus facere exiſtimavit. Multis libris nullum judicium, vel quod etiam ſubinde res ipſa flagitaret, appoſuit, ſola nomenclatura eos tetigiſſe contentus, vel quod ſolo titulo ipſi innotuerint, vel quod librum plane non viderit, vel quod levioris notae fuerit. Inſeruit ſcripta non nulla, quae huc directe non ſpectant, quamvis hoc raro fit, nec niſi tum, quum nomen auctoris, cujus alias diatribas ad rem ſuam utcumque ſpectantes in medium produci fas erat, id poſtulet et argumenti praeſtantia. Quo tamen cenſu eos notari nolim, qui epiſtolarum ſcite et cum elegantia et ad normam veterum conſcribendarum praecepta dederunt, quorum opera quum addiſcendae latinitati apprime ſubſerviat, haud ſane ultimum locum occupare debebant inter eos, qui ornare Bibliothecam hanc poſſent, et inter ſtilographos relati a Parente ſunt. Quamlib t enim leviores videntur eſſe, quam ut ſollicitius enumerentur; noluit tamen, quum ipſi quidem

fidelis

fidelis: eorum videretur eſſe opera, nomina eorum praeterire, quum praeſertim nemo inter eos ſit, ex quo aliquis latinitatis tiro capere haud poſſit meliora ad animi ſenſa recte et cum judicio exprimenda praecepta, quam ab exemplis eorum, qui candidae integraeque latinitatis ſtudio prorſus neglecto longe aliam prae ſe ferunt ſapientiae in judicando notam, atque eam plane, quae contritis adſtricta vocabulis ſit, et neſcio quibus verborum phaleris intexta, haud veſtita ſimplicitate illa dicendi, quae cum rectis ſtudiis, et verae ſapientiae apparatu illo, qui probatiſſimorum virorum judicio ſe quondam abunde approbavit, conjuncta fere eſt. E Numismaticis ſcriptoribus eos tantum proventus ſui eſſe duxit, qui Antiquitates Romanas illuſtrant, adeoque latinitati, reſpectu ſaltem orthographiae, quadamtenus inſerviunt. Inter Criticos non niſi eorum rationem habuit, qui miſcellas obſervationes ſuas in unum compegere corpus; nequaquam autem talium, qui integros commentarios in hunc vel illum ſcriptorem publici fecere juris: illos enim non hos huc arceſſere erat inſtituti ſui, ne evagaretur latius quam par erat, quum apud Morhofium, Fabricium et alios copioſa admodum horum agatur cenſura. Integras aliquot Commentationes partim inſeruit, non quidem ut liber in magnitudinem praeter neceſſitatem excreſceret, ſed quod in paucorum manibus ſint, et publico eruditae civitatis conſpectui ſeſe propemodum ſubduxerint, et tamen dignae videantur eſſe, ne quis, deſiderio harum perluſtrandarum, poſt mentionem earumdem injectam, accenſus, ope-

 roſius

roſius aliunde eas conquirere neceſſum amplius habeat, ſed minus deſideret, quum ſua ſponte illico in hac Parentis Sylloge ſeſe offerant. Ac ne ignoret quisquam, quaenam ſint illae, quas ſuis locis incluſit, eas eſſe illas ſcito: nempe I. M. MARTINI BORKII *Diſſertationem, qua oſtenditur, aliqua latine dici, negari difficilius, quam adſirmari.* II. IOH. BENEDICTI CARPZOVII *Epiſtolam de antiquae ac recentioris doctrinae comparatione.* III. IACOBI FACCIOLATI *Orationem, qua adſeritur, Latinam linguam non eſſe ex Grammaticorum libris comparandam.* IV. ALBERICI GENTILIS *Diſſert. de latinitate veteris Bibliorum verſionis male accuſata.* V. IOH. CASPARI KHVNII *Animadverſionum ad Vorſtii* librum de latinitate merito ſuſpecta ſpecimen. VI. M. IOH. OLDEWELT *Diſſertationem contra Latiomaſtiges de Linguae latinae Antiquitate, Amplitudine, Vbertate et Vtilitate.* VII. IVLII POGIANI *Epiſtolam de Ciceronis imitandi modo.* VIII. IOH. GEORGII WALCHII *Obſervationem de nugis et bellis Grammaticorum.* Dabam Blancoburgi, menſe Novembri MDCCLXVII.

IO. ANDR. NOLTENIVS
Duc. Camerae Aſſeſſor et Conſ.
Blankenb.

PRAE-

PRAEFATIO ALTERA, NOVA.

Cum mutato OPERIS NOLTENIANI ANTIBARBARI redemtore novus et huic *Poſteriori Tomo Lexici Antibarbari* Titulus praeponendus videretur, quoniam verba tituli priſtini: *in Taberna Weygandiana*, a veritate nunc recedunt; monendus etiam erat Lector benevolus de Redemtoris conſilio, ne integerrimus vir in ſuſpicionem apud Lectorem incideret mali doli, a quo longiſſime abeſſe ſolet, commiſſi, quaſi quidem nove factam editionem ſimulare vellet. Sciat ergo Lector, hoc fraudis minime Redemtorem operis hujus velle prae ſe ferre, imo potius ingenue lubens profitetur, exhiberi nihil novi, ſed idem illud opus, quod anno hujus ſeculi ſexageſimo octavo apud Weygandum Lipſiae venale factum fuerat. Quoniam autem dimidiam tandum plagulam typis denuo exſcribere multis de cauſis incommodum videbatur; petiit a me Vir nobiliſſimus, *Gottlieb Auguſtus Langius*, ut aliquod praefandi cauſa adjicerem, quod reliquum integrae plagulae ſpatium implere poſſet. Cogitanti itaque mihi, quid potiſſimum eligerem, huic occaſioni non-ſolum conveniens ſed et utile Lectoribus, in mentem venerat primo quidem addere *vitam b. Autoris*, olim clariſſimi, propterea que ad ejus filium ſuperſtitem, *Iohannem Andream Noltenium*, Virum Excellentiſſimum atque doctiſſimum, hujus ſecundi Tomi ex b. Patris mandato olim Editorem, ſcripſimus Eumque, ut hanc nobis cum benevole communicaret, decenter rogavimus. Cum

 vero

vero Ejus litterae propter locorum diſtantiam retardarent, nundinae autem Lipſienſes proxime inſtarent, aliud conſilium capiendum erat, ut Redemtoris ſatisfaceremus voluntati atque voto. Placet ergo, addere hoc loco

CATALOGVM LIBRORVM

DE STILO ELEGANTI LATINAE LINGVAE TRACTANTIVM, ALIORVM SCRIPTORVM AD ID GENVS PERTINENTIVM, QVI SVPPLEMENTI, parvi quidem, loco eſſe poſſit BIBLIOTHECAE LATINITATIS RESTITUTAE.

Prodiere ergo, ut Ordinem Alphabeticum b. Autori ſolemnem ſequamur, intra hos triginta et quod excedit, annos, quantum quidem ad noſtram pervenit notitiam

Artis Rhetoricae et poeticae Inſtitutiones Lectiſſimis veterum exemplis illuſtratae, Wratiſlaviae et Lipſiae 8. 1775.

D. ANTONII FRIDERICI BÜSCHINGII Liber Latinus in uſum puerorum Linguam Latinam diſcentium editus, Particulis IV. diſpoſitus, Berolini et Stralſundiae ſaepius typis excuſus, noviſſime hoc ipſo hujus ſeculi octogeſimo anno caſtigatius editus.

IOH. FRIDERICI BVRGII Elementa Oratoriae. Editio nova 8. Wratislaviae 1769. recuſa ibidem 1776.

ANTONII BORIONIS Collectanea Antiquitatum Romanarum centum tabulis aeneis inciſarum cum notis *Rudolphi Venuti*, fol. Neapoli et Lipſiae 1778.

ANS. DESINGI Inſtitutiones ſtili hiſtorici, Curtii et Livii praecipue imitationi accommodatae, Editio Vta 8. Auguſt. Vindelic. 1772.

Elementa grammaticae Latinae exemplis et praeceptis tradenda tironibus, Turici 8. 1772.

IO. MATTHIAE GESNERI Primae lineae artis oratoriae, Editio nova, Ienae 8. 1777.

Gram-

Grammaticae Marchicae nova editio, Lipſiae 8. 1776.

ANDREAE GOETZII Eclogarium caſtae Latinitatis ex praeſtantiſſimis libris collectum. Norimbergae 8. 1775.

THEOPHILI CHRISTOPHORI HARLESII Introductio in Hiſtoriam Linguae Latinae, denuo edita, multo auctior et emendatior Bremae 8. 1773.

* Bonum Libri Illuſtris Autoris eſt multiplex, qui propter inſignem utilitatem ſuam jam non nullis in ſcholis legitur et inculcatur tironibus. Multum enim confert, ut tirones Scriptores, uti audiunt, claſſicos melius intelligant inque ſuos vſus convertere poſſint. Cuique Scriptori Latino juſtum ſuum conſtituitur pretium, et quem ad modum quisque ad formandum juvenis ingenium et recte effingendam ſcribendi et dicendi rationem adhiberi debeat. Multus enim eſt, atque id laudi ejus conducimus, in enarrandis virtutibus et vitiis dictionis et orationis, quae in uno quoque ſcriptore ſe produnt.

D. IOH. GOTTL. HAVPTMANNI Notitia brevior auctorum veterum graecorum et Latinorum ſubminiſtrante Filio, M. s. GVIL. HAVPTMANNO. Gerae et Lipſiae 8. 1779.

I. H. HEVMANN ſcripſit: *Veber den Werth der humaniſtiſchen Wiſſenſchafften zur Bildung der Iugend und der dahin führenden Lehrmethode, zum Gebrauch angehender Schullehrer* 8. Halae 1779.

M. CHRIST. DAVID. IANI Artis poeticae latinae Libri VIII. 8. maj. Halae 1774.

* Cum Artis oratoriae et poeticae fines invicem ſe proxime attingant, et ad bene eleganterque dicendum non parum conferat Studium pöetarum cum imitatione eorumdem copulatum, non immerito hoc praeclarum Clar. IANI opus huc referendum putavimus, praeſertim cum ad intelligendos Latii poetas apprime vtilis habeatur. Antecedunt ipſi operi Prolegomena KLOTZII de notitia veterum pöetarum latinorum, non magni quidem pretii. In opere ipſo proditur primum *Grammatica poetica* et de figuris dictionis poeticae. Sequitur hanc *Syntaxis pöetica* maximopere et magiſtris et auditoribus commendanda. Excipit eam Libro II, Tractatus de *Elegantia poëtica* et *ornatu ſermonis poëtici*, de *decoro poëtico*, *negligentia poëtica et venuſtate poëtica*. Cui accedit Lib. III. de *epithetis poëticis*, cum promtuario.

EIVSDEM Copia epithetorum, ſubſtantivorum, verborum, adverbiorum; item indices deorum atque heroum veterum, deſcriptionum,

ptionum, comparationum, periphraſium et troporum, 8. maj. Halae. 1774.

A. G. F. KOLTIZII Tractatus de Veterum Latinorum Lectione et de ſtilo Eutropii, Wittenbergae 8. 1754.

M. KOENIGIUS in Ephemeridib. Litter. Erford. 68 Stück, d. 26. Aug. 1779. p. 560. annunciavit, conſilium ſe cepiſſe, edere Commentarios et Scholia philologico-critico-aeſthetica in praecipuos ſcriptores Romanos, quae ſcholia cuique auctorum editioni accommodari poſſint, eaque ex optimis antiquioribus et recentioribus editionibus, bibliothecis philologicis, muſeis, obſervationibus, miſcellaneis hauſta. Quod conſilium num perſtet eventumque habiturum ſit, ignoro.

P. RUTILII LUPI de figuris ſententiarum et elocutionis Libri duo; recenſuit et notis illuſtravit DAVID RUHNKENIUS, 8. maj. Lugduni Batavorum apud Luchtmanns et Lipſiae apud Gleditzſchium 1768.

SCIPIONIS MAFFEI Artis criticae Lapidariae quae extant: ex ejusdem autographo ab I. FR. SEGUIERIO exſcripta et a *Donato* edita fol. Luccae et Lipſiae 1778.

CAROLI EHREGOTT MANGELSDORFFII Selecta capita ex Scriptoribus antiquis latinis in uſum ſcholarum, cum indice verborum difficiliorum. Halae. 1779. 8.

* Collegit Cl. Autor locos intellectu faciles ex Varrone, Columella, Palladio, Plinio, Celſo, Livio, Tacito, Ammiano Marcellino, Plauto, Horatio, Tibullo, cet. Qui quidem tractant de mundo, de cultura agri, de inſtrumento ruſtico, de frugibus et cura villatica; de homine, de animalibus, de metallis et lapidibus, de moribus gentium, de viris inſignibus; ſequuntur orationes, flores, deſcriptiones.

FRIDERICI MUZELII Introductio in Linguam Latinam in uſum juventutis denuo prodiit Berolini 1766. et auctior 1774. Berolini. Crebro hujus libelli repetita editio luculentum teſtimonium de ejus utilitate perhibet.

ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΣ ſive de inſtitutione puerili Dialogus, in quo

nova

nova Linguarum tradendarum ratio nuperrime commendata expenditur. Lipſiae 8. 1777.

* Paucis plagulis eleganti brevitate Auctor anonymus examini ſubjicit novam quorumdam methodum facilius et celerius, uti perhibent et prae ſe ferunt, tum edocendae tum ediſcendae Linguae Latinae. Finguntur amicorum triumviri ſermones conſerentes illa de re: quorum alter novam methodum defendendam ſuſcipit proque viribus commendat, cui tamen alter objicit graviſſimas quasdam rationes; nimirum Imo, hac methodo juvenum animos non adſuefieri obedientiae, labori, mentis ingeniique contentioni: cum tamen id potiſſimum curae cordique habere debeat fidelis juventutis moderator, ut et ingratis moleſtisque adſueſcat juvenilis aetas laboribus nec velit unquam ex lubitu et ingenio vivere agereque. IIdo: hanc methodum ſaltem cadere in ingenia praeclara et eximia, minime vero convenire mediocribus vel adeo infirmis. IIItio: neque usquam niſi domi apud paucos juvenes, quibus cum ſolus et ſemper eſſe poſſit magiſter, locum habere, prorſus vero inutilem eſſe in ſchola publica apud numeroſam puerorum turbam. IVto: neque id eſſe agendum, ut quam *celerrime*, ſed ut quam poſſit fieri *rectiſſime*, linguam quamcumque puer ediſcat: id quod hac methodo fieri adeo nequeat, ut potius non vere eruditos homines, ſed inanes graculos romanos producat. Tandem intercedit tertius amicus, qui, rem ut ex aequo et bono, ut ajunt, dirimat, ſuadet, ut media quadam quisque prudens juventutis moderator incedat via, eligatque ea, quae utilia ſint ex priſtina diſciplina miſceatque ſuavitate novae methodi.

Eandem fere rationem ſuadet etiam V. S. R. BALLHORN in Tractatu variis ſectionibus Hanoverae edito: *de uſurpatis quibusdam L. L. diſcendae exercitationibus comparandae verae ejus facultati obnoxiis.*

IO. IMMAN. GERH. SCHELLERI Praecepta ſtili bene latini, imprimis Ciceroniani, ſeu eloquentiae Romanae, quatenus haec noſtris temporibus in dicendo et ſcribendo uſurpari poteſt, Vol. II. 1779. Lipſiae.

* *Pars Prior* agit c. 1. de orthographia, tribus Sectionibus; c. 2. de recto vocabulorum uſu, ſectionibus XVII. quod ſcilicet eſſe debeant bona, apta, vere elegantia, recte intellecta; poſſint eſſe translata cet. et quae alia ad verborum elegantiam et puritatem pertinent: it. de germaniſmis nonnullis vel mutandis vel retinendis: c. 3. praecipit de ordine vocabulorum: c. 4. de recto enunciationum ordine; c. 5. de Periodo, quomodo latine conſtruenda ſit; c. 6. de numero oratorio; c. 7. de modis connectendi vocabula, enunciationes, aliasque verborum complexiones vel majores vel minores; c. 8. de variatione vocabulorum univerſa ſ. ſimplice; c. 9. de copia verborum ſ. dicendi; c. 10. de brevitate dicendi.

In

In *Parte Poſteriori* tribus ſectionibus Cl. Autor agit de tribus Stili elegantioris virtutibus, nimirum de *perſpicuitate*, *gravitate* et *ſuavitate ſermonis*. Claudit *Appendix triplex*, primus quidem de ſubſidiis diſcendi elegantiam ſermonis latini, lectione aſſidua ſcriptorum optimorum, exercitatione, imitatione: deinde de experimentis et periculis ſcribendo et dicendo faciendis: tandem de diſcrimine Stili veteribus notato. In omnibus, quas de hac egregia arte proponit Cl. Autor, legibus, preſſo quaſi pede ſequitur communem noſtrum Praeceptorem, Venerab. ERNESTI, de Elegantia in Artis Rhetoricae Initiis optime praecipientem, cujus quidem praecepta latius explicat, diligentius terminat, exemplorum collecta luce multa illuſtrat; ut adeo hunc amici noſtri et ſtudiorum quondam ſodalis librum magnopere commendare tironibus et ſecure poſſimus et merito debeamus.

EIVSDEM *vollſtaendige Lateiniſche Grammatick* 8. maj. Lipſiae. 1776.

GOTTLOB BENEDICTI de SCHIRACH, Clavis Poetarum claſſicorum, ſive Index rerum et verborum criticus in Horatium, Virgilium, Ovidium et Phaedrum. Voll. II. 8. Halae 1769.

VIBIVS SEQVESTER de fluminibus, fontibus, lacubus, nemoribus, paludibus, montibus, gentibus, quorum apud Poetas mentio fit; Animadverſionibus variorum et ſuas adjecit IER. IACOB OBERLIN, 8. maj. Argentorati 1778.

* Quantum hic liber ad recte intelligendas veteres poetas conferat, heic enarrare, ſupervacaneum foret, quum ſatis inter omnes conſtet.

DAVIDIS CHRISTOPH. SEYBOLDI *Einleitung in die griechiſche und roemiſche Mythologie der alten Schrifftſteller, für Iünglinge, mit antiken Kupfern.* Lipſiae 1779. 8.

* Hoc Mythologiae συνταγμα utile eſt tironibus maximum in modum ad intelligendum ſcripta veterum; redolet autem ſubactum Cl. Autoris ingenium. Multis profecto iisque praeclaris bonis ſuperat alia ejusmodi antea edita mythologiae συνταγματα, manibus juvenum adhuc tractata. Depravata et corrupta deorum et heroum nomina mythologica integritati reſtituit, fabulas bene diſpoſuit, inutilia reſecuit, obſcura illuſtravit, fabulas ipſas ſuaviter et perſpicue enarravit, nec quicquam in omni hoc labore cenſuram mereri videtur, niſi quod difficulter occaſionem excurrendi Cl. Auctor dimiſerit, ubi quidem

dabatur

dubatur, lectionis oſtendendae vel varietatem vel amplitudinem, paucaque protulerit minus finibus ſuis circumſcripta. Caeterum ex fontibus fabulas derivavit, ut inde cujusque et origo et incrementum per temporum ſeriem oculis ſe conſpiciendum praebeat, cum adjectis vel accurate notatis veterum auctorum locis, vel hic ibi adſcriptis iis, ubi tum tota tum qua partem fabula primum occurrit.

EIVSDEM Anthologia Romana poetica in uſum juventutis. Lipſiae 8. 1778.

CAROL. HENRICI SINTENIS Mechaniſmus in humanitate ſcholaſticus iu uſum veri Philanthropini. Lipſiae 1779. 8.

* Diſplicet Cl. Autori, merito quidem, conſuetudo vulgaris admodum magiſtrorum juventutis, qua ut labori parcant inertiaeque ſuae conſulant, turpiter et inutiliter pueros exercent et cruciant memoriter et ad verbum diſcendis et recitandis grammatices regulis, elaborandisque inanibus et minime frugiferis exercitatiunculis et ſpeciminibus: inque ejus locum utiliorem puerisque jucundiorem rationem tum docendae tum diſcendae L. L. ſuadet: in qua tamen commendanda longiſſime abeſt V. C. a confuſa illa et ludicra quorundam νεοφυτων παιδαγωγων methodo, qua pueri citius indiſpoſite et putide garrire, quam recte et eleganter ſcribere et dicere diſcunt, poſthabitis quidem omnibus recte dicendi legibus: contra ea potius graviſſimis rationibus praecipit, ne quis temere legum regularumque Grammaticae artis uſum negligat.

IO. CAROLI ZEVNII Introductio in Linguam Latinam. Ienae 1779. 8. maj.

* Minoris quidem molis, eo vero majoris utilitatis opuſculum hoc notitiam brevem eamque juſtam et exactam praebet antiquorum Latii ſcriptorum et librorum, quae quidem aetatem tulerunt, editionumque melioris notae. Poſſet appellari abſolutum et perfectum, niſi filum narrationis Cl. Autor ipſo anno 476 abrupiſſet omiſſis iis ſcriptoribus, qui poſtea inclaruere ſcriptis, quorum non nulli omnino digni erant, qui recenſerentur, et quorum ut notitiam conſequatur, forſaſſe quis hunc librum fruſtra conſulturus eſt, id quod eo magis mirandum, quia non ſolum eccleſiaſticos ſcriptores, ſed et eorum nonnullos, quorum praeter fragmenta exigua nil reſtat, in orcheſtram produxerit. Caeterum et qua externam formam et qua plagularum numerum exemplar ſecutus eſt Cl. Autor b. I. E. I. WALCHII *Introductionem in notitiam Linguae Graecae ejusque ſcriptorum*, ut tanquam altera hujus pars *Zeunii* opuſculum haberi poſſet. Tantum in eo ſingularis eſt, quod chronologicum ſervat ordinem inque capita diſpoſuit materiam: quorum primo de origine, antiquitate, mutationibus, utilitate et praeſtantia. fontibusque Linguae Latinae egit; ſeorſim vero c. VIII. de *Inſcriptionibus* et *nummis* antiquis quaedam adjecit.

Adda-

Addamus ex noviſſimo harum nundinarum *catalogo librorum univerſali*, cum ſpatium ſupereſt et in manus tempeſtive venit,

T. H. M. ERNESTI Initia Romanae Latinitatis, quibus tirones ad claſſicos Latii auctores cum legendos, tum intelligendos, rite praeparentur. Coburgi 8. 1780.

M. IOH. GOTTL. LINDNERI *Abhandlung über die Lateiniſchen Ellipſen*, 8. Francof. 1780.

IM. IOH. GERH. SCHELLERI Compendium praeceptorum ſtili bene Latini ſeu eloquentiae, latine in uſum praelectionum. 8. maj. Lipſiae 1780.

IOH. FR. FISCHERI ſelectae e profanis ſcriptoribus hiſtoriae in uſum ſcholaſticae juventutis. Lipſiae 8. 1780.

L. A. WALTHERI *Zwanzigjährige Methode, der Iugend die vornehmſten und ſchwerſten Syntax-Regeln in kurzer Zeit auf eine leichte Art beyzubringen*, 8. Gotha 1780.

Haec ſunt, quae praefandi cauſa cum Benevolo Lectore potiſſimum hic communicanda duxi. Scripſi in Muſeo Ipſis Idibus Aprilis A. R. S. M. DCC. LXXX.

M. GODOFREDVS IOACHIMVS WICHMANNVS.

IOH. FRIDER. NOLTENII
DVCALIS SCHOLAE SCHENINGENSIS QVONDAM
RECTORIS

SVPPLEMENTA
CVM
EMENDATIONIBVS
HEIC ATQVE ILLIC INTERMISTIS
AD
LEXICON
LATINAE LINGVAE
ANTIBARBARVM.

SVPPLEMENTA
CVM
EMENDATIONIBVS
HEIC ATQVE ILLIC INTERMISTIS
AD
LEXICON NOSTRVM LATINAE LINGVAE ANTIBARBARVM.

AD
PARTEM ORTHOGRAPHICAM.

Pag. 7. v. 13.

Pro Ἀρὰψ l. Ἄραψ. ψ autem Graecorum conſonans duplex eſt, valens non modo πς, ſed etiam βς et φς.

Ad loc. ABSIS v. 14.

Pro Ἀρὰψ l. Ἄραψ. ψ autem Graecorum valet non modo πσ, ſed etiam φσ et φσ: in τῷ Ἄραψ certe valet βσ, ut apparet, quum movetur per caſus v. g. Ἄραβος, Ἄραβι, Ἄραβα, Ἄραβες, Ἄραψι pro Ἄραβσι.

p. 10. v. 30. lege:

ADIICIALIS *coena*, ſic dicta, quod in ea multa extra ordinem, ultraque juſta fercula adjicerentur i. e.

p. 11. inſeratur

ADRVMETVM in ſcriptis libris eſt pluribus: HADRVMETVM in paucioribus, in inſcriptionibus vero et in nummis frequens.

* *Vrbs in Africa minore maritima, hodie vulgo vocatur* Mahometa.

ASPERNOR, non *Adſpernor*. *Adſpernor* ab aliquo tempore doctiſſimis viris Cellario, Burmanno, Drakenburgio, Oudendorpio et aliis frequentatum eſt. Horum auctoritate ne latius vulgetur error, monendi ſunt adoleſcentes, Verbum eſſe non a Praepoſitione *ad* et *ſperno*, ſed ab *a* et *ſperno*. Propriam ejus ſignificationem Donatus oſtendit ad Terentii Phorm. 8, 3, 24: *Aſpernari* eſt *averti, non ſolum corpore, ſed etiam animo.* Eam expreſſit et Seneca Lib. 2. de Ira cap. 2: *Omnes motus, qui non voluntate noſtra fiunt, invicti et inevitabilis ſunt; ut horror frigida adſperſis; ad quosdam tactus Aſpernatio.* Cicero L. 3. de Orat. cap. 25: *Quin etiam guſtatus quam cito id, quod valde dulce eſt, aſpernatur ac reſpuit?* Plinius L. 5. ep. 6: *Coelum eſt hieme frigidum et gelidum: myrtos, oleas, et quae alia aſſiduo tepore laetantur, aſpernatur ac reſpuit, laurum tamen patitur.* Eſt ergo *aſpernari*, averſari, reſpuere, re-

fugere, abhorrere; nolle attingere. *Heuſingerus.*

pag. 15. v. 21. voc. Romanorum ſubjice:

Propitius contra per T, non per C: eſt enim quaſi prope itans. Sic Itius cet.

v. 28 ſeqq: ſic lege:

AEDITVVS et AEDITIMVS, item aeditumus.

* Varro aeditumi vocabulum magis probat, quam aeditui, quod vult eſſe recentius. Ita etiam olim in fideliſſimis exemplaribus Ciceronis repertum. Aedituus tamen in inſcriptionibus paſſim et apud Suetonium, Aug. C. 5. Florentiori aetate aeditimus ſaepe pro aeditumus; et hanc poſteriorem ſcripturam una cum innumeris aliis hujusmodi, quae per diphthongum quintam in penultima efferebantur, in antiquis ſcribebant. Ab *aede* autem dicebatur *aeditimus*, quemadmodum a *lege legitimus*. Conf. *A. Gellius* N. A. lib. 12. c. 10. *Reimmannus* Introd. in Hiſt. voc. L. L. p. 22. *Aeg. Menagius* Amoen. Jur. civ. c. 39. p. 393. Eraſm. Cop. verb. L. 1. c. 11.

pag. 19.

Loco AMSTELAEDAMVM ſubjice:

† *Amſtelaedamum* ab analogia diſcrepat, quae in compoſitione Genitivum reſpuit, facilius in peregrinis O admittit, ut in *Auguſtodunum*, *Auguſtomagus*, *Auguſtobriga*, *Ebrodunum*, *Ebarodunum*, *Longobardi*, *Marcomanni*, *Marobudum* et aliis. Scribimus ergo omnium rectiſſime *Amſteledamum* et *Amſterodamum*.

pag. 25. ad loc.

AVCTOR et AVCTORITAS v. 12 ſeqq. ſic lege:

* In uno nummo aeneo ap. *Patinum* Theſ. p. 132 eſt SALVSTIVS AVTOR, ubi tamen videtur nomen eſſe proprium. Noli tamen intelligere belli Jugurthini ſcriptorem. Nihil autem inde conficitur, quum hic nummus non ſit genuinus.

pag. 25. 26. ad loc.

AVLVS GELLIVS cet. v. 14. ſic lege: magnus *Voſſius* L. 1. Analog. c. 6. p. m. 15. hanc ſcripturam ſequantur.

pag. 27. inſeratur

BALAENA i. e. cetus, der Wallfiſch, per AE; nam in Graeco eſt φάλαινα: *Balena*, per E ſimplex, medio aevo videtur increbuiſſe, uti diphthongi κατ' ἐξαίρεσιν mutatae in vocales ſimplices ſunt.

pag. 27. ad loc.

BALLISTA, v. 5. ſubjice.

† *Baliſta*, L ſimplici, multis et doctis viris magis probatur, quam *balliſta*, et ab Aoriſto ſecundo doctum videtur: quum tamen apertum ſit, id, ſi inde eſſet, corripiendum fuiſſe. Jam vero Ovidius et Lucanus primam producunt, ut facile appareat, a βαλλίζειν, quod alia quamvis ſignificatione ſupereſt, ut hujus formae plurima venire. Vid. *Heuſingerus* Emend. p. 329.

pag. 29. inſeratur.

BISSEXTILIS menſis vulgo vocatur Februarius anni cujusque intercalaris, quod tum ſextus calend. Martii bis dicitur. Si vero e duobus, *bis* et *ſextilis*, compoſitum eſt, non poteſt duplici SS ſcribi: quoniam *bis* quoties cum alio nomine coaleſcit, ſibilantem litteram abjicit, ut in *biſellium*, *biſeta*, *biſulcus*. Aliud eſt *bis ſextus*, quod non eſt compoſitum, ſed diviſe ſcribendum, ut *bis quartus*. Multum igitur falluntur, qui parem utriusque rationem eſſe putant, et primam in biſextilis (ita enim ſcribendum) producunt, quam analogia corripere potius jubet, nec ulla poſitio moratur. Heuſing. Obſerv. 330.

pag. 30. v. 27 ſeqq. ſic lege:

BRVNDISIVM et BRVNDVSIVM, *Calabriae oppidum et portus*, ab Italis hodie *Brindiſi* dictus, tum per I, tum per V ſcribitur.

† *Cellarius* putat, non niſi per vocalem tertiam ſcribendum eſſe, quum tamen, teſte *Cluverio Italiâ antiquâ* p. 716, altera illa ſcriptura, quae fit per vocalem quintam, ſuffragante vetuſtate pari ſtet talo. Quin ipſe *Cellarius* huic decreto ſuo quodammodo renuntiaſſe videtur, quum deprehendamus, eum ſubſequentibus vitae ſuae temporibus in libris veterum ab ſe recognitis, nominatim in Jul. Caeſare, conſtanter tenuiſſe *Brunduſium* per V.

pag. 36. locus: CASTRA METARI ſic efferatur:

CASTRA METARI et ordine inverſo METARI CASTRA, utrumque. *Caſtrametari* conjuncte, perpe-

perperam; hanc enim componendi rationem Latina lingua aſpernatur. Unde *caſtrametatos* et *caſtrametatio*, ſine dubio rejici debent, ac pro eo dicendum, *caſtrorum metator* et *caſtrorum metatio*, quomodo apud veteres haec occurrunt.

pag. 37. Locus CEPE ſic proferatur:

CAEPE neutr. et ἄκλιτον, it. CAEPA, ae, per AE, nummi et monumenta veterum; v. Voſſii Etymol. 88. Paeanius, Eutropii metaphraſtes, *cepe* et *cepa* per E ſimplex mavult; cujus tamen rationi allatae non multum deferunt eruditiores.

pag. 42. ad loc. COMISSARI v. 10. lege:

ut igitur a πατριάζειν ap. Terentium ſit *patriſſare*.

pag. 46. Loc.

CVLCITA, ad calcem hujus loci ſubjungatur.

* *Molles culcitae et pulvinaria, et quicquid praeterea conciliando ſomno quaeritur*, Germ. Weich Bettwerk. Busbec Ep. 1. p. m. 35. *Culcitae militares*, Feld - Madrazzen.

pag. 49. inſeratur ſuo loco:

DECIMVS praenomen eſt, ut *Quintus* et *Sextus*. DECIVS familiae nomen eſt.

† Hoc parum intelligunt, quibus *Decius Brutus* frequenter in ore eſt. Idem diſcrimen eſt in aliis, *Quintus* et *Quintius*, *Sextus* et *Sextius*, *Attus* et *Attius* (quod poſterius ſaepe ab imperitis perperam mutatum in *Accius* et *Actius*) *Mettus* et *Mettius*, *Status* et *Statius*, *Titus* et *Titius*, *Tullus* et *Tullius* v. g. *Tullus Hoſtilius* et *Servius Tullius*; Romanorum Reges. Vid. Drakenb. ad Liv. l. 1. c. 23. n. 4.

pag. 52. inſeratur:

DODONAEVS per AE, bene: *Dodoneus* per E ſimplex, perperam. Gr. Δωδωναῖος.

* *Dodonaeus* eſt Adjectivum, formatum a *Dodona* l. *Dodone*, urbe Chaoniae in Epiro, juxta quam nemus fuit, in quo templum Jovis, vetuſtiſſimo oraculo celebre, claruit. Hinc proverbium: *Ab aliquo in rebus dubiis, tanquam à quercu Dodonaea, reſponſa petere*, Einen, wie ein Oracul, anbeten.

pag. 54. v. 1. ſeqq. ſic lege:

E antique interdum Nominibus Participialibus inditum, ut *tEritum* pro *tritum*; item in Subſtantivo *plebEs* pro *plebs*, qui Nominativus Singularis obſoletus a Papinio Statio Lib. 1. Silv. v. 30. Kal. Dec. et Lib. 2. in Glaucia p. m. 32. uſurpatur, ac praeterea etiam in Livio remanſit cet.

pag. 57. v. 30 ſeqq. ſic lege:

ERINACEVS, *animal pelle aculeata veſtitum undique, praeterquam in ima parte*, Germ. *Ein Igel, oder Stachelſchwein*. cet.

v. 39. ſubjunge:

* Vocatur aliâs *ericius*: quamvis, ſi hac formâ effertur, etiam translatione quadam metaphoricâ denotet *machinam militarem illam, trabem videlicet, quae tranſverſim portae praetenſa inacceſſam eam facit*, quum ex ea undique ferrei aculei promineant: a beſtiolae ita dictae aculeis appellata. Germ. *Ein Spaniſcher Reuter*.

pag. 66. inſeratur:

GIGANTEVS per E ſimplex; non per AE. Gr. γιγάντειος.

pag. 69.

v. 47. Pro *inprimis* lege *praecipue*.

pag. 70. v. 12. ſubjunge:

† Primus autem haleces muriâ condiendi modum a. 1386. repperiſſe dicitur Batavus quidam, *Wilhelmus Burkhold*, dictus alias cognomento *Beuckelen*, unde Germanicum *Bückling* l. *Bücking* i. e. halec torrefacta, vel *Böckel*, unde Germanicum *böckeln*, *pöckeln*, *einpöckeln* i. e. ſale condire. Confer *de piſcatu halecum* opuſculum ab *Hermanno Conringio* in forma, quam dicunt, quartana editum.

pag. 75. Ad loc.

HORDEVM et *ordeum*.

v. 10. hujus loci ſubjice:

* *Patina plena decocti ad cremorem emoliti hordei, addito carnis fruſto*, Germ. *Eine Schüſſel, worin ein Stück Fleiſch mit Gerſten - Graupen gekocht iſt*.

pag. 76.

v. 12. Pro *voces hybridae* lege *voces hybrides*.

pag. 77.

v. 15. Pro *a plurimorum eruditorum arbitrio dependent*, lege *ex plurimorum eruditorum arbitrio pendent*.

pag. 77.

v. 27. Pro *in quo etiam vel*, lege *in quo etiamſi vel.*

pag. 78. v. 43. ſubjice.

Et verſa vice ſaepe V tranſiit in I: ſic in antiquis inſcriptionibus *manIbiis* pro *manVbiis*, *contIbernalis* pro *contVbernalis.*

pag. 79. v. 7. ſubjice:

I demitur in fine vocum per Apocopen 1. Poëtice in Dativis Singularibus Quartae Declinationis, quoties id metri neceſſitas exigit v. g. *Venatu invigilant*, pro *venatui.* 2. Archaice in Genitivis et Dativis Singularibus Quintae Declinationis. v. g. *die* pro *diei.* Vide *Pauli Leopardi* Emendat. et Miſcellan. L. 1. c. 14. p. 12.

pag. 83. v. 1. ſeqq. ſic lege:

INCREBRESCO et INCRERESCO ſine R in penultima, utrumque.

v. 14. adde: it. *Paullus Manutius* Comment. in Cic. ep. ad Fam. L. 7. ep. 20. p. 762. ſeq.

pag. 87. ad loc.

IVBILAEVS per AE, cet. Ad calcem hujus loci adde;

* Notemus heic locutiones: *Saecularia ſollemnia inter piae moderataeque laetitiae ſignificationes ſunt transacta*; it. *Ritu ſollemni ſaeculare eſt celebratum*, Germ. *Das Jubilaeum iſt gefeiret worden.*

p. 89. Loco:

L apud veteres cet. adde: Hujusmodi et alia antiquis temporibus ſine geminatione conſonae, praeſertim liquidae, exarata occurrunt in Inſcriptionibus antiquis. Vide *Fabrettum* in *Inſcriptionum* ipſius *antiquarum Explicatione et additamento p. 2.*

Inſere:

LABYRINTHVS in antepenultima per Y, et in ultima per TH: Gr. *Λαβύρινθος*,

Notat

1. Proprie *locum in Creta* à Daedalo inſtitutum, adeo multis viarum ambagibus, et perplexis maeandris ſinuoſum, ut ſemel ingreſſis exitum invenire vix liceret: ſive *montem in eadem Creta*, habentem antrum ſinuoſum, difficile ingreſſu et reditu difficilius.

2. Improprie *rem difficultatibus plenam et valde intricatam.*

Hinc Adjectivum

LABYRINTHEVS per E ſimplex, eo quod in Graeco eſt *Λαβυρίνθειος.*

p. 92. Loco:

LITIVM per T cet. adde:

* Petron. *Licium varii coloris filis intortum*: *Buntſtreiffige Leinwand.*

pag. 96. Locus: LITTERAE cet. ſic legatur:

LITTERAE ſingulae, et primae quidem ſingularum vocum jam olim adhibitae ſunt ad tota vocabula ſignanda.

* Hujusmodi litteras dixere *ſigla* vel *ſiglas*, κατὰ συγκοπὴν pro *ſigillas* l. *ſingulas* ſc. litteras. Sic *ſingulas litteras* dixit Cicero pro Murena: *ſingularias litteras* Gellius L. 17. c. 9. Solebant jam antiquiſſimis temporibus JCti in exſcribendis legibus uti ejusmodi *ſiglis.* Verum quum hinc ſaepe error obveniret, quia una littera plurimum crebro vocum erat ſignum; juſſit primo quidem Conſtantinus M. uti hoc videre eſt L. antep. π. de negotiis geſtis, deinde etiam Juſtinianus Imp. ut vocabulis integris, non *ſiglis* ſcriberetur Lib. 1. Cod. Tit. 17. de veteri jure enucleando Leg. 11 id, quod in Graecis libris ſimiliter fecit Imp. Baſilius, teſte *Cedreno* p. 467. vid. *Voſſius* de Arte Gramm. 138. ſeq. it. *Joh. Nicolai* de Siglis veterum, Lugd. Bat. 1703. 4.

Siglae autem veterum Romanorum non confundendae ſunt cum figuris ac notis illis, quibus itidem leguleji veteres, ut imperitis aenigmata obtruderent, uſi ſunt, quas una cum ſiglis Juſtinianus Imp. exſtirpatum ivit. Vtinam ſapienti huic edicto ubique morem geſſiſſent! Sic ex librariorum et Notariorum incuria non tot in jus Romanum irrepſiſſent ſphalmata.

pag. 101.

Inſeratur ſuo loco poſt v. 43. haec: V. S. L. M. *votum ſolvit lubens merito.*

p. 107. v. 5.

Pro *Rachelius* lege: *Joachimus Rachelius*,

pag. 116. Ad loc.

MVRAENA v. 5. ſic lege: *Murena* E ſimplici, in nummo ap. Vrſinum in gente Licinia p. 134. et in lapp. lectum eſt,

eſt, quamvis id reclamet Graecae originis.

pag. 118. Locus: NARVS, NATVS, cet. ſic legatur:

NARVS, NATVS, NAVVS, NAVITER, Cicero ſemper ſcribit et probat, de Orat. §. 158. GNARVS, GNATVS, GNAVVS, GNAVITER, characteris Poëtici propria ſunt, nec codicum auctoritate deſtituuntur, quum praeſertim apud reliquos ſcriptores proſaicos interdum occurrant.

pag. 126. Locum: OBOLVS, cet. ſic lege:

OBOLVS per O; non *obulus* per V: Graece enim eſt ὀβολός. Vide apud *Hubertum Golzium* nummum aereum Niſaeorum, in cujus una area cernitur *ſpica* cum littera M, et voce Graece ſcripta ΟΒΟΛΟΣ, in alterâ *homo fere nudus, ſcaphae inſiſtens, et nummum porrigens*, tanquam vecturae pretium, cum inſcriptione ΝΙΣΑΙΩΝ.

pag. 127. v. 12.

Pro Αρὰψ lege Ἄραψ. Loco: OBSONIVM cet. ſubjungatur: ψ Graecorum non nimis inventum eſt ad ſtabiliendam ſcripturam, quae fit per PS; quum valeat non minus βσ, φσ, quam πσ.

pag. 131. ſeq. Locus: OTTO cet. ſic legatur:

OTTO Hiſtorici recentiores: OTHO apud Romanos ſcriptum, et in nummis medii aevi etiam ſic eſt, ſpeciatim in uno, qui Ottonis I. Imp. faciem refert. *Rahe* Spec. Phil. 2. p. 29. *Beyer*. Theſ. Palat. p. 298. it. Theſ. Brandenb. Vol. 2. p. 627.

† Retinetur etiam poſterior ſcribendi modus non numquam in libris medii aevi: praeſertim reductus videtur eſſe ſaec. XIV, quum emergere paullatim bonae litterae occiperent: atque, illuſtri ut exemplo utar, ſemper hanc ſcripturam ſequitur Siffridus, Presbyter Milnenſis.

pag. 132. Loco:

‡ P ſaepe cum B alternat. cet. ſubjice. In marmore apud *Sponium* pag. 96. *p.ſPs* occurrit pro *pleBs*.

pag. 136. ad loc.

PERSES. v. 5. hujus loci ſic lege: *Florij* v. g. L. 2. c. 12. §. 2. Salluſtii B. Iug. c. 81. formâ Latinis cet.

pag. 140. v. 8.

Dele: *media correpta*.

pag. 142. ad loc.

PRISTIS. v. 5. ſubjice: *Priſtis*, *Piſtris* et *Preſtis* format Genitivum per IS, ut ſonet inſtar Nominativi; at *Piſtrix* et *Priſtrix* format Genitivum per ICIS, ut *Piſtricis*, *Priſtricis*.

pag. 145. inſeratur:

PYRENAEVS per AE: Gr. Πυρηναῖος.

pag. 146. v. 36. ſeqq. ſic lege:

Q litterae olim non ſubjiciebatur V: ſcribebant v. g. *qis*, *qVis*; *qum*, non *qVum*; *qare*, non *quare*. Deinde V, neceſſarium quaſi, addiderunt inter Q et quamcumque Vocalem inſequentem, ut *qVis*, *qVando*, *qVo*: quae interveniens V littera Vocalis ſit, an Conſona, Grammaticorum quaeſtio eſt. *Velio Longo* Conſona eſt p. 2223, quia, ſi Vocalis eſſet, *quis* non eſſet breve, quum duae Vocales in una ſyllaba productionem inferant. Contra, ſi Conſonans, prior in *equus* longa foret Poſitionis lege. Vides difficultatem, quam elabi forſan licet, ſi nec Conſonae, nec Vocalis vim habere hoc loco dicamus, ſed litterae Q facilioris pronuntiationis cauſa adjectam. *Cellar*. *Rahe* Spec. Phil. 1. p. 28. *Morell*. Spec. p. 93.

pag. 146. ſeq. Ad loc. v. 7.

QVAMOBREM uſus in unum coëgit cet. ſubjice:

* Qui diviſe ſcribunt, praeſidium qualecumque habent in eo, quod auctor ad Herennium L. 1. ſtatim ab initio periodum quartam, et Caſſius ad Ciceronem L. 14. ep. 9. periodum nonam incipit per *Quas ob res*. Occurrit etiam interdum *ob quam rem* pro *Quamobrem*.

pag. 148. ad loc.

QVERELA v. 24. ſic legatur: Mihi quidem videtur *Querela*.

pag. 150. v. 2. ſeqq. ſic lege:

† R littera canina eſt, pro qua antiqui ſaepe ſcripſerunt S. Ex. gr. in LL. XII. Tabb. *caSmen* pro *caRmen*, *majoSe* pro *majoRe*, *fuSioſus* pro *fuRioſus*, *heSi* pro *heRi*, *doSſum* pro *doRſum*; et ap. Salluſt. B. Iug. c. 51. *odoS* pro *odoR*; et ibid. c. 100. *laboS* pro *laboR*.

laboR, Hic Archaiſmus florentiori aetate remanſit in *arboS* pro *arboR*, et in *honoS* pro *honoR*, non modo metri cauſa apud Poëtas, ſed etiam apud non nullos Hiſtoricos.

Ibid. Locus:

RAETIA, RAETI cet. usque ad verba *Occurrit etiam RAITICVS more antiquo*, deleatur.

* pag. 152. inſeratur:

RHRETI, hodie *Griſones, Die Graubünder, Helvetiorum ſocii*, et RHAETIA, *Das Graubünderland in der Schweitz*, per adſpirationem et diphthongum primam.

* In vett. libb. ac monumentis *Velſero* teſte *L. 1. rerum Auguſt. Vindel.*, inveniuntur *Retia*, *Rhetia*, *Rethia*, *Roetia*, ac *Rhoetia*. Sed ut *Rhaetia* magis probem, facit, tum quod Graece is populus Ῥαιτοί dicatur, tum quod meliores et antiquiores libri ac lapides per AE et tenui T, habeant *Raitia*, *Raetia*, aut etiam aſpero T, *Raethia*: ex qua ſcripturae inconſtantia patet, quam fruſtra ſint, qui ſi in unicum forte inciderint lapidem aut codicem antiquiorem, quo tamen uti neſciant, confeſtim novam comminiſcuntur orthographiam, quam cenſorio ſupercilio doctis praeſcriptum eant. *Voſſ.* Ariſt. 151. Conf. *Cellar.* Orthogr. 49. it. 121.

pag. 156. Loco:

SALTEM et *ſaltim* cet. ad calcem ſubjunge: Vide de hoc Adverbio ex variis auctoribus copioſe admodum differentem *Thomam Crenium* in Exercit. Sacris pag. 41. ſeqq. praecipue vero p. 51-55.

Ad loc.

SANDIX v. 9. ſeq. Pro *Color eſt ex ceruſa decoctus*: vulgus *minium* vocat, Germanice *Menning*. lege: *Color eſt ex ceruſſa combuſta paratus*.

pag. 159. Loco:

SEDECIM et SEXDECIM cet. adde:

Nam infra viginti major numerus praeponitur ac minor ſubſequitur, ſive accedat, ſive omittatur copula.

pag. 168. Locus SIRVPVS ita legatur:

SIRVPVS per I, rectius: *Syrupus* per Y, toleretur.

* Priorem ſcripturam *Dan. Sennertus* Inſtit. Med. p. 1317. probat, quia nomen hoc ab Arabibus deſumtum, et propterea per Y, quo Arabes deſtituuntur, non ſcribendum, deductumque ſit a radice *ſcharaba*, quod eſt *ſorbere*, *liquoremque ſorbilem* ſignificet.

Poſterior ſcriptura *Hadriano Junio* videtur placere prae illa. Sic enim *Nomenclatore* ſuo p. 403: Syrupus, ſerapium, δρόσατον *Nicolao*, σεράπιον *Actuario*, *aliis* συρωπός, quaſi κύριος ὀπός, *ut cuidam placuit. Serapium, fortaſſis a ſirapa, quam vocem adulta Latinae linguae aetas, quae Columellam tulit, agnoviſſe videtur pro uſitato quodam conditurae olivarum genere: unde ad ſimiles conditures translata ſit vox.* Galli ſcribunt *du Sirope*; Itali, *Syropo*: cui ſcribendi modo, qui fit per Y, hodie etiam inhaerent Medicorum filii, noſtrates ſaltem.

p. 170.

Ad loc. STILVS v. 4. pro *plura dantur* lege *plura exſtant*.

p. 172.

Ad loc. SVBTEMEN et SVBTEGMEN v. 11. hujus loci ſubjice:

Atque hanc ſcripturam *Lipſius* in libris ſuis praefert, quum ita ſcribat, quoties in hoc Vocabulum incidit.

p. 180.

Ad loc. THEODERICVS et *Theodoricus* cet. v. 7. ſubjice:

* Scribitur et *Theudericus*, *Thiedericus* et *Didericus*. Voſſ. Ariſtarch. 200.

p. 181.

Ad calcem loci: TIGILLVM *per I, in media cet.* ſubjice:

Secundum alios JCtos Vlpianus L. 1. ff. de tigno juncto, ait, hoc vocabulo ſignificari *tegulam quoque, et lapidem, et teſtam, ceteraque, ſi qua aedificiis ſunt utilia: tigna enim a tegendo dicta eſſe*.

p. 185. Locus: TVSCIA cet. legatur ſic:

TVSCIA, TVSCI, ſine adſpiratione, libri et lapides, ſpeciatim Capitolini: *Thuſcia*, *Thuſci*, inſerta adſpiratione, nullo idoneo auctore. *Cell.*

Tuſcia regio eſt Italiae, in qua Tiberis oritur, alioque nomine aetate latinitatis aurea *Etruria* nuncupatur. Nam *Tuſciae* nomen recentius eſſe, neque Auguſti aetate obtinuiſſe, et longe poſt Plinium demum coepiſſe, *Voſſius* auctor eſt L. I. de

de Vit. Serm. c. 7. Quod tamen de Adjectivo et Subſtantivo *Tuſcus* valere non poteſt, utpote quod Ciceroni, Virgilio, Horatio, atque ſic aureo aevo valde frequentatum eſt.

p. 187. v. 11. ſeqq. ſic lege:

V in Superlativis et Gerundiis et cognatis Participiis an recte adhibeatur, quaeritur: ut *optumus*, *maxumus*, *veriſſume*, *peſſumus*, *gerundi*, *dicundus*, *opprimundus*, *accipiundus*, *petundus*, *faciundus*, *potiundus*, *leniundus*, *emundus*, *capiundus*, *efficiundus*, cet. Nimirum Archaiſmus, quo Salluſtius cum primis delectatur cet.

p. 189. ſeqq. Locus: VERISIMILE cet. ſic legatur:

VERISIMILE una voce, bene et uſitate, apud Ciceronem: *ſimile vero*, diviſe, dixit tamen idem Cicero ad Caſſ. L. 12. Ep. 5; et *ſimile veri*, idem Cicero in Orat. §. 237: *Id, quodcunque mihi quam ſimillimum veri videretur.* *Vero ſimile* diviſe, occurrit apud Quintilianum Lib. 3. cap. 10. et Lib. 6. cap. 3: coaleſcit autem non numquam, ut fit in hujusmodi compoſitis.

AD
PARTEM PROSODICAM.

p. 202. Inſeratur:

ABROTŎNUM, *Gartenwurz*, corripitur: Gr. Ἀβρότονον.

ABȲDUS, *urbs Aſiae ad Helleſpontum, patria Leandri*, producitur.

ABY̆LA, *mons Calpae monti in Hiſpania oppoſitus*, corripitur.

p. 205. inſere:

ACHAEMĔNES, *primus Perſarum Rex*, corripitur.

p. 206. Locus: ACORUS, ſic legatur:

ACŎRUS vel ACŎRUM, *Galgant oder Kalmus*, eodem modulo breviori. Hinc *Diacŏrum* ſimiliter corripitur.

Locus ADFATIM cet. ſic legatur:

ADFĂTIM corripiendum eſſe, ſatis nos docent *Quintilianus*, *Gellius* L. 7. c. 7. *Valla*, *Voſſius* Art. Gramm. 201, *Barthius* ad Papin. Stat. T. 3. p. 1448, et complures alii, qui pro ejus etymo habent *fatiſco* i. e. *abundanter hiſco*, quod primam brevem habet. Accedit auctoritas Priſciani, qui deducit a Graeco ἀφατῶς, *abunde*, quod mediam ſimiliter brevem habet: quamvis Priſcianus circa originem erret; quum *fatim* i. e. abundanter, dixerit antiquitas, priore brevi: unde hoc compoſitum noſtrum *adfatim* eſt. Conſentit ſequens Accii Senarius, ubi corripitur:

Tum jecore opinio farta et ſatiata adfatim;

et ſequens Prudentii Sapphicus:

Adfatim plenis quibus imbuatur.

Interim tamen Arator producit:

Suppetit adfatim exemplorum copia, noſque

cujus veſtigiis qui inſiſtunt, a *fari*, quod priorem porrigit, derivant, atque adeo diſtinguunt inter *Adfātim*, quum producte effertur, idemque ſit, quod *facunde, magna cum facundia*, et originem ſuam ad verbum *Fari* refert; et inter *Adfătim*, quum correpte effertur, idemque ſit, quod *abunde, abundanter*, et originem ſuam ad verbum *Fatiſco* refert.

p. 207. Locus: ADIECTIVA in *inus* cet. ſic legitur:

ADIECTIVA in *inus* exeuntia, quae producunt penultimam, ſunt:

1. Deducta a nominibus rerum animatarum, ut *vitulīnus*, *arietīnus*, quod alii tamen excipiendo corripiunt, *anſerīnus*, *equīnus*, *canīnus*, *oſtrīnus*, *coracīnus*, *haedīnus*,

dīnus, *vulpīnus*, *lupīnus*, cet. Conf. infra *Arietinus*.

2. Nominatim etiam ſequentia, quorum non nulla etiam naturam ſubſtantivorum habent: *clandeſtīnus*, *inteſtīnus*, *mediaſtīnus*, *internecīnus*, *feſtīnus*, *morticīnus*, *marīnus*, *vicīnus*, *orcīnus*, *peregrīnus*, *inquilīnus*, *libertīnus*, *matutīnus*, *veſpertīnus*, *divīnus*, *pulvīnus*, ein Polſter, *ſupīnus*, *ciſternīnus*, *genuīnus*, *opīnus*, *adulterīnus*, *inopīnus*, *camīnus*, *catīnus* eine Schüſſel, *echīnus*, *gelaſīnus* lächelnd, *covīnus* ein Streitwagen, *collīnus* à colle, *fungīnus*, *laurīnus*

* *Mediaſtīnus*, i, Subſt. *Ein Hausknecht.* Anatomici *mediaſtinum panniculum* vocant, *qui dividit medium pectus et pulmones*, Germ. *Das Zwergnetz.*

* Referuntur huc etiam *diutīnus* langwierig; *ſerotīnus* ſpät, langſam; *hornotīnus* heurig: quae tamen rectius corripiuntur.

* *Diutīnus* corripuit Prudentius in Iamb.

Poſtquam vapor diutinus;

quamvis ſunt, qui negant, ejus auctoritatem praevalere rationi et analogiae, Vid. *Jul. Caeſ. Scaliger* de cauſis LL. c. 98. *Serotinus* ab Hilario corripitur. Verum et heic praeferunt non nulli analogiam. Quod vero *priſtīnus* et *craſtīnus* corripiuntur, cauſam adſignant 1. quia à monoſyllabis 2. et quia utrumque Virgilius habet breve.

* Pro correptione binorum priorum, nempe τῦ *diutinus* et *ſerotinus*, nec non pro correptione τῦ *hornotīnus* pugnat etiam juxta hodiernum uſum Priſcianus, cujus regula haec eſt: *Adjectiva in* inus, *quae naſcuntur ex Adverbiis temporalibus, penultimam corripiunt*, ut: *diutīnus*, *perendīnus*, *ſerotīnus*, *hornotīnus*, cet. *Quae vero tempus non ſignificant*, *penultimam producunt*, ut: *ciſternīnus*, *mortitīnus*, cet. *Matutīnus* vero et *veſpertīnus* penultimam producunt, quia oriuntur, non ab Adverbiis, ſed a Nominibus *Matuta* et *veſpera*; ſed *annotinus* ab *annus* volunt in penultima corripere.

3. Diſtributiva numeralia, ut: *bīnus*, *trīnus*, *quinus*.

4. Cognationum nomina, ut: *ſobrīnus*, *conſobrīnus*, *amitīnus*.

5. Denique Propria ac Gentilia, ut: *Auguſtīnus*, *Juſtīnus*, *Sibyllīnus*, *Aventīnus*, *Feſcennīnus*, *Ticīnus*, *Fucīnus*, *Venuſīnus*, *Canuſīnus*, *Gabīnus*, *Collatīnus*.

Corripiuntur autem reliqua omnia, quae materiam ſignificant, ſeu quae a rebus inanimatis deducuntur, ut: *fagīnus*, *cryſtallīnus*, *adamantīnus*, *coccīnus*, *acīnus*, *xylīnus*, *ſandaracīnus*, cet. Item haec: *craſtīnus*, *priſtīnus*, *pampīnus*, *faticīnus*, *vaticīnus*, *fraxīnus* ein Eſchenbaum, *cophīnus* Ein Korb.

† De diverſa hac Adjectivorum in *inus* terminatorum quantitate paullo aliter ſciſcunt *Schoppius*, *Voſſius* et *Vrſinus*: quorum ſententiam frangere ſtuduit *Olaus Borrichius.* Age, audiamus ſingulos!

Caſpar Schoppius apud Mariangelum de Fano Benedicti ita hac in cauſa ſtatuit: *Nomina*, inus *in exitu habentia*, *ſi Graeca ſunt*, *ſunt omnia brevia*; *ſi Latina*, *ſunt omnia viciſſim longa*: *itaque* elephantĭnus, fagĭnus, cryſtallĭnus, circĭnus, crocĭnus, amaracĭnus *habent* i *correptum*, *quum ſint Graeca*, *O in I converſo*: laurīnus *autem*, fungīnus, collīnus, oſtrīnus, *habent* i *productum*, *quum a nominibus Latinis ſint derivata.*

His *Schoppii* verbis hanc addit ἐπίκρισιν ſuam *Olaus Borrichius* Cogit. p. 311. ſeqq. Haec Scioppius, *inquiens*, animoſe quidem, ſed minus accurate. At vero *elephantinus*, *faginus*, *cryſtallinus*, *circinus*, *crocinus*, *amaracinus*, non magis Graeca ſunt, quam *Agrigentinus*, *Byzantinus*, *Coracinus*, *Eleuſinus*, *Epheſinus*, *Eraſinus*, *gelaſinus*, *Tarentinus*, quae tamen omnia penultimam diſerte producunt. Libet ire per exempla:

Quorum Agrigentinus, *cum primis Empedocles eſt*,
Hexameter Lucretii eſt Libro 1.
Byzantina *ſophos dedere regna*,
Phalaecium eſt Sidonii Apollinaris.
Princeps Niliacis raperis coracine *macellis*,
Martialis eſt lib. 13. Epigramm.
Tardaque Eleuſinae *matris volventia plauſtra*,
Virgilii eſt 1. Georg.
In Lycios fines, Epheſina*que litora venit*,
Mantuani eſt I. Faſtorum.
Redditur Argolicis ingens Eraſinus *in agris*,
Ovidii eſt 15 Metam.
Nec grata eſt facies, *cui* gelaſinus *abeſt*,
Martialis eſt l. 7. Epigramm.
Quam te leaena montibus Libyſſinis,
Scazon Catulli eſt carm. 61.
Lapſa Palaeſtinas *uncis confixit arenas*,
Lucani eſt libr. 5.

Quod

Quod Sibyllini *monnere verſus*,
Sapphicum eſt Horatii.
Lana Tarentino *violas imitata veneno*,
Horatii eſt 2. Epod.

Quod ad voces illas Latinas attinet, quas monuit Scioppius penultimam producere, quod Latinae ſint, in eo non ſatis verum perſpexit. Enimvero *laurinus* non eſt Latinae originis vox, ſed Graece, quippe et δάφνη Graecis dicitur et λαῦρον, docente Heſychio. Iterum ſi intueamur *collinus*, eſt quidem illa vox à Latino *collis*; ſed *collis* verna non eſt Latii, quia jam ante oſtendit et Scaliger et Voſſius in Etymologico linguae Latinae, *collis* eſſe originis Graecanicae. Graecis enim eſt κολώνη et κολωνὸς idem, quod Latinis *collis*, quod ex Homeri Iliados lib. 2. apparet, ubi legitur αἰπεῖα κολώνη, id eſt, *elevatus locus*, ſive *collis*, quemadmodum reddit Scholiaſtes Graecus. Deberet igitur ſecundum regulam Scioppii penultimam corripere. At Ovidius lib. 4. Faſt. eamdem producit:

Templa frequentari collinae *proxima portae.*

Fungus etiam, ſi rem probe inſpiciamus, non eſt originis Latinae, ſed Graecae. Quod et idem ante vidit eruditiſſimus Voſſius in ſuo Etymologico. Scilicet *fungus* Latinorum eſt à σπογγος Graecorum, pro quo Attice σπογγιὰ dicunt, unde Latinorum *ſpongia*. Ideoque quamquam *Scioppius* fortaſſis crediderit, *funginum* dici penultimâ productâ propter auctoritatem Plauti in Trinum. a. 4. ſc. 2; deceptus tamen fuit in dimetiendo verſu illo. Longe aliter ſenſit Clariſſ. *Labbéus*, docetque, *funginum* ibi dici penultimâ brevi. Vox Plauti eſt:

Pol hic quidem fungino *genere eſt, capite ſe totum tegit.*

Heic *Labbéus* trochaeum agnoſcit, ubi *Scioppius* ſpondéum. De voce *oſtrinus* neque dubitandum, quin deſcendat a Graeco: ὄσρεον enim Graecorum vox eſt, unde *oſtreum* Latinorum deductum fuit; id, quod agnoſcit etiam Varro lib. 4. de lingua Latina. Sed cur penultimam producit *oſtrinus?* non ſane, quod vox ſit origine Latina, ſed quia deſcendit ab animato. Hinc Propertius Lib. 3. eleg. 11:

Et Tyros oſtrinos *praebet Cadmea colores.*

Atque in his quattuor Latinis vocibus nullum *Scioppio* praeſidium relictum eſt, quod omnes Graeco fonte cadant. Et quis neget, eadem ratione Latina eſſe *amygdalinus*, *gauſapinus*, *oleaginus?* utcumque cum Scioppianis illis Graecos initio agnoſcant natales. Sed quomodo pronuntiantur haec ipſa vocabula?

Fertur amygdalinae *ſuccus uncis eſſe bibendus*,
Serenus Sammonicus ait cap. 27.
Menſe vel Auguſto ſumere gauſapinas,
Martialis eſt lib. 3.
Truditur e ſicca radix oleagina *ligno.*
Virgilii eſt 2. Georg.

Proinde nihil heic poteſt illud inter Latinas voces et Graecas diſcrimen, quod invehere laborat *Scioppius*; ſed aeſtimanda illa regula ſatis ſecura: *Adjectiva in* inus, *a rebus animatis ſenſitivis deſcendentia, penultimam producunt.* Et rurſus: *Adjectiva in* inus, *a plantis, lapidibus aliisque inanimatis derivata, penultimam corripiunt.* Neque enim exemplum huic regulae adverſum temere reperies: id, quod pluribus perſequi libuit *libro de lingua Pharmacopoeorum*, quem benevolus lector, ſi vacat, de hoc argumento conſulat. De voce *elephantinus* ibi quaedam etiam attacta ſunt: nunc id adjicere viſum; videri erudito cuidam Critico, poſſe convenienter penultimam in *elephantinus* produci, quum de attributis vivi animalis ſermo eſt, ut *elephantini mores*; *elephantinus greſſus*, etc.; ſed corripi eamdem, ubi ſermo eſt de attributis animalis mortui, ut *elephantinus dens excuſſus*, *elephantinum manubrium*, *corium*, *oſſa* etc. Verum licet ſpecioſe illud moneatur; non ſatisfacit: quia *color oſtrinus* Propertio dicitur, *columbinum ovum* Horatio, *ferinum lac* Virgilio, *baedina pellis* Martiali, *hircinus follis* Horatio, *lupinum jecur* et *urſinum ſevum* Sereno, *taurinum tergum* Virgilio, et denique *viperinus cruor* Horatio, penultimâ ubique productâ, etiam à morte eorumdem animalium. Et quis non audebit pronuntiare longâ penultimâ *anſerinum ovum*, *corvinam pennam*, *anguinam carnem*, *caballinam ungulam*, *caninum pilum*, *leoninum adipem*, *porcinam ſetam*, *urſinum fel*, licet animalia, quorum iſtae partes fuere, jam diu ante occiſa ſint? Proinde eò adhuc inclinat ſententia, antiquiſſimos Graecos ebur, ſive *elephantinos dentes* conſideraſſe, ut rem naturâ ſuâ inanimen, (quod vel raros, vel forſan nullos id temporis in ſuis regionibus vidiſſent elephantos) eoque inſtituto Hephaeſtionem et Anacreontem penultimam corripuiſſe, quod hodie vix imitandum. Hactenus *Olaus Borrichius.*

Huic meditationi Borrichianae *Georgius Henricus Urſinus* Obſerv. Philol. cap. 11, p. 184.

p. 184. ſeqq. opponit ſequentia: De hac, *inquiens*, terminationis in *inus* quantitate τῦ I penultimae judicium petit ὁ Πάνυ *Voſſius* non cum vulgo Grammaticorum à diverſitate ſignificationis, qui ab animatis ducta volunt producta, ab inanimis vero brevia, ſed primo à Graecae Latinaeque linguarum differentia, inque *inus* Graeca I habere correptum cenſet, Latina autem productum. Quae ipſa etiam *Scioppii* ſententia eſt. Quid tamen in *Voſſio* adhuc deſiderem, deinde dicam. Inſurrexit contra hunc, ut in aliis, ſic in hoc ipſo quoque, non ita dudum *Olaus Borrichius*, multisque ſtudet efficere, ſuam iſtis Grammaticorum veterum regulis rationem conſtare, nec ab iis fuiſſe recedendum. Id ut evincat, et varia corradit hinc et inde exempla, quibus et illa in *inus* à Graecis venientia I habere productum obtinere nititur, et ſua *Scioppio* intervertere praeſidia conatur. Quam recte utrumque, breviter videamus. Neque enim aegre laturum puto virum eruditiſſimum, aegre certe ferre non debet, ſi ad exemplum ejus in ipſum idem ego mihi juris ſumſero, quod ille ſibi ſumſit in alios. Et alioquin reſpublica haec, ſub qua vivimus, litteraria liberam cuique dicendae modeſte ſententiae facultatem permittit. Ad prius igitur quod attinet, profert voces *Agrigentinus*, *Byzantinus*, *coracinus*, *Eleuſinus*, *Epheſinus*, *gelaſinus* (dens) *Libyſſinus*, *Palaeſtinus*, *Sibyllinus*, *Tarentinus*, quas omnes penultimam diſerte producere, adductis Poëtarum teſtimoniis probat, idque eum in finem, ut obtineat, non minus producto I penultimae, quam eodem correpto in *inus* terminatas reperiri voces Graecas ad Latinos traductas; quare nec ullam conſtantem quantitatis notam inde peti poſſe. Verum enim vero aërem ne feriat exemplis hiſce, et extra oleas vagetur vir eruditiſſimus, vehementer metuo. Quamquam enim Scioppianae ſententiae interpres *Mariangelus* late dixerit, nomina *inus* in exitu habentia brevia eſſe omnia, ſi ſunt Graeca; tamen et haec nomina non de quibusvis, nec haec omnia de omnibus in univerſum cujuscumque generis, ſed de omnibus tantum certi generis eſſe accipienda, illud ſatis arguit, quod ſuam hanc ſententiam Grammaticorum ſententiae oppoſitam vult *Scioppius*, qui vero non de quibusvis in *inus* Nominibus, ſed de Adjectivis ſolum, nec de his omnibus, ſed de iis tantum, quae a communibus oriuntur: quod cum ex ipſis regulis, tum ex iis, quae adferunt, exemplis ſatis elucet: loquuntur. Vt igitur accurata ſit contractio, et iisdem definita limitibus, de his quoque *Scioppii* ſententia fuerit forte intelligenda. Sed ut faciles ſimus hac in parte erga *Cl. Borrichium*, quum non mereatur *Scioppius*, ut tam humane ſecum agatur, qui tam inhumanus ipſe ac durus adverſus ſummos aetatis ſuae viros fuit, demus hoc ei ſane, late nimis et indiſtincte pronuntiatum eſſe à *Scioppio*, aut interprete Scioppianae ſententiae *Mariangelo*, Nomina in *inus* fine addita diſtinctionis nota, quae omnino fuerit addenda, magis etiam à *Voſſio*, cui hoc accurate agendum fuerat, qui tamen et ipſe, quum primum de derivatorum in *tinus* penultima egiſſet, ubi ad cetera in *inus* pervenit, non diverſos conſtituit ordines, ſed ſub eumdem omnia conjicit, quum vel maxime res diſtinctionem quamdam exegiſſet. Gentilia igitur omnino fuerant eximenda, quum, quae à Graecis in *inus* veniunt, corripi debere praeciperetur. Qualia *Agrigentinus*, *Byzantinus*, *Eleuſinus*, *Epheſinus*, *Libyſſinus*, *Palaeſtinus*, *Tarentinus*. Et eximere ea a ſuis etiam, quas defendendas ſuſcepit, regulis debuiſſet omnino et ipſe *Borrichius*. Qui in adverſario laedendo promtior, quam in ſe tuendo cautior, non ſentit, his ipſis, niſi excipiantur, regulis ſuum jugulum peti. Quippe dum hanc ponit diſtinctionem cum vulgo Grammaticorum quantitatis Adjectivorum in *inus*, ac tamquam Mercurialem quamdam ſtatuam commendat, quod, *quae ab animatis*, *ſenſitivis nempe*, *veniant*, *producant penultimam*; *quae a plantis lapidibus aliisque inanimis*, *eamdem corripiant*; haec nimirum, quae ex eo dedimus Gentilia, quum producant penultimam, erunt ſecundum leges Grammaticorum et *Borrichii* ab animatis deducta. Ergo *Agrigentum*, *Byzantium*, *Eleuſis*, *Libyſſis*, *Tarentum* erunt nobis poſthac, ſi dîs placet, animata. Euge vero! Putârit forte non nemo, ne in Graecorum quidem cenſum referenda illa dub *Agrigentinus*, *Tarentinus*, eſſeque haec à Latinis *Agrigentum*, *Tarentum*, quomodo ii maluerunt pro Graecis Ἀκράγας, Τάραντον. Sed haec omnia ſunt formata à Latinis ex Graecis iſtis Ἀκραγαντῖνος, Ταραντῖνος, atque ad ſimilitudinem ipſorum Primitivorum ab iisdem inflexa. Ceterum eamdem plane quantitatem τῦ I in penultima praeter illa à *Borrichio* allata ſervant et haec Gentilia: *Velinus*, *Pontinus* ſeu *Pomptinus*, *Tiberinus*, *Setinus*, *Amerinus*, *Alexandrinus*, *Andinus*, *Venuſinus*, et alia non pauca,

pauca, ut plane de his ſigillatim fuerit praecipiendum. Eorumdem formam et *Sibyllinus* ſequi, fuerit putandum, ſi vere Graecum ſit. Mihi tamen hoc a Latinis potius ex voce Sibylla more ſuo inclinatum videtur, quam ut ſit Graecum. Nam Σιβύλλειος equidem reperio apud auctores Graecos, ex Σίβυλλα denominatum, nuspiam autem Σιβυλλῖνος. *Coracinus* vero, *gelaſinus* dens, *Eraſinus* non ſunt hujus ordinis, ut neque *cyprinus*, *echinus*, *caminus*, quae miror cur non et ipſa attulerit, ſi ſine diſcrimine Graeca in *ινος* ad Latinos traducta penultimâ porrectâ producere fuit viſum viro doctiſſimo. Nam et ſubſtantiva ſunt, et partim inſuper non denominativa. Ἐρασῖνος certe, γελασῖνος, ſi vel Adjectiva eſſe conſtaret, tamen hujus loci non eſſent; utrumque enim a verbo fit. Quare et ipſa eunt ab hoc numero ſegreganda, et ſuus iis ordo ſigillatim fuiſſet tribuendus tum à *Voſſio*, tum magis etiam a *Borrichio*. Neque enim, quum a verbis deſumantur, vel ab animatis vel ab inanimis deſumi poterunt dici. *Coracinus*, κορακῖνος, vero piſcis ad nomen quod attinet, cum ratione ejus, quod Subſtantivum eſt, tum ratione etiam differentiae a κοράκινος *corvinus*, producit penultimam circumflectitque. At ſi aliquod operae pretium voluiſſet facere vir doctiſſimus, oſtendiſſet nobis, poſterius hoc I in penultima reperiri productum apud Latinos. Sic enimvero cauſam ſuam ſtrenue egiſſet. Nunc neque in Latinis hoc eſt receptum, et meo judicio plane corripitur apud Graecos, non minus quam ἀνθρώπινος, ἐλεφάντινος, et quae hujus generis alia ſunt plura; de quibus poſtea. Vides, quam infeliciter ex una parte rem geſſerit vir doctiſſimus. Sed geſſit eamdem altera ex parte multo etiam infelicius. *Laurinus*, *collinus*, *funginus*, *oſtrinius* non concedit *Scioppio* Latinae eſſe originis voces, propterea que penultimam producere contra illam Grammaticorum regulam, ea, quae ab inanimis veniunt, correpta ſtatuentium. Spectemus, quibus telis adverſarium ſuum petat. *Laurinus*, inquit, *non eſt Latinae originis vox, ſed Graecae, quippe et* δάφνη *Graecis dicitur*, *et* λαῦρον, *docente Heſychio. Iterum ſi intueamur collinus, eſt quidem illa vox a Latino collis: ſed collis verna non eſt Latii, quia jam ante oſtendit et Scaliger et Voſſius in Etymologico, collis eſſe originis Graecanicae. Graecis enim eſt* κολώνη *et* κολωνὸς *idem, quod Latinis collis cet. Fungus etiam non eſt originis Latinae, ſed Graecae à* σπόγγος *cet. De voce oſtrinus neque dubitandum, quin deſcendat à voce* ὄστρεον *cet. Atque in his quattuor vocibus nullum Scioppio praeſidium relictum eſt, quod omnes Graeco fonte cadant.* Haec ille, quaſi re optime confecta. Ego vero haec ipſi excidiſſe nollem. Nam quis non videt, non agi heic de ultima origine vocum *laurinus*, *collinus*, *funginus*, *oſtrinus*, ſed tantum de proxima, nec quicquam heic ad rem referre, unde *laurus*, *collis*, *fungus*, *oſtreum*; ſed illud modo quaeſtionis eſſe, unde voces illae, quas dixi, ἀμέσως deriventur, et utrum non potius a vocibus *laurus*, *collis*, *fungus*, *oſtreum* latinitatis jure jam donatis, Latino more ſint inclinatae, quam a Graecis illis, a quibus derivari eas vult *Borrichius*, etſi quidem non auſus vocem *collinus* ἀμέσως, ut ceteras, ex Graeco arceſſere. Sed quid juvat illum, τὸ *collis* ex Graeco eſſe, ſi *collinus*, de quo quaeſtio eſt, a Latino *collis* eſt? Et quum diſerte hoc agnoſcat ipſe, qui nullum *Scioppio* in his quattuor Latinis vocibus praeſidium eſt, et qui omnes Graeco fonte cadunt, quod deinde ſubjicit? Ecquis autem, qui aliquem litterarum harum guſtum habet, non *laurinus* etiam et *funginus* et *oſtrinus* a Latinis vocibus *laurus* et *fungus* et *oſtreum* malit arceſſere, quam ex Graecis illis, quorum nec Denominativa hac terminatione uspiam leguntur. Praeterea neque λαῦρος (hoc enim potius thema conſtituendum fuerit, quam, uti fecit *Borrichius*, λαῦρον, qui Accuſativus aperte eſt apud Heſychium, δάφνην illud exponentem) quum hunc ſolum habeat auctorem, quem multis peregrinarum vocum expoſitionibus ſuum volumen conſtipaſſe, vel ii non ignorant, qui limis tantum oculis id inſpexere, prius in numerum Graecarum vocum recepero, quam aliud alius ſcriptoris Graeci teſtimonium aptius fuerit prolatum. Sane Cl. etiam *Voſſius*, etſi locus hic Heſychianus eum non fugerit, (laudat enim eumdem ipſe) in alia tamen omnia ire maluit, quam, quod dictu erat tam proclive, a λαῦρος iſto Heſychii Latinum *laurus* deducere. Nec difficilis eſt conjectu haec ejus ratio; quum inſtitutum illud Heſychii tantum virum latere minime potuerit. Jam ſi a Latinis vocibus originem ſuam habent Adjectiva illa toties jam nominata, quid porro ad nos, unde ipſae voces illae, a quibus haec Adjectiva deducuntur? quid id ad rem facit? Sed quo minus Graecae ea originis habeantur, alio inſuper argumento pugnemus. Nam talia ſi eſſent, ſi iade-

ſuaderet omnino analogia, corripi illa, ut alia hujus formae apud Graecos Adjectiva denominativa, vel ex ipſius *Borrichii* ſententia, quum ſint ab inanimis partim, partim a plantis deſumta, praeter unum *oſtrinus*, de quo deinde. Nam ad Graecas etiam voces, in *inos* terminatas, has eum regulas extendere, patebit poſtea clariſſime ex iis, quae de voce *elephantinus* ex ipſo erunt proferenda. At produci tamen *laurinus* et *collinus*, nec ipſe negare potuit. En! quos in laqueos induerit virum optimum nimium alterius inſectandi ſtudium! Quantum in ipſo eſt, nec Latinae nec Graecae originis erunt haec Adjectiva, quia, ſive Graecae originis eſſent, ſive Latinae, ex analogiâ corripienda eſſent, aut certe eſſent anomala, atque a regula excipienda. At neque ullam in iis anomaliam agnoſcit, neque illa excipit. Miſera igitur haec Adjectiva, totâ Graeciâ Latioque pulſa, neſcio, quo gentium exſulatum ire cogentur. Sed ſerio agamus. Dico igitur, nihil proficere *Borrichium*, ſi vel a Graecis eſſent hauſtae voces *laurinus*, *collinus*. Annon enim nihilominus reclamarent tam illi Gammaticorum regulae, *a rebus inanimis deducta eſſe brevia*, quam Scioppianae, *Latina in* inus *ſumta a Graecis corripi?* Non enim ullum *Borrichius*, ut neque ceteri Grammatici, mere Latinas inter et Graecas in Latium deductas voces diſcrimen conſtituit; ſed eodem utrasque loco habet, easdemque ſub leges revocat. Cur autem de voce *marinus*, quam et ipſam *Scioppius* in firmamentum ſententiae ſuae adhibuerat, ne γϱὺ quidem apud antagoniſtam ejus virum clariſſimum deprehendimus? Nimirum, quia heic bella ipſum ratio ſua vocem hanc ad Graecos fontes reducendi deſtituerat. Quid porro reſpondebit ad vocem *vicinus*, a *vico*, re procul dubio inanima? quid ad τὸ *morticinus*, ab ipſa plane *morte* deſumtum, quae animam vivis adimit? quid ad τὸ *genuinus*, quod a *genus* eſt, animante videlicet aliquo? quid poſtremo ad vocem *ciſterninus* a *ciſterna*, quam huc quoque, nec id immerito, refert celeberrimus *Voſſius?* Vides Grammaticarum harum praeceptionum, quas tuetur *Borrichius*, egregiam certitudinem! Et tamen heic neſcio quî occaecatus negat exemplum his regulis adverſum temere repertum iri? Quare nec de *funginus* me ſibi adſentientem habet, ut qui *Labbéo* malit auſcultare, Trochaeum in hoc verſu Plauti Jambico ſtatuenti, qui exſtat Trinum. a. 4. ſc. 2:

Pol, hic quidem fungino *genere eſt, capite ſe totum tegit.*

At quis non potius cum *Scioppio* Spondeum ibi tueatur, voce *funginus* ad normam illarum *laurinus*, *collinus*, *marinus*, cet. exacta, quibuscum formâ plane et origine convenit, quam ut Trochaeum cum *Labbéo*, et, qui hunc ſequitur, *Borrichio* ibi agnoſcat, qui pes in hoc genere, quamquam non plane numquam compareat apud Comicos, rarior tamen longe et inuſitatior eſt Spondeo, cui propria in eo ſedes ſua eſt. Praeterea ſi *funginus* mediam habet brevem, quum id a Graeco eſſe contendat ipſe, jam hoc ipſo firmabitur Scioppiana praeceptio, qui ea in *inus*, quae a Graecis ſunt, corripienda vult. Negabit forte *Borrichius*, corripi propterea, quod Graecum ſit origine. Negarem hoc ego pariter, et meliori quidem jure, cum *Scioppio*, ſi corriperetur, corripi propterea, quod ab inanimis orta, nec tamen penultimam habentia correptam. Neque *oſtrinus* igitur, quod et ipſum recte advocat *Scioppius*, avelli patior a ceteris, neque illum fero, qui inde potius, quod ab animante deſcendat vox iſta, quam hinc, quod ſit Latinae vox originis, rationem penultimae in hac voce productae arceſſat. Quamobrem hinc omnium quoque in *inus* aliorum ejusmodi Adjectivorum Denominativorum, productam habentium penultimam, quantitatis rationem, ſine diſcrimine, ab animantibusne ſint, an ab inanimis, deſumamus poſthac cum *Scioppio* tam diu, donec vel *Borrichius*, vel alius, fortioribus nos argumentis convincat, haec, in quibus nos Latinam quaerimus ſcaturiginem, Latinae formationis non eſſe, ſed Graecae. Jam quid ad vocem *elephantinus*, quae non minus huic ejus et Grammaticorum placito adverſatur, quum in *inus* terminata, etſi ab animali formata ſit, penultimam nihilominus habeat correptam, contra quam ipſi praecipiunt, reſpondeat *Borrichius*, audiamus. *Eò*, ait, *inclinat adhuc ſententia, antiquiſſimos Graecos ebur ſive elephantinos dentes conſideraſſe, ut rem naturâ ſuâ inanimem, (quod vel raros, vel forſitan nullos id temporis in ſuis regionibus viſiſſent elephantos) eoque inſtituto Hephaeſtionem et Anacreontem penultimam corripuiſſe, quod hodie vix imitandum.* Lepidum profecto effugium! quod ſi ulli eruditorum probetur, mirer ſane. Ego vero auctoritate Anacreontis atque Hephaeſtionis tam diu putabo ſtandum, dum aliud nobis Adjectivum in *inos* Denominativum, ejusdem formae, cujus

cujus eſt ἐλεφάντινος, qualiaſſunt ἀνθρώπινος, γύπινος, κοράκινος, protulerit *Borrichius*, penultimâ productâ. Nemo certe, nemo adhuc eorum, qui Graecam nobis Proſodiam dedere, quem quidem videre mihi licuit, diſtinxit inter illa Adjectiva in *ινος* Denominativa, quae a ſenſu praeditis et eo deſtitutis deſcendunt, illaque producta, haec correpta poſuit. Conſtanter omnes eodem habent numero et haec et illa. Tam diu igitur et ipſe non aliam illorum ἀνθρώπινος, γύπινος, κοράκινος, rationem eſſe exiſtimabo, quum praeſertim ſit, quod me in hac ſententia mea confirmat, ἐλεφάντινος, *Borrichio* autem nec dum ſit, quo ſuam corroboret; quam iſtorum σύκινος, μαρμάρινος, κυπαρίσσινος ac ſimilium, quae corripi extra controverſiam eſt. Neque *Voſſius* igitur ſatisfacit, quod, quum ea in *inus*, quae Latina ſunt, I habere porrectum, agnoviſſet merito, ſubjungit tamen et illa, quae ab animantibus, ut *equinus*, *porcinus*, *murinus*, *anſerinus*, ſimiliaque; ac ſi haec ratio a priori eſſet diverſa. At certe non quod ab animantibus veniant *porcinus*, *equinus*, *murinus*, ac ſimilia productam habent penultimam, ſed quod Latinae ſunt originis, adeoque in priori ratione prorſus fuerat adquieſcendum. Sed nec de *elephantinus* ullum in eo verbulum reperias, quod tamen, ſi hic Grammaticorum canon, *in INUS, ab animalibus deſumta, eſſe in penultimâ producenda*, obtinere debeat, omnino propter auctoritatem Hephaeſtionis atque Anacreontis fuerat excipiendum; aut ſaltem videndum fuerat, quid ad hanc reſponderetur; etſi id quidem fruſtra fuiſſet futurum. Nam nihil omnino hac exceptione, minus etiam auctoritatis Hephaeſtioneae et Anacreonticae eluſione opus eſt; atque ita potius cum *Scioppio* ſtatuendum eſt, ſegregatis tamen, ut ſupra dictum, Gentilibus, quae produci debere tam Graeca, quam Latina, ſingulari erit canone definiendum, et adhibita limitatione quadam; *Denominativa in* inus *Adjectiva* (quo ipſo etiam ſubſtantiva in *inus* a Graecis hauſta, ſive Primitiva illa ſint, aut certe originis obſcurioris, ut *echinus*, ſive Denominativa, ut *cyprinus*, *coracinus*, ſive Verbalia, ut *caminus*, *gelaſinus*, *eraſinus*, volumus remota) *ſi a Graecis ad Latinos ſint traducta* (traducta autem inde intelligentur, non ſi ab ultima modo origine inde arceſſi queant, ſed ſi proxime inde reſultent, O in U ſolum converſo, id quod diſerte etiam pro fundamento ſubſternit *Scioppius*, ut tanto minus veniae ſit *Borrichio*, qui tam miram iniit rationem vocum *laurinus*, *collinus*, *funginus* Graecae origini vindicandarum, ut ſupra vidimus) *corripienda ſunt*. Vel ſi canon quidam καθολικὸς, qui haec omnia includat, magis te capit, dicendum ita fuerit: *In* inus *Latina a Graecis ἀμέσως tranſſumta ſervare quantitatem penultimae Graecam. Subſtantiva igitur produci, qualia* caminus, cyprinus, coracinus, echinus, eraſinus, gelaſinus; *Adjectiva vero Denominativa corripi, nulla habita plane ratione, ab animantibusne ſint, an ab inanimis, qualia* elephantinus, faginus, cryſtallinus, amygdalinus, etc. His e contrario cum *Scioppio* Adjectiva in *inus* Denominativa Latinae formationis productam habere penultimam recte cenſebuntur; nihil iterum penſi habito, quibuscumque a thematis ſumantur, ab animatiſne, (ſenſitivis ſcilicet), an ab inanimis; qualia *anſerinus*, *porcinus*, *aquilinus*, *oſtrinus*, *marinus*, *collinus*, *ciſterninus*, *funginus*, cet. a quibus tamen eximes tum *oleaginus*, cujus penultimâ correptâ uſus eſt ipſe Virgilius, tum forte *arietinus*, quo de excipiendo nemo equidem cogitavit; ego vero longâ penultimâ eodem uti nolim. Puto enim, analogiae alii hoc datum, ut correpto I fuerit prolatum, uti *parietinus*. De ceteris in *inus* Proſodicos ſcriptores adeas velim, e quibus tamen, quod noſtram ad rem quodammodo etiam facit, hoc cognoſces, pleraque in *inus* Adjectiva Latinae originis penultimâ efferri longâ, exceptis iis Adjectivis temporis, quae ex Adverbiis ejuſdem ſignificationis orta penultimam habent brevem, ut *priſtinus*, *craſtinus*, *perendinus*, *hornotinus*, *ſerotinus* quoque et *diutinus*, quae poſtrema perperam *Scaliger* pater, putabat producenda; quo de *Voſſius*. Subſtantiva quoque illa, quae naturam praeferunt Adjectivorum, producta reperies fere omnia; qualia *amitinus*, *inquilinus*, *libertinus*, *mediaſtinus*, *ſobrinus*, *conſobrinus*; tum propria etiam illa, ab Adjectivis ſecundae Declinationis venientia, ut *Juſtinus* a *Juſtus*, *Auguſtinus* ab *Auguſtus*, *Longinus* a *longus*, *Severinus* a *ſeverus*, cet. praeter haec alia inſuper Subſtantiva quaedam, ut *lupinus*, *pulvinus*, *covinus*, paucis tantum ex toto numero exceptis, et vix pluribus, de quibus quidem certo conſtet, hiſce, *aſinus*, *dominus*, *fraxinus*, *licinus*, *pampinus*, *ricinus*, *terminus*. Hactenus *Urſinus*.

Sed quid ad ea *Borrichius*? Nimirum reſpondet per integram Diatriben, quam ſub-

ſubjectam *ejus Analectis* videmus, et huc transſcribere, operae fuerit pretium.

1. Non ſemper, *inquit*, in Rep. de ſummâ rerum, aut Hannibale moenibus arcendo conſilium initur: aliquando diſceptatur etiam de ſtillicidiis et jure ſuggrundiorum: id, quod mihi heic uſu venit, cui non propoſitum, de lingua Latina et praecipuis ejus ſcriptoribus hoc loco diſſerere, ſed de integriori ejusdem et ſecuriori in controverſis quibusdam articulis pronuntiatione; quam vel ideo non negligendam putavi, quod non modo olim, Cicerone et Ovidio teſtibus, exſibilarentur, exploderentur, riderentur, etiam a vulgo, qui a conſueta Quiritium pronuntiandi ratione diſcedebant, ſed quia idem hodieque accidere ſolet in quavis paullo cultiori linguâ.

2. Et quidem jam ante de iſto genere quaedam attigi. Anno enim labentis ſaeculi LXX in lucem emiſi ſcriptum, cui titulus *Lingua Pharmacopoeorum*, in quo ambiguae hactenus vocum Pharmacopoeis uſitatarum in pronuntiando morae certiores ex optimis ſcriptoribus definire terminos inſtitui. Heic ubi ad *ſennam Alexandrinam*, itemque *Alexandrinam tutiam* perventum, ita mentem meam aperui: *Nec fuerat heic forſan ſupervacuum, regula generali, ex collatione ſcriptorum Latinorum natâ, pluribus in pronuntiando difficultatibus mederi: Adjectiva* in inus *a rebus animatis ſenſitivis deſcendentia; item Diſtributiva Numeralia et nomina cognationum; item propria et gentilia penultimam producunt.* Id poſtquam magno exemplorum apparatu oſtendiſſem, tandem ſubjeci: *Sequuntur analogiam hanc pauca alia, quae unâ regulâ exprimere difficile:* auſtrinus calor *Virgilio*, ciſternina aqua *Senecae*, clandeſtina arma *Manilio*. Inter necinus *ideo recte penultimam producit Scaligero, quia Adjectivum eſt animatis proprie conveniens, ſicut et* morticinus, *quod Prudentio propterea opportune producitur*: matutinus *et* veſpertinus *ideo penultimam producunt, quia deſcendunt a* Matuta *et* Veſpero *ſive* Heſpero, *hoc aſtro, illâ deâ, utrisque ex ſententia antiquorum animatis.* Tandem in hunc ſenſum deſii: *Sed de voce* elephantinus *quid cenſendum? Heic permiſere ſibi quiddam Graeci Latinis auribus inſuetum: Hephaeſtion enim et Anacreon per* elephantinum *ſignificare volentes* eburneum, *penultimam manifeſte corripuerunt. Credibile, eosdem* ebur, *ut rem inanimem, conſideraſſe, quod raros, aut forſan nullos in ſuis regionibus viderent elephantos: Quicquid autem horum ſit, quum Latini nullius hactenus Adjectivi in* inus *ab animatis ſenſitivis derivati penultimam corripuerint, quantum ex omni Poëtarum choro liquet, rectius analogiam ſecuti penultimam et in* elephantinis libris *Romanorum Vopiſco laudatis*, et elephantino colore *apud Plinium*, et elephantino ordine Regio *producemus.*

3 Paullo poſt, ubi ordinis ratio ad pronuntiandum oleum *amaracinum* invitaſſet, ita diſſerui: *Adjectiva in inus, a plantis lapidibus et aliis inanimatis derivata: item Adjectiva ab Adverbiis temporalibus, aut Subſtantivis quattuor anni tempeſtates notantibus deſcendentia penultimam corripiunt.* Quod itidem ubi longo exemplorum ſyrmate declaraſſem, illa ſubjeci: *Nec de* fungino, ſcillino, ſementino *et* fuſino *diverſa quis ſuſpicetur;* atque id ipſum ſatis, opinor, evidenter ibidem demonſtravi. Quinque annis poſtea, hoc eſt, anno ſaeculi hujus LXXV ad calcem *Cogitationum mearum de variis linguae Latinae aetatibus* oſtendi, diſplicere mihi regulam *Scioppianam*, quam ita *Mariangelus* expreſſit: *Nomina*, inus *in exitu habentia, ſi Graeca ſunt, ſunt brevia; ſi Latina, ſunt viciſſim longa: itaque* elephantinus, faginus, cryſtallinus, circinus, crocinus, amaracinus *habent i correptum, quum ſint Graeca, o in u converſo*: laurinus *autem*, funginus, collinus, oſtrinus *habent i productum, quum a nominibus Latinis ſint derivata.* Hanc ſententiam ut veritati adverſam impugnavi variis exemplis, auctoritate ſcriptorum claſſicorum firmatis, exempli gratiâ, *Agrigentinus, Byzantinus, coracinus, Eleuſinus, Epheſinus, gelaſinus* (dens), *Libyſſinus, Palaeſtinus, Tarentinus*, quibus utcumque Graecis origine penultima producitur univerſis.

4. Quam exceptionem ſibi non probari, iam ante triennium teſtatus eſt Vir Clar. *Georgius Heinricus Vrſinus*, Gymnaſii Poëtici Ratisbonenſis Rector, qui capite XI. *obſervationum Philologicarum* acriter pro *Scioppio* pugnat, atque prolata a me exempla varie conatur eludere; quam prudenter autem et accurate, ex conflictu patebit. Initio ergo pertendit, *Scioppium* non loqui de quibusvis in *inus* nominibus, ſed de Adjectivis ſolum, nec de his omnibus, ſed iis tantum, quae a communibus oriuntur. Verum enim vero haec excuſatio utque adeo frivola et calva eſt, ut eam ipſam protinus deſerat *Vrſinus*, agnoſcens, *late nimis et indiſtincte pronuntiatum eſſe a Scioppio, aut interprete*

pete Scioppianae ſententiae Mariangelo; Nomina in inus, *ſine addita diſtinctionis nota, quae omnino fuerat addenda.* Vel hoc ſolum *Vrſini* teſtimonium, quam firmare conatur, ſententiam *Scioppii* evertit planiſſime, docetque, crudiorem eſſe regulam Scioppianam, quam ut ab ullo provido approbari debeat, vel poſſit. Eſt namque adeo generalis, ut ipſa etiam Subſtantiva comprehendat: tantum abeſt, ut excipiat Adjectiva cujuscumque nationis. Clara enim verba *Mariangeli: Nomina* inus *in exitu habentia, ſi Graeca ſunt, ſunt brevia; ſi Latina, ſunt viciſſim longa.* Quod autem *Scioppii* ſententia ad ſubſtantiva etiam ſe porrigat, vel *circinus* oſtenderit, quam vocem enumerat inter exempla regulam illuſtrantia. Id, quod magnopere miror non obſervaſſe Clar. *Vrſinum*, qui pro ſolis pugnat Adjectivis, ideoque iterum abit diverſus a *Scioppio*, quem tueri adeo animoſe inſtituerat. Neque vero patitur *Mariangelus* ille *Scioppius*, de ſententia illa quemquam dubitare, quum ipſe mox ſubjungat, *ab* unco *formari* uncinus *i. brevi, quod* uncus *Graeca vox ſit.* At quis non videt ineptias hujus dogmatis, qui bonis litteris vel leviter tinctus eſt? Libet primum puerilem de Subſtantivis errorem refellere. *Oppianus* Cyneger. L. 1.

Ἢ θῶας κίρκοις, ἢ ῥινοκέρωτος ἐχίνοις.

Eodem modo *Nicander* in Alexiph. Sequuntur heic Graecos Latini, et iis Iuvenalis Sat. 4:

Et ſemel adſpecti litus dicebat echini.

Sed ad exemplum aliud. Iterum *Oppianus* Halieut. L. 1.

Ἵπποι, κόκκυγές τε θοοὶ ξανθοί τ' ἐρυθῖνοι,

Ybi alii ἐρυθρῖνοι. Imitatur *Ovidius* Halieut. ſub finem:

Orphus, caeruleaque rubens erythinus in unda.

Rurſus ad aliud. *Oppinianus* Halieut. L. 1.

Σκόμβροι, κυπρῖνοί τε, καὶ οἱ φίλοι αἰγιαλοῖσι.

Transiit et ad Latinos eadem vox, penultimâ, ut notiſſimum, productâ. Idem de *citi* et *cicinus* dicendum, de quo ita Theocritus θυμώνιχ·

Χ' ᾧ μύσαξ πολὺς, ὗτος, ἀγ' ἀναλέοι κικῖνοι.

Item *Apollonius Rhodius* Argonaut. L. 1.

Νοσφισθεὶς ἐργῖνος, ὅδ' ἰμβρασίης ἕδος ἥρης.

Nolt. Suppl.

Amat idem *Valer. Flaccus* Argon. VIII.

Quum ſubito Erginus puppi ſic fatur ab alta.

Quin et *Nicander* in Theriac. ſub finem:

Ἱππείος λειχῆνα, καὶ ἐν κυκλάμινον ἀγείρας.

Eodem modo *Theocritus* in Ὁδοιπόροις. De *cyclamino* ita Plinius L. 26. c. 15: *Similiter*, inquit, *prodeſt pſeudodictamnum, ſed tardius: et cyclaminos adalligata: Liſſanthemos pota.* Iterum *Nicander* in Alexipharm.

Ἠὲ σιδηρήεσσαν ἀπὸ τρύγα, τήν τε καμίνων.

Hinc et *Ovidius* Metam. L. 7.

Ardeat, utque ſolent pleni reſonare camini.

Adhuc *Nicander* in Alexipharm.

Πίσσης γὰρ ῥύθωσιν ἄγει βάρος ἐν δὲ χαλινοῖς.

Sic penultimam in χαλινὸς, frenum, bis producit *Tryphiodorus*, ſemel *Theognides*, ſemel *Orpheus*. Quin et *delphinus* Latinorum haud obſcure deſcendit a δελφὶν, ῖνος, Graeco, et nihilominus penultimam evidenter producit. *Manilius* Aſtron. L. 1.

Tum quoque de ponto ſurgit delphinus ad aſtra.

Et *Horatius* de Arte Poëtica:

Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum.

Ἰκτῖνος itidem extendit penultimam apud *Oppianum* Cyneg. L. 3.

Οἵ τινες ἰκτῖνον πολιότριχα φῶτες ἔλεξαν.

Et apud eumdem *Oppianum* ῥινὸς, pellis. Alcaeo media in κακρῖνος producitur; et Sophocli aliisque media in ἐρινὸς, caprificus; denique Columellae penultima in *ſtaphylinus*. Vox Columellae L. 10.

Laetetur, mollemque ſinum ſtaphylinus inumbret.

Easdem leges ſequitur κεφαλῖνος, piſcis, et σχῖνος arbor, et δῖνος vertex, unde δινὸς, ῦ, verticulus, item κερίδινος Platoni, et Hippocrati σκοτόδινος tenebricoſa vertigo Haec paucis, de Subſtantivis in in *inus*, ſive ινος: nec in Adjectivis felicior vel *Scioppius*, vel protector ejus *Vrſinus*; id, quod vocibus *Agrigentinus*, *Byzantinus*, *coracinus*, *gelaſinus* cet. liquido demonſtratur.

5. Sed urget heic vehementer *Vrſinus*, regulam de Adjectivis in *inus*, quae a

 com-

communibus oriuntur, intelligendam non de iis, quae à Gentilibus, adeoque exempla *Agrigentinus*, *Byzantinus*, *Eleuſinus*, etc. minus convenire: *quin immo Borrichium proprium jugulum petere his exemplis, ut qui tum vulgo Grammaticorum Adjectiva in* inus *ab animatis ſenſitivis deſcendentia ſtatuat penultimam producere; ſecuturum enim hinc, uti* Agrigentum, Byzantium, Eleuſis, Libyſſis *conferentur, ſi dis placet, animata.* Duo reſpondeo: *Vnum*, regulam *Scioppii* adeo nobis obtrudi generalem, ut nec gentilia excipiat, nec etiam Subſtantiva, eoque exempla, quae produxi, ſatis acriter militare omnia; *Vrſinum* autem invertere ſtatum quaeſtionis, et non tantum praeterire ſubſtantiva a *Scioppio* adducta, quae vindicare, ſi poſſet, debuerat, ut jecur amarulenti Critici propugnaret, ſed et de ſuo diſtinctionem *inter communia et gentilia* infercire, *Scioppio* intactam: *alterum*, mala fide meum agere *Vrſinum*, quum eam mihi impingit ſententiam, ac ſi ſtatuerem, ſola Adjectiva in *inus*, quae ab animatis ſenſitivis oriuntur, penultimam agnoſcere longam. Vbi haec docui, Vrſine? Exſtat in luce publica opuſculum meum, *Lingua Pharmacopoeorum*, inſcriptum, atque aliquot annis ante *Obſervationes tuas Philologicas* evulgatum, in quo ita diſerte pronuntio: *Adjectiva* in inus *a rebus animatis ſenſitivis deſcendentia; item Diſtributiva numeralia et nomina cognationum; item propria et gentilia penultimam producunt.* Is vero manifeſtus ſuccus loliginis eſt, fingere, quae impugnes, alienum mihi ſenſum attribuere, ut eumdem veluti ſarcaſmo eludas. Adeat heic *Vrſinus* tirocinia Logicorum, ut ingens illud inter *omnis* et *ſolus* diſcrimen perdiſcat, et recognoſcat ſimul, quam lata heic mihi pateret feneſtra inſultandi temerario, ſi placeret dentes in dentatum exercere. Neque vero hoc tantum loco, ſed poſt aliquot iterum folia ita contemtim: *Quid porro*, inquit, *reſpondebit Borrichius ad vocem* vicinus, *a* vico, *re procul dubio inanima; quid ad* morticinus, *ab ipſa plane morte deſumtum, quae animam vivis adimit; quid ad τὸ* genuinus, *quod a* genus *eſt, animante videlicet aliquo etc.* Vides *Grammaticarum harum praeceptionum, quas tuetur Borrichius, egregiam certitudinem! Et tamen heic neſcio qui occaecatus negat, exemplum his regulis adverſum temere repertum iri.* Iudicet heic cordatus Lector, uter occaecatus ſit, isne, qui Andabatarum more fingit ineptias, quas impetat, caecisque in innocentem incurrit ictibus, an qui evidentibus exemplis regula *Scioppii* evertit? ut taceam, *egregiam* eju *certitudinem* ſapere minus egregium barbariſmum. Ad unum fortaſſis confugi aſylum, non lectam ſibi *Linguam Pharmacopoeorum*. Sed hoc aliquid nihil eſt: oportuiſſet enim legere, antequam in m calamum ſtringeret, quum eo loco, quem ita inique impugnat, manifeſtiſſime a eum libellum, tamquam uberiorem ſententiae meae interpretem, provocaverin Sed fac, non oportuiſſe; fac, me nihi ante in hanc ſcripſiſſe ſententiam: an ide ex regula mea, quae amatur pleriſqu litteratoribus, et haec eſt: *Adjectiva* i inus *a rebus animatis ſenſitivis deſcendentia penultimam producunt*, formanda eri putida haec et puerilis concluſio, *Erg ſtatuit cum Grammaticis Borrichius, omni Adjectiva in* inus *ab animatis deſcendere!* Quis ferat imperitiſſimum tironem, ita inſurgentem: *Adjectiva Ablativi Caſus in ultimam producunt; ergo omnia Adjectiva ultimam producentia, ſunt Ablativi Caſus!* Indignum viro docto deliquium!

6. Sed intuebimur nunc regulam *Scioppii*, ut eſt ab *Vrſino* reformata; quae haec erit: *Nomina Adjectiva* inus *in exitu habentia, ſi Graeca ſint, et a communibus oriunda, brevia ſunt in penultima; ſi autem Latina, longa erunt.* Verum enim vero et id audacius eſt poſtulatum, quam certius: *Adjectia in* inus, *ſi Graeca ſunt, et a communibus orta, penultimam tuto corripere.* Vtcumque enim *Vrſinus* viſus ſibi eſt cautiſſima hac diſtinctione ſcopulos omnes amoviſſe, adeo non expedivit nodum, ut promemodum reliquerit impeditiorem, certe non uno modo plane inexplicabilem. Liquidum id evadet bonorum auctorum teſtimoniis. Et primum quidem Adjectiva Graeca, a communibus, ut vocat, orta id evincent. *Μεσημβρινὸς*, meridianus, a *μεσημβρία*, meridies, *Oppiano* teſte, penultimam agnoſcit productam: ita enim ille Cyneg. I.

Καί τε μεσημβρινὴν δίψης δριμεῖαν ἐνιπήν.

Item Cyneg. II.

Θῆρας ἔλε ξυλοχῆσι μεσημβρινοῖο δρόμοιο.

Sic et *Callimachus* in lav. Palladis. Heic quamquam penultimam non extendant *Nicander* et *Theocritus*; id tamen oſtenditur permittere genium linguae, ut quaedam Adjectiva Graeca a communibus orta penultimam quoque producant. Sed pergo. *Λαρινὸς*, pinguis, ſaginatus, penultimam producit, docente *Xenophane* apud Athenaeum l. 9.

Πέμψας

Πίμφας γὰρ δὴ πολλὴν ἐρίφου, σκέλος ἤγαγε πῖον
Ταύρου λαρινοῦ τίμιον ἀνδρὶ λαχεῖν.

A qua pinguedine nomen fortaſſe mutuata eſt Larina virgo, de qua Virgilius Lib. 2 Aen.

At circum lectae comites, Larinaque virgo,

aut, ſi mavis, *cum Glonero*, a Laro, pinguiſſimi agri lacu in Italia, de quo Virgilius Georg 2. Certe λαρινὸν *Heſychius* exponit εὐτραφής. Ὀπωρινὸς, auctumnalis, licet penultimam corripiat apud Heſiodum Ἔργ. 672; producit tamen eamdem Ἔργ. 675. Quin et *Homero*, Poëtarum patri, quater producitur, Iliad. ε. π. Φ. et Odyſſ. ε: verum corripitur in magno opere illo numquam. Ita ergo Odyſſ. ε.

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ὀπωρινὸς Βορέης φορέησιν ἀκάνθας.

Reliqua brevitatis ſtudio omitto. Quin et *Aratus* Phaen. ita:

Θλίβετ᾽ ἀναλέλλοντος ὀπωρινοῦ Βορέαο.

Et *Nicander* in Alexipharm.

Εἴδαρ ὀπωρινοῖσι, τότ᾽ ἤνεκες ἐν πυρὶ θαλψας.

Oppianus ſexies diſerte produxit, corripuit ſemel; et ſemel *Martialis*, adeo, ut, pro penultima longa pugnent ſuffragia luculentiora. Ὀρθρινὸς, matutinus, utcumque vi regulae de Adjectivis in *ινος* temporalibus penult. corripiat; quandoque tamen eamdem producit. Aratus enim in Phaenom.

Ἢ τρύζει ὀρθρινὸν ἐρημαίη ὀλολυγών.

Quae ratio et Nonno placuit. Θαμινὸς, creber, penult. producit, auctore Homero in Hymno ad Mercurium:

Ἀνέρας ὅντε θαμειναὶ ἐπιστροφάωσι μέριμναι.

Itidem, teſte *Nicandro* in Alexipharm.

Ἀνέρα καδιόωντα θαμινότεροι κλονέουσι.

Callimachus tamen Hymno in Cererem penult. corripuit: ſic et Aratus in Phaenomenis. Γυρῖνος, rotundus, evidenter Adjectivum eſt, a γῦρος, circulus; tranſit autem hoc Adjectivum a veteribus ad deſignandos minutos ranarum fetus, quos mille rotundis veluti oculis primo vere emergere notiſſimum. Plinius L. 9. c. 51. *Ranae*, inquit, *pariunt minimas carnes nigras, quas gyrinas vocant, oculis tantum et cauda inſignes.* At primis diebus nulla adeſt cauda, ſed ſoli, ut ita dicam, oculi, et multi, et rotundiſſimi. De his *Aratus* in Phaenom.

Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων,

ſcil. fetuum. Ταλαύρινος, patiens, audax, *Didymo* ὑπομονητικός, penultimam manifeſte producit, tum apud *Homerum* Iliad. η, tum Iliad. ε, ultimo loco ita:

Αἵματος ἆσαι Ἄρηα ταλαύρινον πολεμιστήν,

qui vel ſolus verſiculus, quam inanem regulam procuderit *Urſinus*, liquido demonſtrat. Sed progredi libet. Γελασῖνος Adjectivum eſt, cui jungendum Subſtantivum *dens*: dicti autem *gelaſini dentes*, qui inter ridendum nudari ſolent, atque, ut Pollux ait, ὅτι γυμνοῦνται γελώντων. Niſi malis *ſulcum*, aut *habitum oris*, *vultumque ridentibus familiarem* loco Subſtantivi ſubſtituere. Sane ita Martialis L. 7. epigr. 24:

Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.

Κορακῖνος, in genere piſcium, natura Adjectivum eſt, a κόραξ, ακος, deſcendens, licet, ut infinita alia, ſubſtantive uſurpetur. De eo ita *Oppianus* Halieut. 3:

Πλέγνας εὐθὺς ἵκοιν ἐν οἴδμασιν, ἢ κορακίνους.

Atque ne dubitemus, a nigro ſive corvino colore nomen ei impoſitum, ita ſe expedit *Oppianus* Halieut. 1.

Χαλκίδα καὶ κορακῖνον ἐπώνυμον αἴθοπι χροιῇ.

Item *Ariſtophanes* Equit. Act. 3. ſc. 1.

Ἤγαγε συνδήσας Λακεδαιμονίων κορακίνους.

Imitatus eſt dimenſionem Martialis L. 13. ep. 85:

Princeps Niliacis raperis, coracine, macellis.

Coracinus autem natura Adjectivum eſſe, ne ipſe quidem negaverit *Scioppianus Mariangelus*, qui eo ipſo *Auctarii* ſui loco, quo infelicem hanc regulam fabricatus eſt, *uncus* Adjectivum eſſe contendit, (utcumque vocem a genio Adjectivi in ſpeciem longe alieniorem); quod licet verum deprehendatur, nihil tamen certius eſt, quam ſubſtantive frequentiſſime uſurpari, ut quum Horatio *ſeverus uncus* dicitur, quum Valerio Flacco *uncus navalis*, quum Livio *ferreus uncus*, etc Quin et ipſe *Scioppius* in *Paradox. Litter.* ea, quae ab Adjectivorum cenſu longe remotiora vul-

go aeſtimantur, iterum inter Adjectiva reponit. Vox ejus: *Medicina*, *ſenecta*, *ſutrina*, *piſtrina*, *textrina*, *ſalinum*, *piſcina*, *regina*, *Lucina*, *perperam a Grammaticis habentur pro ſubſtantivis*. *Coracinus* autem piſcis, a *Coracinus* i. e. corvinus, ita diſtingui, ut, ubi in linguam Latinam tranſiit, hic penultimam agnoſcat brevem, ille longam, oſtendat, ſi valeat, *Vrſinus* exemplo perſpicuo, ut tutius poſtulato illi credatur. Profecto *Buchnero*, polito Critico, in ult. editione Baſilii Fabri, Sorani, *coracinus* Adjectivum penultimam producit. Neque deeſt ratio: utrumque enim proficiſcitur ab eadem origine κοράκινος pro κοράκειος. Interea nollem, *Clar. Vrſino* iſta tam inconſiderate excidiſſe: *Vocem* coracinus, *Adjectivum*, *non eſſe in Latinis receptam*. Planiſſime enim *Vitruvius* L. 3. c. 3.: *Per id tempus*, inquit, *adiguntur eo quotidie potum; ex eoque, quamvis ſint alba, procreant aliis locis leucophaea, aliis locis pulla, aliis coracinò colore.* Quin et *coracina ſacra* depingit *Ambroſius in Cap. 1. Ep. ad Romanos*. Quodſi, intelligit, non eſſe in Latinis receptum, ut Adjectiva in inus ab animatis ſenſitivis deſcendentia i producant, toti Latio contradicit. Sed et alia in ινος Adjectiva Graeca ſunt, quae penultimam extendunt, ut ἀχάλινος effrenis, εὔρινος ſagax, ὀστράκινος oſtraceus, μελανόρρινος nigrans cute, etc. *Oppianus* Halieut. L. 5:

Ἀντόμενοι τρέσσειαν ἀναιδοίην ἀχάλινον.

Idem Cyneg. L. 2:

Ὅττε γὰρ εὐρίνοιο κυνὸς τρομέουσιν ὕλαγμα.

Et Halieut. L. 5:

Ἔθνεα δ' ὀστρακόρινα, τά θ' ἑρπύζουσι θαλάσσῃ.

Sic eodem libro:

Θῆρα κελαινορρινον ὑπέρβιον ἄχθος ἀνάγκῃ.

Item et οἶκος τρίκλινος, πεντάκλινος, etc. apud *Vitruvium* legitur, in quibus penultimam manifeſte longam eſſe, ex Poëtis diſcimus. Ad rem etiam ex Latinis *Martialis* L. 9. ep. 60:

Et teſtudineum menſus quater hexaclinon
Ingemuit.

Sane haec vere Adjectiva eſſe, negaverit prudentum nemo, et tamen ejusmodi compoſiti generis Adjectiva nec diſerte *Scioppius* excipit, nec reformator regulae Scioppianae *Vrſinus*, contentus ſcripſiſſe, *regulam intelligendam de Adjectivis ſolum*, (quamquam id confutent exempla *Mariangeli*) *nec de his omnibus*, *ſed de iis tantum*, *quae a communibus oriuntur*. Quam exceptionem nullo modo ſufficere, ex ſuperioribus patet, ſed multis magnisque difficultatibus urgeri. Immo vero, eſto, evinceret *Vrſinus*, regulam ſuam univerſalem eſſe, quam diu limitibus Graecis coerceatur; ideo tamen eadem ita crudam ſine juſta limitatione extendere ad Latinos velle, nimium eſt, quum hi non raro aliam originis flexusque rationem tueantur; de quo poſtea diſertius.

7. Tandem re utrimque, more ſuo, ponderatâ ita in univerſum definit *Vrſinus*: *Denominativa in* inus *Adjectiva*, inquit, (*quo ipſo etiam Subſtantiva in inus a Graecis hauſta, ſive primitiva illa ſint, aut originis obſcurioris, ſive Denominativa, ſive Verbalia, volumus remota*) *ſi a Graecis ad Latinos ſunt traducta, o in u converſo, corripienda ſunt. Vel ſi canon quidam καθολικὸς, qui haec omnia includat, magis te capit, ita dicendum fuerit: In inus Latina a Graecis ἀμέσως tranſſumta ſervare quantitatem penultimae Graecam.* Haec regula *Scioppii*, ita emendata atque recognita, ſanior quidem eſt, quàm prior *Mariangeli*, et prior *Vrſini*; in non nullis tamen adhuc ſuos patitur manes. Nam *primò*, hoc modo fruſtra, immo perperam advocata fuit ab *Vrſino*, in explicatione, vox ἀνθρώπινος, γύπινος, ad fulciendam quantitatem τοῦ ἐλεφάντινος, quum conſtet, hanc ultimam in Latinam civitatem tranſiiſſe (Plinio laudante *colorem elephantinum*, Vopiſco, *elephantinos libros*, Celſo *emplaſtrum elephantinum*, Valerio Maximo *elephantinum caput*) illas autem nequaquam. *Secundò*, quum duplicem formet *Vrſinus* regulam, minus catholicam, et, ceu vocat, catholicam, illa prior ſive minus catholica partim vaga eſt, partim intricata et obſcura. *Vaga*, quia vox *Denominativi* jam etiam poſſeſſiva complectitur, dubium, quo usque ſignificationem velit porrigi: id, quod in ambiguo ab ipſo relictum eſſe, ut novis exceptionibus, ſi prematur, locus ſit, ſuſpicari non alienum eſt: *Obſcura*, quippe ignotum plerumque tironibus, quaenam denominativa ſint originis Graecae, quae Latinae. Quod ad regulam ſecundam attinet, illa adhuc obſcurior incertiorque deprehenditur; quippe ignotum non raro etiam provectioribus, quae a Graecis ἀμέσως manent. Exempli gratiâ, quod *amethyſtinus*, *carbaſinus*, *corallinus*, *cryſtallinus*, *gauſapinus*,

glauci-

ſucinus, *ianthinus*, *oleaginus*, *thalaſſinus*, etc. a Graecis ἐμμέσως deriventur natalibus, paullo confirmatior in bonorum auctorum lectione fortaſſis admittet: an autem proxime et ἀμέσως deſcendant a Graecis illis in ινος, o tantum in u converſo, ſcio, ipſum etiam *Vrſinum* dubitaturum (qui de τῷ *Sibyilinus* dubitat) antequam veteres ſcriptores ſollicite excuſſerit, quum heic a Lexicis, etiam accuratioribus, et fortaſſe univerſis incertus diſcedat. Exemplis res evadet illuſtrior. Quum legitur in Plinio *asbeſtinum* linum, *chortinum* oleum, *cucurbitina* pira, *juncinum* oleum, *lentiſcinum* oleum, *phaſelinum* oleum, *piſſinum* oleum, *raphaninum oleum*, oleum *therminum*, haerebit in his, et torquebit ſe etiam provectior, nisi re diu multumque expenſâ: dicet enim, qui ſciam *asbeſtinum*, *chortinum*, *phaſelinum*, *piſſinum*, *raphaninum*, *therminum* eſſe Adjectiva denominativa Graeca, quum inquirentem fruſtrentur Lexica? licet primitiva agnoſcant. An *Dioſcorides*, *Theophraſtus*, *Athenaeus*, et centum alii pervolvendi mihi ſunt, ut denominativa eſſe cognoſcam? Et ſi nec illi ſcrupulum eximant, an tum demum confidenter pronuntiare licet *asbeſtinum*, *irinum*, *raphaninum*, etc. pronuntiandum eſſe morâ penultimae extenſâ? Quodſi autem poſt luſtrum unum aut alterum vel in membranis Graecis MSS., vel in angulo aliquo *Demoſthenis*, *Iſocratis*, *Ariſtophanis*, *Plutarchi*, *Galeni*, *Heliodori*, *Luciani*, aut denique alterius ſcriptoris Graeci, aut in variis eorumdem lectionibus deprehendam τὸ *asbeſtinos* etc. anne mox felix illud εὕρημα ad palinodiam vocabit, jubebitque poſthac brevi penultimâ efferendum? Expendat haec *Vrſinus*, qui contendit, τὸ *oſtrinus*, ut Latinum denominativum, penultimam extendere, licet, proficiſci a voce ὄστρειον, negare non auſit. Sed et quid fiet vocibus *cucurbitinus*, *juncinus*, *lentiſcinus*, ut palam Latinis? quae ratio, quod exemplum prohibet easdem eamdem ſequi analogiam? Applaudat ſibi in catholica illa regula cum *Scioppio Vrſinus*, quam diu vacat: mihi certum, nihil illa eſſe incertius in placando quaerentium deſiderio, quum in ſuſpenſo relinquat lectorem, ambiguumque deſtituat. Enimvero ubi vel publice docturus magiſter, vel ſcripturus carmen haec cognoverit: *Denominativa in inus Latina a Graecis* ἀμέσως *tranſſumta*, *ſervare quantitatem penultimae Graecam*; quid aliud diſcit, quam eum jam primum ſibi incumbere laborem, ut a remotioribus fontibus hauriat, quod quaerebat in vicino? Hoc ſane non eſt compendio docere, ſed per diverticula anxium lectorem diſtrahere, et ignora ſcire volentem ad ignotiora amandare. Et quis praeciſe, certoque hodie definiet, quaenam denominativa in inus Latina ſine controverſia a Graecis in ινος deſcenderint, in vaſto tot codicum Graecorum naufragio? in tam ſterilibus Lexicis Graecis etiam optimis? quis indubitato fidem faciet, nusquam apud Graecos olim extitiſſe ὄστρινος ab ὄστρειον, nusquam Σιβυλλῖνος a Σίβυλλα, nusquam λαύρινος a λαῦρος vel λαῦρον, nusquam σπόγγινος a σπόγγος, utcumque menſibus aliquot in latifundio ſcriptorum fruſtra fortaſſe quaerantur? Germaniſſimae hae conjecturae ſunt, ne quidem poſt ſollicitam decem annorum inquiſitionem certo determinandae, et tamen his ipſis pulchram hanc catholicam regulam ſuperſtruit *Vrſinus*. Vt taceam, eamdem tot contrariis exemplis a me ſuperius enervatam eſſe.

8. Quanto autem evidentior, expeditior utiliorque eſt regula noſtra (quae et aliis doctis jam diu communis fuit,) his verbis jam ante aliquot annos a me concepta: *Adjectiva Latina in inus* (ſc. denominativa et poſſeſſiva) *a plantis*, *lapidibus et aliis inanimatis derivata; item Adjectivo ab Adverbiis temporalibus, aut a Subſtantivis quattuor anni tempeſtates* (aut diei naturalis partes) *notantibus deſcendentia penultimam corripiunt.* Heic vim regulae ſtatim adſequitur tiro, nec indiget laborioſâ, et ſaepe irritâ indagine, priusquam evidenter ſciat, a qua lingua Adjectivum illud in inus primum oriatur; atque, quod caput rei eſt, numquam (quantum mihi hactenus in ſcriptorum omni genere continuâ plus quam triginta annorum inquiſitione explorare licuit) obſervatur vel unum liquido diſſimile exemplum. Graeca, Latina, barbara, peregrina, dummodo civitate Latina donata pari heic apud bonos Poëtas paſſu ambulant. Ita *lapis marrhinus*, quum teſtibus *Propertio* et *Plinio*, ab oriente Romam tranſierit, eodem modo breviat penultimam, ac ſi Helladis eſſet incola, quod ex Martiale conſtat. Idem accidit bombyci Aſſyriae, et cici atque byblo Aegypti, et byſſo Indorum, quorum denominativa Latinis penultimam itidem corripiunt. In proclivi autem eſt, ex omni Poëtarum genere conſtantiam regulae noſtrae oſtendere: ita ἀδαμάντινος *Theocrito* penultimam corripit, et *Horatio* adamantina tunica; ita

ita *Sappho* ἀκάνθινος ſpineus; *Lucretio* amaracinus; *Juvenali* amethyſtinus; *Sereno* amygdalinus; *Theocrito* ἀνήθινος, ex anetho praeparatur; *Homero* ἄνθινον εἶδαρ cibus floreus; *Martiali* apyrinus; *Juvenali* et *Martiali* bombycinus, a bombyce frutice, de quo Plinius L. 19. c. 1; *Homero* et *Heſiodo* βύβλινος, a byblo arbore; *Mantuano* byſſinum velum; *Appollonio Rhodio* κάλλινος ligneus; *Gratio* cannabinus; *Catullo* carbatinus; *Damocrati* apud Galenum κασσιτέρινος; *Nicandro* κέδρινος vel κεδρίνεος; *Nicandro* κεράτινος, κέκινος, κρόκινος; *Oppiano* χειμερινὸς, et *Martiali* chimerinus; *Juvenali* coccinus; *Corn. Gallo* corallinus; *Virgilio* craſtinus; *Catullo* crocinus; *Martiali* cryſtallinus; *Nicandro* κυπαρίσσινος; *Callimacho* δάφνινος ὄρπηξ laureus ramus; *Homero* δερμάτινος coriaceus; *Plauto* et *Terentino* diutinus; *Theocrito* δρύϊνος quernus; *Homero* et *Heſiodo* εἰάρινος vernus; *Homero* ἐλάϊνος oleaginus; *Orpheo* et *Homero* εἰλάτινος abiegnus; *Pythagorae* ἠρινὸς vernus; *Virgilio* figinus, et *Homero* φήγινος, idem; *Theocrito* φύλλινος foliaceus; *Martiali* γαυσάπινος; *Damocrati* γλεύκινος multeus; *Pythagorae* ἡμέρινος diurnus; *Theocrito* ὑακίνθινος, et *Perſio* hyacinthinus; *Damocrati* ὑάλινος vitreus; *Martiali* ianthinus; *Damocrati* ἰρινὸς, irinus ab iride planta; *Bacchylidi* λάϊνος ſaxeus; *Anacreonti* λωτινὸς, id eſt, ex loto arbore factus; iterum *Anacreonti* λύγδινος, ſplendidus, albus, a lygdo lapide; *Homero* μείλινος fraxineus; *Damocrati* μήλινος, a μῆλον; *Callimacho* μύρσινος myrteus; *Martiali* murrhinus, a murrha, lapidis genere; *Oppiano* νυκτερινὸς nocturnus; *Virgilio* oleaginus; de voce ὀπωρινὸς et μεσημβρινὸς vide ſuperius; *Ariſtophani* ὀστέινος oſſeus; *Lucilio* ὀστράκινος; *Plauto* perendinus; *Damocrati* πιτύϊνος pineus; *Martiali* praſinus a πράσου porro; *Heſiodo* πρίνινος ilignus; *Ovidio* priſtinus, a pris, prior; *Pſello* πύρινος igneus; *Homero* et *Damocrati* πύξινὸς buxeus; *Lucretio* ῥαδινὸς; *Anacreonti* ῥόδινος roſaceus; *Alcimo Avito* ſapphirinus; *Damocrati* σκίλλινος a ſcilla planta; *S. Hilario* ſerotinus; *Prudentio* ſmaragdinus; *Damocrati* σχινινὸς junceus; *Theocrito* σύκινος ficulneus; *Ennio* tartarinus; *Lucretio* thalaſſinus; *Martiali* therinus; *Damocrati* τερεβίνθινος; *Martiali* tyrianthinus; *Damocrati* ξύλινος ligneus; *Juvenali* xerampelinus, etc. Quumque in Poëtis nusquam, quod ſciam, diſſimile reperiatur exemplum, quid juſtius fuerit, quam eaſdem leges iis ex analogia tribuere Adjectivis, quae ſequuntur, licet fortaſſis apud antiquos vincti ſermonis ſcriptores incaſſum quaerantur? E multis hae tantummodo adducuntur: balaninum oleum *Plinio* memoratur; caryinum oleum *Dioſcoridi*; chamaepityinum vinum *eidem*; *Plinio* cinnamominum et enecinum oleum; halosanthinum vinum *Dioſcoridi*; hyoſcyaminum oleum rurſus *Dioſcoridi* et *Plinio*; laurinum oleum *Plinio*; malabaſtrinum unguentum *Dioſcoridi*; *cui* et maſtichinum oleum; malanthinum oleum *eidem*; myrtinum oleum *eidem*; narciſſinum unguentum *Plinio*; unguentum nardinum *Plinio*; ocyminum oleum *Dioſcoridi*; oenanthinum oleum *Dioſcoridi* et *Plinio*; omphacinum oleum *Dioſcoridi* et *Plinio*; onychina pira *Plinio*; Rhodinum oleum *Dioſcoridi*; Rhodinum unguentum *Plinio*; ſampſuchinum oleum *Dioſcoridi* et *Plinio*; ſeſaminum oleum *iiſdem*; ſinapinum oleum *Dioſcoridi*; ſtrobilina reſina *Dioſcoridi*; *cui* et ſtyracinum unguentum; ſuſinum oleum a σοῦσον lilium *Dioſcoridi* et *Plinio*; telinum oleum *Plinio*; tophini carceres *Suetonio*. Eamdem analogiam convenienter ſequuntur officinarum Pharmaceuticarum voces, quamquam non ſemper aut Latinae aut Graecae; ut alabaſtrinum unguentum, aleophanginae pilulae, nux anacardina, capparinum oleum, caryocoſtinum electuarium, oleum chamaemelinum, cheirinum, aqua ſambucina, lignum ſantalinum, etc. Sequuntur et, meo quidem judicio, denominativa ſimilia, quae mere Latina aeſtimantur, ut cucurbitinus, juncinus, lentiſcinus, etc. propter eamdem analogiae legem, neque in hoc usquam diſcrepant, quod ſciam, Poëtae: immo vero *oleaginus* id ſatis evidenter evincit, quam vocem Latinis Adiectivis palam adnumerat *Priſcianus*.

9. *Vrſinus* quidem cum *Scioppio* diverſus abit, cujus iſta ſunt: *Adjectiva in inus denominativa Latinae formationis productam habere penultimam recte cenſebuntur, nihil penſi habito, quibuscunque a thematis, ſumantur, ab animatiſne ſenſitivis, an ab inanimis, qualia anſerinus, porcinus, aquilinus, oſtrinus, murinus, collinus, ciſterninus, funginus, etc. a quibus tamen eximes oleaginus, tum forte arietinus, de quo excipiendo nemo equidem cogitavit; ego vero longâ penultimâ eodem uti nolim. Puto enim, analogiae alii hoc datum, ut correpto i fuerit prolatum, uti parietinus.* In quo diſcurſu plura vitia ſunt. Primò, multea elt haec regula, et antiquis Grammaticis Latinis ignota, immo cura neceſſi-

eeſſitatem introducta, quum vetuſtior illa noſtra a pluribus approbata certius ſatisfaciat. Secundò, inſpiciendum, quid intelligat per *Adjectiva denominativa formationis Latinae*, illa ſc. quae vel nullo modo a Graecis oriuntur, vel, licet oriantur, non tamen ab Adjectivis Graecis denominativis in *ινος* terminatis derivantur. Igitur quamquam ex Varronis lib. 4. de L. L. ignorare nequeat, *τὸ ὄςρειον*, vel *ὄςρεον* (utrumque enim probum eſt) eſſe vocem Graecam, rotunde tamen infitiatur, vocem *oſtrinus* eſſe formationis Graecae, ſed omnino pertendit eſſe Latinae, quod *ὄςρινος* Graecis ſit inuſitatus. In has ſe anguſtias imprudens conjicit, ut *τὸ oſtrinus* (quod ſciebat et apud Propertium penultimam producere, et deſcendere ab animato ſenſitivo) negaret Graece formationis eſſe, adeoque monſtraret cum regulâ ſuâ perſonatâ poſſe hac ratione conciliari. Similia tradit de vocibus *funginus*, *laurinus*, *collinus*, quas utcumque natales primos arceſſere a Graeco *σπόγγος*, *λαῦρος*, *κολωνὸς* negare non auſit, callide tamen praetexit, non *ἀμέσως* inde formari, eoque cenſendas Latinas, atque adeo vi regulae ſuae penultimâ eſſe productâ. At vero hac ratione *corallinus*, *gauſapinus*, *murrhinus*, *tartarinus*, etc. Latina erunt, (quia eorum denominativa apud Graecos, quantum expiſcari licuit, nulla exſiſtunt) atque adeo neceſſario, ex lege *Vrſini*, penultimam agnoſcent longam: ita erraverit *Corn. Gallus*, qui penultimam in *corallinus*, erraverit *Martialis*, qui penultimam in *murrhinus*, et tandem erraverit *Ennius*, erraverit doctiſſimus Romanorum *Varro*, qui penultimam in *tartarinus* apertiſſime brevem declarant. Vt de variis aliis vocibus, quas theſi ſeptimâ propoſui, nihil heic agam: ut praeteream, quam infeliciter ſe torqueat *Vrſinus* in voce *oleaginus*, ad cujus penultimam, Virgilio brevem, reſpondere non potuit, niſi fugiendo, hoc eſt, eam rejiciendo inter exceptiones; quo ipſo integritatem regulae ſuae non parum debilitavit. Quod ad *τὰ funginus* attinet, ejus penultimam longam eſſe nulla ſecuritate ex Plauto monſtrare parat, nec attendit ad ea, quae ſcripſi *L. 1. de Lingua Pharmac.* in hanc ſententiam: *Exiſtimavere quidem non nulli*, *FVNGINVM Plauto efferri penult. productâ, quum ita in Trinum. act. 4. ſc. 2.*

— — *pol*, inquit, *hic quidem*
Fungino genere eſt, capite ſe totum tegit.

Ceterum ex eo refelluntur, quod hujusmodi verſus Jambici trochaeum primum, tertio et quinto loco non faſtidiant, ut pluribus vel ex eadem ſcena exemplis poſſet demonſtrari. Et propterea *Labbeus*, *Cavallus* aliique accurati quantitatum cenſores nihil obſtare hunc locum judicant, quo minus *funginus* ex analogia ſimilium vocum aeſtimetur penultimam corripere. In voce *laurinus* apertiſſime fallitur *Vrſinus* ita ſcribens: *At produci tamen laurinus*, (ſc. penultimâ,) *nec ipſe Borrichius negare potuit.* Inſpiciat ergo opuſculum meum de linguâ Pharmac. ubi expreſſe ſcripſi ad calcem vocis *xerampelinus*: *Oleum laurinum Plinio dici, et laurini penultimam ſecundum analogiam breviari.* Scilicet affectibus caeci parum valent oculis. De quantitate *τῦ collinus* diſpicietur poſtea; neque etiam de ea voce in *Cogitat.* controverſia fuit cum *Scioppio*, ſed de ejus tantum origine, quam *Scioppius* Latinam prodidit. Sed et lutum luto purgat *Vrſinus*, quum excipit a regula *τὸ arietinus*, cujus penultimam brevem facit, adjiciens: *Puto*, *analogiae alii hoc datum*, *ut τὸ* arietinus *correpto i fuerit prolatum*, *ut* parietinus. Primò enim, hoc ipſo docet, regulam ſuam adeo non eſſe univerſalem, ut variis laboret exceptionibus; deinde dum *τὸ parietinus* penultimam corripere agnoſcit, ſimul fateatur neceſſe eſt, non modo non omnia denominativa communia formationis Latinae penultimam producere, ſed et ab iis, ut ſic dicam, irregularibus alia iterum irregularia dirigi, quod utique ſummam regulae *Vrſini* prodit imbecillitatem. Potuiſſet autem ſecundum regulam noſtram, eamque vulgatam, ſuperſedere his tricis, atque dixiſſe, *τὸ parietinus*, quum ab inanimi proficiſcatur, penultimam corripere, *τὸ arietinus*, quum ab animali, extendere penultimam: ita ſupervacaneis fictisque his anomaliis, et infirmiſſimis conjecturis ſuis non indiguiſſet. Certe *cicer arietinum* unde propagetur, dubitari nequit, poſtquam Plinius L. 18. c. 12: *Etenim*, inquit, *cicer hoc arietino capiti ſimile*, *unde ita appellatur.* Nec dubium, quid per *oraculum arietinum* intelligat Gellius L. 3. c. 3. et per *reſponſum arietinum* Plautus a Gellio ibidem ad partes vocatus. Itaque quum nullum, me conſcio, oſtendi queat exemplum in Poëtis, quod doceat, denominativum Latinum ab animali deſcendens penultimam corripere, ſecurus eſſe poteſt, nec illud *τῦ arietinus* contingere. De *Vrſini τῦ parietinus* id tantum adjicio, deſiderare me locum in bonis ſcriptoribus, ubi legatur *parietinus*: nam *parieti-*

rietinarum et *in parietinis* me legere memini, non item *parietinus*. Quicquid autem illud erit, non dum heic terminatur vertigo regulae *Vrſini*, ſed et aliis implicatur difficultatibus, quod vel ipſe non potuit non praeſagire; quippe *priſtinus*, *craſtinus*, *perendinus*, *hornotinus*, *ſerotinus*, *diutinus*, *annotinus*, iterum deflectunt, ut Latinae formationis Adjectiva, eoque nova exceptione indigent; ut de vaga penultimae Subſtantivorum Latinae terminationis in *inus* quantitate nihil heic attingam. Haec eo tendunt, ut aperiant, Latinos commode carere poſſe ambiguis ejusmodi et immaturis regulis, quum ſint in promtu et certiores et evidentiores.

10. Non urgetur autem tot incommodis regula haec noſtra, quae ex attenta ſcriptorum collatione jam diu viguit: *Adjectiva in* inus *a rebus animatis ſenſitivis deſcendentia*; item *Diſtributiva numeralia et nomina cognationum*; item *Propria et gentilia penultimam producunt*. Itaque, ut in optimis ſcriptoribus deprehendimus, extendunt penultimam *agninus*, *anatinus*, *Albinus*, *Alexandrinus*, *Alpinus*, *Andinus*, *anguinus*, *Antoninus*, *Appenninus*, *aquilinus*, *Aretinus*, *Arupinus*, *Atacinus*, *Aventinus*, *Balbinus*, *belluinus*, *binus*, *Byzantinus*, *Caballinus*, *Calvinus*, *caninus*, *Canuſinus*, *Caprinus*, *Cenſorinus*, *cervinus*, *Clarinus*, *Collinus*, *Columbinus*, *contubinus*, *conſobrinus*, *Corvinus*, *Cratinus*, *Criſpinus*, *Divinus*, *Eleuſinus*, *Epheſinus*, *equinus*, *Eraſinus*, *Exquilinus*, *Faventinus*, *Fauſtinus*, *ferinus*, *Feſcenninus*, *Fidentinus*, *femininus*, *Gabinus*, *haedinus*, *Haleſinus*, *hircinus*, *Hirinus*, *hirundininus*, *Hortinus*, *Inſtinus*, *Latinus*, *Lavinus*, *leoninus*, *Leontinus*, *Libyſſinus*, *Ligurinus*, *Lucrinus*, *mediaſtinus*, *murinus*, *Nurſinus*, *oſtrinus*, *ovinus*, *Palatinus*, *Patavinus*, *Picentinus*, *Pontinus*, *porcinus*, *Praeneſtinus*, *quinus*, *Reatinus*, *Rheginus*, *Rufinus*, *Sabinus*, *Saguntinus*, *Salentinus*, *Saturninus*, *Setinus*, *Sibyllinus*, *Spoletinus*, *Surrentinus*, *Tarentinus*, *taurinus*, *Theoninus*, *Tiberinus*, *Tiburtinus*, *Tricaſtinus*, *trinus*, *Velinus*, *Venuſinus*, *Veſuvinus*, *veterinus*, *vitulinus*, *urſinus*, *vulpinus*. Quorum analogiam merito ſequuntur omnia alia ejusdem naturae et genii, ut ex. gr. denominativa Adjectiva, quae animales actiones proxime reſpiciunt, ut *feſtinus*, *geloſinus*, *genuinus*, *inopinus*, *libertinus*, *paupertinus*, *peregrinus*, *ſupinus*; item Adjectiva loci, *collinus*, *marinus*, *vicinus*, et tandem oppido pauca alia, quae rectius definiuntur auctoritate Poëtarum, quam regulis, ut *anſtrinus*, *ciſterninus*, *clandeſtinus*, *repentinus*; ipſa autem regula noſtra nullam, quod ſciam, liquido patitur exceptionem. Scio, videri poſſe τὸ *bombycinus* regulae noſtrae adverſari, ut cujus penultima brevis eſt apud Poëtas: ſed facilis eſt reſponſio: namque *bombycinae* veſtes ex xylino Arabiae fructu, ſive tomento fructui inhaereſcente, de quo Plinius L. 19. c. 1. penult. corripiunt, vi regulae noſtrae, de iis, quae non ſunt animata ſenſitiva, et proinde recte Juvenalis Sat. 6:

— — — *Quarum*
Delitias et panniculus bombycinus urit.

Secundò, *bombycinae* veſtes ope bombycum, ex genere inſectorum, productae, ſequuntur quantitatem animatorum ſenſitivorum in inus, ſi quidem bombycum dumtaxat opus eſſe, quod elaborant, agnoſcamus. At quia lanugo illa bombycina, etiam ſine miniſterio inſectorum ſaepe perficitur, inque arborum colligitur foliis, (ſi antiquis Romanis creditur) non injuria hoc modo eadem quantitate gaudere poteſt, qua bombycina texta ex fructu xylino. De utroque genere paullo heic fuſius. Primum ita attingit *Plinius* L. 19. c. 1: *Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem alii goſſypion vocant, plures xylin, et ideo lina inde facta xylina. Parvus eſt, ſimilemque barbatae nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur, nec lina ſunt ei candore mollitiave praeferenda. Veſtes inde Sacerdotibus Aegyptiis gratiſſimae.* Tale pomum xylinum ex ſinu Arabico reverſus amicus paucos ante annos mihi donavit, quod quum, ut cortice duro tectum, aperuiſſem, lanam ejus interiorem nigris ſeminibus hinc inde diſtinctam, adeo mollem, candidam ſplendentemque obſervavi, ut cum quovis ſerico videretur poſſe certare. Secundum bombycini texti genus miniſterio quidem inſectorum in manus noſtras ſaepe incidit, ſed non ſemper; capiturque ab iisdem in tomentis foliorum varii generis, maxime mororum. Non ſemper, inquam, quia jam olim Seres populi ex arboribus colligebant. De quo iterum *Plinius* L. 6. c. 17: *Seres*, inquit, *lanificio ſilvarum nobiles perfuſam aquâ depectentes frondium canitiem, unde geminus feminis noſtris labor redordiendi fila, rurſumque texendi; tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat.* Nec aliter Virgilius Georg. 2:

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Similia

Similia *Strabo*, *Seneca* et alii. Sive autem id revera fuit, ſive ita perſuaſum Romanis; i corripientibus, perinde nobis heic fuerit. Atque ne quis exiſtimet, aliud eſſe ſericum textum, aliud, quod bombyces elaborant, res ipſa hodie loquitur, nullum utriusque diſcrimen obſervari. Hodie imitantur Europaei, dum et ab iis delicatiores veſtium feminearum ſive nebulae, ſive fimbriae ex urticarum lanoſis conficiuntur. De opere bombycum Coarum Plinius L. II. c. 22: *Bombyces*, ait, *pedum aſperitate radere foliorum lanuginem in vellera.* Idem de bombyce Aſſyria, immo de omni, verum eſſe, res ipſa loquitur: neque enim texunt quicquam, niſi tomentoſis prius foliis inſederint; nec dixerit quisquam cum Martiale L. 8. ep. 68:

Femineum lucet ſic per bombycina corpus,

Si materia illa fere inſenſilis (lanugo plantarum) vix tantillum immutata deſideretur. Vt taceam bombycinas illas Romanorum ex vermium induſtria veſtes, aevo Juvenalis Martialisque non fuiſſe integre bombycinas, ſed totum earumdem ſtamen linteum, adeoque ex plantis formatum: primus enim Romanorum Elegabalus, ut Spartianus docet, veſtem more bombycinam ſive holoſericam induit, quum ante ſubſerica dumtaxat uſurparetur. Tandem, quid ſi *bombycinus* denominativum tantum Latinum eſt? nonne tum vi regulae ſuae eo adigitur *Vrſinus*, (quod in τῷ Sibyllinus jam ante auſus eſt) ut credat, penultimam ejus perpetuo producendam. Laqueus, ex quo difficulter eluctabitur,

II. Nunc in ſcenam prodeat *elephantinus*, cujus penultimam brevem eſſe experimur, quoties pro *eburneo* capitur, docentibus id *Anacreonte* et *Hephaeſtione*; an autem producatur eadem, quoties diſerte animalis illius jam cogniti naturam, mores, colorem, partes reſpicit, nunc diſquirendum. Ego ſic exiſtimo, Romanos, ut imitatores Graecorum, quam proxime ſecutos etiam in denominativis Graja veſtigia; quumque viderent, eos alia denominativa ſua in ινος penultima brevi terminare, alia in ῖνος penultimâ circumflexâ adeoque longâ, alia in ειος, ιος, εος, hi eam in pronuntiando ſcribendoque elegere terminationem, quae inſtituto ſuo et rotunditati oris Quiritium eſſet accommodatior, ad τὸ *inus* tamen procliviores. Quia ergo Graeci pleraque Adjectiva ſua ab animalibus derivata reddebant per ειος, ut ἀρκτεῖος urſinus, ἄρνειος agninus, αἴγειος caprinus, ἐλάφειος cervinus, θήρειος ferinus, ἵππειος equinus, κύνειος caninus, λάγειος leporinus, λεόντειος leoninus, λύκειος lupinus, μόσχειος vitulinus, μυρμήκειος formicinus, ὄνειος aſinius, ὄστρειος oſtrinus, περιστέρειος columbinus, τράγειος hircinus, ταύρειος taurinus, καμήλειος camelinus, χελιδόνειος hirundinus, etc.; Romani hanc pronuntiationem ut paullo auſteriorem minusque gratam ſuis auribus ita leviter immutarunt, ut ει in ι longum verterent, n interpoſito, adeoque quantitatem a lingua Graeca, ut matre, acceptam retinerent. Atque hinc ratio manifeſta exſurgit; cur denominativa Latinorum ab animatis ſenſitivis derivata penultimam extendant. Quod idem accidit gentilibus, quorum penultima apud Graecos eſt vel ει vel ι longum; ita Ἀλεξάνδρειος evadit *Alexandrinus*, Λεόντειος *Leontinus*, et in τῷ *Ephesinus*, *Eresinus*, *Libyſſinus*, *Palaeſtinus*. etc. reſpicitur i longum Graecanicum. Hinc quum in antiquis numiſmatis apud Golzium legimus, Νυκερίνων, Μαμερτίνων, Σαλαντίνων, Ῥηγίνων, Ὑδρεντίνων, Ταραντίνων, Βρενδεσίνων, procul omni dubio eſt, Romanos has voces extuliſſe penultimâ productâ, ſecutos mores harum magnae Graeciae civitatum, quibus heic i penultimum longum eſt. Inſtitere haec veſtigia Romani, quibus propterea extenditur penultima in ſimili negotio, etiam extra natales Graecanicos, ut in τῷ *Palatinus*, *Aventinus*, *Capitolinus*, *Eſquilinus*, *Tiberinus*, *Appenninus*, *Saguntinus*, *Alpinus*, *Ligurinus*, *Patavinus*, *Pontinus*. Sed ut eo redeat, unde digreſſa eſt, oratio, quum duplex ſit *elephantinus*, alius antepenultimâ acutâ, deſignans materiam inſenſilem, hoc eſt, ebur; alius penultimâ circumflexâ, notans animatum quiddam, aut ab animato evidenter profectum, aut denique gentilicium; nihil clarius, quam τὸ *elephantinus* ultimâ acceptatione, produci in penultimâ. Dari autem τὸ *elephantinus* hac notione, primo declarat urbs *Elephantine*, ſupra Syenem ſita, cujus penultimam accuratiſſimus quantitatum cenſor *Philippus Labbéus* in Cathol. Indicibus merito producit, ad exemplum τῶν *Neptunine*, *Nonacrine*, *Oceanine*, *Nerine*; adeo, ut urbs dicatur *Elephantine*, quaſi Ἐλεφαντείνη aut contracte Ἐλεφαντίνη, et incolae *Elephanti*: hinc et Ἀφροδίτη Ἐλεφαντίνη laudatur *Philoſtrato*. Secundò adſerit eam vocem in Lexico ſuo *Phaverinus*, qui ita diſerte:

τὸ ἐθνικὸν Ἐλεφαντῖνος. Sed et *Criſpino* in Lexico laudatur ἐλεφάντειος, unde *elephantinus* penultimâ longâ more Latinorum derivatur.

12. *Vrſinus* heic in diverſa abit, putatque, τὸ *elephantinus* perpetuo corripere penultimam, imitationem vocum ἀνθρώπινος et γύπινος. Sed vero illud heic diſcrimen eſt, quod hae voces in Latio peregrinae ſint; *elephantinus* autem recipitur: unde Plinio laudatur *elephantinus color*, et Vopiſco *libri elephantini*, ut alias nunc differentias praeteream, ſupra attactas. Nemo interea negat, plurima Graecorum Adjectiva in ινος penultimam corripere, dum conſtet, ea, quorum ινος eſt ab ειος, aut ι longo, his nequaquam legibus teneri. Corripiunt penultimam non tantum ἀνθρώπινος et γύπινος, ſed et ἀδινὸς pinguis, ἀληθινὸς verus, βραδινὸς acris, δρύϊνος quernus, καναβινὸς gracilis, πρίνινος ilignus, πυκινὸς denſus, ῥαδινὸς mobilis, celer, ταχινὸς citus, etc. Hinc *adamantinus*, *amethyſtinus*, *crocinus*, *cryſtallinus*, *faginus*, *thalaſſinus*, etc. corripiunt penultimam, quum nec ab ειος, nec ι producto deſcendant. Atque id non accidit modo Graecae, ſed et imitatrici Latinae linguae. Eſt tamen, quum Latini pro diverſitate naturae vocum Graecarum denominativa ſua jam finiunt in *inus* penultimâ longâ, jam brevi, jam reddunt eadem per *eus*, jam *ius*, adeoque ſequuntur quidem plerumque ſyllabarum Graecarum quantitates, non tamen adimunt ſibi libertatem eligendi, quam terminationem Graecanicam aeſtimaverint negotio ſuo convenientiorem. Igitur βόϊνος, penult. correptâ a βοῦς, licet ex regula *Vrſini* deberet formare Latinum *bovinus* penultimâ brevi (quia ἀμέσως inde videtur formari) non eſt tamen dubium, quin Latini reſpexerint in formatione ſua non βόϊνος, ſed βόειος, adeoque penultimam extenderint more ceterorum ab animalibus Adjectivorum. Et proinde nemo auſit hodie penultimam in *bovinor* corripere, ut nec in *bovina carne*, apud Theodorum, antiquiſſimum Medicum Latinum, laudatâ.

Tandem diſplicuit etiam *Vrſino*, quod in *Cogitat.* ita ſcripſerim: *Proindè eo adhuc inclinat ſententia, antiquiſſimos Graecos ebur, ſive elephantinos dentes conſideraſſe, ut rem naturâ ſuâ inanimem, (quod vel raros, vel forſan nullos id temporis in ſuis regionibus vidiſſent elephantos) eoque inſtituto Hephaeſtionem et Anacreontem penultimam corripuiſſe, quod hodie vix imitandum.* Ad haec *Vrſinus*: *Lepidum profecto*, inquit, *effugium, quod ſi ulli eruditiorum probetur, mirer ſane.* Ut ergo illum parum lepidum reſponſi ſui faſtum agnoſcat, et ſatis diu admiretur, mecum adeat Pauſaniam, cujus illa ſunt in Atticis rotunda verba: *Ebur* (ἐλέφαντα) *enim hominum opere et arte priſcis temporibus expoliri ſolitum norant haud dubie multi: beſtias autem ipſas, priusquam Macedones in Aſiam trajicerent, praeter Indos et Libyas, finitimosque illis populos nulli viderant. Quod ipſum ex Homero facile conjicias, qui quum Regum lectos et opulentiorum, inter hoſce, domos ebore ornatas* (ἐλέφαντι κεκοσμημένας) *dixerit, belluae tamen nusquam mentionem facit. Quodſi aut elephantem vidiſſet, aut de eo audiſſet quicquam, citius utique illum, quam pygmaeorum et gruum pugnam, commemoraſſet.* Et quidni Graeci aliquando intuerentur ebur, tamquam rem inanimem? quum diſerte *Theophraſtus Ereſius*, homo Graecus, et is ſapientiſſimus, jam olim l. de lapidibus tradiderit, inveniri in terris ἐλέφαντα ὀρυκτόν, et Plinius L. 36. c. 18. ita: *Theophraſtus*, inquit, *auctor eſt, ebur foſſile candido et nigro colore inveniri, et oſſa e terra naſci, inveniri que lapides oſſeos.* Noviſſime, haud repugno, ea denominativa Adjectiva Graeca in ινος, quae juſta ſuſpicio nec ab ει, nec ab ι longo deducit, poſſe ſine flagitio, ubi tranſierint in linguam Latinam, corripere penultimam, more genitricis ſuae, utcumque ſenſile quiddam olere videantur; ſed id tantum adjicio, Latinos in ſenſilibus ejusmodi plerumque ει vel ι longum concepiſſe animo, quum ea in ſuum uſum traducerent, ut ex ſuperioribus conſtat, adeoque nos convenienter heic mores Latinorum imitari. Exempli gratiâ: *Quintilianus* Inſt. Orat. L. 1. c. 10: *Non quia ceratinae*, inquit, *aut crocodilinae* (captiones) *poſſint facere ſapientem, ſed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli.* Quod *Lucianus* ita Dial. 1. νεκρ. extulit: Κέρατα φύουσιν ἀλλήλοις, καὶ κροκοδείλους ποιοῦσιν. Vbi κέρατα et *ceratinae captiones* ſignificant *fallacia dilemmata*, et κροκόδειλοι ſive *crocodilinae captiones* deſignant *verſutos gryphos*. Heic τὸ *ceratinus* penultimâ correptâ admiſero: licet enim ab animati ſenſitivi parte aliqua, hoc eſt, cornibus, appareat deſcendere; quia tamen hoc loco nihil ſenſile reſpicit, ſed dumtaxat tortuoſorum cornuum ſimilitudinem (hinc et variis inanimatis tribuuntur κέρατα, ut arcui apud *Heſychium*, aciei bellicae apud *Thucydidem*, argenteis poculis incurvis apud

Athe-

Athanatum, papaveri cuidam apud *Dioſcoridem*) atque *Platoni* ſine ſuſpicione ει aut ι longi dicuntur κεράτινα πλέκτρα, et Laërtio ſimiliter κεράτινος λόγος. De *crocodilino* tamen aliter judicandum: quia enim et ab animali hoc denominativum eſt, et mores crocodili in venandis beſtiis hominibusque imitantur hi gryphi, illos heic intueor, ut a denominativo κροκοδείλινος proficiſcentes, quamquam fortaſſis hodie in Graecis ſcriptoribus ſive κροκοδείλινος, ſive κροκοδείλεινος reperiatur nusquam. At huic ſententiae eo libentius adhaereſco, quo certius eſt, κροκοδείλειος Graecis in uſu fuiſſe, unde facillime formabitur *crocodilinus* penultimâ longâ, ut ab ἄρνειος agninus, a θήρειος ferinus, a κύνειος caninus, a λεόντειος leoninus, a ταύρειος taurinus, a χαμήλειος camelinus, etc. Vſitatum autem fuiſſe κροκοδείλειος, colligo ex Plinio L. 28. c. 9: *Ob id*, inquit, *inteſtina crocodili terreſtris diligenter exquiruntur, jucundo nidore farcta: crocodileam vocant.* Graecis κροκοδείλεια ſc. κοπρία, quod *Ludovico Cavallo* obſervatum. *Vrſinus* heic, quo ſe expediat, non habet: ſi enim dixerit, τὸ *crocodilinus* Latinum eſſe, eoquè produci penultimam, undecumque veniat, ut de *oſtrinus* adfirmare non dubitarit, evidenter decipietur, invento fortaſſis poſt aliquot menſes alicubi τὸ κροκοδείλεινος; ſi dixerit, Graecam eſſe vocem, et eſſe ἀμέσως ex κροκόδειλινος vel κροκοδείλεινος, adeoque penultimam corripiendam, nec poteſt illud re ipſa oſtendere, iterum decipietur. Vsque adeo in incertum deſinunt *Vrſini* praeceptiones.

p. 215. Loc.

ADMETVS v. 3. pro *exſulpavit* lege *exſul pavit*.

p. 217. inſeratur ſuis locis:

AGALLŎCHVM, *lignum aloës*, *Aloë-Holz*, corripitur: Gr. Ἀγάλλοχον.

AGARĬCVM, *fungus in arboribus colore candido*, corripitur. *Borrich.* Ling. Pharm.

p. 222. ſuo inſeratur loco.

ALŪTA, *ſemiſch Leder*, *weich Leder*, producitur.

* Aluta tenuiter confecta; it. Caeſ. Aluta criſpata, *Corduban-Leder.*

v. 49. Pro AMARICINVM lege AMARACINVM.

p. 223. inſeratur ſuo loco:

AMBĂRVM pro *Ambra*, corripitur ex analogiâ, ut *aſtărum*, *rhabarbărum*, *cammărum*, *canthărum*.

Locus AMERICVS ſic legatur:

AMERĬCVS, *Praenomen* VESPVTII, *hominis Florentini; inventoris illius ſecundarii novae terrae, cui de ſe nomen dedit*, morâ longâ.

* Sic nimirum *Poëtica Gieſſena* p. 65. jubet ad analogiam aliorum hujusmodi nominum propriorum, ſcil. *Alberĭcus*, *Andronĭcus*, *Heinrĭcus*, *Friderĭcus*, *Theodorĭcus*, cet. nec tamen obſtat eadem, quo minus denominativum *America* ex analogia, quae eſt in *Africa*, corripiatur. Perperam ergo *Amerĭcus* cum vulgo corripitur.

Inſeratur ſuis locis:

AMĪNAE l. ANĪMAE *gummi*, producitur. *Borrich.* Ling. Pharm.

AMYGDALĪNVS ab *amygdala*, fructu, corripitur. Conf. ſupra *Adjectiva in inus*.

* Vox Plinii eſt L. 23. c. 4: *Oleum amygdalinum purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat, varos cum melle tollit e facie.*

p. 227. inſerantur:

ANNOTĔNVS correpte.

ANODYNVM ſc. *unguentum*, *emplaſtrum*, *oleum*, morâ celeriori. *Borrich.* Ling. Pharm.

ANTHĒRA *roſarum*, morâ ancipiti. *Borrich.* Ling. Pharm. Sed

ANTHŎRA, *planta*, napellus Moſis *alias appellata*, corripitur.

ANTHRĂCIS ab *anthrax*, producitur.

* *Anthrax* eſt Gen. Maſc. et notat

1. Carbonem, *eine Kohle.*

2. Abſceſſum quemdam ex atra bile, rubore ſublivido, *ein Blutſchwär.* In pede malignum et peſtilentem anthracem habebat, *er hatte eine gefährliche Beule am Fuſſe.*

3. Vitruvio etiam *anthrax* eſt *minii gleba*, Germ. *Berg-Zinnober.*

p. 228. inſeratur:

APARĪNE, *herba*, producitur. *Borrich.* Ling. Pharm.

p. 229. Locus APPENDICIS legatur ſic:

APPENDĬCIS ab *appendix*, uſitate corripitur: *Olao Borrichio* autem producitur.

* Sic autem hic *Olaus* Cogit. pag. 310. ſeq. contra *Scioppium* pugnare pergit: Vnum monere adhuc non erit forſan ſupervacuum, antequam theatro hoc Scioppiano excedamus, audaciorem quandoque videri illum, quam feliciorem in morâ pronuntiandarum vocum, quam quantitatem appellare conſuevimus, definiendâ. Id, quod duplici exemplo teſtatum nunc reddere decretum eſt.

Primum exſtat in judicio Scioppii de Stilo Hiſtorico pag. 81: *Barbariſmus*. inquit, *Proſodiae ratione eſt*, *quum ſyllabae breves producuntur*, *longae corripiuntur*, *ut* appendicis, *productâ ſyllabâ ultimae proximâ*, *quum* coxendicem *apud Plautum in deſinente verſu Jambico legamus*. Haec *Scioppius*. Ceterum Analogiâ diſſimillimâ pugnat *Scioppius*: neque enim *coxendix* a verbo deſcendit, ut *appendix*, ſed a nomine *coxa*. Proinde quum nullum hactenus vocabulum in ix, a verbo derivatum, deprehenſum ſit corripere Genitivi penultimam apud nullum probatum Poëtam; reliquum eſt, ut etiam nihil tale audeamus adfingere vocabulo *appendix*. Rata ergo eſto regula Criticorum: *Verbalia in trix penultimam in obliquis producunt*, *ut victrix*, *icis*, *altrix*, *icis*, *lotrix*, *icis*, *etc.* Exiſtimabunt forſan non nulli obſtare univerſitati hujus regulae verſum Lucilii, quem Nonius advocat:

Si natibus natricem impreſſit craſſam et capitatam.

Ceterum ſub judice adhuc lis eſt, utrum ita ſcripſerit Lucilius: fac tamen, ita ſcripſiſſe; nihilominus nihil inde decedit regulae generali. Factum enim id videri poteſt diſcriminis gratiâ, ut diſtinguatur in obliquis *natrix ſerpens* a *natante femina*: quippe feminae natanti *natricis* penultima longâ nomen competit tum propter analogiam, tum propter auctoritatem *Militii* et *Cavelli*. Fortaſſis ergo Lucilius differentiae gratiâ penultimam corripuerit in *natrice ſerpente*. Neque ſine exemplo eſt ejuſmodi diſcrimen; nam et vox *ambitus* ſimile quiddam patitur: quippe, ubi pro *ambitione* ſumitur, penultimam corripit; ubi participium paſſivum eſt, penultimam producit, quod ex Ovidii Metamorphoſeos Lib. I. diſcimus:

Juſſit et ambitae circumdare litora terrae.

Sed ne quidem neceſſe eſt, uti hac excutatione, quippe *Scioppius* ipſe in noſtram tranſire certus eſt ſententiam apud Mariangelum: *Natricis*, inquit, *Genitivus a natrix*, *ſine dubio longa eſt*, *quum ſit a nando*, *natrix*, *ſicut a natando natatrix*. Lucilii autem verſus Jani Douſae patris judicio rectius ſic legitur:

Natricem impreſſit natibus craſſam et capitatam.

Hactenus *Olaus Borrichius*.

Ridet hanc *Olai* ſententiam *Georgius Hennius Vrſinus Obſ. Philol. cap. 11. p. 196 ſeqq.* qui *Scioppium* heic vulgari Grammaticorum legi inhaerentem copioſe defendit in ſequentibus: Amore, *inquiens*, tantum et ſtudio veritatis defendendus videtur *Scioppius*, *Appendix*, *appendicis* penultimâ brevi juſſerat dici *Scioppius*, ut *coxendix*, *coxendicis*. *Borrichius* cum analogia diſſimillima ait pugnare, quod *coxendix a coxa* ſit; *appendix* a verbo: Verbalium autem in *ix* nullum adhuc ullum apud probatum Poëtam deprehenſum ſit corripere Genitivi penultimam. Quare nec voci *appendix* tale quid affingendum. Jubet ergo ratam poſthac eſſe regulam Criticorum: *Verbalia in trix penultimam in obliquis producere*, *ut victrix*, *icis*, *altrix*, *icis*, *lotrix*, *icis*, *etc.* Quod poſtremum, ut inde ordiar, ridiculum. Neque enim decedit quicquam iſti Grammaticorum regulae, ſi *appendix* penultimam Genitivi corripiat, neque ſtabiliri inde vel tantillum poteſt, illam Genitivi ſyllabam in voce *appendix* eſſe producendam, quum non in *trix* deſinat, neque a Supinis deſcendat. Quod igitur in *Scioppium* intorſerat *Borrichius*, id merito in *Borrichium* retorqueret *Scioppius*: diſſimillimâ eum analogia niti, quum vocem, quae a praeſenti derivatur, exigit ad amuſſim vocum e Supino derivatarum. Sed, ut et hoc obiter moneam, cur Grammaticos Criticorum nomine dignatur, quod longe ſuperioris eſt dignationis, quam ut Grammaticis mere talibus, quales heic ſpectantur, conveniat? Ceteroqui Grammatici nomen late acceptum nullam fere non eruditionis partem complecti, non neſcio. Heic autem, ubi de quantitate ſyllabae agitur, qua de agere proprium Grammatici reſtricte ita dicti munus,

munus, cur tantopere Critici mereantur dici, nec dum video. Neque enim Critici eſſe, praecipere de talibus, a quoquam umquam ſomniatum eſt. Sed haec, ut dixi, obiter pro nobiliſſimo hoc titulo, cujus ad communionem homines minus digni ne admittantur, vindicando. Neque enim Grammatices pars eſt Critice, quod ex *Voſſio* diſcat licet, neque, ſi eſſet, huic tamen loco congrueret appellatio Critici. Ad propoſitum revertamur. Quum *Voſſius* vocem *appendix* cum altera *coxendix* comparavit, non dubito ego, quin non derivationis, ſed terminationis ſpectarit ſimilitudinem. At ſi quicquam contra ipſum obtinere voluiſſet, nomina in ix a Praeſentibus verborum oriunda obducere illi, eaque pariter paene ultima gaudere porrecta, oſtendere debuit *Borrichius*. Ac poterat ſane ſubſidio ſibi proferre tum vocem *nutrix* a Praeſenti, ut videtur, *nutrio*, quae omnem citra controverſiam producit penultimam, tum *ſtruices* Plautinas in Menaech. a. 1. ſc. 1. producta et ipſas penultima, ut omnes fere ſentiunt, quos viderim, a Nominativo *ſtruix*, qui ſine dubio a verbo ſtruo. Nec dum tamen herbam porrigo. Nam quantum ad vocem *nutrix*, varia patent effugia. Poteſt enim dici, propter ipſam in *trix* terminationem et ſignificationem officii feminei, Genitivum ejus, ut ceterorum in *trix* terminatione et ſignificatione eadem nominum, formatum in *tricis* penultima longa; vel contractum et decurtatum eſſe ex *nutritrix*, euphoniae gratia, quod illud durius ſonuiſſet; ſi vel a Praeſenti *nutrio* ſit, analogice debuiſſe dici o in ix mutato, ut *ſtruo*, *ſtruix*, *offendo*, *offendix*, quod eſt apud Feſtum, *appendo*, *appendix*, ſic *nutrio*, *nutrix*, quae duo *ii* in unum longum eſſe contracta, ut *alius* in Genitivo ex *aliius*; vel poſtremo producere i, quia ſit a verbo quartae conjugationis, quorum i in incremento longum eſt. Quarum rationum nulla probabilitate ſua deſtituta eſt. At τῷ *ſtruices* Plautino quid fiet? Ego, qui, neſcio qui, ſemper a vulgari ejus vocis pronuntiatione, i in penultima porrecto, abhorrui, putavi hactenus et adhuc puto, verſum illum Plautinum aliter, quam ab aliis factum, dimetiendum. Hoc nempe modo:

Tantas ſtruicis concin-nat pa-tina-rias,

ut ſit vel trochaeus in quarta regione, quod non plane numquam fieri ſolet in iſtis verſibus comicis; vel, quo tamen invitus delaberer, Graecorum Poëtarum more conſonantes producendis ſyllabis geminantium, ſcriptum forte fuerit a Plauto *pattinarias*, ut *quattuor* volunt dictum pro *quatuor*, et *Appulus* eſt apud Horatium pro *Apulus*, cet. Quicquid horum eſt, ut *ſtruices* a *ſtruo* penultima intelligamus correpta dictum, facit, quod apud ipſum Plutum alio loco, Aulular. nempe, act. 2. ſc. 2. vocabulum *mordicibus* a themate *mordix* (quod a *mordeo*, ſeu antiquo potius *mordo*, unde et vetus illud Praeteritum *mordi*, pro quo deinde *momordi* invaluit) antepenultima reperias brevi, in his ejus verbis:

Aſini me mordicibus ſcindant; boves incurſent cornibus.

Quam veriſſimam ejus loci lectionem eſſe, etiam a *Voſſio* agnitam in Etymologico in voce *Mordeo*, nullus equidem dubito: quicquid alii, qui vel *mordicus* legunt, vel *mordicitus*, contra moveant: quas lectiones ſi admittas, multum de elegantia oppoſitionis in hoc loco perierit, quae longe ſic pulchrior erit ac perfectior, ſi terna ternis reſponderint *aſini bubus*, *ſcindere* τῷ *incurſare*, *mordices cornibus*. Dimenſio autem ejus alia eſſe non poterit, quam iſta.

Aſini me mor-dicibus ſcindant, boves incur-ſent cor-nibus.

Vt ſit adeo Jambicus octonarius, qualis in ea ſcenâ verſibus Jambici et Trochaici generis permixtâ plures, ut ſequens ſtatim:

Hoc ma-gnum eſt peri-culum me ab aſinis ad boves transſcen-dere.

Vera igitur prioris loci lectio ſi eſt, uti veram eſſe mihi plane perſuadeo, aliquod tamen in ix vocabulum a verbo derivatum deprehendimus Genitivum corripere apud probatum ſatis auctorem Plautum; nec erit, cur poſthac adfirmet *Borrichius*, non dum ejusmodi aliquod apud talium quemdam a quoquam eſſe deprehenſum. Ad hujus igitur exemplum, ut *mordix mordicis*, ita pariter *ſtruix ſtruicis*, *appendix appendicis*, *offendix offendicis*, in quibus duabus poſterioribus vocibus neque terminationis ſimilitudinem, quae intercedit inter ipſas ac voces *coxendix coxendicis*, *claxendix claxendicis*, quod iterum *Feſtus* nobis ſervavit, inſuper plane habendam putem, pronuntiandum fuerit. Suo tamen, in hoc ipſo, ſenſu uti quemvis facile patiar. Hactenus *Vrſinus*.

Reſpondet autem *Borrichius* in ſua *Diatribe*, quae agit *de quantitate penultimae deno*

denominativorum in inus, *et verbalium in icis*, et ad calcem *Analectorum* ipſius ſubjuncta eſt, p. 28. ſeqq. ita:

Occurrerant mihi illa *Scioppii* l. de ſtilo Hiſtorico: *Barbariſmus*, inquit, *Proſodiae ratione eſt*, *quum ſyllabae breves producuntur*, *longae corripiuntur*, *ut* appendicis, *producta ſyllaba ultimae proxima*, *quum* coxendicem *apud Plautum deſinente verſu Jambico legamus*. Ad haec ego reſponderam in hanc ſententiam: *Ceterum analogiâ diſſimillimâ pugnat Scioppius: neque enim* coxendix *a verbo deſcendit*, *ut* appendix, *ſed à nomine* coxa. *Proinde quum nullum hactenus vocabulum in* ix, *a verbo derivatum*, *deprehenſum ſit corripere penultimam apud ullum probatum Poëtam*, *reliquum eſt*, *ut nihil tale audeamus affingere vocabulo* appendix. *Rata ergo eſto regula Criticorum:* Verbalia in ix penultimam in obliquis producunt, ut victrix victricis, altrix altricis, lotrix lotricis, etc. Multa haec contra movet *Vrſinus*; ſed, ut ex conflictu patebit, parum promovet. Initio ergo id carpit, quod ſcripſerim, verbalia in *trix* penultimam producere in obliquis, quum inſtituta fuerit controverſia de verbali in *dix*. Sed ſi probe expendiſſet ſuperius à me allata, quae citavit ipſe, nempe, *nullum hactenus vocabulum in ix*, *a verbo derivatum*, *deprehenſum eſſe corripere penultimam*, vidiſſet utique clariſſime, regulam meam de omnibus verbalibus in ix intelligendam, licet vitio typographi pro ix, hodie *trix* ultimo loco legatur. Et ſatis quidem adſecutus eſt e textu orationis mentem meam: ſed, ne nihil ageret, provinciam correctoris librarii invaſit. Nec opportunius ex *Voſſio* deſcripſit Critici officium, quum debuiſſet ſententiam meam ex *Horatio* et *Quintiliano* exſculpſiſſe. Sed nimirum his fumis proluſit, ut in flammam demum exardeſceret. Accedamus ergo ad hunc ignem, et quam potentibus argumentis convellat non meam dumtaxat, ſed doctiſſimi cujusque in hac arte magiſtri, *Rob. Stephani*, *Phil. Labbéi*, *Ludov. Cavalli*, *Raviſii Textoris*, *Sabellici*, aliorum ſententiam, paullo attentius conſideremus Ita ergo animoſus ingreditur: *Quum Scioppius*, inquit, *vocem appendix cum altera coxendix comparavit*, *non dubito ego*, *quin non derivationis*, *ſed terminationis ſpectarit ſimilitudinem*. Eſto, reſpexerit *Scioppius* terminationem: perperam tamen reſpexit eam ſolam, quia nequaquam ſola terminatio heic quantitatem definit, verum etiam plurimum ſibi vindicat derivatio. Hinc licet calix, cilix, filix, fornix, larix, nix, pix, ſalix, ſtrix, &c. eodem modo in ix exeant, atque altrix, amatrix, auxiliatrix, bellatrix, genitrix, hortatrix, jaculatrix, inſidiatrix, meretrix, motrix, nutrix, ſpoliatrix, victrix, ultrix; nemo tamen infiatiabitur, priores voces omnes penultima brevi gaudere, poſteriores autem, ut et in ix terminatas, et a verbis evidenter ortas eadem gaudere producta: nec, opinor, vel unum dabitur liquido contrarium exemplum. Quin ſi ſoli terminationi in *dix* ea vis eſt, quam fingit *Scioppius*, cur non potius *appendix* ſequetur mores vocabulorum *Scandix*, *ſandix*, *ſpadix*, *lodix*, *perdix*, quorum penultima creſcentis extenditur? Diſerte enim Ariſtophanes penult. τῦ σκάνδικος produxit in Acharnan. a. 2. ſc. 4. & poſt eum *Suidas*. De *ſandice* ita *Prudentius* l. 2. eleg. 25:

Illaque plebejo vel ſit ſandicis amictu.

Vnus *Gratius* in Cyneget. ita:

Interdum Libyco fucantur ſandice pinnae.

Vbi tamen *Caſaubonus* et *Barthius* obſervavere, a ſolo *Gratio* id attentatum. *Spadix* quomodo ſeſe habeat, declarat Virgilius 3. Georg.

Spadices, glaucique, color deterrimus albis.

Item Gratius Cynegetic.

Spadices vix Pellaei videre Ceranni.

De lodice ita Martialis L. 14:

Lodices mittet docti tibi terra Catulli.

Et Juvenalis Sat. 7:

Magnae mentis opus, nec de lodice paranda.

Item Sat. 6: - - *modo ſub lodice relictis*
Vteris in turba.

Perdix apud *Serenum Sammonic.* ita:

Seu fel perdicis pariter cum pondere mellis.

Et ſane juſtiſſime *appendix* imitabitur quantitatem *lodicis*, non modo ob terminationem ſimilem, ſed quia *lodix* etiam a verbo derivatur, judice Illuſtri *Voſſio* in Etymologico. *Lodices*, inquit, *a lotum*, *quia ſubinde eas lavari opus*. *Iſidorus tamen lodices ſcribit per u*, *atque a ludis theatralibus nomen habere putat*. Quodſi tamen praevaleat *Iſidori* ſententia, et *ludus* a verbo deſcendit.

14. Progreditur autem in hunc modum audacter *Vrſinus: At ſi quicquam*, inquit, *contra*

contra Scioppium obtinere voluiſſet Borrichius, nomina in ix a praeſentibus verborum oriunda obducere illi, eaque pariter paene ultima gaudere porrecta, oſtendere debuit. Verum enim vero ſupervacaneum eſt, operoſe inquirere, a quo praeciſe tempore deriventur verbalia in ix, dummodo nullo infringi exemplo poſſit regula generalis, quae haec eſt: *Verbalia in ix a quocumque tempore aut modo formata penultimam in obliquis producunt.* Intelliguntur autem, quae clare et evidenter verbalia ſunt, non quae obſcure eo referri quodammodo poſſe videntur, ut *ſalix*, quam, quum non nulli a ſaliendo derivent, derivationem illam non inique improbat *Feſtus.* Sic quum *ſtrix* a ſtrideo videatur deduci, *ἀμέσως* tamen a Graeco *στὶξ* eſt, ut recte cenſuit *Voſſius* ad locum Ovidii de ſtrigibus. Evidenter autem a verbis deſcendunt, praeter, ſuperius enarrata, *acceptrix* Plauti; *admonitrix* Plauti; *adſeſtrix* Afranii; *adverſatrix* Plauti; *aratrix* Quintiliani; *adſentatrix* Plauti; *auctrix* Servii et Priſciani; *cantrix* Plauti; *captatrix* Apuleji; *cavillatrix* Quintiliani; *circumſpectatrix* Plauti; *conditrix* Macrobii; *compotrix* Terentii; *confectrix* Plauti; *conjectrix* Plauti; *contemplatrix* Celſi; *contemtrix* Plinii; *corruptrix* Ciceronis; *creatrix* Plauti et Silii; *defenſtrix* Ciceronis; *deprecatrix* Aſconii; *dictatrix* Plauti; *diſputatrix* Quintiliani; *elocutrix* et *enuntiatrix* Quintiliani; *interfectrix* et *inſtigatrix* Taciti; *judicatrix* Quintiliani; *miniſtratrix* Ciceronis; *moderatrix* Plauti; *natrix* Lucillii; *oblatratrix* Plauti; *obſtetrix* Terentii; *occurſatrix* Feſti; *oratrix* Quintiliani; *perfectrix* Cornelii Nepotis; *perſuaſtrix* Plauti; *petitrix* Quintiliani; *piatrix* Plauti; *praecantatrix* Plauti; *proditrix* Quintiliani; *teſtitrix* Plauti; *ſectrix* Plinii; *ſermocinatrix* Varronis; *ſtrimulatrix* Plauti: *Subagitatrix* Plauti; *ſuppoſtrix* Plauti; *ſuſpicatrix* Varronis; *tonſtrix* Plauti; *venatrix* Juvenalis, etc. quorum omnium penultima in obliquis producitur, ut altricis, amatricis, bellatricis, hortatricis, jaculatricis, inſidiatricis, etc.

15. Pauca ſunt, quae a praeſentibus oriuntur, nec quicquam hactenus obſervatum eſt, quod oſtenderet, ea in hoc articulo ſe aliter habere, quam quae vel a praeterito deſcendunt, vel a ſupino. In horum numero ſe offert *meretrix*, *natrix*, *nutrix*, *ſtruix*, *mordix*, *ſcaturix*, *offendix*, *appendix*. Et quidem *meretrix* eſt a meretur; neque enim a *meritum* convenienter derivaveris, quod *meritrix* non legatur apud caſtigatos ſcriptores. At quae ſit penultima in *meretricis*, oſtenderit facile Ovidius Triſtium L. 2:

Sed procul à ſcripta ſolis meretricibus arte.

De *natrice* actum in Cogitationibus: id unum nunc repeto, verſum *Lucillii*, a *Nonio* citatum, non ita ab omnibus legi, ut vulgo ſolet. Plane enim *Donſa pater* exiſtimat ita legendum:

Natricem impreſſit natibus craſſam et capitam.

Accedit ipſius *Scioppii* judicium apud Mariangelum, ubi ita: *Natricis*, inquit, *Genitivus a natrix ſine dubio longus eſt, quum ſit a nando natrix, ſicut a natando natatrix. Nutrix* qua mora formet Genitivum, ſignificat Virgilius Aeneid. 4:

Tum breviter Barcen nutricem affata Sichaei.

Notavit *Urſinus*, quae eſt ipſius ſagacitas, *nutricem* fore ſudem in oculis ſuis, ideoque ita callide: *Quantum ad vocem nutrix*, inquit, *varia patent effugia. Poteſt enim dici, propter in trix terminationem et ſignificationem officii fenimei Genitivum ejus, ut ceterorum in trix terminatione et ſignificatione eadem nominum, formatum in tricis penultimà longà; vel contractum et decurtatum eſſe ex nutritrix, euphoniae gratia, quod illud durius ſonuiſſet; vel ſi a praeſenti nutrio ſit, analogice debuiſſe dici, o in ix mutato, ut ſtruo ſtruix, offendo offendix, quod eſt apud Feſtum, appendo appendix, ſic nutrio nutriix, quae duo i i in unum longum eſſe contracta, ut alius in Genitivo ex aliius; vel poſtremo producere i, quia ſit a verbo quartae conjugationis, quorum i in incremento longum eſt.* Specioſus color, ſed infidus et fugax, nec quiſquam magis appoſite heic *Urſino* reſponderit, quam ipſe *Urſinus*; qui agnoſcit, heic quaeſita a ſe eſſe *varia effugia*. Effugiis enimvero opus eſt, quando cauſa ita manifeſte laborat. Incidendi ergo vitales nervi effugiorum. 1. Si ſola terminatio in trix, et ſignificatio officii feminei efficerent penultimam longam, etiam hyſtrix, ſtrix, filix, penultimam in obliquis producerent, quoties feminam ſui generis repraeſentant; corriperent, quoties marem, quod quam abſonum? Genus aut officium feminae heic nihil immutat, ut in *victrix* et *ultrix* videre eſt, quum, ſive Ovidius dicat *victricem dextram*, ſive Tullius *libidinis victricem*, ſive Maro *victricia arma*, eadem obſervetur quantitas. Ita ſive Cicero dicit *ultricem civitatis*, ſive Statius *animam ultricem*, ſive Silius *bella ultricia*, in quantitate

titate vocis immutatur nihil. Et anne *Jubae tellus* aeque proprie *nutrix eſt leonum* apud Horatium, ac feminae, quando vel ſuo, vel alieno lacte paſcunt infantes? anne chirurgi ſaepe obſtetricum funguntur munere? nihil tamen ideo in morâ ſyllabarum variatur. Ad ſummam, nutricis vocabulum non magis convenit feminae, quam braſſicae, quam glandibus, quam carni admiſſarii equi, quoties hac nutritur Tartarus, iſtis olim mortales, frugibus non dum inventis, illâ plebeji. 2. Nutritricem dici quibusdam Grammaticis, non ignoro: ſed addo, meram eſſe conjecturam: immo tam proprie à *nutrit* formari poteſt, quam *ſtruix* a praeſenti *ſtruit*, quam *offendix* ab *offendit*, et ab *appendet appendix*: et promtius utique, quam *mordix* a *mordet* vel *momordit* vel olim *memordit*. Quin exſtaret alicubi haud dubie vox *nutritrix* integra, ſi talis umquam eliſio contigiſſet. Neque tacuiſſet diligentiſſimus Varro, qui longe uſitatiora etiam explanat formatque. Euphoniae ſtuduiſſe antiquos, nemo dubitat, ſed retinuere in vocibus in ix, quae longe adhuc moleſtius radunt aures, quam *nutritrix* ex. gr. *adſeſtrix, defenſtrix, eſtrix, perſuaſtrix, tonſtrix*. 3. Quod autem Vrſinus obducit, ſi à praeſenti derivetur, fore nutriix, id aliquid nihil eſt; neque enim a ſtruo fit ſtruix, ſed a ſtruis vel ſtruit: ſic ab appendes, vel appendet, appendix, non proxime ab appendeo; ſic a nutris vel nutrit, s vel t in x converſo, fit nutrix. 4. Vltimum effugium adhuc rudius eſt, quippe incrementum vocis *nutrix*, non pendet ab incremento verbi *nutrio*, ſed a natura ceterorum verbalium in ix, quae ſive a tertia, ſive a quartâ conjugatione oriunda, penultimam obliquorum ſemper producunt, ut altrix, genitrix, victrix, perinde atque inventrix. Specie aliqua veritatis iſta aggereret, ſi nutrix formaret Genitivum nutritis: ſed quum nutricis formet, irrita collectio eſt. Noviſſime, ſi cum non nullis eo induci poteſt *Vrſinus*, ut credat, *ſalicem* derivari a ſaliendo, evertit hoc ipſo ſententiam ſuam: deberet enim hoc pacto ſalix, ut a ſalio, quartae conjugationis (ex mente ipſius) penultimam omnino producere, contra quam docuit Virgilius Ecloga 1:

Florentem cytiſum et ſalices carpetis amaras.

16. Nunc in aciem prodit *ſtruix*: cujus vocis Nominativus legitur apud Naevium: *ſtruix*, inquit, *malorum.* Genitivum penultimam producere, ex Plautino verſu Menaechm. act. 1. ſc. 1. vix quiſquam hactenus negare auſus fuit, tum ob naturam communem verbalium in ix, tum ob nativum Iamborum in ſecunda ſede locum. Verba Plauti haec ſunt:

Tantas ſtruices concinnat patinarias,

quae, niſi violento genio, aliter ſcandi non debent, quàm

Tantas - ſtrui - ces con - cinnat - patina - rias.

Plane ut in eâdem ſcena plures verſus, atque in illis

Eſcâ atque potione vinciri debet. Item
Sum judicatus, ultrò eo, ut me vinciat, etc.

Vrſinus tamen, ut ingenium oſtentet, novo more ita ſcandi debere pertendit:

Tantas - ſtruices - concin - nat pa - tina - rias.

Sed utrumque Plauto aliquando excidat in ſecunda regione anapaeſtus, contra tamen naturam legitimi Jambici verſus eſt; deinde nec trochaeus quartae regioni nativus aeſtimari poteſt, licet ſibi, evagantes quandoque, ſimilia permittant Comici. Vidit infirmitatem ſcanſionis ſuae *Vrſinus*, et de futuro ſollicitus ita tandem diſſeruit: *Vt ſtruices a ſtruo*, inquit, *penultimâ intelligamus correptâ dictum, facit, quod apud ipſum Plautum alio loco, Aulular. nempe act. 2. ſc. 2. vocabulum mordicibus a themate mordix (quod a mordeo, ſeu antiquo potius mordo, unde et vetus illud praeteritum memordi, pro quo deinde momordi invaluit,) antepenultimâ reperias in his ejus verbis:*

Aſini me mordicibus ſcindant, boves incurſent cornibus.

Quam veriſſimam ejus lectionem eſſe, etiam a Voſſio agnitam in Etymologico, in voce Mordeo, nullus equidem dubito. At dubitant alii, qui *mordicus* ſubſtituunt, alii, qui *morſibus*, alii, qui *mordicitus*, in quibus eſt acerrimi judicii *Gruterus*. Neque inde elegantia ſententiae perierit in Comico, licet Orator fortaſſis, aut epigrammatum ſcriptor acutius loqueretur per oppoſita. Verum admittamus in gratiam *Vrſini*, ſcripſiſſe Plautum *mordicibus*: inde ſane non ſequitur, Nominativum ſingularem terminari in ix; atque ita telum *Vrſini* nullum eſt. Quum enim deſcendat a *mordeo, es*; cur non proclivius Nominativus erit *mordex, icis*, ut pollex, icis, a polleo, judice *Atejo Capitone, Iſidoro, Voſſio*, item ut *latex, icis*, a lateo,

teſti-

teſtimonio *Servii*. Certe deſcendere a rancida voce *mordo*, quam vel fabricatus eſt ipſe (nam *memordi* eſſe a *mordeo*, clare docet Gellius l. 7. c. 9.) vel inter obſoletas faeces Plauto ignotas reperit, nullum indicium adferri poteſt; utque poſſet, nihil certius, quam à tertia Conjugatione ne ortas voces in ex ſubinde terminari, ut vortex, icis, a vertere eſt: ſic et vertex, icis, illex, icis, ab illicio, auſpex, icis, ab ave, et antiquo ſpicio vel ſpecio, unde inſpicere, reſpicere, etc. artifex, opifex, aurifex, a facio. Quid multis? niſi oſtenderit *Vrſinus*, thema eſſe *mordix*, quod oſtendet, ſcio, non ante Calendas Graecas, omnis ejus pro *ſtruice* et pro *mordicibus* impetus in auras evaneſcit. Fac tamen, inveniri alicubi *mordix*; ne ſic quidem militabit contra vocem *appendix* felicius. Intuebimur Plautinum verſum, de quo ita quidem *Vrſinus: Dimenſio ejus*, inquit, *alia eſſe non poterit, quam iſta:*

Aſini - me mor - dicibus - ſcindant - boves - incur - ſent cor - nibus.

Immo vero alia eſſe poteſt, ſi quis iſtuc ire velit. Sed eſto, maneat dimenſio *Vrſini* ſalva, non ideo *di* in *mordicibus* corripietur: conſtituere enim dicibus poteſt dactylum, ſi morem veterum attendamus, qui inter ſcandendum s finale non aliter elidebant, ſequente conſonâ, quam nos in ſequente vocali; cujus rei plurima apud aevi antiqui Poëtas reperiuntur exempla. Ennius Plauto σύγχρονος ita:

Tantidem quaſi feta canis ſine dentibus latrat.

Idem Annali 14:

Nunc eſt illa dies, qua gloria maxima ſeſe
Oſtendet nobis, ſeu vivimus, ſive morimur.

Lucretius l. 14:

Multi de magnis per ſomnum rebus loquuntur.

Vbi *dentibus*, et *vivimus*, et *rebus* ſcanditur, ac ſi eſſet *dentibu'* et *vivimu'* et *rebu'*: ſic et heic *dicibu'* conſtituet dactylum, atque ita *di* in *mordicibus* producta manebit; quippe tertius pes Jambici carminis frequenter recipit dactylum, ut ſexcentis oſtendere licet exemplis. Quid? quod familiare eſt Plauto, s ita elidere, ut docere exempla varia poſſunt. Sed ut tandem ad *ſtruices* revertamur, manifeſtum evadet ex Livio Andronico, penultimam extendi: ita enim ille in Tragoed. inc.

Qua Caſtalia per ſtruices ſaxeas lapſu accidit.

ubi probe obſervat *G. Voſſius*, trochaicum eſſe: eſt enim trochaicus catalecticus, ita ſcandendus:

Qua Ca - ſtalia - per ſtru - ices - ſaxe - as la - pſu acci - dit;

icis heic ſpondeum omnino format, quia id genus carminis Jambum plane reſpuit.

17. *Scaturix* vox *Varronis* eſt περὶ μέθης, ut legit *Janus Laurenbergius*, vel, ut *Nonius* ſcribit, *ſcaturex*: quicquid autem id eſt, quum nusquam apud ſcriptores antiquos legatur in obliquis, de quantitate ejus nihil attinet inquietari. Vt nec de voce *clacendix* ſive *claccendix*, quam ex reliquiis *Vidulariae Plautinae* conſervarunt *Priſcianus* et *Feſtus*, et conchae ſpeciem *Feſtus* interpretatur: ſed quomodo formet Genitivum, ignotum hodie univerſis. Nec ad inſtitutum noſtrum ſpectat: nam ſive a voce Dorica κλᾶξ derives, quod *clavem* deſignat, ſive a κάχλιξ, hoc eſt, concha, ſive denique a κλάζω, quod Heſychius reddit κλεῖσαι, verbale Latinum non eſt, de quo heic dumtaxat disquiritur. *Offendices*, narrante *Feſto*, *ait Titius eſſe nodos, quibus apex retineatur et remittatur*. *Joſ. Scaliger* in Varronem de L. L. *Infra mentum*, inquit, *pertinebant amenta, quae pileum retinebant: eae dicuntur offendices, quod ſe mutuo offenderent et convenirent*. Vt intelligamus, offendices eſſe lora duo, ſive binas ligulas, pileis Sacerdotum inferna parte adſutas, quibus ſub mento inter ſe nexis pileis retinetur, ne capite excidat. An autem Nominativus Singularis ſit *offendix*, (neque enim hoc tradit *Feſtus*) non eſt ſatis liquidum, eoque ſupervacuum, ut de ejus obliquis heic operoſe inquiratur. *Appendix* deſcendit ab *appendeo*, id eſt, circumpendeo, de quo *Feſtus: Ampendices*, inquit, *dicebantur ab antiquis, quod circumpenderent, quas nunc appendices appellamus.* *Nonius Marcellus* ita: *Appendix*, inquit, *quod alii eſt adjunctum, quaſi ex alio pendeat.* Audiatur et *M. Tullius* in Hortenſio: *Vidit enim, quod videndum fuit, appendicem animi eſſe corpus*. Livius l. 1. Bell. Pun. *Cum appendicibus Olcadum Vaccaeorumque centum millia fuere.* Iterum Livius Lib. 39. cap. 27: *Quae loca ipſa propinquitate regionis velut appendices majoris muneris eſſent.* Varro Lib. 1. de R. R. c. 16. *Relinquitur altera pars, quae extra fundum eſt; cuius appendices vehementer pertinent ad culturam, propter adfinitatem.* Et de Nominativo ſingulari ne dubitetur, facit Plinius Lib. 24. cap. 13: *Spina*, inquit, *eſt appendix*

appellata, quoniam baccae puniceo colore in ea appendices vocantur. Eſſe autem Genitivum *appendicis* in penultimâ vi analogiae producendum, res ipſa loquitur, quum nullum hactenus produci valuerit exemplum regulae ſuperius adductae contrarium. Perſtat ergo invictae veritatis canon: *Verbalia in ix, a quocumque tempore aut modo formata, penultimam in obliquis producunt*; adeoque bene tandem, infirmitate argumentorum ſuorum probe excuſſâ, ita Cl. *Vrſinus: Suo tamen*, inquit, *in hoc ipſo, ſenſu uti quemvis facile patior.* Quodſi expendiſſet initio, inani hoc ſuo et irrito apparatu felicius utique ſuperſediſſet.

18. Majori ſpecie veri urget *Johannes Pincier* in Otio Marpurgenſi, *appendicem* penultimam corripere, exemplo *perpendiculi*, de quo *Auſonius* Parental. 6:

Ad perpendiculum ſeque ſuosque habuit.

Sed vero, debiliſſimi etiam roboris illud argumentum eſt. 1. *Auſonius* licet dictione ſit ſatis cultus, in quantitatibus definiendis quandoque deficit, ut facile eſſet oſtendere. 2. A vocibus in *iculum*, ad *ix* procedere non eſt tutum; quin et ab iis in *iculum*, etiam inter ſe invicem parum conſtantiae ſperari poteſt: ita aliae antepenultimam producunt; corripiunt aliae, ex ſolo ſaepe ſcriptorum arbitrio et metri neceſſitate. Vbi, et vertigo *Scaligeri* merito notanda, qui quum antepenultimam in τῷ *everriculum* in Tereteriſm. corripiat, eamdem in τῷ *verriculum*, in Ara, producit. 3. *Perpendiculum* non deſcendit a *perpendeo, es*, ſed a *perpendo, is, perpendere*, penult. brevi, ut *Budaeo, Voſſio* aliisque notatum; *appendix* autem eſt ab *appendeo, es, ere*, penult. longâ, ut ex *Feſto Nonio*que conſtat; ideoque ſi aliquid a τῷ *perpendiculum* exſculpi poteſt, id omne noſtram firmabit ſententiam: quemadmodum enim *Auſonius* i in *perpendiculum* corripuit intuitu haud dubie penultimae correptae in τῷ *perpendĕre*; ita juſtum eſt, i in τῷ *appendicis* producere, intuitu penultimae extenſae in τῷ *appendēre*. Neque aliam reperimus certiorem cauſam, cur tum Virgilius, tum etiam Ovidius, ſcriptores verarum in vocibus morarum retinentiſſimi antepenultimam in τῷ *redimiculum* produxerint, quam quod natales ſuos arceſſat a *redimire* aut *redimitur, mii*, longo. Quae etiam ratio impulit *Horatium Ovidium*que, ut antepenultimam in τῷ *curriculum* brevem declararent, quum à τῷ *currere* vel *curribus*, traxerit originem.

19. Noviſſime, Vir Clariſſ. *Arnoldus Rhumannus* in Roma ſua Attica, MSto quidem adhuc, ſed amplo, ſed erudito, ſollicitâ viginti annorum cura ad prelum jam tandem maturo, aliam viam ingreditur, atque ingenioſe contendit, vel ideo convenire, ut *appendix* penultimam Genitivi corripiat, quia id *coxendici* accidit, ut vere verbali. Vox ejus: *Coxendix à coxa eſt, pro coaxa, ab ἄγω, ἄξω, unde coaxo et coaxatio, et inuſitato ſimplici hendo, id eſt, capio: dicitur enim, quia os unum alterum hendit et capit, cumque eo jungitur.* Illa tamen etymologia nulli, quod ſciam, veterum ſeſe probavit; utque *prehendo* ſignificet, capio, arripio, *hendo* ſane et inuſitatum eſt et heic alienum: quippe coxa verius eſt a Graeca matre κοχώνη, ut probe *Voſſius* monuit; et *Heſychio* κοχώνη τίθεται καὶ ἐπὶ τοῦ ἰσχίου, unde ν in κοχώνη format n in coxendix, ut non ſit neceſſe illud n ab *hendo* advocare; *dix* additamentum eſt Latinum, ut in *claxendix* a κλᾶξαι, vel ut mantiſſa illa triſyllaba in τῷ meditullium, quam *Cicero* in Topicis tradit *extenſionem eſſe vocabuli nihil ſignificantem.* Sed ut ſubtile acumen in hoc ſuo invento prodidit vir laborioſiſſimae induſtriae, nunc in ſuperis beatus, ita in toto illo, quod ante obitum abſolvit, Opere, infinita alia felicius expedivit.

p. 229. inſeratur:

APŌNVS, *fluvius juxta Patavium*, corripitur.

p. 233. inſerantur:

ARĒGON, *unguentum*, producitur. *Borrich.* Ling. Pharm.

ARĔTAS, *ae*, nomen viri, occurrens 1. Cor. 11, 32 morâ brevi. Gr. Ἀρέτας. Qui producant, accentum Graecorum vulgarem ſequuntur.

p. 234.

Locus ARIETINVS ſic legatur:

ARIETĪNVS i. e. *ad arietem pertinens*, producitur ex regula Proſodica, qua deſinentia in *inus*, ſi deducantur a nominibus rerum animatarum, hac quantitate omnino gaudent. *Vrſino* perperam corripitur. Vide ſupra *Adjectiva in inus.*

* Ex eodem canone producuntur *agnīnus, anſerīnus, aquilīnus, aſinīnus, bovīnus, caballīnus, canīnus, colubrīnus, coracīnus, crocodilīnus, erycīnus, feclīnus, haruſpi-*

ruſpicīnus, hircīnus, murīnus, muſtelīnus, pruberīnus; porcīnus, taurīnus, vaccīnus, vervecīnus, vitulīnus, vulpīnus, cet.

Locus ARIOBARZANES ita legatur:

ARIOBARZĀNES, is, *Rex Cappadociae*, producitur vi analogiae, quae eſt in *Tigranes.*

Locus ARISTOCLES ſic legatur:

ARISTŎCLES, *is*, corripitur.

* *Nomen hoc* etc.

Inſeratur:

ARISTOLOCHĪA, *herba puerperis ſalutaris*, morâ longiori. *Borrich.* Ling. Pharm.

p. 235. inſerantur:

ARMĒNA *bolus*, (rectius *Armenia*) producte. *Borrich.* Ling. Pharm.

ARTHANĪTA, *herba, unde unguentum*, producte. *Borrich.* Ling. Pharm.

p. 236. inſerantur:

ASPALĂTHVS, *herba*, corripitur. *Borr.* L. Pharm.

ASPHODĔLVS, *herba*; Germ. *Goldwurz*, corripitur *Borrich.* Ling. Pharm.

ASTŬRIS ab *Aſtur*, correpte. *Aſtur equus*, ein Zelter.

ATHĂMAS, *rex Thebarum*, correpte.

AVARĬCVM *Biturigum*, utrobique corripitur.

Vrbs Galliae, Archiepiſcopatu et Academia nobilis, Gall. *Bourges, in der Provinz Orleans im Herzogthum Berry.*

p. 237. inſerantur:

AVSŎNES, *populus Italiae*, correpte.

Locus BALSAMVM ſic legatur:

BALSĂMVM uſitate corripitur; interdum producitur. *Borrich.* ling. Pharmac.

p. 238. inſerantur:

BIBĔRE, *Infinitivus*, correpte. Sed BIBĒRE pro *biberunt*, producte.

p. 239. ad loc.

BRITONES adde: Corripit Iuvenalis Sat. 15. v. 124: producit Martialis l. 11. ep. 22. *Heuſ.* obſ. 369.

p. 240.

BVTHRŌTVM, *urbs Epiri*, morâ longiore.

p. 241. inſeratur:

CAIĒTA, *oppidum et portus Campaniae*, producte.

p. 242. inſeratur:

CALLĬCLES, *ſtatuarius* ap. Plinium l. 34. c. 8. corripitur.

p. 243. inſerantur:

CANNĂBIS, *is*, femin. et *Cannabum, i*, neutr. *Hanf*, corripitur. Hinc Adjectivum

CANNABĬNVS, quod itidem corripitur: deſcendit enim ab re inanimi. Conf. ſupra *Adjectiva in inus.*

CARBASĬNVS à *carbaſus*, correpte. Vid. ſupra *Adjectiva in inus.*

* Vocabulum Plinii eſt v. g. *linum carbaſinum*, Germ. *ſauber, fein Leinwad.* Poëtis magis frequentatur *carbaſeus.* Tibullo *carbaſeum velum* laudatur; Virgilio *ſinus carbaſeus.*

p. 244. inſerantur.

CARTHĂMVM, *crocus hirſutior*, Germ. *wilder Saffran*, correpte. *Borrich.* Ling. Pharm.

CARYOCOSTĬNVM *electuarium*, corripitur. *Borrich.* Ling. Pharm.

Locus: CARYOTA ſic legatur:

CARYŌTA, *ae, fructus palmae, eine Dattel*, producitur.

* Papinio Statio dicitur etiam in Declinatione tertia *caryotis, tidis.* L. 1. Silv. Kal. Dec.

Et muſtaceus, et cadente palma
Praegnantes caryotides cadebant. Hendec.

p. 245.

Locus CELTIBER ſic legatur:

CELTĪBER, Gen. *Celtibēri*, in Nominativo corripitur; in Genitivo producitur. *Comm. Gieſſ.* p. 38.

* Celtiber *eſt incola Hiſpaniae circa Iberum, Gr.* Ἴβηρον, *quo Celtae perveniſſe creduntur.*

† Graecis eſt Ἴβηρ, Ἴβηρος, ſivè ſit ex Hiſpania, ſive ex Iberia inter Colchos et Arme-

Armeniam. Latinis vero *Iber* vel *Iberus*, pro *Hiſpano*, eſt ſecundae. Lucan. L. 4:

- - - *profugique a gente vetuſta*
Gallorum Celta miſcentes nomen Iberis.

Sed qui ex *Aſiatica* ſunt *Iberia*, putantur potius *Iberes* dicendi, quam *Iberi*. Sic ſane Priſcianus in Periegeſi:

Quem juxta terras habitant Orientis Iberes.

Claudianus tamen in primo de laudibus Stiliconis ait:

- - - *miſtis hic Colchus Iberis.*

Eſt vero in recto *Iberus* à Genitivo τῦ Ἴβηρος: ut à Genitivo τῦ Ἐλέφαντος etiam dicitur *elephantus*, *elephanti*.

Inſeratur:

CERCOPITHECVS i. e. ſimia caudata, *eine Meer-katze*, producitur. Gr. κερκοπίθηκος.

p. 246. inſerantur:

CHAMAELEONIS a *Chamaelio*, herba, Germ. *Eberwurz*, producte.

CHAMAEMELVM, vulgo *Camomilla*, Germ. *Camillen-blume*, producitur. Gr. χαμαίμηλον. *

CHAMAEPITYS, *yos*, herba, Germ. *je länger*, *je lieber*, utrobique morâ celeriori. *Borrich.* L. Pharm.

CHEBVLAE *myrobalani*, glandes unguentariae, producte prius; correpte poſterius. *Borrich.*

CHEIRINVM *oleum*, correpte. *Borrich.*

CHIMERINVS a χεῖμα, *hiems*, correpte pronuntiatur: ut cetera Adjectiva in inus, a quattuor anni tempeſtatibus derivata, ut *earinus*, *therinus*, *oporinus*; quamvis, quod ad τὸ *oporinus* attinet, anceps mora locum habere poteſt. Conf. ſupra *Adjectiva in inus*.

p. 247.

CITRINVM *oleum*, correpte: deſcendit enim ab re non ſenſitiva.

p. 248. inſerantur:

COLCOTHAR, vocabulum Arabicum Pharmaceuticum, producte efferendum, quia *Avicennae* vocatur *Kolkottar*. *Borrich.* Ling. Pharm.

Ad loc.

COLLINVS deleantur verba: *nam Adjectiva loci - - ſuum adficiunt.*

Locus: COLO ſic legatur:

COLO, *ere*, priorem brevem habet. Hinc eâdem morâ breviori efferenda ſunt compoſita: *Accŏlo*, *Circumcŏlo*, *Excŏlo*, *Incŏlo*, *Percŏlo*, *Praecŏlo*, *Recŏlo*. Sed

COLO, *colare* i. e. *liquorem per aliquod vas aut linteolum ſtillatim trajicere*, priorem longam habet. Hinc eadem morâ longiori efferenda ſunt Compoſita *Percōlo*, *Recōlo*.

Locus: COLOR ſic legatur:

COLOR, *coloris*, priorem in Nominativo corripit. Hinc correpte etiam pronuntianda compoſita: *Concŏlor*, *Bicŏlor*, *Verſicŏlor*, *Diſcŏlor*, *Decŏlor*, *Auricŏlor*, *Atricŏlor*.

* *Color ſumme rubens*, *Ponceau*.

p. 249.

Locus: COMA, ſic legatur:

COMA, *ae*, *Das Haar*, priorem corripit. Hinc corripienda etiam compoſita *Auricŏmus*, *anguicŏmus*, *flammicŏmus*, *ignicŏmus*, reliqua: quae tamen non niſi Poëtarum fere ſunt.

Inſerantur:

CONSTITVERE, *Infinitivus*, corripitur. Sed

CONSTITVERE pro *conſtituerunt*, producitur.

p. 251. inſerantur:

CORALINVS a *coralio*, herba lapidea, modulo breviori: deſcendit enim ab re non ſenſitiva. *Borrich.* L. Pharm.

CORYTVS, *ein Köcher*, producitur.

* Sagittas in corytum recondere, *die Pfeile in den Köcher ſtecken.*

p. 252. inſeratur:

CRATERVS, *i*, *nomen proprium*, per moram curtam.

* Fuit 1. *Statuarius et Pictor* ap. Plinium. 2. *Macedo ex convivis et amicis Alexandri M.* 3. *Medicus* ap. Ciceronem et Horatium.

p. 253. inſerantur:

CROCINVS à *croco*, correpte: deſcen-

deſcendit enim ab inanimato. Conf. ſupra *Adjectiva in inus.*

CVBĔBA, Indis *Cubab*, Avicennae *Kebaba*, rectius corripitur. Actuario et aliis Graecis recentioribus appellatur κύπεπερ, κόμμακερ, κόμβεβαρ et κίμβεβα.

Locus: CVCVMIS ſic legatur:

CVCV̆MIS vel CVCV̆MER, *eris*, *eine Gurke*, corripitur.

* Cucumeres ſale et aceto, admiſtis quibusdam aromatibus, macerati, *eingemachte Gurken.*

p. 254. inſerantur:

CVPRESSĬNVS a *cupreſſo arbore*, correpte.

CVRCV̄MA i. e. *cyperus Indica*, *Galgandt*, producte. Gr. [illegible]. *Borrich.* Ling. Pharm.

CVSCV̄TA, *vox Pharmaceutica*, producitur.

CYĂNI, *flores*, correpte. *Borrich.* L. Pharm.

CYCLĂMEN, *planta*, correpte.

CYCLAMĪNVS, *Erdapfel*, producte.

CYNOSBĂTVS, *Hagdorn*, *Hagbutte*, correpte.

CYPĒRVS, *Galgandt*, producte.

p. 257. inſerantur:

DEMĀDES, *Orator Athenienſis*, producitur: Sic Priſcianus praecipit L. 2. p. 584.

DEPENDĔRE, *dependĕrem*, cet. a *dependo*, corripitur. Sed

DEPENDĒRE, *dependērem*, cet. a *dependeo*, producitur.

p. 258. inſerantur:

DIACARTHĂMVM, *wilder Saffrau*, corripitur.

DIACHȲLON *emplaſtrum*, producitur.

DIAMŌRVM, *vocabulum Pharmaceuticum*, producitur: nam *moras*, der Maulbeerbaum, l. *morum* die Maulbeere, unde eſt, eâdem quantitate gaudet.

DIAPHOENĪCVM *electuarium*, producitur.

DIAPRV̄NVM producitur: nam prior in *prunum*, unde eſt, eamdem prae ſe fert quantitatem:

DIARRHŎDON *Abbatis*, corripitur: quia eſt a ῥόδον, roſa.

Nota: *Diarrhŏdon* non format Genitivum in *onis*, ut perperam in Pharmaceutice; ſed in *i*, ut *diarrhodi.*

DIASĒNA *Nicolai*, producitur.

DIASERĔOS *ſirupus*, corripitur.

DIATESSĂRON *theriaca*, corripitur.

Locus DIATRIBE ſic legatur:

DIATRĪBE, *es*, vel *Diatrība*, *ae*, i. e. *locus diſputationis* ſeu *ſchola*, et interdum *diſputatio ipſa* vel *erudita commentatio* ſeu *disquiſitio*, *eine gelehrte Ausführung*, *eine gelehrte Unterſuchung*, *ein kurzer Tractat*, modulo breviori. Neque enim deſcendit a Praeſ. τρίβω, quod priorem longam habet, ſed ab Aor. 2. quemadmodum et τρίβω; id, quod *Labbéus* in Analect. Proſod. et Theſ. Proſod. erudite dudum oſtendit.

p. 259. inſerantur:

DICTV̄RIS a *dicturio*, corripitur: eſt enim verbum meditativum.

Occurrit apud Macrob. Saturn. l. 7. c. 2.

p. 260. inſeratur:

DIVES priori porrecta. Hinc porriguntur Compoſita: *Praedīves*, *Perdīves.*

p. 261. inſerantur:

DORONĪCVM corripitur: ut *ſantonĭcum*, *lingonĭcum*, *betonĭca*, cet. *Borrich.* L. Ph.

EĂDEM Nominativus Singularis Fem. Generis, et Nominativus atque Accuſativus pluralis Neutrius Generis, corripitur. Sed

EĀDEM Ablativus Singularis Feminini Generis, producitur.

EARĪNVS i. e. *vernus*, corripitur: Gr. ἐαρινὸς à τὸ ἔαρ, ος. Conf. ſupra *Adjectiva in inus.*

EBĔNVS, *i*, *ein Ebenbaum*, modulo concitatiori. Hinc *Ebĕni oleum*, in Pharmaceuticis.

p. 263.

v. 20. ſeq. pro *haud agnoſcere videtur* lege *haud agnoſcit.*

 Inſeran-

preſſam alteram Vocalem corripiunt. Vid. *Olai Borrichii* Parnaſſus in Nuce ad v. 947. Conf. ſuper *Alexandria*.

p. 286. inſeratur:

HYACINTHĬNVS, ab *hyacintho*, corripitur.

p. 287. inſerantur:

HYDROMĔLI corripitur.

HYOSCYĂMVS, *Bilſenkraut*, corripitur.

HYPERĪCVM l. *Hypericon*, *Johanniskraut*, producitur. *Borrich.* Ling. Pharmacop.

Perperam in officinis corripitur. Format etiam Genitivum *Hyperici*, ut ex Dioſcoride l. 3. c. 171. et 172. et Plin. l. 26. c. 8. diſcimus; non *hypericonis*, ut perperam officinae, quibus *oleum hypericonis* frequenter in ore eſt.

HYPERĪDES, *Orator Athenienſis*, corripitur.

p. 288. inſeratur:

IALĀPA incertae pronuntiationis eſt, niſi quod tutius videatur produci, quia mercatores haud dubie more gentis, unde ad nos haec deportatur, *giaiappam* duplicato PP. exprimere non dubitant.

IANTHĬNVS, *Violen-braun*, corripitur. Vide ſupra *Adjectiva in inus.*

IASMĬNVM *oleum*, corripitur ſecundum naturam Adjectivorum in *inus* ab inanimatis derivatarum. *Borrich.* Ling. Pharm.

p. 289. Locus IDEA ſic legatur:

IDĒA i. e. *forma rei mente concepta, inſita in animo rei informatio*, producte pronuntiamus vi Accentus Graeci etc.

Inſerantur:

IMPENDĔRE, IMPENDĔREM ab *impendo*, corripitur. Sed

IMPENDĒRE, IMPENDĒREM ab *impendeo*, producitur.

p. 290.

v. 20. ſeqq. ita lege: Sed analogia, quae eſt in *lenĭtas*, quod a Supino *lenitum*, et quae eſt in *ſtabilĭtas*, quod a Supino *ſtabilitum*, et quae eſt in *impunitas*, quod a Supino *punitum*, et quae eſt in *largĭtas*, quod a Supino *largitum* ſimili modo eſſe poſſit, reclamat.

p. 291. inſerantur:

INTŬBVM, INTŬBVS fem. et INTŬBA Plural. it. INTŸBVS per Y, *Endivien*, corripitur.

INVEHĔRE, Infinitivus, corripitur. At

INVEHĒRE pro *inveheris*, ſecunda Sing. Fut. Paſſivi, porrigitur. Ita ſemper differunt haec in Conjugatione tertia. v. g. *dicĕre* et *dicēre*, *tribuĕre* et *tribuēre*, cet.

v. 6. ſubjice: *Jordanes* Grammatici non niſi producte efferri jubent vi analogiae, quae eſt in ſimilibus.

v. ult. ſic legatur: corripitur ob accentum Graecorum vulgarem; producitur autem vi accentus Proſodici. Gr. Ἴωνες.

p. 292. Locus ITAQVE ſic legatur:

ITĂQVE quum tonum habet in prima ſyllaba, ſignificat *ergo* vel *igitur*. Sed

ITĀQVE quum gemina eſt dictio, tonum habet in medio, ſignificatque *et ita*. *Godeſcalcus* p. 677. Conf. *Heumanni* Poeciles Tom. 2. pag. 365. ſeqq. ubi de hac particula ex inſtituto agitur.

p. 293. inſerantur:

IVIVBAE i. e. *zizȳpha* (med. correpta) *Rothe Brunbeeren*, producitur. *Borrich.* Ling. Pharmac.

IVLĒPVS producitur. *Borrich.* Ling. Pharm.

p. 294. Locus LADANVM ſic legatur:

LADĂNVM, *i*, *gummi odoratum, quod ex frutice in Cypro colligitur*, dubii moduli. *Borrich.* Ling. Pharm.

p. 295. inſerantur:

LATĔRE Ablativus a *later*, *eris*, *der Ziegelſtein*, corripitur. Sed

LATĒRE Infinitivus a *lateo*, *ui*, *itum*, *ere*, producitur.

Locus LATRO ſic legatur:

LATRO, *are*, priorem corripit. Hinc

Hinc etiam corripiuntur Compoſita *Allātro*, *Conlātro*, *Elātro*, *Illātro*, *Oblātro*.

* Vt plurimum quidem apud veteres Poëtas verbum *latro* ratione ſyllabae prioris producte effertur: ſed quod id fiat propter ſequentem mutam cum liquida R, et vocalis in hac ſyllaba a natura brevis ſit, abunde docet Phaedri fab. 10. lib. 5, ubi v. 7. haec occurrunt:

Canem objurgabat. Cui ſenex contra latrans.

In verſus autem Jambici Senarii regione ſexta non niſi Jambus habere locum poteſt.

Inſerantur:

LAVDĀNVM *opiatum*, producitur. *Borrich.*

LAZVLI lapis, producitur. *Borrich.*

p. 296. Locus LECYTHVS ſic legatur:

LECȲTHVS, *i*, ampulla olei, *ein Oel-Krug*, *ein Schmier-Eimer*, corripitur: hac enim effertur morâ ab Homero Odyſſ. teſte *Deſpauterio*. Sunt interim, qui porrigunt: at qua auctoritate id faciant, hoc vero ſcio una cum ignariſſimis.

Inſerantur:

LEGĔRE Infinitivus, corripitur. Sed

LEGĒRE tertia Perſ. Plur. pro *legerunt*, producitur.

p. 297. inſeratur:

LEVISTĬCVM recentioribus, Galeno λιβυστικὸν, Dioſcoridi λιγυστικὸν, *herba in montibus Liguriae naſcens*, modulo concitatiori.

p. 301. inſeratur:

LYSIMACHĬA, *urbs* et *planta*, rectius corripitur. Pro *herbâ* etiam produci poſſit. *Borrich.* Ling. Pharm. Conf. ſupra *Alexandria.*

v. 18. Pro *producitur* l. *corripitur.*

p. 302. inſeratur:

MARCHASĪTA, *materia metallica impura varii generis*, producte.

p. 303. inſerantur:

MASTACHĪNA *aqua vitae*, corripitur.

MASTĬCHIS a *maſtix*, quae *gummi aliquod notum* ſignificat; it. in Nomin. *Maſtĭche*, *es*, corripitur. *Borrich.*

Verpaeo obſervatum eſt, *maſtix*, *ĭchis*, pro *gummi noto*, raro eruditribus uſurpari, frequenter *maſtiche*, *es*. Sed

MASTĪGIS a *maſtix*, pro *ſcutica*, *eine Peitſche*, *eine Geiſſel*, producitur: vid. Poët. Gieſſ.

Locus MEDIOCRIS ſic legatur:

MEDIŎCRIS corripiendum volunt ſagaciores: vulgo alii producunt.

* Corripi jubent Poëticae Gieſſenae auctores p. 8, *Ricciolus* in Proſod. Reform. *Robertus Stephanus* in Theſ. *Friſius*, alii. Ricciolo analogia patrocinatur, quae O in derivatis corripit, ut in *ſomnolentus*, *violentus*, et alias vocales, quae terminationem is praecedunt ut in *alacris*, *voluceris*. Poëtarum auctoritas heic fruſtra requiritur, quum quattuor ſyllabarum brevium vocem non facile capiat verſus. V. *Henſing.* Obſerv. Antib.

In metro tamen ſine dubio etiam producitur, quum ſequatur muta cum liquida R.

v. 51. Pro *producitur* lege *corripitur*. Gr. enim dicitur Μελίβοιος.

MELILŌTOS, l. *Melilōtus*, Germ. *Steinklee*, producitur: Gr. μελίλωτος.

p. 304.

v. 3. Pro MELŌNIS l. MELŎNIS.

v. 4. Pro *producitur* l. *corripitur*. Gr. Μήλωνος.

p. 305. ad loc.

MIGRO v. 1. Pro —— *producit* l. *corripit*.

v. 2. ſeqq. lege ſic: Quare corripienda eſſent: *Admĭgro*, *Commĭgro*, *Demĭgro*, *Emĭgro*, *Inmĭgro*, *Praemĭgro*, *Remĭgro*, *Semĭgro*, *Tranſmĭgro*.

In metro produci etiam poſſunt ob ſequentem mutam cum liquida R.

Priorem in *migro* Virgilius, Horatius, Ovidius, ſemper, quod quidem ſciam, produxit. Interim non tantum Manilius eam corripuit L. 3. v. 79. quem verſum Smetius ad teſtimonium citat, verum etiam Plautus Trin. 3, 2, 13. Terentius Hecyr.

cyr. 3, 8, 13. et in compoſito *Demĭgro* Plautus Amph. 1, 1, 84. in *Remĭgro* autem Lucretius L. 2. v. 964:

Inque locum quando remigrant, ſit blanda voluptas.

p. 308. inſerantur:

MVLIĔBRIS ſagaciores hodie corripiunt: alii vulgo producunt.

* Poſitione quidem ancipitem habet penultimam, naturâ vero tantum brevem. Vnde extra carmen *muliĕbris*, penultima brevi, dicendum: quia eſt a *mulieris*. Sic *funebris*, *lugubris*, *celebris*. *Salūbris*, quod producitur, huc non pertinet: nam eſt a *ſalus*, *ſalutis*.

MVRRHĬNVS i. e. *ex murrha factus*, modulo breviori.

p. 309. ſeqq.

v. 26. Pro *corripitur* lege *producitur*.

NARCISSĬNVS correpte. Vid. ſupra *Adjectiva in inus*.

Locus NATRICIS ſic legatur:

NATRĬCIS a *natrix*, *eine Natter*, *eine Waſſerſchlange*, morâ brevi: nam haec quantitas pro verâ et legitimâ vulgo habetur propter auctoritatem Lucilii, ita canentis:

Si natibus natricem impreſſit magnum et capitatum:

quae tamen lectio ſi, Jani Douſae patris judicio, mendoſa eſt, et ita reſtitui debet:

Natricem impreſſit natibus magnum et capitatum;

producendum utique erit, quod huc usque ab eruditis habitum eſt pro corripiendo. Suffragatur morae huic longiori analogia: nam ſicut a *natando*, *natatrix*, Gen. *natatrīcis*; ſic a *nando*, *natrix*, Gen. *natrīcis*. Conf. ſupra *Appendicis*.

NERĪTAE, conchae, producitur. Gr. νηρῖται.

p. 310. inſeratur:

NERVĪNVS, morâ longâ. Sic Borrichio videtur in Lingua Pharmacopoeorum, quod, ut ille ait, a re animata derivetur. Alii hoc non concedunt.

p. 311. inſerantur:

NITĔRE Imperativus a *nitor*, *niſus* et *nixus ſum*, *niti*, corripitur. Sed

NITĒRE Infinitivus a *niteo*, producitur.

p. 315. inſerantur:

OCĬMVM, *ocĭmus*, pabuli genus, corripitur: Gr. ὤκιμον. Perperam ſcribitur per Y. *ocymum*, *ocymus*.

OENŌTRI, *ex Arcadia profecti*, *qui inferiorem Italiae partem occuparunt*, morâ protractiori; Gr. Οἰνωτροί.

† Nec obſtat Virgilius l. 1. Aen. v. 536. ita hexametrum inchoans: *Oenotrii coluere viri*; ubi antepenultima omnino brevis videtur eſſe: per ſynizeſin enim binae vocales ultimae in ſcanſione contrahuntur.

OESȲPVM l. *Oeſȳpus*, i. e. *ſordes adhaerentes lanis ſuccidis*, corripitur.

OLEAGĬNVS, *ex arbore olea*, corripitur.

p. 317. inſerantur:

OPOPĂNAX i. e. *ſuccus herbae panacis* (mediâ curtâ) Germ. *Heilwurzſaft*, corripitur.

OPORĬNVS, *nomen proprium*, et, appellative ſumtum, idem, quod *autumnalis*, morâ ancipiti, uſitatius et rectius longâ. Vid. ſupra *Adjectiva in inus*, et quidem ea, quae Borrichius diſputat contra Vrſinum.

ORCHOMĔNVS, *i*, corripitur.

* Nomen 1. *Fluvii Theſſaliae*. 2. *Oppidi Boeotiae*, ad ſui nominis fluvium ſiti, aliâs *Orchomenum* genere neutro. 3. *Oppidi Arcadiae*. 4. *Oppidi Euboeae*.

ORĬCVM, *oppidum Epiri*, *cujus multa mentio in bello civili*, *quod geſtum inter Pompejum et Caeſarem eſt*, corripitur. Horat. L. 3. od. 7. v. 5.

ORŎBVS, *i*, *Hederich*, corriptur: Gr. ὄροβος.

p. 319. Locus PAEDOTRIBA ſic legatur:

PAEDOTRĬBA i. e. *qui pueros exercet*, *gymnaſii magiſter*, morâ brevi.

* Vulgo

* Vulgo quidem producitur, et verbum τρίβω, *tero, tundo, quotidianis laboribus exerceo*, unde eſt, hanc moram habet et infert: accedit accentus Graecorum vulgaris, quo dicunt παιδοτρίβης. Sed corripiendum tamen eſt: nam et alia derivata a τρίβω, ut τριβή, τρίβος, τριβάς, priorem brevem habent, quum formentur ab Aor. 2. vel potius Fut. 2. cujus vocalis ſecunda corripitur: id, quod *Labbéus* in Analect. Proſod. et Theſauro Proſodico erudite jam oſtendit.

p. 321. Locus PANTHEON ſic legatur:

PANTHĔON vel *Panthĕum*, corripitur. Gr. πάνθεον.

* Ex analogia aliarum vocum, quae in *eum* deſinunt, et morâ longiori efferuntur, vulgo, *Panthēum* dicunt, acuendo penultimam.

Eſt *templum Romae in forma rotunda Jovi et omnibus dis olim ab Arippa, Auguſti Imp. genero, ſacratum, hodie S. Mariae et omnibus Sanctis a Bonifacio IV. Pontif. dedicatum*, S Maria Rotunda ac Panagium *proinde dictum*.

p. 322. Locus PARASCEVE ſic legatur:

PARASCĔVE, *es*, i. e. *praeparatio*, v. g. *Dies paraſceves, der ſtille Freytag, der Char-Freytag*, modo concitatiori eruditi efferunt; tametſi enim in Graeco diphthongus ευ occurrat; hanc tamen per diaereſin diſſolvunt, et τὸ υ vertunt in conſonam, ut Latinis auribus accommodatius pronuncietur. *Cl. Heuſingero* obſ. antib. 376 id barbarum videtur, urgens diphthongum, quae in Graeco eſt: ad ejus igitur mentem pronuntiandum ſit părăſcēvē: cujus in ſententiam qui velint, ire eant; per me licet: ſapientioribus me ſemper adgregavero.

Locus PARIETINVS ſic legatur:

PARIETĪNVS, *a, um, was zur Wand gehöret*; it. PARIETĪNA, *ae*, Subſt. i. e. *paries vetuſtus eſt conſidens, eine alte verfallene Wand*, corripiuntur. Videatur *Olei Borrichii* Parnaſſus in nuce ad v. 876. et Ind.

* Quo auctore hoc nomen in Singulari Numero commendetur, fateor me ignorare. *Parietinarum* et *in parietinis* me legere memini; non item *parietinus*.

† *Samuel Gloverus* Proſodiae P. 1. p. 68. retulit etc.

p. 323.

v. 10. ſubjice: uſitate; rectius forte, produci poſſit.

v. 14. ſubjice poſt voc. *teſtantur*: Lexica quidem conſentiunt, haec vocabula corripi: ſi auctoritas requiratur, ſaec. XV vetuſtiorem haud facile reperias. Merito igitur haec quantitas ſuſpecta eſt non tantum Gieſſenſibus, ſed et Verrepaeo et Ricciolo: quod *paſtinaca*, quae inde dicta videtur Turnebo, Voſſio & aliis, ſecundâ longâ legitur apud Aemilium Macrum; cujus auctoritas etſi levior eſt, valere tamen poteſt, ubi majore non refellitur. *Heuſ*. Obſ. 376.

p. 325. Locus PENTAGONVM ſic legatur:

PENTAGŌNVM producitur. Conf. infra *Polygonum*. Corripitur vulgo ad accentum Graecum.

p. 326. Locus PERICLES ſic legatur:

PERĪCLES *Ricciolus* corripi jubet ex analogia: in metro tamen produci etiam propter ſequentem mutam cum liquida L. poteſt.

* *Orator Athenienſium* etc.

Inſeratur:

PERICLYMĔNVM, *herba, quam vulgo* Matriſilvam *dicunt*. Germ. *Geiſsblatt*, corripitur.

p. 327. inſeratur:

PETASĪTES, *herba*, Germ. *Peſtilenzkraut*, morâ longâ.

p. 328. inſeratur:

PEVCEDĂNVM l. *Peucedănus*, i. e. *foeniculum porcinum*, Germ. *Haarſtrang*, corripitur.

p. 330. inſeratur:

PHILOTĪMVS, *Ciceronis libertus*, modulo longiori: talis enim penultima in φιλότιμος eſt. Vulgaris Graecorum accentus, quo correpte pronunciatur, tum demum ſervari poteſt, ſi Graece loquaris.

p. 331. inſeratur:

PICTŎNES, *Galliae populi*, (in der Provinz Poitou im Gouvernement Orleans) corripitur.

p. 334.

p. 334. Locus POECILE ſic legatur:

POECĬLE, *es, nomen porticûs Athenis, variis Polygnoti, pictoris olim famigeratiſſimi, imaginibus et picturis decoratae*, corripitur: nam media in ποικίλος, unde eſt, hanc quantitatem habet.

Inſerantur:

POLYGŎNVM, *herba*, corripitur: Gr. πολύγονον. Ceteroquin dicitur *Polygonatum*, Gr. πολυγόνατον. Quamvis ſunt, qui inter hoc eſt illud diſtinguant.

* Nicander etiam producit; ſed neceſſitate metri coactus.

POLYGŌNVM, *quod multos angulos habet*, ac producitur; in Graeco enim eſt πολύγωνον. Rectius dicitur *Polygonium*, πολυγώνιον. Ita et τετραγώνιον, πενταγώνιον. Vulgo corripitur ut *Polygŏnum*, *Tetragŏnum*, cet. ex accentu Graeco, qui tamen non niſi in terminatione Graeca tolerandus videtur eſſe. Diſtinguendum eſt a

POLYGŎNVS, πολυγόνος, *fecundus*, correpte pronuntiando.

POMPHŎLYX, *ўgis*, utrobique corripitur.

* Notat *cinerem metallicum*, *naſcentem in ſummitatibus fornacum*.

Locus PORSENA legatur ſic:

PORSĒNA, *Rex olim Etruriae, Romam aliquando obſidens*, in proſa quidem rectius producitur; quia Gr. eſt Πορσήνας: quamlibet Poëtae, quoties N ſimplici ſcribunt, ſemper corripuiſſe videantur. Conf. *Porſenna*, ſupra in Parte Orthogr.

p. 345.

Verſui 35, poſt verba *in Juvenale novo Schrevelii*, ſubjiciantur haec: Atque hanc vocabuli hujus productionem unanimiter adſerunt *Scaliger, Ramireſius, Raderus, Farnabius, Labbeus, Gloverus, Cavallus*. Quin et ῥετίνη Graecorum i. e. *reſina*, penultimam producit. Quodſi autem Mantuanus et Fracaſtorius, magnus ille apud Italos Medicus ac Poëta, penultimam corripuerint, fecerint id invita antiquitate. Conf. *Taubmanni* Diſſert. de L. L. p. 119. *Poët. Gieſſ.* pag. 53. *Olai Borrichii* Parnaſſum in Nuce ad v. 1857. n. 14. it. Linguam Pharmac. *Voſſii* Ariſtarch. p. 300.

p. 346.

Ad loc. ROSMARINVS.

v. 11. adjice: *Ros marinum* autem ſat bonum auctorem habet Plinium l. 17. c. 13. et alibi. Nam et ſimplex ros aliquando Neutrum etiam Genus recepit. Marcellus Empiricus de Medicament. c. 8. p. 271 Steph. *Ros nocturnum colliges nitidiſſimum in prato*. Id. p. 273: *Ros matutinum*. Quod vero ſecundum caſum *rosmarini* probat, et ad Columellam auctorem referunt, miror; quum Columella l. 12. c. 36. non *rosmarini ſeſquilibram*, ſed *rorismarini ſexquilibram* ſcripſerit, itaque in Geſnerianis exemplaribus ſine ulla varietatis ſignificatione legatur. Citatur et Scribonius auctor, qui vero ex Stephani recenſione, compoſ. 268. *rorismarini foliorum ſextarium unum* habet, non *rosmarini*. Sequiores, et ab indoctis deſcriptos, Vegetium de mulor. medicina, l. 3. c. 68. Apuleium de viribus herbarum, Plinium Valerianum, quos Schwarzius in ſua Gr. Lat. p. 126 ſeq. comites prioribus adjungit, parum curamus, quum latine diſcendi leges ab iis non petantur. *Heuſ.* obſ. antib. 447.

p. 348. inſeratur:

SAGAPĒNVM, *ſuccus* l. *lacrimae plantae ferulaceae*, producitur. Graec. τὸ σαγάπηνον.

p. 350. inſerantur:

SAMPSȲCHVM, *Majoran*, producitur.

Locus SANDARACHA ſic legatur:

SANDARĂCHA l. *Sandarăca*, Germ. *Roſsgeel*, *Bergroth*, corripitur.

* Sanderacâ dilutâ imbuere, illinere, oblinere aliquid: it. Dilutam juniperi lacrimam inducere alicui; juniperinae gummis liturâ imbuere aliquid, *Laquiren*.

v. 12. ſeq. Deleantur haec verba: *quod vulgo* minium, Germ. Menning *vocant*.

Inſerantur:

SANTONĬCVM v. g. *Santonici ſemen*, corripitur.

SAPPHIRĬNVS, a *ſapphiro gemma*, corripitur: deſcendit enim ab re inanima. Conf. ſupra *Adjectiva in inus*.

p. 351. Locus SATRAPA ſic legatur:

SATRĂPA, *ae*, vel *Satrăpes*, *ae*, et *is*, *ein Landes-Hauptmann*, corripitur.

p. 352. inſerantur:

SCARIŎLA, *eine Art Endivien, Wintergrün*; ex analogia corripitur. *Borrich*. Ling. Pharm.

SCILLĬNVS, *Aus Meer-Zwiebeln gemacht*, correpte. *Borrich*. Ling. Pharmacop. infringit rationes, quibus vulgo producitur.

SCOLȲMVS, *Strobel-Dorn* oder *Artiſchocke*, corripitur.

SCORZONĒRA, vocabulum Pharmaceuticum, a *Scorzo*, vipera, vel a *Scorzone*, ſerpente, ex analogia producitur. *Borrich*. Ling. Pharm.

p. 353. inſeratur:

SECĀCVL, vox Arabum et officinarum, pro *ſiſaro* Dioſcoridis, producte. *Borrich*. Ling. Pharm.

Loc. SELIBRA legatur ſic:

SELĪBRA, *ein Halbpfund*, producitur: haec enim quantitas eſt in ſimplici *libra*.

p. 354. inſeratur:

SEMENTĪNVS, a *ſemente*, *was des Säens wegen angeſtellet wird*, corripitur. Vid. ſupra *Adjectiva in inus*.

* Locus Ovidii l. 1. Faſtorum, qui heic obvertitur, et eruditos induxit, ut vulgo producerent, in vitio cubat; ut oſtendit *Borrichius* in Lingua Pharm.

Locus SENONES ſic legatur:

SENŎNES, *um*, correpte. *Poſt. Gieſſ*. p. 39. *Voſſ*. Ariſtarch. 217.

* *Populi quondam Galliae Lugdunenſis ſ. Celticae, poſtea ſedem occupantes in Italia ad mare Adriaticum, qui Romam aliquando et Capitolium incenderunt; ſed a Camillo caeſi ſunt. Incolebant circa* SENONES, *urbem Campaniae*, (um Sans in Champagne.)

p. 355. Inſerantur:

SESĔLI, tum Maſſilienſe, tum Aethiopicum, tum Peloponneſiacum, *Steinklee*, corripitur.

* Dicitur et *ſeſĕlis*, *is*, gen. fem.

SIDERĪTIS, *ĭdis*, *herba curandis vulneribus inſerviens*, in Nominativo producitur, in Genitivo corripitur.

p. 357. inſerantur:

SMARAGDĬNVS, a *ſmaragdo gemmâ*, modulo breviori: deſcendit enim ab re inanimata.

SOLVĔRE *Infinitivus* a *ſolvo*, corripitur.

SOLVĒRE pro *ſolverunt*, producitur.

p. 359. inſerantur:

SPHAEROĪDES i. e. *ſchema globoſum, eine kugel-runde Form*, producte. Gr. σφαιροειδής.

STATĒRA, *ae*, i. e. *libra*, *die Wage*, producitur. *Alcuinus* male corripit. *Voſſ*. Ariſtarch. 228.

p. 360. inſerantur:

STICTĬCVM *emplaſtrum*, rectius *ſtypticum*, corripitur.

STOECHĂDIS a *ſtoechas*, *welſcher Lavendel*, correpte.

p. 361. inſeratur:

STYLOBĂTA l. *Stylobătes*, *ae*, i. e. *columnae pes*, *baſis*, *fundamentum*, *der Piedeſtal*, corripitur.

p. 363. inſerantur:

SVSĪNVS, *a*, *um*, morâ curtâ. Videri poteſt penultimam producere, ac ſi a nomine urbis *Suſa* deſcendat; ut *Tarentinus*, *Agrigentinus*, *Alexandrinus*, *Numantinus*, *Byzantinus*: at *ſuſinus* a τὸ σοῦσον, ου, lilium, derivatur; non a metropoli Perſarum. Contra metropolin illam a liliorum infinita copia circa urbem naſcente traxiſſe originem, auctor eſt Henr. Stephanus; et *ſuſa* vocem, vel Perſicam eſſe, vel Phoeniciam, atque lilia ſignificare, teſtantur alii.

SYM-

SYMPHȲTVM, *Walwurz*, corripitur.

SYMPLEGĂDES, *inſulae duo natantes contra Boſporum Thracium, quae et* Cyanĕae *dicuntur*, correpte. *Cyanĕae* itidem correpte pronuntiatur.

* Busbequius Ep. I. p. m. 78: *Voles fortaſſe hoc loco, ut tibi aliquid de natantibus inſulis* Cyaneis *ſive* Symplegadibus *referam. Ingenue fateor, me paucis iis horis, quibus ſum ibi verſatus, nullas inſulas Cyaneas: neſcio, an alio quopiam nunc defluxerint: cognoſcere potuiſſe.*

SYRŪPVS producte effertur.

TACAMAPHĀCA, *gummi*, vox Indica, producitur. *Borrich.*

p. 364. Loci ſubſequentes ſic legantur:

TALĬTRVM, *i, illiſio unguis in frontem*, Germ. *ein Klippchen an die Stirn mit dem Finger*, corripitur.

* In metro etiam produci poteſt, ob ſequentem mutam cum liquida R.

Sueton. Tib. c. 68: *Articulis ita firmis, ut caput pueri, vel etiam adoleſcentis, talitro vulneraret.* Dicunt etiam, *Talitro afficere naſum alicujus; einem einen Naſenſtüber geben.*

TANTĬDEM, *eben ſo viel* v. g. *Tantidem hoc emi; ich habe eben ſo viel dafür gegeben*, uſitate producitur: re vera autem anceps eſt, licet non niſi productionem agnoſcat *Giſanius.* Vid. *Voſſ.* Ariſtarch. l. 2. c. 20. p. m. 234.

TAPĒTIS a *tapes, ein Teppich*, porrecte.

* Dicunt et *Tapētum, i*, et *Tapete, is*, Neutrum. Notes heic locutiones: *Aulaeorum ſ. tapetium artifex, periſtromatum textor*, ein Tapetenmacher, Tapiſſier. *Aulaeum texere, pingere, fingere; Tapetem textili opere pingere*, Tapeten machen.

p. 366.

Loc. TETRAGONVM ſic legatur:

TETRAGŌNVM i. e. *quadrangulare* ſ. *quadratum, ein Viereck, ein Quadrat*, producitur: Gr. *τετράγωνον*. Auſonius tamen corripit. *Borrich.* Parnaſſo in Nuce ad v. 2219.

p. 367. inſerantur:

THALASSĪNVS i. e. *coloris ſubcoerulei, ad ſimilitudinem fluctuum marinorum*, morâ celeriori.

THEŎGNIS corripitur. In metro produci poteſt propter ſequentem mutam cum liquida N. Graeca vocabula, quale hoc eſt, etiam liquidas M et N hac in cauſſa admittunt.

THERĪNVS i. e. *aeſtivus*, correpte: Gr. *θερινὸς* a *τὸ θέρος, ους*, aeſtas, meſſis.

p. 368.

v. 4. pro TVBĬCEN l. TVBĬCEN

Inſeratur:

TIRIDĀTES, *is, nomen Regis Armeniae*, ex analogia producitur.

Loc. TICĪNVS ſic legatur:

TICĪNVS fluvius, et TICĪNVM oppidum, producitur. Philelphus tamen corripit, cujus hexameter in Torrentini Elucid. Poëtico ſic refertur:

Quosque pater Ticinus, nitidâ pellucidus undâ.

Ad loc.

TRACHEA. Fini ſubjice: Alii correptionem prioris vocabuli non admittunt, urgentes utrobique diphthongum, qui quidem faciunt rectius.

p. 369. inſeratur:

TRĀNSFRĒTO, *are*, corripitur: prior enim in *fretum*, unde eſt, hanc celerem moram habet.

p. 370. Locus TRIGONVS ſic legatur:

TRIGŌNVS i. e. *triangulus*, Germ. *Dreyeckigt*, producitur. Gr. *τρίγωνος*. Vulgo tamen corripitur ex accentu Graeco, qui tamen non niſi tunc locum habere poteſt, quum Graeca terminatione vocabulum profertur. *Poët. Gieſſ.* p. 89. *Ol. Borrich.* Parnaſſ. in Nuce ad v. 3211.

Locum TRIQVETRVS ſic lege:

TRIQVĔTRVS, *a, um*, v. g. *Sicilia triquetra*, a tribus promontoriis, it. Subſtantive TRIQVĔTRVM i. e. *τρίγωνον, triangulam formam habens*, corripitur auctore Lucretio L. I. v. 717. Vnde videtur eſſe à *quater*, non a *quattuor*, quod contra totius antiquitatis ſuffra-

ſuffragium hodie ſcribitur *quatuor* uno T, et primam inſuper ſemper producit; nullum ſaltem indubitatum correptionis ſyllabae hujus exemplum proſtat.

In metro etiam poteſt produci propter ſequentem mutam cum liquida R.

p. 371. inſeratur:

TRYPHĔRA, *Perſica, Saracenica, Nicolai,* correpte. Gr. τρυφερὸς, ὰ, ὸν, a τρυφὴ, deliciae.

* Compoſitiones hae ideo τρυφεραὶ ſ. delicatae appellantur, quod totius corporis oriſque colorem odoremque commendent, et nativum membris ſuccum reſtituant.

p. 372. inſeratur:

TYRIANTHĬNUS i. e. *violaceus* ſ. *purpureus*, à flore Tyrio, qui purpurei eſt coloris, modulo breviori. Vid. ſupra *Adjectiva in inus.*

p. 375. Hi loci bini ſubſequentes ſic legantur:

VERBA MEDITATIVA vel DESIDERATIVA in *urio*, antepenultimam corripiunt omnia, ut: *Abitŭris* ab *abiturio*, *Cacatŭris* a *cacaturio*, *Coenatŭris* a *coenaturio*, *Dictŭris* a *dicturio*, *Dormitŭris* a *dormiturio*, *Eſŭris* ab *eſurio*, *Habitŭris* ab *habiturio*, *Lectŭris* a *lecturio*, *Mictŭris* a *micturio*, *Partŭris* a *parturio*, *Scalptŭris* a *ſcalpturio*, *Scriptŭris* a *ſcripturio*, *Syllatŭris* a *ſyllaturio* i. e. Syllam imitari cupio. Sed *Ligūris* ab *ligurio*, *Abligūris* ab *abligurio*, *Scatūris* a *ſcaturio*, *Cucūris* a *cucurio* i. e. *galli gallinacei vocem edo*, non ſunt Meditativa, ideoque penultimam ſuam producunt. *Ol. Borrichius* Parnaſſo in Nuce ad v. 1162. n. 16. Confer ſupra *Scalpturis*.

VERTĂGUS, *canis, qui in venatione ſe cito vertit et feras agitat*; it. *qui ſponte venatur et praedam domum refert*, Germ. *ein Jagdhund, ein Windhund*, correpte: eſt enim ex *verto* et *ago*: quod poſterius ſyllabam ſuam priorem corripit.

p. 376. inſerantur:

VIDĔRIS tertia perſona ſing. Praeteriti, a *video*, corripitur. Sed

VIDĒRIS ſecunda ſing. Praeſ. Paſſivi, a *videor*, producitur.

p. 377. inſeratur:

VITRIŎLUM, corripitur.

p. 378. Locus VOMICA ſic legatur:

VOMĬCA, *ae*, *ein Geſchwür*, corripitur: quamvis Serenus producit. *Voſſ.* Art. Gr. 303.

p. 380. inſerantur:

ZIBĔBAE, vox officinarum, correpte pronuntietur propter analogiam, quae eſt in *cubebae*.

* Avicenna *Zebib* appellat: unde non defuturi forſan, qui accentum intuiti penultimam producent. Nec admodum repugnabimus. Quia tamen in terminationem Latinam tranſit haec vox, potior videtur analogiae modo allatae ratio.

ZIBĔTHUM, Scaligero *Zibeth*, pro *excremento illo peculiari et fragrante Hyaenae odoriferae*, producitur. *Borrich.* Ling. Pharm.

ZIZŸPHA, *rothe Bruſtbeeren*, corripitur apud *Cavallum. Borrich.*

p. 381.

Ad not. f. Apud Poëtas interdum etiam hominibus tribuitur. *Barthius* etiam ad Statii Papinii Lib. 4. Thebaid. p. 800. complura exempla adfert, quibus probatum it, *armos*, quoties homini tribuantur, denotare *humeros et brachia* ſimul.

p. 383.

Verſui primo ſubjungatur et hic verſiculus diacriticus:

Căſeus eſt nequam: *cāſa cāſu* ſaepe fatiſcit.

p. 387.

Verſui ſexto ſubjungatur etiam hic verſiculus mnemonicus, qui cum binis proxime praecedentibus cohaeret:

Praeſertim ſenio confectus quando *lābaſcit*.

In notis Col. 1. v. 3. ſubjungatur:

* Lăcteo, *ich ſauge*; Lāctō, *ich ſäuge*.

p. 395.

Ad not. b. Abutitur tamen Florus l. 4. c. 2. n. 90. hoc vocabulo, et *patrueles* appellat, quos proprie debuiſſet vocare *conſobrinos*, *Mares ex duobus fratribus nati*, proprie vocantur *fratres patrueles*; *feminae ex duobus fratribus natae*, proprie vocantur *ſorores patrueles*, Germ. *Gebrüder-Kinder*.

Ad

Ad not. c. Sic et femellae ex duabus ſuroribus natae, nuncupantur *conſobrinae*. *Conſobrinorum* etiam vocabulum cet.

p. 396.

Ad not. d. *Amitini* vocantur etiam in Pandectis et apud Aurel. Victorem *matrules*; et ap. Cornelium Dutam. cap. 2. n. 3. *qui ex fratre et ſorore nati ſunt*.

Ad verſiculum 12. et quidem ad voc. *Fratria* apponatur litt. e. et ſub eâdem litterâ ad notarum calcem haec nota ſubjungatur:

Ita etiam *ſororis maritus*, vocatur *ſororius*.

AD PARTEM ETYMOLOGICAM.

SECTIO I.

p. 401. Locus ABBAS ſic legatur:

ABBAS et ABBATISSA Syrorum quidem, ſed eccleſiaſticum tamen, et in conſueto titulorum uſu haud repudiandum eſt, niſi vitae negotiali atque exercitae addictis nauſeam movere velis: in ipſo autem ſermonis contextu interdum dixeris magis Latine, *Coenobii Antiſtes; Praefectus hominum religioſorum; Antiſtes eorum, qui ſacris monaſterii legibus continentur:* item *Dux et rectrix virginum Deo ſacrarum; quae ceteris virginibus ſacris ſeu Deo ſacratis praeſt; Antiſtes* l. *Antiſtita ſacrarum virginum; dicatarum Deo virginum maxima; aſceterio virginum praefecta. Voſſ.* de vit. 26. *Borrich.* Analect. 61. *Cell.* C. P. 346. *Borrich.* Cogit. de L. L. aetat. 25. *Goclen.* Obſerv. 27. Bembus *Abbatem* mavult nuncupare *Magiſtrum ſacrae ſocietatis, Collegii Sacerdotem;* quem ſequitur *Angelus Rocca Camerinus* de Venuſtate Lat. ſerm. p. 420: quae tamen nomenclaturae latius patent, quam ut id, quod debebant, exprimere poſſint.

* In Gallia *Abbatis* nomine etiam inſigniuntur, *qui nigro aut violaceo incedunt veſtitu et collare geſtant, licet conſuetam tonſuram non dum, ut ajunt, acceperint.* Iidem fere ſunt, qui apud nos *Miniſterii Candidati* dicuntur.

p. 402. inſeratur:

ABITVRIENS valde ab eruditis frequentatur, quaſi ſit a verbo deſiderativo *abiturio*, quod tamen una cum Participio illo fruſtra in Latio quaeras: dic, *abitum parans; qui in eo eſt, ut proxime abeat; ſarcinas jam aptans itineri; qui abitum molitur*, cet.

p. 403. inſeratur:

ABOMINOSVS apud Diomedem Grammaticum l. 3. reperitur: dic, *abominandus, deteſtabilis.*

Locus ABORTIO ſic legatur:

ABORTIO, *abortire*, tribuitur Plinio Lib. 8. cap. 51; ſed, teſte *Harduino*, non ſine mendae ſuſpicione, conſenſu MSS. librorum. *Calepinus* quidem citat id ex Columellae L. 7. c. 6: ſed corrupte locum adducit. Nam Columellae verba haec ſunt: *Nec tamen ea ſola creant abortus, ſed etiam glans, quum citra ſatietatem data eſt.* Pro eo Varro de R. R. L. 2. c. 4. dixit *aborto, abortare;* et Plinius Major *abortum pati:* quamvis *abortare* fere fiat praeter voluntatem; *abortum pati* autem cum ſcelere conjunctum ſit.

* *Abortum facere*, notat modo tranſitive, modo intranſitive.

1. Tranſitive pro *abortum abigere, abortum inferre*. Plin. Maj. L. 21. c. 18: *Feminis quidem abortus facere non dubitat.*

2. Intranſitive pro *abortum pati*. Plin. Iun. ep. *Quo magis cupis ex nobis pronepotes videre, hoc triſtior audies, neptem tuam abortum feciſſe.*

Loco: ABSOLVTVS cet. ſubjungatur:

* *Abſolutus* bonae ſane notae eſt; ſed ſignificat

1. Idem

1. Idem, quod *perfectus* v. g. *Hoc omnibus numeris abſolutum eſt.*

2. *Iudicio dimiſſus et liberatus.* v. g. *Capitis abſolutus eſt.* Corn. *Omnium ſententiis abſolutus eſt*, Corn. Plin.

Abſolutiſſimus i. e. perfectiſſimus, rejicitur à Rob. Conſtantino Suppl. L. L. perperam: eſt enim Plinii L. 1. ep. 6.

p. 404.

v. 56. poſt *incomitatus* adde *indiſcretus.*

p. 405.

v. 29. adde haec: *Curator cenſus verum venalium*, der Accis-Einnehmer.

p. 406.

v. 45. deleantur verba: Conf. infra *Adjacentiae.*

p. 407.

v. 2. ſubjiciantur:

Perperam ergo dicitur *Ad invicem verberant*: pro quo dicendum eſt *Se invicem verberant*, *Inter ſe verberant.*

Inſeratur:

ADIVNCTVS Subſtantive pro *eo, qui ad munus obeundum alicui adjunctus eſt* perperam.

Adjective autem ſumtum ſat belle ſe habet v. g. *partes adjunctae.*

p. 408.

v. 24. adde haec: Salluſt. B. Cat. c. 59: *Propter aquilam adſiſtit, er ſteht hart bey der Fahne.*

p. 409.

Poſt v. 19:

Aequanimis occurrit in veteri Onomaſtico; *Aequanimus* eſt Auſonii; *Aequanimitas* ipſius Terentii.

p. 410.

v. 51. poſt voc. *adſcitus* inſeratur: *nimius comitatis affectator; in officii ac ſtudii teſtificatione nimius.*

p. 412.

v. 3. addatur: vel paullo enucleatius, *Curator negotiorum Reipublicae vel Principis in aula vel urbe quadam certa; Curator negotiorum Principalium extraneus, Curator negotiorum privatus, iſque civis,* Agent von Haus aus.

Locus AGON ſic legatur:

AGON, AGONIA, AGONIZARE uſurpant ſcriptores Eccleſiaſtici, quum de *mortis luctamine* loquuntur: rectius, *certamen moribundi; cogitationum in moribundo conflictus;* it. *animam agere, extremum ſpiritum agere, ducere, trahere.* *Voſſ.* de vit. 366. *Goll.* Antib. 262. C. P. 346.

Nolt. Suppl.

Vocabulum *agonis*, ἀγῶνος, et *agoniae*, ἀγωνίας, apud Graecos, unde originem habet, varia ſignificat. Vel enim

1. Denotat *locum luctae* vel *luctam ipſam.* Speciatim non apud Graecos ſolum, ſed etiam deinceps apud Latinos, voce praeſertim ἀγῶνος, frequentiſſime appellantur *certamina ludicra*, ut erant apud Graecos *Pythia*, *Olympia*; apud Romanos *Capitolinum Albanumque certamen*, quae Domitianus inſtituit, committendis varii generis artificibus; de quibus Suetonius in ejus vitâ cap. 4: quales erant *agones* quoque *Muſici*, quos idem in Nerone cap. 22 et ſeq. commemorat. Atque haec ipſa vox denotat interdum etiam *contentionem et pugnam in orationibus* ſive *diſceptationem rerum controverſarum.* Vide *Buchnerum* ad Plinii L. 5. ep. 8. n. 143.

2. Sumitur etiam interdum utraque vox pro *inſigni animi perturbatione, quae qualis ſit, difficile eſt dictu, neque Latine una voce exprimi poteſt, niſi forſan* angorem *dixeris.* Hac ſignificatione Ariſtoteles uſus eſt in Problem. Sect. 2. Probl. 26. ubi quaerit: Διά τι οἱ ἀγωνιῶντες τοὺς πόδας ἱδροῦσι, τὸ πρόσωπον δὲ οὔ; *Cur ii, qui anguntur animo, pedibus ſudant, non facie?* Vbi per ἀγωνιῶντες omnino intelligi debent, *qui in ſummo angore ſunt conſtituti.* Affectum animi eſſe ἀγωνίαν, dubio caret. Non nulli cum *metu* eumdem eſſe volunt: ſed rectius, a metu illum eſſe diverſum, cum Ariſtotele Theophraſtus docet, et medio inter metum et ſpem, vel etiam inter metum et iram loco eum ponit. Sunt vero duo maxime contrarii affectus, *metus* ſcilicet, quo aliquid fugimus, et *irâ*, qua aliquid appetimus. *Agon* igitur eſt medius inter vehementem appetitum rei et metum. Hinc fit, ut non nulli rem arduam adgreſſuri cum magno id faciant angore: qui etſi metum non ſemper habet comitem; conjunctus tamen eſt cum inſigni mentis concitatione. *Agon* itaque eſt *ardor aliquid agendi, cum magna triſtitia conjunctus, qui quidem id non vellet per ſe, quando vero agi neceſſe eſt, cum animi ardore rem adgreditur.* Ita legimus in vita Georgii Caſtriotae ſeu Scanderbegi, eum, cum hoſte congreſſurum, tanto ardore fuiſſe concitatum, ut ſanguis ex labiis erumperet: maluiſſet enim non pugnare; nec erat cupidus belli:

interim quum ab hoſtibus urgeretur, pro gloria nominis Chriſtiani et ſalute publica confidenter pericula quaevis eſt adgreſſus.

3. Quatenus *agonia* denotaverit *hoſtiam* ſ. *victimam*; exoletorum nomine venire mihi quidem videtur.

p. 414.

v. 10. addantur: *Alternis vicibus magiſtratum gerunt, Alternis annis in magiſtratu ſunt*, ſie alterniren mit einander in der Regierung; ſie fuhren die Regirung alternative.

* Verbum *alternare* bonae notae eſt v. g. *Alternare vices ſedendi et dicendi ſuffragia.*

ALTISSIMVS pro *Summo Dei numine*, non ad indolem linguae dicitur.

Locus AMIRALIVS ſic legatur:

AMIRALIVS, vel, ut uſitatius dicunt, ADMIRALIVS barbarum ex medio aevo: dic, *Praefectus claſſis; Thalaſſiarcha; qui claſſi praeeſt; Imperator belli navalis; Praetor militiae navalis.*

† Quodſi barbarum placet, origo potius *Amiralius* exigat. Omnino enim eſt ab Arabico *emir* ſeu *amira*: quod *dominum* ſignat. Ortum quippe hoc nominis multis videtur eſſe eo tempore, quo Maris Mediterranei principes fuere Saraceni, Arabice loquuti. Sunt interim etiam, qui dicunt, recentius hoc vocabulum eſſe, et inditum primitus Chriſtophoro Columbo, utpote quem primum, de invento novo orbe nuntio allato, Ferdinandus Catholicus vocaſſet *un Admirant-homme. Voſſius* de vit. L. 2. c. 2. *Praefectum maris* nuncupare Latine mavult: de cujus tamen ῥήσεως auctoritate et ratione idonea nobis non liquet: niſi quod eâ uſum video *Busbequium* Ep. 3. p. m. 332. *Vorſt.* de Lat. mer. ſuſp. 7.

* *Supremus claſſium Praefectus*, it. *Supremus militiae navalis Dux*, ein Admiral-General. *Summus rei navalis ac militiae maritimae Senatus*, die Admiralität. *Navis Praetoria*, das Admiral-Schiff. *Pro-Praetor navalis*, ein Vice-Admiral. *Praefectus vigiliarum claſſis*, ein Contre-Admiral, Schout by nacht. *Concilium claſſicum; Summus militiae et rei navalis Senatus; Rei maritimae et navalis Curatores; Claſſis et rei maritimae principes*, das Admiral[illegible]-Collegium. *Praefecti rei navalis Regii*, die königliche Admiralität, Corn. Nep. *Summi Venetorum claſſis Praefecti ſ. Thalaſſiarchae Vicarius*, Proveditore Generale di Mare.

p. 419. ad loc.

ANGVLVS v. 20. ſeqq. ſic lege: Atque hinc recte ſeſe πολυθρύλλητον iſtud ex Bernhardi Homil. in Pſalm 91. hauſtum: *In quovis angulo reverentiam exhibe tuo angelo, nec illo praeſente facias, quod me praeſente erubeſceres.* Elegans ſane luſus verborum! malim tamen pro *reverentiam exhibe* l. ut alii proferunt, *habe*, dicere *reverentiam praeſta*.

v. 27. ſeq. Pro *reverentiam habere alicui*, lege *reverentiam exhibere* l. *habere*.

p. 421.

v. 48. Pro *ſuſpectum* lege *Cyprianus L. 1. ep. 3. p. 11:* dic cum veteribus, *deceſſor*.

p. 422. Loci bini ſubſequentes ſic legantur:

APANAGIVM vocabulum juris publici, ex aevo medio: Latine dixeris, *pars bonorum, quae uni vel pluribus Summorum Principum liberis* vel *propinquis ea lege attribuitur, ut a reliquo patrimonio excludantur*; it. *Annui reditus minoribus natu Principum filiis propter jus primogeniti conſtituta*; it. *Bona* vel *pecuniae alendis liberis Principum ſecundo genitis deſtinatae; Redituum portio*, ſeu *portio alimentaria Principibus privatis adſignata: Principes* enim *privati* Salluſtio Bello Jug. c. 5. ſunt, qui barbare vocantur hodie *Apanagiati* l. *Apennagiati*, abgefundene Herren, nicht regierende Herren.

APOSTATA, APOSTATICVS, APOSTATARE vocabula Eccleſiaſtica: Latine dixeris, *deſertor veri* l. *purioris cultus divini; deſertor puriorum ſacrorum*: it. *Renunciare* l. *nuntium mittere* ſ. *remittere vero Dei cultui; patria ejurare ſacra; deficere a fide Deo data; relicto vero Deo ad falſae religionis cultum ſe conferre; avitum eumque verum religionis cultum deſerere; Deo et ſacris ejus legitimis renuntiare; agnitae veritati repudium mittere. Voſſ.* de vit. 679. *Coll.* C. P. 290.

* Verbo

* Verbo *apoſtatare* uſus in primis eſt Cyprianus Ep. 54. ad Cornelium Fratrem.

p. 423. Locus APROCHAE ſic legatur:

APROCHAE, *arum*, *Approches*, *Lauf-Graben*, vocabulum Gallicum: Boxhorn. in Hiſt. Bred. p. 65. vocat eas *acceſſum operum*; et p. 99. *vias obſidionales*; Heinſ. in Silv. Duc. pag. 37. *appropinquationes*; et pag 44. *acceſſus militum*; alii, *foſſas ex obliquo ad munimenta ductas, in quibus ſe abſcondunt milites, qui urbem oppugnant et operibus adgrediuntur*; Jul. Caeſ. Lib 7. B. G. c. 22. *apertos cuniculos*; et Cellarius in Not. ad h. l. *ductus obliquos*; Schurzfl. Ep. 332. *appropinquationes operum militarium: Milites*, inquiens, *in appropinquationibus operum ad ſuras usque in paludibus et aquis ſtant: die Soldaten ſtehen in den Approchen faſt bis an die Knie im Waſſer*; idem in Nomenclat. Strateg. pag. 10. praeeunte Virgilio *adductibus ad urbem accedere*; et ſecundum militiam veterum Nepos Milt. c. 7. *propius muros accedere*, it. *appropinquare muris*; Curt. *muro ſubire*; Caeſ. *appropinquare ad urbem cum exercitu, Approchiren*; atque Hirtius L. 8. B. G. c. 1. *Vineas agere, Approchen machen.*

p. 426. Loci bini ſubſequentes ſic legatur:

ARCHIVARIUS nomen dignitatis extra Latium nove confictum, in titulis ſollemnioribus retineatur, ne inſolens fias aut obſcurus: Latine dixeris, *tabularum et documentorum veterum ac recentiorum eorum, quibus jura Principalia vel acta forenſia continentur, cuſtos* l. *Praefectus*; it. *Scriniarius a memoriis.*

* In Codice multa mentio cet.

ARCHIVUM Tertullianus, Ulpianus et Trebellius Pollio, apud quem tamen libri variant, et quidam aliud verbum ſubſtituunt: a Cicerone pro Archia vocatur *tabularium*; in Codice autem *ſcrinium Principis*; a Graecis χαρτοφυλάκιον *chartophylacium*; ab aliis etiam *memoria Principum publica*; *locus ſecretior, in quo tabulae publicae ſive documenta civitatis, eccleſiae et Principis publica adſervantur.* Sueton. *Undique inveſtigatis exemplaribus, inſtrumentum imperii pulcherrimum confecit, quo continebantur, paene ab exordio urbis, Senatus conſulta, plebiſcita, de ſocietate, foedere ac privilegio, cuicumque conceſſa*, Germ. *ein vollſtändiges Staats-Archiv.* Cell. C. P. 347. *Andr. Borrich.* Vindic. 16.

Notes heic: *Tabularium mercatorium* vocari poſſit *ein Contoir*, *Kauffmanns-Stube*: et *Tabularius mercatoris*; *Mercatoris a rationibus*, ein Contoriſt, Buchhalter.

p. 430. Locus AUDITOR ſic legatur:

AUDITOR, *ein Auditeur*, medii aevi eſt: Latine dixeris, *Judex caſtrenſis* ſeu *militaris*; *cauſarum militarium cognitor*; *Praetor caſtrenſis* cet.

p. 431. Locus ſubſequens ſic legatur:

AVOCATORIA, Neutrum Plurale, i. e. *edictum, decretum, mandatum, quo vel legati, vel cives, vel milites, ſub extero Rege ſtipendia merentes, domum revocantur*; it. *Avocatio civium ab exercitu hoſtium*, barbarum.

Inſeratur:

AURIGA pro *plauſtrario, qui vecturam facit, et mercatoribus ad transportandas merces operam locat*, minus recte. Latinis enim *auriga* eſt, qui equos agit et regit, quem nos *Kutſcher*, Galli *cocher* vocant.

Locus ſubſequens ſic legatur:

AUTHENTICE Adverbium, increbuit quidem; ſed ſine ſuffragio veterum: Cicero heic Graeco Adverbio uſus eſt αὐθεντικῶς i. e. *cum auctoritate, certo auctore.*

* Adjectivum autem *authenticus* jam apud veteres JCtos in uſu fuit v. g. *Tabulae authenticae, das Original*, quibus opponitur *exemplum, die Abſchrift, die Copey*: item *lex authentica, decretum authenticum* i. e. quod ab auctoritate conſpicius et valentibus profectum et comprobatum eſt, *das da gilt und angenommen wird, das noch nicht abgeſchaffet iſt, ſondern noch ſeinen völligen vigorem hat.* *Voſſ.* de Vit. 798. *Borrich.* Cogit. 26. *Stephan.* Expoſtul 81. Pro *authenticus* Cicero habet *fide dignus, firma auctoritate comprobatus.* Plinio, *res*

certae fidei; Ciceroni, *auctoritates perſcriptae*, dicuntur *Authentique Schriften.*

Inſeratur:

AXIOMA pro *dignatione et honoratiore praerogativa* v. g. *Axioma Regium, Axioma Electorale genti ſuae intulit*; it. pro *dicto memorabili*, πολυθρύλλητῳ *quodam huic vel illi diſciplinae proprio* v.g. *Axioma Politicum*, ſuſpectum.

* Vſurpatur autem

1. A Cicerone non niſi ſenſu Stoico, et nihil aliud ſignificat, niſi *propoſitionem Logicam.* Quo quidem ſenſu ab eodem Latine exprimitur per *effatum, pronuntiatum, enuntiationem*, et a Varrone per *profatum* ſ. *proloquium.* Atque hunc ſignificatum inculcat etiam Donatus ad Terent. Andr. 1, 1, 18: *Eſt*, inquiens, ἀξίωμα *ſententia vel enuntiatio uno verbo nexam continens et perfectam intelligentiam.* Idem Donatus ad Eun. 1, 2. obſervat, *verbum* etiam a veteribus appellatum eſſe, quod hoc *axiomatis* vocabulo denotatur, quatenus nempe ſignificatum propoſitionis Logicae prae ſe fert.

2. Apud Ariſtotelem autem notione ea ſumitur, quae hodieque in Mathematicorum ſcholis regnat i. e. pro *poſtulato* ſ. *propoſitione maxime rata, qua aliae propoſitione demonſtrantur, quum tam certa et evidens ſit, ut luce ſua radiet et nulla demonſtratione indigeat.*

p. 431. inſeratur:

BABYLONA et BABYLONIA medii aevi formae ſunt, quo ab Accuſativis Nominum Graecorum in *er, en, in, on* et aliorum, Nominativi priſcis inaudito fiebant. Talia ſunt *cratera, hebdomada, lampada, chlamyda*, et ex propriis *Crotona, Narbona, Ancona, Salamina, Eleuſina, Troezena.* Haec cauſa eſt, cur in Curtio, Juſtino, ceteriſque, ubicunque *Babylon* legitur, id a librariis mutetur in *Babylonam* vel etiam in *Babyloniam*, adſcito inſuper t. Sed veteres ſcriptores ab hac novitate abhorruiſſe, oſtendit Cl. *Heuſingerus* ad Cornel. Nep. Them. cap. 2. n. 8. Ariſt. c. 2. n. 1. et ad Curt. L. 4. c. 8. n. 16.

p. 432.

v. 40. Pro *ut corrupta* lege *ut ut corrupta.*

p. 433. inſeratur:

BANNVS *Croatiae* et *Hungariae*, in titulorum pompa et vita communi retinendum: in ipſo orationis contextu pro eo etiam dixeris Latine, *Supremus Croatiae et Hungariae Praefectus, Supremus Croatiae et Hungariae Satrapes Regius.*

p. 434.

A v. 25. ſic lege: Notentur heic etiam locutiones ſequentes: *Levare aliquem e ſacro fonte, einen aus der Taufe heben*: pro quo tamen P. Manutius mavult, *aliquem ad ſacram baptismatis aquam ſuſcipere*; vid. *Goclen.* Obſerv. 279; it. *Suſcipere aliquem de ſacro fonte. Ad ſacrum fontem ſponſor fui; ſponſionis luſtricae partes ſubii; ſacri lavacri teſtem egi; patris luſtrici partes egi, ich habe Gevattar geſtanden. Schwarz.* Ep. arc. 163. *Dies luſtricus, der Tauff-Tag. Neceſſitudo luſtrica, die Gevatterſchaft. Epulum luſtricum, der Gevatter-Schmaus.*

p. 436. Locus BASTIONA ſic legatur:

BASTIONA, *eine Baſtion oder Bollwerk zur Defenſion einer Feſtung*, vocabulum novum novae rei impoſitum, quod tamen commode circumſcribi poteſt verbis Latinis. Ita quidem *Boxhorn.* Hiſtor. Credan. pag. 47. vocat *munimentum majus*; alii *propugnaculum* l. *munimentum moenium latera defendens.*

* *Heinſio* Silv. Duc. p. 101. *latus propugnaculi* eſt *eine Flanke, flanc du baſtion. Aliis ala propugnaculi infra cooperta* dicitur *Flanc retiré* oder *convert.* Caeſ. L. 1. B. G. c. 25. *Latere aperto hoſtem adgredi, dem Feinde in die Flanken fallen, da er nicht geſchloſſen iſt.* Id. L. 1. B. C. c. 83. *Latera cingere, auf der Flanke ſtehen. Ab utroque latere inſtare, auf beiden Flanken anſetzen. Ab lateribus hoſtem circumvenire; Latus hoſtium inceſſere; A Latere in hoſtem incurrere; Ex latere hoſtem adgredi; In Latus hoſtium invehi, dem Feinde in die Flanken fallen. Ad latera equites diſponere, die Cavallerie auf die Flanken ſtellen.*

p. 436. ſeq. Locus BEATIFICARE ſic legatur:

BEATIFICARE Auguſtini Verbum Lib. 14. de Trin. c. 14. et Lib. 8. de Geneſi ad Lit. c. 12: dic potius, *beatorum numero addere; beatorum numero adſcribere; beatorum ordinibus inſerere; in*

in numerum beatorum legere, transferre, arceſſere.

p. 437. ad loc.

BEGINA v. 5. ſeqq. ſic lege:

† De origine hujus nominis a. 1626 Petrus Coens et Seggerus Holtſum, uterque Canonicus Antwerpienſis, inter ſe vehementer controverſati ſunt. Petrus Coens ad Lambertum Balbum ſ. Beghum, Presbyterum Leodienſem, qui ſaec. XIII vixit, natales ejus retulit; ſed perperam: quum circa hoc tempus Beginarum nomen jam ſatis notum eſſet in ipſis his terris noſtris: conf. *Joh. Mich. Heineccii* Antiqq. Goslar. p. 289. Seggerus Holtſum ea veriſimilitudine, quae ad evidentem veritatem quam proxime accedit, deducit nomen a Beggha, Pipini Landenſis, primi Brabantiae Ducis, filia, quae aliquot ante ſaeculis floruit, et in oppido Audennas, tribus etc.

v. 26. ſic lege: Quare deſcriptioni tali addiderim, *quam in Eccleſia* Beginam *vocant.* Alii eas vocant *feminas religioſe viventes, non tamen voto publico. Hoſpin.* de Monach.

p. 440.

v. 50. ſic lege: Verbum autem *boare*, ejusque Compoſitum *reboare*, probae ſunt notae.

Ergo pro *Stentoreo boatu plateas implere*, quod pervulgatum eſt, multo dixeris elegantius *Referre in platea Stentorem Homericum; imitari terribili clamore ſuo Stentorem iſtum apud Homerum.*

Locus BOMBARDA ſic legatur:

BOMBARDA, *ae, eine Mousquete*, et SCLOPETUS vel SCLOPETUM, *i, genus bombardae minus, eine Handbüchſe, eine Piſtole*, Vocabula nove conficta, *machinas bellicas* ſignificantia, *veteribus incognitas.*

* Eraſmus, teſte *Sturmio* de Linguae Latinae reſolvendae ratione p. 45. vocabulum *bombardae* confinxit, et ſic primus ejus auctor eſt.

Litteratus orbis ea heic libertate uſus eſt, quam ſummus Oratorum apud Romanos, Cicero L. 3. Fin. c. 1. conceſſit: *Imponenda*, inquiens, *nova novis rebus ſunt nomina.*

Bombarda autem à *bombo* et *ardeo*, quod cum *ſonitu et flamma ferreos globos emittat*, appellata eſt: neque inepte; quum *bombardarum uſus* tonitru ſonum, quem *bombum* etiam appellari, *Euſtathius* ad Odyſſ. Θ. obſervat, referat; ut *Voſſius* cenſet Lib. 4. Inſtit. Orator. cap. 13. ſect. 7.

Sclopetum formatum à *ſclopo* eſt: *ſclopus* autem occurrit apud Perſium Sat. 5. v. 13. et *ſonum* notat, *qui emittitur e buccis inflatis, das Platzen aus den aufgeblaſenen Backen*: unde et ipſum τὸ *ſclopus* ad ſonum bombardarum ejusmodi minorum transfertur.

† *Vbertus Folieta de L. L. Vſu et Praeſt.* p. 173: Latini, *inquit*, ſermonis rationem et ſimilitudinem propius attingit *bombarda* et *ſclopetum* formatum à *ſclopus*, quam *artagliaria* et *archibugius.*

De vocabulis autem bellicis Latine exprimendis omnino conſulendus eſt *C. S. Schurzfleiſch* in Nomenclatore Strategico.

* Hoc quidem loco notentur locutiones ſequentes: *Sclopus equeſtris*, ein Carabiner: cujus vices apud veteres *catapulta* ſuſtinuit. *Sclopeti fartura*, die Patrone. *Theca ſclopetaria*, die Patron-Taſche. *Tormentis perfringere*, Caeſ. L. 2. B. C. c. 9; vel *ictibus perforare*, Schurzfl. Ep. 413; Durchſchieſſen. *Tormenta e navibus excuſſa emittere in urbem*, Curt. L. 4. c. 2; alii *pyrobolicis globis obruere*, vel *pilas ferreas* l. *globas ferreos pulvere nitrato fartas* l. *fartos injicere in urbem*, eine Stadt bombardiren. *Sclopus* l. *Sclopetus major*, it. *Sclopus ignarius* l. *pyrite inſtructus*, it. *bombarda ductilis* l. *pyrite inſtructa*, eine Flinte. *Sclopetum minutiſſimum*, ein Terzerol. *Bombarda equeſtris* l. *Sclopus minor*, eine Piſtole. *Sclopus brevior* l. *manualis*, ein Puffer. *Sclopetarii Tribuni* l. *Centurionis cuſtodes*, Fourier-Schützen. *Faber tormentorum materiarius*, ein Büchſenſchäfter. *Admovere ad maxillas bombardam manuariam*, mit der Büchſe anſchlagen. *Sclopetis majoribus aliquem transfigere* l. *configere*; *pilis plumbeis* l. *jactu ignitarum glandium proſternere*; *transfigere globulis miſſilibus militem morti deſtinatum*; *militem palo adfixum ſclopeti ictu enecare*; *capitis damnatum globis plumbeis trajicere*, Arquebuſiren. *Plumbea glande trajectus interiit ſupplicii ergo*, er iſt arquebuſiret worden. *Globus ignitus*; *Globus ferreus excavatus et pulvere nitrato repletus*; *Olla ferrea pice pulvereque repleta*, eine Bombe. *Vrbem infeſtare mortariis igne miſſili furentibus*; *Tormentis affligere* l. *vexare urbem*, Bombardiren. *Pyxis* l. *theca clavis ferreis in hoſtem ſpargendis onuſta*, eine Carterſche. *Sclopetum pulvere nitrato et glande plumbea*

bea fartum exonerare, eine Muſquete loſ-ſchieſſen. *Reſidet in tubo plumbum, pulvisque nitratus incaſſum furit et inani flamma abſumitur*, das Lohr bleibt in der Büchſe, und das Pulver ſchlägt zum Zünd-Loche heraus.

Quum vero ejusmodi nove confictae voces et Latinae periphraſes eam notionem, quam debebant, non usquequaque ſatis diſtincte exprimant, perſpicuitatis ergo addere liceat vocabulum illud, quod innuimus, ſermone noſtro patrio. v. g. *In promtu ipſi erat ſclopus minor*, quem noſtrates vocant *eine Piſtole*. Item: *Habebat ſclopum breviorem* l. *manualem*, Germanice dictum *einen Puffer*.

† *Sclopus minor*, quem vocant *Piſtoletam*, Germanice *eine Piſtole*, ſaeculo demum XVI innotuiſſe et uſus ejus ſimul invaluiſſe dicitur. Quum enim antehac ludi equeſtres in uſu eſſent, equites in bello haſtis utebantur. At Henricus IV. Rex Galliae primus oſtendit, quomodo equites, haſtis abjectis, ſclopis his minoribus recte debeant uti.

p. 443. inſeratur:

BROCARDICVM i. e. *adagium omnium ſermone tritum, vulgaris canon*, πολυθρύλλητον, apud Philoſophos ſuperiorum temporum frequens, et apud eruditos hodieque in uſu vocabulum barbarum eſt.

* Cuſum eſſe ſaec. XIII videtur. Natales autem ſuos refert ad *Burcardum*, Wormatienſem Epiſcopum, ſaec. XI. ſcriptorem, qui etiam *Brocardus* nuncupatur: qui quum canonum Eccleſiaſticorum ingens volumen conſcribillaſſet; factum tractu temporis eſt, ut omnis vulgaris canon *Brocardici* veniret nomine.

p. 444. Locus BVRSA ſic legatur:

BVRSA vocabulum medii aevi, notans

1. *Cruminam, marſupium, loculos, die Taſche, den Beutel, den Geldſack.*

2. Transfertur etiam ad *porticum mercatorum* i. e. *locum, mercatorum publicis conventibus deſtinatum*, quem Germanice vocant *die Boerſe*, à *loculis* nempe ſive *crumina*. Quum enim in Italia permutatio pecuniae inciperet in uſu eſſe, ejus rei gratiâ Venetiis atque Neapoli inſtitutus communis mercatorum congreſſus eſt, qui *Burſa communis* appellabatur, e qua ſi quis ſe ſubduceret, fidei periculum adibat, quemadmodum id etiam hodieque fit. *Ludovicus Vives* talem *Burſam* vocat *Janimedium*; *Marchantius* vocat *forum mercatorum*; *Lipſius* autem *baſilicam mercatorum*.

3. Medicorum filiis cet.

p. 445. Locus CALENDARIVM ſic legatur:

CALENDARIVM pro *faſtis, hemerologio, rationario dierum omnium diſtributorum per menſes unius anni, ein Calender, ein Almanach, ein Tagebuch*, ſequioris aevi eſt.

* *Calendarium* apud veteres Romanos ſignificat non niſi *librum, in quo perſcribebantur uſurae in ſingulas Calendas petendae atque exſolvendae, ein Zinsregiſter, Schuldbuch.* Sic *pecuniam in Calendarium convertere*, Papiniano in Pandectis eſt *Geld ausleihen, Geld in die Rechnung ſchreiben, einer Schuldpoſt notiren, wovon monatlich die Zinſe muſs abgegeben werden.* Sic etiam *calendarium exercere* L. 40. §. 6. π. de legatis lib. 3. et *nomina facere* L. 64. eod. idem eſt, ac *fenus exercere, Geld auf Zinſen ausleihen.* Conf. infra Parte Syntact. *Facere nomina.*

p. 446. Loci bini ſubſequentes ſic legantur:

CAMBIRE i. e. *mutare, commutare, permultare pecuniam; Tauſchen, Umwechſeln, Verwechſeln*, habet Ennius L. 10. Priſcianus L. 10. cap. 2. Apulejus in Apolog. 1. et Chariſius L. 3. bis, idque ſemel per *muto*, iterum Graece per ἀμείβομαι interpretatur.

CAMBIVM vero *der Wechſel in Geldſachen*, it. *Aufgeld, Lagio*, etſi ἀμείβω a κάμπτω, *flecto, inflecto*; ejusque Aor. 1. ἔκαμψα *Priſcianus* l. d. et *Octavius Ferrarius* in Originibus L. L. p. 182. derivent; tamen nec Graecum eſt, nec Latinum, ut Alciatus agnoſcit L. 1. Παρέργων cap. 45. ICtis tamen hodie ſatis uſitatum eſt; quemadmodum etiam derivatum inde Adjectivum *cambialis*, ſi nempe agunt *de negotiationibus collybiſticis* vel *cambialibus*. Apud eosdem ICtos occurrit etiam *campſarius* i. e. *trapezita, argentarius, nummularius, collybiſta, ein Wechsler*,

Latine dixeris, *collybus*, aut *permutatio pecuniae feneratoria*; it. *pecunia, quae pro permutatione ſolvitur.*

† *Collybi*

† *Collybi* autem mentio fit apud ipſum Ciceronem in Verr. et ad Attic. Notat vero *collybus*

1. Proprie ſpeciem aliquam numiſmatis, ſic dictam à κολλᾶειν glutinare et βῦς bos ſ. vacca, quaſi κολλώμενος βῦς bos conglutinatus. Etenim in more erat priſcis Romanis, nummis effigiem bovis, ovis l. ſuis imponere: unde poſtea veniebat, ut talis bos numiſmatis impreſſus ſ. inhaerens pro ipſo hujusmodi numiſmate uſurparetur.

2. Poſtea trahi coepit ad lucrum illud vel pretium, quod ex permutata pecunia ſibi trapezitae vindicant, et vulgo ſub nomine *Lagii* (Germ. *das Aufgeld oder Wechſelgeld*) offerunt.

3. Tandem trahi coepit ad ipſum contractum cambii, ſic forſam apud veteres dictum, quod contractus hic praecipue circa numiſmata ſive pecuniam verſetur.

* Notentur heic locutiones ſequentes: Cic. L. 12. Attic. ep. 25. *Pecuniam permutatione repraeſentare, Geld durch Wechſel übermachen.* Idem pro L. Manil. c. 7. *Pecuniam habere implicitam, quae in foro verſatur, et quae cohaeret cum aliorum copiis, Geld im Wechſel lauſen laſſen.* Id. L. 2. Offic. c. 25. *Ad medium Janum ſedere, in den Wechſelbuden ſitzen.* It. *Fides concidit et litteris ſiduciariis pecuniam nemo ſuam magnopere cupit credere, der Credit iſt gefallen, und niemand wil ſein Geld auf Wechſel mehr ausleihen.* Plin. Jun. *Litteras, quibus pecunia collybo numeranda deſtinatur, averſâ chartâ inſcribere, einen Wechſelbrief endoſſiren. Litteras cambiales* ſ. *collybiſticas debitori offerre, den Wechſel praeſentiren.*

p. 447. v. 6. ſeqq. lege ſic:

* Nota: *Cubiculum* proprie haud notat *conclave, ubi dormitur, eine Kammer, ein Schlafzimmer*: ſed generatim ſumitur pro *conclavi quocunque* v. g. Cic. L. 3. Quint. Fr. ep. 1. *Cubiculum amplum, ein geraumes Zimmer*; id. *Cubiculum, quo nihil alſius, ein küh'es Zimmer*; id. *Cubiculum loco poſitum ambulationis uno latere, ein Zimmer, da man auf einer Seite den Proſpect in die Alléen hat*; id. *Cubiculum adjunctum, ein Neben-Zimmer*; Liv. L. 1. c. 58. *Cubiculum hoſpitale, eine Gaſtſtube, eine Gaſtkammer*; Plin. Iun. L. 7. ep. 21. *Cubiculum obducti velis, ein mit Vorhängen zuſammen gezogenes Zimmer*; Plinius Major L. 15. c. 11. *Cubiculum ſalutatorium, ein Audienz-Zimmer.* Si ſpeciatim ad eum locum aedium, ubi dormitur, accommodari debet, tale quid addamus, quod hanc notionem animis legentium vel audientium inferat; id quod modo fecimus, nempe initio hujus loci, quum diximus, praeeunte Plinio L. 2. ep. 17. *cubiculum noctis et ſomni*; et L. 5. ep. 6. *dormitorium cubiculum.*

Locus CAMERARIUS ſic legatur:

CAMERARIUS, *ein Cämmerer*, Lat. *Redituum Curiae Curator, qui curam aerarii publici gerit*, vocabulum cet.

p. 450. Locus CAPACITAS ſic legatur:

CAPACITAS, ſenſu ad animum translato, pro *indole praeclara et ingenio fertili*, ſuſpectum. Quod ſcimus, notione Phyſica ſatis probum eſt, quaſignificat *die Weite, die Geraumigkeit.*

† Quamquam enim Cicero ad animum videtur accommodare, quum Lib. I. Tuſc. Quaeſt. cap. 25. dicit: *Vtrum capacitatem aliquam in animo putamus eſſe, quo, tamquam in aliquod vas, ea, quae meminimus, infundantur*? re vera tamen non niſi notione propria et Phyſica uſurpat.

Eadem ratio eſt Adjectivi *capax, capacior, capaciſſimus*, ſi nempe ἁπλῶς ponatur ac ſine aliqua verborum adjunctione. Ceteroquin recte dicitur *homo diſciplinae noſtrae capax, mens artis praeſtantiſſimae alicujus capax.*

p. 451. Locus CAPITANEVS ſic legatur:

CAPITANEVS vocabulum medii aevi: Lat. *Centurio*; ac, ſi *Capitaneus Generalis* eſt, *Ordinum Ductor.* Immo etiam *Satrapae* notionem ſubinde ſuſtinet, denotatque *einen Groſs-Voigt, Landes-Hauptmann, Ober-Hauptmann*, prout bonae diſtinctionis ergo aliquid addideris v. g. *Supremus magnae Praefecturae Capitaneus, Capitaneus Provincialis, Capitaneus provinciae ſuperior. Capitaneus* apud *equeſtres copias*, dicitur ceteroquin etiam *Magiſter equitum, Praefectus equitum*, Germ. *ein Rittmeiſter. Voſſ.* de vit. 70. et 385. *Stephan.* Expoſtul. 25. *Borrich.* Cogit. 261. *Cell.* Antib. 13.

p. 452. Locus CAPTIVARE ſic legatur:

CAPTIVARE Jornandes, Vulgatur Interpres, Auguſtinus et alii Eccleſia-

cleſiaſtici ſcriptores: veteres Latini, *capere; jugum ſervile alicui imponere; captivum tenere* ſeu *abducere; in cuſtodiam tradere; in vinculis habere; in cuſtodiis tenere; comprehendere aliquem; conjicere aliquem in vincula, in carcerem; dare aliquem in cuſtodiam; tenere captivum; ducere captivum aliquem.*

p. 453. Locus CARCASSAE ſic legatur:

CARCASSAE, *Carcaſſen*, barbarum: Lat. dixeris, *ollae igniariae, ferramentis varii generis refertae;* it. *globi miſſiles incendiarii, qui, flammam concipientes, glandes plumbeas quaquaverſum jaculantur; pilae ignivomae.*

Locus CARDINALIS ſic legatur:

CARDINALIS, Subſtantive, vocabulum novum, novae dignitati in Curia Pontificis Romani impoſitum, haud reſpuendum in vita negotiali et titulorum pompa: in contextu tamen ſermonis Latini interdum poſſis dicere *Purpuratus Romani Pontificis; Purpuratus Eccleſiae Romanae Praeſul; Zelotes Eccleſiae Romanae purpuratus.*

* *Primitus*, ſcribit *Voſſius de Vit. Serm. Lat.* 724, *non ſolum Romani Presbyteri vel Diaconi, ſed etiam primi aliarum civitatum Sacerdotes, quibus nempe titulus ſeu paroecia foret commiſſa*, CARDINALES *dicebantur.*

Ceterum Adjectivum *cardinalis, e*, habet Vitruvius L. 4. c. 6: ita optima ejus editio, per *Johannem de Laet* procurata Amſtelod. 1649. Dixit autem Vitruvius *ſtapes cardinales*, Germ. *Haupt-Seulen* Ad *ventos* applicuit Servius in Aeneid. 1. v. 131; ad *Diaconos* et *Presbyteros* Gregorius M. ut *Salmaſius* notavit, quamquam antiquiorem hanc notionem eſſe, *Petrus Joſephus Cantelius* in Hiſtor. Metrapolit. Vrb contendat; ad *virtutes primarias* Ambroſius in Luc. 6. et Auctor Commentarii (vulgo Hieronymus creditur) in Marcum cap. 1. v. 16. *Cell.* C. P. 55. *Borrich.* Anal. 83. *Salmaſ.* Exercit. Plinian. p. 1249.

Purpuratus curiae fiſci Romani Praeſes, *Cardinal-Camerlengo*. Quaeſtor collegii Purpuratorum curiae Romanae, *Cardinal-Camerlengo del ſacro Collegio.* Purpuratus Pontificis aulae Adminiſtrorum princeps, *Cardinal-Padrone*. Purpuratus certae cujusdam nationis l. certi cujusdam Ordinis Protector, *Cardinal-Protector.*

p. 455. v. 22. ſeqq. ſic legatur:

* *Schurzfleiſch.* in Nomenclat. Strateg. p. 25. nuncupat id *balliſtam ignitam;* alii. *tormentum murale, tormentum obſidionale.*

Tormentum admittens globum pondo quadraginta et octo: Tormentum majus ſ. maximum, *eine gantze Carthaune.* Tormentum dimidiatum, admittens globum pondo viginti et quattuor, *eine halbe Carthaune.* Tormentum admittens globum pondo triginta et ſex, *eine drey-viertheil-Carthaune.* Tormentum admittens globum pondo duodecim, *eine viertheil-Carthaune.*

p. 456. Locus CATASTRVM ſic legatur:

CATASTRVM, *ein Regiſter oder Buch, worinnen etwas nachrichtlich zuſammen getragen iſt*, vocabulum barbarum medii aevi: at ICtis hodie familiare, et propterea in commentationibus eorum et ſcriptis publicis tolerandum, ut vocabulum artis: Latine dixeris, *Index, commentarius, commentarium, calendarium civitatis; Liber cenſualis; Index, quo continentur poſſeſſiones, unde publica tributa exiguntur, Das Contributions-Cataſtrum.*

Locus CATECHIZO ſic legatur:

CATECHIZO Eccleſiaſticorum eſt, nominatim Tertulliani et Auguſtini, qui poſterior peculiarem concinnavit librum, qui inſcribitur *De catechizandis rudibus;* Latine dixeris, *in primis fidei fundamentis erudire; imbuere aliquem fidei myſteriis; prima coeleſtis doctrinae rudimenta alicui tradere* vel *inculcare* vel *aliquem docere; pueros* aut *plebem primis fidei Chriſtianae elementis erudire, imbuere, inſtituere; pueros* aut *ignaros Chriſtianae religionis myſteriis imbuere. Goclen.* Obſerv. 411.

p. 457. Loci trini ſubſequentes ſic legantur:

CATENARE ſuſpectum, dic, *catenis vincire.* At vero *catenatus* dixit aevum Auguſteum, et habet non modo Quintilianus, Claudianus, Columella et Martialis, ſed etiam ipſe Horatius Epod. 7. v. 7.

* Se

* Sed ex eo, quod *catenatus* probae notae eſt, haud colligi debet, verbum etiam hoc *catenare* recte ſeſe habere. Quot enim frequentantur apud veteres ejusmodi participia, quorum tamen verba dantur nulla v. g. *tunicatus*, *capillatus*, *tegatus*, *incelebratus*, cet. nimirum haud formare inde poſſumus verba *tunicare*, *capillare*, *tegare*, *incelebrare*. *Catenatio* (trabium) i. e. colligatio l. coagmentatio trabium, etiam legitur apud Vitruvium: qui ſane rectius heic dixiſſet *concatenatio*, ſi in uſu fuiſſet. *Voſſ.* de Vit. 680. *Borrich.* Cogit. 26.

CAVALCADA, *eine Cavalcade*, *ein Ehrenritt*, barbarum: Lat. dixeris, *pompa in itinere equeſtris*; *Sollemnis et ad pompam inſtituta equitatio*.

CAVEDIVM, *ein Cabinet*, vocabulum medii aevi: dic, *conclave interius*; cum Plin. Hiſt. Nat. Lib. 23. c. 8. *ſanctuarium Principis*; cum Quintiliano Declam. 8. *ſanctuarium arcanorum Principis*, *das geheime Cabinet*.

Regis Adminiſter arcanorum omnium particeps; Regis à ſanctuario; Regis à conclavi interiori, *ein königlicher Geheimter Cabinets-Miniſter*. Sanctiſſimus Principis Senatus, *das Cabinets-Conſeil*. Curſor ſanctiſſimi Senatus publicus, *der Cabinet-Courier*.

p. 459.

v. 23. Pro *nimium ſui* lego *nimius ſui*.

p. 461. v. 5. ſeqq. ſic lege:

Aliàs Latinis ejusmodi *chronica*, dicuntur *annales*; ſpeciatim Hirtio L. 8. B. G. c. 48. *commentarii annorum*; Nepoti Attic. c. 16. *hiſtoria temporum contexta*. Aliis dicitur *commentarius*, *in quo capita rerum geſtarum ad annorum ſeriem deſcribuntur*. Gellio, *rerum geſtarum plurium annorum conſequens narratio*, it. *chronici libri* dicuntur. Cicero pro Muraena: *Ex annalium vetuſtate eruere memoriam alicujus rei*; *aus alten Chroniken eine Sache ans Licht bringen*.

Loco CICVRITAS adjiciatur:

Caſtellio autem *Cicur* Adjectivis trium terminationum adnumeravit, quum in interpretatione ſua Gen. 3, 14. ſcripſit, *beſtiarum tum cicurum, tum ferarum execrabiliſſima*. Aliter veteres. Cicero l. 2. de nat. Deor. c. 39: *Varia genera beſtiarum vel cicurum vel ferarum* Varro l. 6. LL. p. 57: *Cicur ingenium*. Feſtus in *Incicur*, ex Pacuvio *conſilium cicur*, et *incicurem iracundiam* adfert. *Heuſ.*

Ad locum CIFRA.

v. 18. ſic lege:

Alii vocant eas, *numerorum notas*, it. *numerorum characteres*, it. *notas Arithmeticas*, Sueton. Caeſ. c. 56: *Per notas ſcribere*, *ſic ſtructo litterarum ordine, ut nullum verbum effici poſſit*; *Per arcanas l. occultas notas ſcribere*; *Characteribus litterarum occultis animi ſui ſenſa exprimere*, mittelſt einer chifre oder einer verborgenen Schrift was zu erkennen geben. *Characteres litterarum occultos in apricum proferre* vel *interpretari*; *Occultum ſcribendi modum detegere*; *Notas litterarum occultas explicare*, Dechifriren. Conf. *Joh. Alb. Fabricii* Bibliograph. Antiq. p. 613. & *Joh. Bapt. Portam* de furtivis litterarum notis, vulgo *Ziferis*.

Symbolica litterarum nominis initialium artificioſa implicatio; Litterarum initialium, quibus Principale nomen continetur, nexae implicatae, *die Chifre, der gezogene Name, ſonderlich eines groſſen Herrn*.

p. 463. Locum COAETANEVS ſic lege:

COAETANEVS, Inſcriptio antiqua, Apulejus, Tertullianus, Hieronymus et Iſidorus: veteres pro eo habent, *aequalis*; Graeci, ὁμῆλιξ, ἡλικιώτης. *Cell.* c. P. 137. *Borrich.* Cogit. 63. *Vorſt.* de Lat. mer. ſuſp. 259.

p. 464. inſeratur:

COEMETERIVM i. e. *locus ſepulcralis toti civitati alicui communis*, *locus ſepulturae mortuorum publice conceſſus*, Germ. *der Kirchhof*, *der Gottesacker*, non niſi ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Auguſtino, Hieronymo, aliis, frequens eſt.

p. 466. ſeq. v. 7. ſic lege:

Collatio Latine eſt vel *comparatio*, vel *pecunia ſponte collata*, *eine freywillige Beyſteuer*: qua quidem notione poſteriori Suetonius Ner. c. 38. 44. et Calig. c. 42. et alibi ſubinde utitur. Plinius etiam in Panegyr. c. 41 habet *collationes remittere*, *die Beyſteuern erlaſſen*; et Tacitus Germ. *exemti oneribus et collationibus*, *Contributions-freye Leute*, *Freyſaſſen*.

Locus COLLEGIVM ſic legatur:

COLLEGIVM pro *interpretationibus* ſ. *ſcholis in Academia publica auctoritate* l. *ſummi magiſtratus auſpicio inſtituendis*, barbare.

Latine dixeris: *Diurnis varias diſciplinas ac ſcientias inculcandi operis diſtrictum eſſe*, viele *Collegia leſen*. cet.

p. 467. Loci hi ſubſequentes ſic legantur:

COLONELLVS, *ein Colonell*, *oder Oberſter*, vocabulum novum a Gallis arceſſitum: Latine *Tribunus militum*. Heinſius in Silv. Ducis pag. 46. pro eo habet *Moderator legionis*; it. p. 61. *legioni popularium Praefectus*; alii, *Dux legionarius*. Graecis dicitur ὁ χιλίαρχος, quod in Latio tranſiit in *Chiliarcha*. *Tribunus equitum*, *ein Oberſter über ein Regiment zu Roſs*: *Tribunus peditum*, *ein Oberſter über ein Regiment zu Fuſs*.

COMBINARE Auguſtinus Confeſſ. L. 8. c. 6. et Sidonius Apollinaris: magis Latina, *jungere*, *connectere*, *conglutinare*, *copulare*, *componere*, *colligare*, *conjungere*, *coagmentare*. *Voſſ*. de Vit. 693. *Borrich*. Cogit. 64. *Cell*. Antib. 17. C. P. 298. Sed

COMBINATIO plane barbarum eſt: dic cum veteribus, *conjunctio*, *conſociatio*, *colligatio*.

p. 469. Locus COMMENDATOR ſic legatur:

COMMENDATOR pro *Equite ſacri ordinis*, *quem vulgo*, Commendatorem *vocant*, *cujus curae certus quidam illius ordinis fundus eſt commendatur cum ſingulari aliqua poteſtate ac dignitate*, *ein Commenthurer*, *ein Comter*, *ein Commendeur*; vocabula Eccleſiaſtica medii aevi ſunt, inque ſollemnioribus titulis perſpicuitatis ergo retinenda.

* *Sedem ac domicilium hujusmodi Equitis ſacri ordinis*; vel, pro re nata, *beneficia ditionesque Equitum ſacri ordinis curae commendatas*, Latine dixeris id, quod eſt Germanice *eine Commenthurey*.

Ad loc.

COMMISSARIVS v. penult. Latine heic dixeris *extraordinarius* l. *delegatus judex*, cet.

p. 470. ad loc.

COMMISSARIVS poſt v. 4. haec ſubjiciantur:

Annonae militaris Praefectus; *Quaeſtor militaris*, *ein Kriegs-Commiſſarius*, *Kriegs-Zahlmeiſter*. *Legatorum Imperialium ad Imperii Comitia Princeps*; *des Heil. Röm. Reichs Stände vortrefflicher Geſandten Principal-Commiſſarius*.

Locus COMMISSIO ſic legatur:

COMMISSIO pro *procuratione rei mandatae*, vel, pro argumento, etiam *poteſtate*, l. *jure* l. *auctoritate inquirendi*, Germ. *eine Commiſſion* v. g. *peculiari auctoritate ad eam rem inquirendam inſtructus eſt*, *er unterſucht die Sache vi ſpecialis Commiſſionis*; barbare.

† Quodſi hujusmodi poteſtas cum jure decidendi apud Romanos conjuncta erat, vocabatur *judicium recuperatorium*; et vir ille, cui haec poteſtas erat tradita, vocabatur *recuperator*. Hinc quando Cicero dicit, *Praetor recuperatores dedit*, ſignificat id Germanice *der Ober-Richter hat Commiſſarios verordnet*. *Recuperator* enim dicebatur ille, cui Praetor jurisdictionem mandabat privatarum cauſſarum, qui poſtea ab recentioribus appellari ſunt coepti *delegati judices*.

* *Commiſſio* veteribus eſt &c.

v. 42. ſeqq. hujus loci ſic lege:

Aliis dicuntur *litterae fidem facientes publice conſtituto hujusmodi inquiſitori*, *quibus ſimul mandatum rei procurandae continetur*, *das Commiſſorium*, *oder bey Geſandſchaften das Creditiv*.

Elegantius autem *auctoritatis* vocabulum &c.

p. 471.

v. 12. Pro *non ſeparatim*, *ſeorſum*, lege *non ſeparatim*, *non ſeorſum*, cet.

p. 472. Locus COMPATI ſic legatur:

COMPATI in minus Latinis ſcribitur; et quidem recte.

Pro *convenire* uſurpat Pſeudo-Ovidius, quando ſcribit: *Nec ſe bene compatiuntur livor et ambitio*.

Vtitur eo etiam Alcimus Avitus Lib. 3. extr. et antiquus ſacrarum litterarum Interpres; ſed alia notione, nempe pro *una pati*, *zugleich leiden*: nec dubium eſt, quin hac notione ad Graecum συμπαθεῖν formatum fuerit.

Vſitatius pro eo accipitur, quod Graecum ſimiliter eſt, συμπάσχειν, Germ. *ein Mitleiden mit jemandes elendem Zuſtande haben*: quem ſignificatum idem Pſeudo-Ovidius

Ovidius, Tertullianus, Hieronymus, Cyprianus, Ambroſius, Sulpitius Severus, antiquus ſacrarum litterarum Interpres, aliique ſequioris aevi frequentant. cet.

p. 473. Locus COMPATRIOTA ſic legatur:

COMPATRIOTA barbarum: dic, *ſympatriota*, Gr. *συμπατριώτης*, *πολίτης*, *popularis*, *conterraneus*; *qui ejusdem gentis, nationis ac linguae eſt.* l'oſſ. de Vit. 79 et 411. *Borrich.* Cogit. 27. *Valla* Eleg. L. 4. c. 8.

p. 474. inſeratur:

COMPLETIO, *die Erfüllung*, v. g. *Completio voti ac deſiderii*, *Completio prophetiae*, Auguſtinus Ep. 161. veteres pro eo, *Exitus voto ac deſiderio reſpondit; Exitus vaticinio reſpondit*, Germ. *mein Wunſch iſt erfüllet, meine Weiſſagung iſt erfüllet; Ad exitum bonorum conſiliorum pervenire*, Germ. *ſeinen Wunſch erfüllet ſehen.*

* Nullum Subſtantivum ſuccurrit nobis ex Latio, quo uno et ſolo exprimatur, quod heic exprimi debet.

p. 476. v. 1. ſeqq. ſic lege:

* *Muſicis notis cantica excipere; Variâ ſonorum compoſitione harmonias efficere; Multitudinem ſonorum artificioſe componere*, Cic. Germ. *componiren.* Cic.

Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

CONCATENATVS v. g. *labores concatenati*, Minucius Felix: aevum Auguſtéum habet, *catenatus*; ſed ab illo compoſito abhorret.

Inſeratur:

CONCENTRARE verbum Mathematicorum; unde, ſenſu translato ſumtum, alii eruditi etiam ſubinde in ore habent, quamvis citra veterum ſuffragationem: dic, *ad idem punctum tendere, eodem contineri centro, ad idem ſe referre centrum*, vel, pro re nata, *eodem recidere.*

p. 478.

Ad loc. CONDOLENTIA.

Adnectatur ad calcem hujus loci:

Quid de verbo *Condolere* exiſtimandum ſit, de eo vide infra Parte ſyntact.

p. 480 ad loc.

CONFRATER v. 6. ſeqq. hujus loci ſic lege:

* Par ratio in *conſoror, compartyr, commembrum, conſcholaris, conſocius, conſodalis, contribulis, conchriſtiani, conſacerdos*, et id genus permultis. cet.

Inſeratur:

CONFRONTARE et CONFRONTATIO, barbara: Lat. *reum cum indice componere*, Tacitus; *reum cum ſocio componere; delatorem et reum componere; teſtes cum reo componere*, prout nempe argumentum vel materia ſubſtrata hunc vel illum loquendi modum poſtulat: it. *teſtium cum reo* l. *cum ſocio compoſitio.*

p. 481. inſeratur:

CONIECTVRARE ſuſpectum: dic, *conjicere, conjectare, colligere, conjecturam facere, conjectura aliquid adſequi.*

† Exſtat quidem apud Senecam Quaeſt. Nat. L. 1. c. 29: *Nobis conjecturare illa tantum in occulto licet.* Sed jam olim *Joh. Obſopoeus* obſervavit, e MSS. legendum eſſe, *et conjecturâ ire in occulta tantum licet*: quod etiam editione Amſtelodamenſi, Gronovio accurante, expreſſum eſt. Sic etiam noſter 2. Quaeſt. Nat. cap. ult. *Quum imus per occulta naturae.*

p. 483. Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

CONSTELLATIO Firmicus, Capitolinus, Amianus Marcellinus et Sidonius: magis Latine, *adfectio coeli* ſeu *aſtrorum*; it. *ſitus coeli et ſtellarum*; Cic. de Divin. p. m. 4887. *ſtatus coeli et ſtellarum* it. *ſidera natalitia.* v. g. *quibus ſideribus natalitiis in vitam venit*, Germ. *in welcher Conſtellation iſt er gebohren.*

p. 485. Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

CONTRIBVABILIS barbarum: Lat. *vectigalis* v. g. *ager vectigalis, ein contribuabler Acker*; it. *tributarius, ſtipendiarius, tributo ſolvendo obnoxius*: cui opponitur, *immunis vectigalium*, Germ. *Ritterfrey.*

Ad loc.

CONTRIBVTIO v. 21. pro *Tribunus aerarius* lege *Tribunus aerarii.*

p. 486.

p. 486. ad loc.

CONTRITIO. Ad calcem ſubnectantur haec:

Attritio, quae privative abs Theologis opponitur *contritioni*, et pro imperfecto dolore de peccatis admiſſis habetur, quando peccator magis poenam, quam ipſam peccati atrocitatem perhorreſcit, nove prorſus confictum eſt, nec in antiquitate ullum ejus exſtat veſtigium.

p. 487. Locus hic ſubſequens ita legatur:

CONVICTORIVM, *das Convictorium, die Communität*, barbarum: dic, *coenaculum* l. *triclinium publicum alumnorum Academiae* vel *Scholae Illuſtris* ſeu *Gymnaſii*; it. *locus, ubi convenire ſolent in Academiis et Gymnaſiis convictores*; it. pro re nata, *qui communi convictu fruuntur; menſae publico ſumtu inſtructae alumni*.

* *Convictor* autem etc.

p. 488. Locum ſubſequentem ſic lege:

CORDATVS uſitate ſignificat *prudentem, circumſpectum et ſollertem*. Pro *forti* et *animoſo*, ſuſpectum; pro *candido* et *ſincero*, aperte vitioſum eſt.

* Pro *animoſo* etc.

p. 491.

Ad loc. CREDENTIA, *ae*.

Ad finem hujus loci addantur haec:

Hujusmodi litterae vocari etiam poſſint *litterae, quae legationi fidem conciliant; legationis diploma; litterae, auctoritatis, quam legatus ſibi poſtulat, teſtes*.

Inſeratur:

CREMOR probum eſt vocabulum ubi de liquore e frumentis expreſſo dicitur: ſed *cremor lactis*, pro *oleoſa lactis parte*, quae denſata ſupernatat, nullo, quod ſciam, idoneo auctore, Medicis familiare eſt. Itaque cum Plinio. L. II. c. 41. extr. malim *ſpumam lactis* vocare. *Heuſing.* obſ. antib. 397.

p. 493. inſeratur:

CYNOSARGES, Gymnaſium Cynicorum Athenis fuit, quod omnes Graeci vocant τὸ κυνόσαργες, τοῦ κυνοσάργους, τῷ κυνοσάργει, a κύων ὁ, ἡ, Gr. κυνὸς, *canis*, et ἀργὴς, *albus*. Vide Menag. ad Diog. Laërt. l. 6. ſ. 13. Vnde miror, quid in mentem venerit novorum Lexicorum auctoribus, ut *Cynoſarges* Feminini Generis eſſe ſcriberent, quod nec terminatio, nec ſignificatio admittit. Nam a Graecis vel χωρίον, vel ἱερὸν vel γυμνάσιον ſubintelligitur. *Heuſ.* obſ. antib. 437. ſeq.

p. 495. Inſeratur:

DECOMPOSITA priſcis Grammaticis erant, quae a compoſitis derivantur, ut a *conductus*, *conductilius*, *colligo collectio*: quae vero nos *Decompoſita*, illi *e tribus*, vel *e pluribus compoſita* vocabant. Priſcian. l. 5. pag. 665: DECOMPOSITA, *id eſt, a compoſitis Verbis derivata*. Deinde pag. 666: *Et componuntur vel a duabus dictionibus, ut* ſeptemtrio, ſemivir; *vel a tribus, ut* imperterritus, inexpugnabilis, inextricabilis. *Heuſing.* obſ. antib. 398.

p. 496.

Locus DEFLORARE et DEFLORARI deleatur, ac reſtituatur ſequentem in modum:

DEFLORARE pro *ſtuprare, conſtuprare, ſtuprum inferre, ſtuprum et corruptelam inferre alicui; corrumpere, vitiare, comprimere, ludificari virginem; ſubigere, violare aliquam; inferre vim alicui*, apud probatos auctores non occurrit.

* Pro *praeripere, privare, intercipere* apud Livium l. 37. c. 58. occurrit, ajentem: *Gloria victoriae deflorata, der geraubte Ruhm des Sieges*; prout *Aldus*, *Schefferus*, *Frobenius* ac *Gruterus* ediderunt: ſed *Gronovius* mavult *praeflorata*. Occurrit ſic etiam apud Gellium Lib. 14. c. 1. extr. *Futurum gaudii fructum ſpes tibi jam defloravit*; ſic enim olim editum fuit: at *Oiſelius*, *Gronovius* et *Prouſtius* nunc legunt *praefloravit*.

Defloratus v. g. *Certos atque defloratos fructus oſtendere*, Quintiliani eſt. *Defloratio* v. g. *Graculus ex omnium deflorationе conſtructus*; it. *defloratio virginitatis*, Tertulliani et Ambroſii eſt. *Defloreſco*, Ciceronis, Catulli, Auctoris ad Herennium et Claudiani eſt.

p. 497. Locus hic ſubſequens ita legatur:

DENTES pro *radiis pectinis*, *für die Zähne an den Kämmen*, perperam.

* Latine igitur dixeris: *Pecten radiis rarioribus, ein weiter Kamm;* et *Pecten radiis denſioribus, ein enger Kamm. Pecte caput prius radiis rarioribus, tum denſioribus*, Germ. *kämm dich erſt mit dem weiten Kamme, hernach mit dem engen Kamme.* Vid. *Joh. Ludov. Vivis* Exercit. L. L. p. 13.

p. 498. Ad loc. DEPRAEDICARE.

v. 2. pro *ap. Socratem*, lege *ap. Euſebium.*

Locum ſubſequentem ſic lege:

DEPUTARE pro *deſtinare, delegare*, aevi Ciceroniani non eſt, ſed novum et aetatis poſtremae, Macrobii videlicet, Tertulliani et Sulpitii Severi cet.

p. 500. Ad loc DEVOTIO.
v. 6. ſeqq. lege ſic:

* Optimis ſcriptoribus non niſi proprie ſumitur pro *actu conſecrandi et devovendi.* Sic dicebatur vel ipſa aurea aetate v. g. apud Ciceronem *devotio Deciorum, devotio capitis ſui.* Apud Tacitum Annal. 4. 52. 2. ſumitur pro *incantatione* ſ. *actu exſecrandi ſuperſtitioſo.*

p. 501. inſeratur:

DIAMETER et DIAMETRUS promiſcue in Lexicis ſcribuntur, auctorque citatur Macrobius l. 1. Saturn. c. 20, ubi vero *diametros* tantum legitur, his verbis: *Item diametros omnis cujuscumque orbis triplicata cum adjectione ſeptimae partis ſuae menſuram facit circuli, quo orbis includitur.* Aliquando poſt: *Integra diametros coeliſtis.* Poſtremo: *Altera diametros duplo alteram vincit.* Martianus Capella l. 6. ſub fin. *Hemicyclium et figura, quae diametro et peripheria media, quam eadem diametros diſtinguit, continetur.* Nec aliter alii, quibus omnibus etiam Femininum eſt, quod ἡ γραμμὴ, linea, ſubintelligitur. Errant ergo Lexica et in terminatione et in Genere; quod item in *perimetrus* fieri ſolet. Vide H. Stephanum de abuſu Gr. L. c. 1. p. 28. *Heuſing.*

p. 502.

v. 39. ſic lege: *Primo mane*, it. *inter ſolis ortum*, Juſtin. Lib. 1. c. 10. §. 4; *cum ortu ſolis*, Salluſt. B. Jug. c. 106; cet.

p. 503. Locum ſubſequentem ſic lege:

DIFFAMATORIUS v. g. *libellus, ein Pasquil, Pasquinate*, barbarum: cet.

p. 504.
v. 15. Pro *dimetatus* lege *demetatus.*

Inſeratur:

DIRIBEO et DIRIBO ſecunda et tertia Conjugatione dici, Fabriani Theſauri error eſt. Solam enim ſecundam Conjugationem veteres noverunt.

Locum ſubſequentem ſic lege:

DISCEPTATOR non eſt *diſputator* aut *ligitator*, ſed apud Ciceronem et optimos quosque ſemper vel *judex*, vel *rei ſententiaeque moderator* cet.

* Nec verbum *diſceptare* alia notione explicandum videtur: v. g. Cic. pro Dejot. c. 2: *Hanc enim, C. Caeſar, cauſam ſi in foro dicerem, eodem audiente et diſceptante te, quantam mihi alacritatem populi R. concurſus adferret.* Id. Tuſc. 4. c. 3. cet.

p. 505. ad loc.
DISCIPLINARE v. 5. ſeqq. lege ſic:

* In Participio *diſciplinatus* i. e. *bonis moribus diſciplinae beneficio praeditus*, quod exſtat apud Alcimum Avitum L. 4. v. 46, nullum habet praeſidium: multa enim dantur Participia, quorum nullum in omni Latio datur verbum. Ita v. g. apud Tacitum occurrit *incelebratus;* nec tamen verbum *incelebro* inde confici poteſt: et ap. Petronium occurrit *indelectatus;* nec tamen verbum *indelecto* inde confici poteſt: et apud Virgilium, Varronem, Celſum, Senecam et alios occurrit *indiſcretus;* nec tamen inde verbum *indiſcerno* confici poteſt.

p. 507. ad loc.
DISTRACTIO. v. 3. ſubjice: Etiam ſuſpecta hujus voc. notio eſt, qua uſurpatur pro *negotiorum multitudine, qua diſtrahimur.*

p. 508.
v. 23. ſeqq. lege ſic: Silius L. 7. v. 506. dicit, *ditione carere virtutem* i. e. poteſtate, jure, imperio; Sall. B. Cat. Cap. 20: *Poſtquam reſp. in paucorum potentium jus atque ditionem conceſſit. Ditio* privatorum etc.

Inſera-

Inſeratur:

DIVERSI pro *multi, plures*, noſtris tantum hominibus, non Romanis, probatum eſt, quibus *diverſa* erant *contraria, inter ſe pugnantia, disjuncta*. De hominibus tum demum dicitur, quum alii aliò tendunt, ſpectant, aliud ſequuntur, agunt. Vid. *Cort.* ad Salluſt. Catil. c. 2. pr. *Shroukhuſ.* ad Propert. l. 1. eleg. 10, 15. ad Tibull. l. 4. eleg. 1, 45. Non dices igitur: *Virgilii interpretes diverſi ſunt*, *quum* plures intelligi voles; *diverſis locis*, *temporibus*, pro *aliquot*, vel *ſeparatis*. Nec *diverſa* ſunt hominum *ingenia*, ſed *varia* i. e. aliis alia placent. *Heuſing.* obſ. antib. 401.

p. 513.

v. 27. ſeqq. ſic lege: Caligula primus omnium, deinde Domitianus *dominum* ſe appellari paſſus eſt, non ſine nota ſuperbiae. Videatur Sext. Aurelius et Eutropius, it. Suetonius Domit. c. 13.

p. 514. ad loc. DVBIVM v. 1. lege ſic:

DVBIVM Subſtantive pro *ſcrupulo, dubitatione.*

v. 18. lege: Latine dixeris, *ſcrupulus nobis injectus eſt et dubitatio*, *Eo mihi minus dubitationis datur*, ich habe um ſo viel weniger dabey ein dubium, Jul. Caeſ. B. G. l. 1. c. 14. §. 1.

Ad finem hujus loci ſubjice:

Neque tamen *ſcrupulus* de *quacumque dubitatione* uſurpandus eſt, quum latine *dubitationem cum ſollicitudine*, *metu et moleſtia conjunctam* ſignificet.

Locum ſubſequentem ſic lege:

DVCATVS pro *regione Principis cujusdam*, *ein Herzogthum*, nove ſignificationis; et pro *moneta aurea*, uſus ſordidi atque plebeji, ſed vita civili inevitabilis eſt.

* At pro *imperio* ſ. *publica adminiſtratione muneris*, *quod Dux ſuſtinet*, Curtii, Suetonii, Flori, Juſtini, Manilii eſt. Atque ita militiae proprie convenit: nimirum ut a *Tribuno tribunatus*; ſic a *Duce ducatus* eſt. Ita v. g *ducatum ſceleri praebere*, apud Florum eſt idem, quod *civilis belli ducem eſſe*. *der Rädelsführer ſeyn.*

Aetate ferrea pro *ductu* ſ. *deductione* increbuit. Ita v. g. Petrus Chryſologus Homilia de Magis: *Gaudent in terra*, *ſe ad Deum ducatu unici ſideris perveniſſe.*

† Quod notione certae cujusdam notiſſimae omnibus monetae aureae increbuerit, inde eſt, quod Apuliae et Calabriae Duces primi omnium Principum id aureae monetae genus fieri fecerunt. Quandoquidem etiam horum modo dictorum Ducum non niſi tres omnino fuiſſe conſtet, nempe Robertum, Rogerium et Wilhelmum, qui quidem una ſerie ab anno 1059 usque ad annum 1127 regnarint; ſequitur, hanc monetam ſtatim poſt medium ſaeculum XI. cudi coeptam eſſe. *Voſſ.* de Vit. 434. *Borrich.* Animadv. 93.

Hoc etiam obſervandum eſt, hoc vocabuli, notione illâ veteribus uſitata, et pro *regione Principis cujusdam eminentioris* ſumtum, quartae; at, quum monetam ſignificet, ex uſu eruditorum non niſi ſecundae declinationis eſſe. Ita v. g. dixerim *In toto Ducatu noſtro*, et *Hic liber mihi conſtat uno ducato*; it. *In omnibus regni Ducatibus*, et *Hic liber mihi duobus ducatis conſtat.*

p. 515. Locus ſubſequens ſic legatur:

DVELLVM perperam hodie vulgo pro *monachia*, *pugna ſingulari* ſeu *ſingulari certamine*, ut Vopiſcus, Sulp. Severus et Eutropius vocant, ſive *pugna privata* vel *pugna unius cum uno*, uſurpatur; quaſi ſit a *duo* et ipſius vi originis *pugnam inter duos* ſignificet.

* Notandum autem eſt de hoc vocabulo:

1. Ciceronem, ejusque aequales proſaicos eo uſos non eſſe; ſed Plautum et Horatium. Extat etiam in veteri oratione, à Livio L. 1. c. 32. producta. Vnde, quando hodie uſurpatur, archaice fere id fit.

2. Antiquiſſimis illis nihil aliud fuiſſe, quam quod poſtea dixerunt *bellum*, teſte ipſo Cicerone et Quintiliano. Ita enim Cicero in Orat. *Quid vero*, inquit, *licentius*, *quam quod hominum etiam nomina contrahebant*, *quo eſſent aptiora? nam ut* duellum bellum, *et* duis bis, *ſic* Duellium *eum*, *qui Poenos claſſe devicit*, Bellium *nominarunt*, *quum ſuperiores ſemper appellati eſſent* Duellii. *Plauti etiam eſt* duellator et ars duellica *pro* bellator et ars bellica. Dixerunt etiam veteres *duiga* pro *biga*. *Vorſt.* de Lat. Mer. ſuſp. 110. ſeqq. *Cell.* Antib. 160. C. P. 377.

De cetero *Duellum* diſtinguitur in *id*, *quod κατ᾽ ἐξοχὴν ſic nuncupatur*, *et praevia mutua provocatione inſtituitur*, et in *id*,

id, *quod fortuito ſit inter obvios, quod ex occurſu contrahitur*, nec *pugnae ſingularis* ſtricte ſic dictae, ſed *velitationis cruentae* nomine venire poſſit. Prior dimicandi modus vulgo apud noſtrates vocatur *ein Duell*; poſterior, vocabulo a Gallis arceſſito, *eine Rencontre*.

p. 518. v. 5. ſic lege:

E CONTRA Apulejus l. 2. de Aſino, vulgatus etc.

p. 521. ſubſequentes articuli tres ſic paullo immutentur:

ELVCIDARE i. e. *lucem adferre, lumen adhibere*, Vulgatus interpres apud Siracidem cap. 24. v. 31. Nec ſimplex *lucidare* melioris notae videtur eſſe, utpote quod occurrit non niſi apud Petrum Chryſologum Serm. 112. *Voſſ.* de Vit. 708. *Dilucidare* autem occurrit apud Auct. ad Herenn. l. 3. c. 4. A verbo *Elucidare* profectum videtur eſſe.

ELVCIDARIVS, vocabulum vehementer ſordidum, et, quod quidem ſciam, nullius prorſus auctoritatis, niſi quod libri eo inſcripti proſtant. e. g. *S. Anſelmi Elucidarius Poëticus; Pauli Stockmanni Elucidarius Haereſium, Schiſmatum, cet.; Johannis Georgii Wachteri Elucidarius Caballiſticus.* Puto, Adjectivum his ſcriptoribus eſſe, et ſubaudiri *liber* vel *libellus*.

ELVCIDVS etiam frequentant multi, quod ſimiliter tamen pro barbaro habetur: Latine pro eo dixeris, *dilucidus, perſpicuus. Borr.* Cogit. 275.

* Simplex autem *lucidus*, et Adverbium, quod inde eſt, *lucide*, it. compoſita *dilucidus* et *dilucide*, optimae notae, id eſt, Ciceronis ejusque aequalium ſunt.

* p. 522. ad loc.

EMPORIVM. Ad calcem haec ſubjungantur:

* Salluſt. B. Jug. c. 54. *urbem commercii illuſtrem*, vocat *forum rerum venalium totius regni maxime celebratum. Forum* enim ſaepius vocatur oppidum vel alius quivis locus, quo undique mercatores convenire ſolent ad emendum aut vendendum. Hinc quibusdam etiam oppidis nomen a *foro* manſiſſe videmus; ut *Forum Julium, Forum Aurelium, Forum Sempronii*, oppida Italiae ſunt ſic nominata, quod a *Julio, Aurelio, Sempronio* in iis inſtitutae fuerant nundinae, ad quas totius provinciae mercatores merces ſuas adferebant.

Inſeratur:

EMVNCTORIVM, *eine Lichtſcheere, Lichtputze*, Vulgatus Exod. 25, 38: elegantius dixeris, *forfex, qua torrefacti ellychnii prominentia reſecatur.*

p. 524. ad loc. EXAVDIRE v. 28. ſeq. ſic lege:

* *Exaudito* pro *impetratione*, Auguſtini eſt de Vn. Eccleſ. c. 16. cet.

Exaudire etiam cet.

p. 525. inſeratur:

EXCLVSIVE i. e. *ita, ut hoc vel illud excludatur, excepto hoc vel illo*, Philoſophis relinquendum.

Par ratio eſt τῷ *Incluſive* i. e. *ita, ut hoc vel illud ſimul includatur, incluſo hoc vel illo*, it. *non excepto hoc vel illo*.

Ad loc.

EXCOMMVNICARE v. 16. hujus loci, poſt verba *ex communitate ſacra exterminare*; inſerantur haec: *dire carmine aliquem exſecrari: carmen* enim h. l. ſignificat *formulam*; unde etiam *ſacrum carmen*, cetera; it. *communione ſacra depulſus*.

p. 526. inſerantur hi bini articuli ſubſequentes:

EXCVLPARE ſuſpectum: dic, *culpam removere, culpam amoliri, ſuſpicione ſe liberare*.

A Simplici *Culpo* venit non niſi *Inculpo*. *Exculpo* ignorant veteres.

EXERCITIVM pro *argumento Latine vel Graece vertendo aut jam verſo, quod magiſter diſcipulis ſuis dictavit*, perperam. Nam *exercitium* notat non niſi *actum illum, quo quis ſe in hac vel illa arte exercet, ut eo meliorem ſibi in ea adquirat habitum*.

* Vocabulum *exercitii* occurrit apud Gellium, qui l. 6. c. 15. habet *exercitia ludicra*, et l. 20. c. 5. *exercitium dicendi*. Cicero et optimus quisque pro eo frequentat vocabulum *exercitationis* v. g. *exercitatio dicendi*.

p. 527. ad loc.

EXINDE v. 14. ſeqq. hujus paginae ſic lege;

* Vſus tamen eſt notione hac improbata, ut alios deterioris notae ſcriptores tantiſper reticeam, Tertullianus l. 1. adv. Marcion. c. 22: *Homo damnatur in mortem ob unius arbuſculae delibationem, et exinde proſiliunt delicta cum poenis.* Item Sulp. Severus in vita Martini, initio: *Plerique mortales ſtudio gloriae ſaecularis inaniter dediti, exinde perennem, ut putabant, memoriam nominis ſui quaeſiverunt.* *Titii* Manud. 215.

p. 531. ad loc.

FAMIGERARE v. 4. ſic lege: Sunt enim multa Participia, quorum nullum exſtat verbum; ib.

p. 535. ad loc.

FEVDVM v. 22. huius paginae addantur ſequentia: *Feudum ſ. praedium beneficiarium in alium eodem jure transferre, einem Afterlehen geben. Ad legem feudi praedium ab aliquo accipere, die Lehne von jemand empfangen, womit belehnet werden.*

Ad loc.

FIDEIVBEO. Exeunti huic loco ſubjunge:

* Quod ſcimus, apud veteres *fides* notat

1. *Dictorum conventorumque conſtantiam et veritatem:* unde locutiones, *venire fide publica, einen ſalvum Conductum bey ſeiner Ankunft haben*, Sall. B. Jug. cap. 42; *Interponere fidem publicam; dare fidem publicam, einen Salvum Conductum oder ſicher Geleite geben; Fidem facere alicui, einem ein Ding glaubwürdig machen; Habere fidem alicui, einem Glauben zuſtellen; Adhibere fidem in aliqua re, in einer Sache Treue beweiſen; Fidem fallere, frangere, violare, laedere, exuere, ſervare, tueri, liberare; Fidem ſuam alicui adſtringere, zuſagen; Fidem alicui praebere, treu ſeyn; Fidem praeſtruere ſibi, Credit machen;* Liv. l. 28. c. 42: *Fraus fidem in parvis ſibi praeſtruit, ut, quum operae pretium ſit, cum mercede magna fallat, rechte Betrüger ſetzen ſich bey Kleinigkeiten in den Credit getreuer Leute, damit ſie, wenn es einmal der Mühe wehrt ſeyn ſolte, einen Betrug vornehmen können, der was rechts bedeute. Fides anguſta, ſchlechter Credit; Fides labefactata, adfecta, adflicta, der Miſscredit. Solutione impedita, fides concidit, der Credit fällt, wenn die Bezahlung nicht erfolget. Fidem fluxam gerere; Fide Attica mercari; Fidem alicujus implorare, invocare.*

p. 538. inſeratur:

FORESTVM i. e. *ſilva, ſaltus;* it. FORESTALIS i. e. *quod ad ſilvas pertinet*, vocabula medii aevi.

Hinc *Praefectus Foreſtalis, ein Forſtmeiſter:* pro quo Lat. dixeris *Praefectus ſaltuum.* Item *Bannum Foreſtale, das Forſt-Gerichte:* pro quo Lat. dixeris *Jurisdictio de ſilvis, Jurisdictio in rebus ad ſilvas pertinentibus.*

p. 540. Locus ſubſequens ſic legatur:

FRATRVELIS i. e. *fratris filius*, Hieronymus habet. *Fab.*

* *Patruelis* dicitur reſpectu aequalium i. e. eorum, qui a patris fratribus ſ. patruis ſunt geniti. Fratris mei filius eſt meus *fratruelis:* patrui mei filius eſt meus *patruelis.* Malim ergo, ſi ore rotundo fratris mei filius compellandus ſit, dicere *mi Fratruelis*, quam *mi fratris mei Fili!* vel, quod alii minus eleganter in proſa adhibent, *Care ex fratre Nepos!* Quamvis enim illud Cicero et Livius habeat, et hoc utcumque tolerandum ob Poëtae auctoritatem videatur eſſe; neſcio tamen, quid inepti haec circuitio adferat auribus, ſi in vocativo compelles eum, qui hoc conſanguinitatis vinculo tecum conjunctus eſt.

p. 542. inſeratur:

GARDIANVS i. e. *cuſtos*, vocabulum eſt medii aevi. Notatur eo

1. In Eccleſia Romana *Coenobii Praepoſitus apud Fratres minores, Franciſcanos, Capucinos*, cet.

2. Apud Britannos *quinque portuum Angliae Praefectus.*

p. 544. Locus ſubſequens ſic legatur:

GLISCO pro Germanico *Ausglitſchen* v. g. *acus in ſuffuſione curanda ob lubricum cryſtallini facile gliſcit*, perperam Medici. Occurrit etiam hac notione ſuſpecta apud Hermannum Hugonem in Piis Deſideriis:

Ipſa igitur noſtros avertunt crimina ſenſus,
Nullus et in vitium, ſit niſi ſtultus, abit.
Sed neque jam gliſcens ſtat in hoc dementia paſſu:
Praecipiti in pejus traditur acta pede.

* *Gliſco* enim veteribus cet.

p. 545.

p. 545. inſeratur:

GLOMVS Maſculino Genere ex Horatii l. 1. ep. 13, v. 14. in Lexicis adfertur: Bentlejus vero ibi ex MSS. edidit:

* *Vt vinoſa glomus furtivae Pyrrhia lanae;*

non *glomos*, ut vulgo. Idem negat alio auctore idoneo Maſculinum Genus uſurpari: ſolum Neutrum, *glomus*, *glomeris*, probat. *Glomus*, *i*, non eſt, niſi apud juniores.

p. 550. inſeratur:

HABILIS pro *dextro* et *ſollerte viro*, Gallicismus eſt.

p. 551. ad loc.

HEBDOMADATIM v. 9. ſeqq. ſic lege:

Liceat heic ὡς ἐν παρόδῳ monere, vocabulum *hebdomada* primae Declinationis in Fabri Theſauro poſteriorum tantummodo eſſe dici. Atque id quidem recte. Sequiori enim tempore ab Accuſativis nominum Graecorum in ER, EN, IN, ON et aliorum, nominativi priſcis inauditi fiebant. Qui autem hanc Nominativi vel Ablativi formam apud Gellium l. 3. c. 10, et apud Ciceronem Famil. l. 16. ep. 9. ſibi inveniſſe videntur, ſine dubio vitioſe deſcriptis codicibus decepti ſunt.

Locus ſubſequens ſic legatur:

HERALDICA, *die Wapenkunſt*, vocabulum novum novae diſciplinae impoſitum, origine ſua Germanicum: Latine dixeris, *doctrina de inſignibus; diſciplina, qua Principum Procerumque inſignia explicantur.* Aliis dicitur etiam *ars ſcutaria*, *ars teſſeraria.*

p. 553. ad loc.

HOMAGIVM. v. 50. hujus loci addantur haec:

Obſervemus heic locutiones: *Sacramentum alicui et apud aliquem dicere; Fidelitatis jusjurandum alicui praeſtare, einem huldigen. Obſequii publici fidem accipere, die Huldigung annehmen. Vrbes in fidem recipere, ſacramento adigere, ſich von den Städten huldigen laſſen.*

p. 554. Locum ſubſequentem lege ſic:

HORAE notione Eccleſiaſtica quid innuant, in vulgus notum eſt: Graecis dicuntur εὐχολόγιον, *Voſſ.* de Vit. 143. easdem vocare *preces horarias* malit.

Nolt. Suppl.

* Hinc locutio: *Solvere penſum precum horariarum, die Horas abwarten.*

p. 556. ad loc.

HVMILIS. v. 26. poſt verba *infimae ſortis homines*, ſubjungantur et inſerantur haec verba: Corn. Milt. *In Miltiade erat, cum ſumma humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret.*

p. 557. ad loc.

HVMILIS cet. v. 42. hujus paginae ſubjungantur haec: Nam quod Tacitus Agric. 30, 5. inquit: *Quorum ſuperbiam fruſtra per obſequium et modeſtiam effugeris;* partem hujus virtutis, non totam deſcribit. Nec Cicero, quum Epp. Fam. 2, 14. cujusdam *ſingularem modeſtiam* laudat, omnem *humilitatis* ſenſum exhaurit. Poſſis etiam *humilitatem*, quam vocant Chriſtiani, appellare *moderationem animi*, item *animum tenuitatis* vel *humilitatis ſuae conſcium.* Sed neutrum omnem ejus virtutis, quam *humilitatem* ſacer codex vocat, ambitum complectitur. Novimus etiam Ciceronis illud Offic. L. 1. c. 26: *Quanto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſſius geramus.* Et illud de Amicitia c. 20: *Qui ſuperiores ſunt, ſubmittere ſe debent in amicitia.* Sed rurſus neutrum dicit, quod Chriſtus dixit, nos eſſe jubens ταπεινὰς et colere ταπεινοφροσύνην. *Heumanni* Poeciles T. 1. pag. 434.

Par ratio eſt in Adverbio *Humiliter.*

Locum HYBRIDA ſic effer:

HYBRIDA *vocabula*, id eſt, quae ex *diverſis linguis conflata ſunt*, veluti ex Graeca et Latina, ex Graeca et Germanica, ex Latina et Germanica, cet. ſemper Latinis auribus viſa ſunt intolerabilia; niſi quod apud Virgilium L. 7. Aen. v. 565. occurrit *Amſanctus* i. e. ut Servius interpretatur, *quaſi ex omni parte ſanctus*, ex Graeco ἀμ et Latino *ſanctus* compoſitum nomen proprium lacûs ejusdam in media Italia, foetorem peſtiferum exhalantis; ac praeterea non numquam Comici, joci cauſa, ejusmodi vocabula fingunt: cet.

Ad eumdem locum HYBRIDA
v. 16. ſubjice:

Id etiam notandum, *hybrida vocabula*, *hybridas voces*, latine non poſſe dici. Subſtantivum eſt *hybrida* vel *hybrides*, non Adjectivum; nec Femininum aut Neutrum Genus magis recipit, quam alia hujus formae. Quare, ſi quid novandum eſt, *hybris* potius *vox*, et *hybrides voces*, dicendum eſt, quam *hybridae*: quoniam duo genera diverſa conjungi non poſſunt. *Henſing*. obſ. antib. 441. ſeq.

p. 558. Articulum ſubſequentem ſic paullo aliter exprimes:

IANISSAROS l. GIANIZAROS, quos vulgo et barbare nominant, non inepte appellaveris cum *Busbequio* in Epiſtolis de rebus Turcicis *Turcarum pedites ſtatarios*, vel *Praetorianum Turcarum militem*, vel *Praetorianos Turcarum pedites*, quos primus inſtituit Amurathes I.

* *Summus militiae Turcarum Praetorianae pedeſtris Dux*, Der Janitſcharen-Aga. *Summus militiae Turcarum univerſae Praefectus*, *Purpuratorum aulae Turcicae Princeps*, *ab Imperatore Turcico proximus*, der Groſs-Vezier.

Cohortes equitum Turcicorum Praetoriae, die Spahis.

p. 561. v. 32. ſeqq. ſic lege:
Et Adverbium

IMMEDIATE ſimiliter Philoſophorum recentiorum eſt, et nullo idoneo antiquitatis ſuffragio gaudet: veteres pro eo, *proxime*; *nullo interveniente*; *ſine interventu alterius*; *non alterius opera*; *ipſe per ſe*; Gr. ἀμέσως. cet.

p. 563. Locum ſubſequentem exprimas ſic:

IMPERTINENS v. g. *hoc omne eſt impertinens*, *das iſt impertinent*, *es gehört nicht zur Sache*, barbarum: dicendum pro eo, *ad cauſam non pertinens*; *ad rem nihil pertinens*; *quod extra cauſam dicitur*; *alienum a re*; *alienum ab inſtituto*; Gr. *Haec ſunt* ἀπροσδιόνυσα; *Hoc exemplum eſt* ἀπροσδιόνυσον, Germ. *dis Exempel kann nicht hieher gezogen werden*, *es gehört hier nicht her*, *es iſt impertinent*. *Goclen*. Obſ. 427. *Cell*. Antib. 45. C. P. 358.

p. 566.
v. 8. Pro ἀβεψία, lege ἀβλεψία.

p. 569. Articulus hic ſubſequens ita legatur:

INCIVILIS pro *agreſtis*, *illiberalis*, *inhumanus*, *humanitatis expers*, *invenuſtus*; cet.

p. 572. inſeratur:

INCRASSARE et INCRASSATIO v. g. *ſanguinis*, Medici habent; at citra auctoritatem veterum; hi autem pro *incraſſare* dicunt *ſpiſſare*, *craſſum facere*; et pro *incraſſatione* dicunt, *via ac modus*, *quo ſpiſſitas* vel *ſpiſſitudo* aut *craſſitudo inducitur*; cet.

v. 10. ſubjungatur: Cato A. R. c. 86: *Ubi coctum erit, lacte addat paullatim usque adeo, donec cremor craſſus factus fuerit.*

p. 575. ad loc. INFELICARE.
v. 16. ſeqq. ita lege:

* Verbum autem *infelicitare* poſtea obſolvit, et pro eo rectius uſurpatum, *infelicem reddo*, *miſerum habeo*. *Voſſ*. de Vit. 94. *Taubmannus* ad Plaut. Caſ. a. 2. ſc. 3. v. 30. Nec ipſe tamen *Caſtellio* refugit hoc verbum. Ita enim tranſtulit Gen 5. v. 22: *Hic nos recreabit a negotiis noſtris et manuum laboribus*, *quos nobis exhibet terra a Jova infelicitata*.

p. 577. in fine adde:

At cave, ponas *informare* hac notione poſteriore ſimpliciter: nam ſi nihil adjiciatur, veteribus ignotum eſt.

p. 578. ad loc. INFRACTUS.

v. 15. hujus paginae, poſt voc. *Eisgrau*; ſubjungantur haec: *invictus*, quod apud Virgilium Aen. L. 7. v. 396. notat *valde cinctus*; cet.

p. 584. inſeratur:

INSTRUMENTALIS Adjectivum eſt a Philoſophis recentioribus cuſum. Hinc pro *diſciplinis inſtrumentalibus* Latine dixeris, *doctrinae*, *quas inſtar inſtrumenti ſunt ad capiendas diſciplinas graviores*; *doctrinae*, *quibus acumen dialecticum differendique facultas exercetur*, *et quae ad contemplationem rerum ſolo animo cernendarum pertinent*.

p. 586.
v. 22. pro *relaxactio* lege *relaxatio*.

p. 591. ad loc. INTRO.

v. 6. hujus paginae ſic lege: Plautus tamen et Caeſar B. C. L. 3. c. 26. *lutur* uſurparunt etiam pro *Intro*.

Ad loc. INVALIDARE.

v. 8. hujus loci, lege: Vid. *Gruterus* et *Simeon Boſius* ad h. l.

Ad loc. INVARIATVS.

v. 10. hujus loci, ſic lege:

* Nota: *Immutatus* notionem utramque ſuſtinet: mox notat idem, quod *valde mutatus*; mox, quod *non mutatus*. Quo quidem in genere etiam ſunt *infrenatus*, *indictus*, *incinctus*, *impotens*, *invalidus*.

Inſeratur:

INVASOR Aurelii Victoris Epitome et Symmachus habent: rectius pro eo dixeris, *qui adgreditur; qui vi occupat; qui invadit nos* vel *in nos*. *Coll.* C. P. 221.

* *Invaſio* i. e. adgreſſio, in Gloſſis Cyrilli occurrit. Sed verbum *invadere* optimae notae eſt.

Ad loc. INVECTIVVS.

v. 9. hujus loci ſic lege:

Interim magis Latine dixeris, *oratio ad redarguendum comparata; oratio, qua in mores alicujus invehimus; oratio minax et acerbior; oratio, qua aliquem acerbe aut ſalſe perſtringimus; acerrima alicujus reprehenſio; aſpera alicujus inſectatio, objurgatio*.

p. 592. ad loc. INVENTARIVM.

v. 13. loci hujus ac paginae, ſic lege: item *commentarium bonorum conſcribere, res hereditarias conſignare; die Güter, das Vermögen inventiren*.

p. 594. inſeratur:

IRREFRAGABILIS et Adverbium inde derivatum IRREFRAGABILITER, infimae latinitatis aevo cuſa videntur; quemadmodum *Alexander ab Ales*, magnus ille Scholaſticus, *Doctoris Irrefragabilis* cognomine ſaec. XIII. condecoratus eſt: dic, *cui refragari nemo jure poteſt*; it. *eo modo ac ratione, qua nemo refragari poteſt*.

p. 596. Articulus hic ſubſequens ſic legatur:

IVDICIOSVS et IVDICIOSISSIMVS barbara: Lat. *judicio potens; vir magni judicii; limato et polito judicio; habens teretes aures intelligensque judicium; cujus graviſſimum eſt judicium; judicio eruditus; gravis judicii; qui eſt ſubacti judicii* l. *ſubacto judicio; qui valet judicio; vir judicii acerrimi; judicio pollens; cujus magna quaedam judicii vis eſt; homo prudens, ſapiens, conſideratus, circumſpectus; homo magni* l. *acri judicio. Oratio ſententiarum luminibus ornata; oratio ſententiis perpolita; ſapientum hominum ſenſibus ac mentibus accommodata oratio*, Cicer. Germ. *eine judicieuſe Rede*. *Goclen.* Obſerv. 22. *Sciopp.* de Stil. Hiſt. 181.

p. 597. ad loc. IVRAMENTVM.

v. 13. hujus loci et paginae, ſic lege: *venit in mentem cogitare, an forte Tribonianiſmus ſit*, cet.

v. 19. ſubjunge haec:

Khanius ad Vorſt. p. 21. ſeq. inducitur auctoritate Tertulliani, qui ante Vlpianum ea voce uſus eſt, ut eam Vlpiano non abjudicandam exiſtimet, atque ſic pro Tribonianiſmo haud habere poſſit. Haec enim habere ait Tertullianum in Apologet. adv. Gentes cap. 32. extrem. *Id in eis ſcimus eſſe, quod Deus voluit, et pro magno juramento habemus.*

p. 601. inſeratur:

LECTIONES, PRAELECTIONES, RECITATIONES pro *acroaſibus Academicis* v. g. *Qui lectionibus, qui praelectionibus, qui recitationibus noſtris intereſſe volunt, die in unſer Collegium mit gehen wollen*, non ſatis recte: neque enim ullum horum vocabulorum id, quod heic innuitur, ſi eorum interiorem vim et meliorum auctorum uſum ſpectes, ſatis ſignificat. Malim *acroaſis* v. g. *fecit acroaſin, er hat ein Collegium zum Beſten ſeiner Zuhörer angefangen*; it. *ſcholae* v. g. *Qui ſcholis noſtris intereſſe volunt, die bey uns ins Collegium gehen wollen, die bey uns ein Collegium oder Collegia halten wollen;* Quintil. *Pomeridianis ſcholis praecipere artem Oratoriam coepit, des Nachmittags hat er über die Oratorie angefangen zu leſen*; it. *interpretationes, explicationes, meditationes*. v. g. *Qui interpretationes, qui explicationes, qui meditationes noſtras, quibus Pufendorfium*

 illuſtra-

illuſtraturi ſumus, audire volunt, Germ. *die unſer Collegium über den Pufendorf mit anhören wollen.*

p. 604. ad loc. LINEA.

v. 9. hujus paginae, addantur ſequentia: *Vallo aliquid cingere foſſaque; foſſam et materiam praeducere; munitione flumen a monte ſecludere, eine Linie um etwas ziehen*, id. Caeſ.

Locus ſubſequens ſic efferatur:

LITANĪA (producte efferri debet) i. e. *preces Eccleſiae publicae et ſollemniores, ſtato tempore per ἀντίφωνα ſ. mutuas voces cantandae*, vocabulum cet.

p. 605.

ad loc. LITTERALITER.

v. 6. hujus loci ſic lege:

* Formatum ab Adjectivo *litteralis*, quod Cael. Aurel. L. 1. c. 5. habet: unde *ſenſus litteralis* apud Theologos; pro quo tamen Latine dicas, extra forum nimirum Theologicum conſtitutus, in eloquentia civili, *nativus et proprius verborum ſenſus*, *nativa et propria verborum ſignificatio.*

p. 608. ad loc. MAIESTATICE.

v. 10. hujus loci ſic habe:

* Pro *juribus majeſtaticis*, Lat. dixeris *jura ſupremi dominii*, *jura ſupremae Majeſtatis*, Livio, *jura imperii*; Tacito, *ſacra regni* vocantur.

Ad loc. MANDATARIVS.

v. 3. ſubjice: Qui analogiam, quae eſt in *legatarius, teſtamentarius, depoſitarius*, pro abſolvendo hoc vocabulo, in ſubſidium vocant, fruſtra ſunt, quum illa per ſe nihil probet.

v. 5. haec ſubjice:

* Vſurpatur etiam hoc vocabulum de *eo, qui mandata ſeu negotia noſtra ſuſcipit exſequenda; qui nobis abſentibus rem noſtram rogatu noſtro curat; cui de rebus, quas agi, quas curari volumus, mandata damus.*

Articulus ſubſequens ita immutetur:

MAXIMA, *ae*, Subſtantive, Philoſophis uſitatum; ſed barbarum: multoque magis *Brocardicum*, quod his idem notat, ſcil. quod Latine dicitur *canon, regula, vulgata ſententia, adagium omnium ſermone tritum. Voſſ.* de vit. 137. *Bowrich.* Cogit. 31. *Cell.* Antib. 66. C. P. 361.

* *Brocardicum* vocabulum medii aevi eſt, quo de ſupra: unde Galli cet.

p. 615. ad loc. MILLIARE.

v. 12. ſubjice: et Incertum auctorem B. Hiſp. c. 32. n. 6.

p. 618.

ad loc. MINISTRISSIMVS.

v. 8. hujus loci ſic habeat: *Primarius Status Adminiſter*, it. *purpuratorum primarius* l. *princeps.*

p. 619. ad loc. MISSA.

Poſt v. 30. hujus loci ſic verba ſonent:

* Latine dixeris, *ſacrum piaculare facere*, *Meſſe halten*, Liv. L. 39. c. 21; it. *Agere inferias alicujus; expriare manes defunctorum; rem divinam facere pro animabus* l. *animis mortuorum*, *Seelmeſſe halten. Sacrum propitiatorium minus ſollemne*, *Privat-oder Winkel-Meſſe.* Pro *Miſſa animarum*, eleganter et Latine dicas *Funebre ſacrum.*

Locum ſubſequentem ſic efferas:

MISSALE, *das Meſsbuch*, vocabulum Eccleſiaſticum, in Eccleſia Romana denotans illum *librum, in quo continetur Miſſarum officium.* Goclenius obſerv. 439. pro eo ſubſtituit, *liber ſacer*, *liber ritualis*, *liber liturgiae.* Aliis dicitur *ſacrorum*, *quae* Miſſae *nomine continentur*, *codex ritualis*; it. *liber, qui rituum et caeremoniarum rationes praeſcribit ac continet*, *cujusmodi* Miſſale *vocant.*

† A Zacharia Pontifice &c.

p. 620.

Locus MODICE pro *parum* cet. totus deleatur et inducatur.

p. 621. Locus MOLENDINVM legatur ſic:

MOLENDINVM i. e. *domus, ubi molitur*, vel *ipſa mola*, non primus dixit Bernhardus, Ep. 8. ut *Voſſius* de vit. 529. inculcat et in Lexicis eſt, ſed jam Auguſtinus in Pſ. 36. part. 1. pag. 276. Froben. *In molendino ergo duas dixit* (Chriſtus Matth. 24), *non duos.* Deinde: *Et* molendinum *puto dictum mundum iſtum: quia rota quadam temporum*

porum volvitur, et amatores ſuos conterit. Sic etiam in Pſalm. 142. pag. 1456. Alios Bernhardo antiquores nominat *Cangius* Gloſſar. h. v. Nec tamen Auguſtinus primus vocabuli auctor fuit, quum *molendinarius*, qui a *molendino* dicitur, in inſcriptione Saec. 4. legatur ap. Gruterum p. 114. n. 6. et apud Ammian. Marcellinum l. 17. c. 4. Grut. g. ex emendatione Valeſii. *Heuſinger.* obſ. antib. 415.

MORALE Subſtantive, ſuſpectum: dic, *praeceptum morale;* nam Adjectivum *moralis* notae eſt optimae, et ap. Cic. occurrit.

p. 624. ad loc. MVCCINIVM.

v. 9. hujus loci ſic lege: Nec *ſudarii* vocabulum, quo Suetonius utitur, ſatis idoneum cet.

p. 627. ad loc. NATIVITAS.

Ad calcem hujus loci addantur ſubſequentia:

* *Praedicere* ſ. *divinare, quo quisque fato natus ſit;* Scaliger dicit, *fortunam alicujus ac themata perſcribere*, einem die Nativität ſtellen. *Fatorum ex aſtris interpres,* ein Nativität-Steller.

p. 628. inſeratur:

NEPOTES pro *agnatis et cognatis Pontificis Romani,* nove dicitur. Vnde barbarum vocabulum *Nepotismus* i. e. Pontificis Romani ſtudium agnatos et cognatos ſuos ditandi et aliis quoquo modo praeferendi.

Ad loc. NEVTRALIS.

v. 5. 6. 7. hujus loci ſic lege: *neutri parti in bellis aut contentionibus gerendis addictus; qui neutri parti ſtudet; qui neutram amplectitur partem,* barbarum eſt, cet.

p. 629. ad loc.

NIGROMANTIA. v. 10. et 11. hujus loci ſic lege:

† Dicitur etiam *necyomantica*, *νεκυομαντεία* i. e. *inferorum conſultatio*, vel, ut Plinio dicitur, *inferorum evocatio:* quod quidem divinandi genus cet.

p. 631. inſeratur:

NOTA, *explicationis* ſignificatione, Latinum eſſe negat *Facciolatus* Ep 2. p. 277. Veteribus, Plinio, Gellio, aliis, eſt ſignum, quod iis, quae probantur vel improbantur, adſcribitur. *Heuſing.* Neque tamen heri aut nudius tertius hac notione increbuit apud didacticos, in quibus, ut artis vocabulum, ſic tolerandum.

Ad loc.

NOTARIVS. v. 6. hujus loci ſic lege: vel cum aliis *tabellio publicus*, ſt. *libellio publicus*, vel cum aliis aliter cet.

p. 632.

NOVATVRIO. v. 5. *ingenium novaturiens*, ad analogiam quidem reliquorum Verborum Deſiderativorum ſatis belle formatum, ſed ſine ſuffragatione veterum: dic, *ingenium novis et inauditis opinionibus ambitioſe indulgens.*

p. 633. ad loc.

NVDIVS SECVNDVS. v. 11. hujus loci ſic lege: Plautus enim in Trucul. *nudius quintus*, et in Trin. dicit cet.

Articulum ſubſequentem ſic profer:

NVLLATENVS Caſſiodorus et Fulgentius; exſtat etiam L. 16. Cod. de Teſtam. Militis: veteres pro eo, *neutiquam, nequaquam, minime; minime gentium, nulla ratione, nullo modo. Voſſ.* de Vit. 109. et 814. *Sciopp.* de Stil. Hiſt. 87. et 222. *Vorſt.* de Lat. mer. ſuſp. 266. *Cell.* Antib. 70. C. P. 314.

* Occurrit etiam hoc Adverbium apud Cajum JCtum Inſtitut. L. 1. tit. 4. §. 8: *Qui ex inceſtu vel nefaria conceptione nati fuerint, quamlibet matrem videantur habere, patrem vero* nullatenus *habere cenſentur, et tamquam de adulterio concepti fuerint, computantur.* Pro defendenda eadem voce et illud adjici poſſe videtur, pari plane ratione formatum vocabulum *aliquatenus* probum eſſe, quod multis idoneorum veterum teſtimoniis allatis oſtendit *Barrichius* Cogitat. 32. ſeq. Vocem *ullatenus* quoque uſurparit Cajus Inſtitut. L. 1. tit. 1. §. 4: *Nam et Latini et dediticii nec teſtamenta condere, nec ſibi ex teſtamento aliorum aliquid dimiſſum poſſunt* ullatenus *vindicare.* Ita *Khunius* ad Vorſt. p. 25. ſeq.

p. 638. inſeratur:

OCVLISTA, *ein Augen-Arzt,* barbarum: Scribonius Largus pro eo, *ocula-*

ocularius Subſtantive; Celſus, *Medicus ocularius*; Inſcriptio Gruteriana, *Chirurgus ocularius*.

Loco ORARE ſubjice:

Hinc *Orationem Dominicam* magis Latine dixeris *precandi Deum formula ab ipſo Chriſto inſtituta*.

p. 640. Articulum ſubſequentem ſic efferes:

ORDINARIE, Adverbium, i. e. *plerumque*, cet.

p. 641. Locus ſubſequens ſic efferatur:

ORDINATIO pro *initiatione Sacerdotis*, notionis Eccleſiaſticae eſt.

* *Ordinatio* &c.

p. 642. ad loc. ORGANVM.

v. 6. hujus paginae addantur haec: *pneumaticorum organorum pinnas digitis pulſare. Voſſ.* de Vit. cet.

v. 18. addantur haec: *qui hujusmodi organorum pneumaticorum et harmonicorum artifex eſt.*

Ad calcem hujus loci tandem ſubjiciantur haec:

* *Inſtrumentum Muſicum*, cui Clavichordio nomen eſt, ein Clavicordium. *Pinnae*, *quae manibus tactae propellunt et reducunt continenter regulas organi*, Vitruvio; *Organi Muſici pinnae*, aliis dicuntur die hölzerne Claves, die man mit den Fingern ſchlägt.

Locum ſubſequentem ſic profer:

ORIFICIVM i. e. *anguſtus aditus vel exitus*, *tamquam per os*, *das Mundloch*, *die Oeffnung*, v. g. *orificium ani*, *orificium ventriculi*, *orificium tormenti*; ſi cet.

p. 643. inſeratur:

OSCINES dicuntur omnes aves, quibus *cantus oris*, ut ait Plinius l. 10. c. 19; ſed non omnes illae ſunt *cantatrices*. Nam et *corvus* eſt *oſcinum* numero, quem tamen nemo *cantatorem* vocat. Itaque aves, quarum voce oblectari ſolemus, non tam *oſcines*: quod augurale nomen eſt: quam *cantatrices* vel *cantrices*, appellandae ſunt cum Plauto et Varrone. *Heuſing*. obſ. antib. 422.

Articulus ſubſequens ſic efferatur:

PAEDANTISMVS, *die Pedanterey*, vocabulum ſaeculo proxime ſuperiore XVII. quod conſtet, ab Italis ad Germanos translatum, quum Italicae originis ſit, et in vetuſtis Etruſcae linguae libris jam occurrat †, vitium notans, quod litteratis valde familiare ſit; quamlibet, ſi ſenſus communis defectum quemdam hoc ipſo innuas, mentisque corruptae vanitatem, per omnes hominum ordines paedantiſmum aliquem graſſari, et ne ſplendidiſſimum quidem vitae genus illo immune prorſus eſſe queas haud difficiliter animadvertere, ſi quidem ad lancem rectae rationis cuncta exigas. *Heumannus* Poeciles T. I. l. 1. p. 82. ſ. a Pedano, Grammatico Italo, derivat.

† Vocabulum nec Graecum, nec Latinum, ſed, ut modo dixi, Italicum eſt. Sunt tamen, qui a *παῖς*, *παιδὸς*, derivant, quaſi animi labes ſit iis propria, qui puerorum ſtudia moderentur. Elegans de eo proſtat Oratio *Vlrici Huberi*, quam *Chriſtianus Thomaſius* in collect. menſtr. 1688. p. 56. ſeqq. Germanice vertit, quae valde ſobrie et moderate rem omnem pertractat; ne quid dicam de *Juſti Chriſtophori Boehmeri*, Praeceptoris quondam noſtri in Academia Julia, et Abbatis deinceps Liberi et Imperialis Coenobii Loccumenſis, Pruluſione, quae Helmſtadii 1709. prodiit, inter quattuor alias Pruluſiones ultimo poſita loco, et characteres eorum, qui hoc vitio laborent, tamquam in picta quadam tabella ſummatim repraeſentat ſiſtitque. Conf. de origine hujus voc. *Octavii Ferrarii* Origg. ling. Ital. p. 236. *Aegidii Menagii* Origg. ling. Franc. *Edmundi Richerii* Obſtetric. anim. c. 2. n. 3. *Richelet* Dict. Francic. P. 2. p. 126. *Heumanni* Poecile Tom. 2. p. 81. Et de ipſo paedantiſmi vitio conf. *Lilienthalium* de Machiavelliſmo litterario p. 80. 109. 125. Mr. *Boileau* dans ſa quatriéme Satyre. *Bailletum* dans ſes jugemens des ſçavans Tom. I. p. 1. n. 2. et *Joh. Clericum* in Parrhaſ. Tom. I. p. 250. ſeqq.

Latine dixeris, cet.

p. 645. ad loc. PAGANI.

v. 10. ſeqq. hujus paginae ſic lege:

Nec tamen *pagani* vox Eccleſiaſticam hanc notionem recens, aut noſtra demum aetate ſuſcepit: ſed jam tum ſuo tempore Hieronymus et Oroſius ita uſurparunt: occurrit autem hac notione Eccleſiaſtica omnium primo in reſcripto Valentiniani Imp. ad Proconſulem Africae, quod videre eſt Codice Theodoſiano de Epiſcopis, lege 18.

p. 646.

p. 646.

Locum, PARENTES, dele.

Locum ſubſequentem ſic lege:

PARLAMENTVM in eloquentia civili tolerandum, ne obſcurus ſis; interim tamen barbarum eſt: Latine dixeris pro argumento, *Ordines Regni Anglicani*, vel, ut nunc ſe res habet, *Magnae Britanniae; Curia ſuprema Senatûs Regni Anglicani; Superior* vel *Inferior Regni Anglicani Curia*, das Ober- und Unter-Parlament von England; *Patres Superioris et Inferioris Regni Anglicani Curiae*, Ober- und Unter-Parlamentsherren; *Tabulae publicae Supremae Curiae in Anglia*, Parlaments-Acte in England; *Aedes publicae, ubi Comitia Regni celebrantur*, das Parlaments-Haus; *Litterae publicae Regni Anglicani Ordinum ad Regem*; *Libelius ſupplex Ordinum Regni Anglicani ad Regem*, eine Adreſſe des Parlaments in England. *Patres Inferioris Regni Anglicani Curiae conſtituerunt ſelectum virorum conſilio et auctoritate pollentium numerum, ut in comitiis res quasdam curatius expenderent*; it. *Delegerunt non nullos ex Ordinibus Regni pro ſua auctoritate ad conſultandum*. Germ. das Unterhaus des Parlaments hat eine Committé verordnet, oder iſt in einer groſſen Committé beſchäftiget.

p. 647. Articulum ſubſequentem ſic lege:

PARVMPER, PAVLLISPER et TANTISPER imperiti accipiunt pro *parum, paullulum, paullum, tantum* et *tantillum*; ſed falſo: ſunt enim Adverbia temporis et ſignificant idem, quod *parvo tempore* et *tam diu*. *Paullisper* gaudere poteſt, qui tamen non *paullulum* vel *parum*, ſed *multum* gaudeat.

* *Paullum, Paullulum, Parum, Tantum* et *Tantillum* ſignificatum remiſſionis inferunt, et opponuntur τῷ *Multum* v. g. *Paullulum, paullum, parum nummorum, temporis, etc.*: *Paullisper, Parumper, Tantisper* autem ſignificant temporis modum, id eſt, brevitatem. v. g. *Suſcipe paullisper meas partes*, id eſt, *ad breve tempus*, ſtelle dich einmal auf eine kleine Zeit an meinen Platz.

† Interdum tamen *paullum, paullulum, parum*, ſumitur pro *paullisper* et *parumper*; ſed minus recte: ipſi enim veteres ſubinde contra linguae ſuae ἀκρίβειαν agunt. Comicis propter metrum heic aliquid plus condonandum eſt. Ipſe *Freinshemius*, vir ceteroquin accuratus, heic etiam hallucinatus eſt, *paullisper* uſurpans pro *paullulum*, in ſupplemento ſuo Curtiano L. 1. c. 3. initio: Poſtquam deinde *aetas et ingenium paullisper adolevit*.

Inſeratur:

PASCHA olim non fuit tertiae Declinationis, ut nunc vulgo; ſed vel primae, vel plane ἄκλιτον, ut apud Graecos. Apud Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Ambroſium, Sulpicium Severum, Auguſtinum aliosque ſaepe *Paſchae* et *Paſcham*, nusquam *Paſchatis, Paſchate* legitur; a quibus nec ſequior aetas diſcrepat. Vnde Voſſius l. 1. de Anal. c. 26: *Paſcha*, inquit, *Paſchatis, quemquam veterum dixiſſe, non audeo adfirmare*.

p. 648. Locum ſubſequentem ſic lege:

PASQVILLVS, *ein Pasquill, Pasquinade*, vocabulum origine ſua Italicum: Latine dixeris, *libellus famoſus*, Suetonius; *carmen famoſum; libelli et carmina ad infamiam cujusquam, ſuppreſſo ſ. tecto auctoris nomine edita; libelli in alicujus opprobrium in orcheſtra poſiti; probroſa adverſus Principem facta carmina; charta carens indice, verſuum plena Satyricorum ac mordacium; epigrammata in alicujus infamiam furtim evulgata et paſſim ſuſpenſa; ſcriptum contumelioſum, quod maledictis ſauciat ac ſugillat alicujus famam; ſcriptum famoſum ſuppreſſo auctoris nomine vulgatum l. palo infami adfixum*.

p. 651. ad loc.

PENSIONARIVS. v. 14. hujus loci ſic lege:

Sunt, qui *Supremum Penſionarium apud Batavos* nuncupari malint *Procuratorem Reipublicae in Hollandia et Friſia Occidentali*, it. *Summum Belgii Foederati Status Miniſtrum*. Quum etiam ſingulae civitates apud Batavos ſuum habeant *Penſionarium*, hunc dixeris *Civitatis hujus* vel *illius Procuratorem*.

Ad loc.

PENTIREMIS v. 2. pro *vocabulum hybridum* lege *vocabulum ex duabus diverſis linguis compoſitum*.

p. 652. ad loc.

PEREMTORIVS. Subjiee huic loco:

Adverbium autem, quod inde ducitur, *Peremtorie* v. g. *Peremtorie aliquem citare*, prorſus novum videtur eſſe.

p. 666. ad loc.

PLENIPOTENTIARIVS v. 5. hujus paginae ſubjiciatur: *Legatus plena poteſtate inſtructus, ſumma poteſtate ad rem conficiendam inſtructus; Negotiorum ablegatus arbiter, qui a Rege ſummam ampliſſimamque poteſtatem negotium aliquod gerendi accepit.*

p. 668. Locum ſubſequentem lege ſic:

POROSVS ſuſpectum: dic cum Cicerone, *occultis ac tenuibus foraminibus patens*; cum aliis, *poris abundans*, cet.

p. 669. ad loc.

POSTAE v. 9. hujus loci ſic lege: *Celer* vel *curſor extra ordinem* vocari poſſit *eine Stafette, ein Courier.* Nimirum *Celeres* cet.

Ad calcem hujus loci adde: Busbequio Ep. 1. p. m. 87. *cornua, quae inflare ſolent per diſpoſitos equos iter facientium duces*, notant *die Poſthörner. Curia verum veredariarum*, das Poſtamt. *Supremus rei veredariae Senatus*, das Ober-Poſtamt. *Rei veredariae ſupremus Director* l. *Praefectus*, Poſt-Director. *Domus rei veredariae dicata*, Poſthaus. *Rei veredariae Magiſter, Tribunus celerum*, Poſtmeiſter. *Rei veredariae a ſecretis*, Poſt-Secretarius. *Amanuenſis Directoris rei vehicularis*, Poſt-Schreiber. *Privilegium rei curſoriae*, Poſt-Freyheit.

p. 670. ad loc.

POTARE v. 14. ſubjice: Interdum etiam, eadem tamen notione, tranſitive ſumtur, v. g. ap. Mantuanum Ecl. 9:

Multum igitur refert, pecudes, quae pabula carpant,
Flumina quae potent, et qua regione morentur.

p. 671. inſeratur:

POTVLENTVS, *a, um*, pro *eo, quicquid potari poteſt, was zu trinken iſt*, unde abſolute *potulentum, allerley Getränke*, valde quidem frequentatur; ſed ſuſpectum tamen eſt. Producitur quidem vulgo ex Cic. 2. de Nat. deor. c. 56: ſed *Victorius* et *Gruterus* ex optimis MSS. ſic legunt: *In ea parte oris, qua eſculentis et potulentibus iter natura patefecit.* Et ſic Nominativus foret *Potulens.*

Potulentus participialiter pro *bene potus, wolbezecht*, occurrit apud Sueton. Oth. c. 2: *Fertur et noctibus vagari ſolitus, atque invalidum quemque obviorum aut potulentum corripere.*

Locum hunc ſequentem ſic lege:

PRAEBENDA, *ae, eine Praebende, eine Pfründe*, vocabulum Eccleſiaſticum medii aevi: latine pro eo dixeris, *certum aliquod demenſum huic vel illi debitum; Reditus et cenſus annui ex bonis Eccleſiaſticis. Qui annonas jus habet inter Canonicos*, ein Praebendarius.

p. 672. ad loc.

PRAECEDENTIA v. 13. hujus loci addatur: *Primus accubitus affectare*, gern die Oberſtelle haben wollen, *Contentio vel controverſia de loco superiore, de loco principe, de principatu; Contentio de primatu* et *de prioratu* dixit Tertullianus. Germ. *der Praecedenz-Streit. De honoris praerogativis litem alicui movere*, mit jemanden um den Vorgang ſtreiten. *Busbeq.* p. m. 109: *Nullum apud Turcas de loco certamen: muneris genus, quo fungitur, ſuum cuique locum adſignat.*

p. 673. ad loc.

PRAEDICARE v. 6. hujus loci ſubjungatur: Salluſt. B. Cat. c. 48: *Ipſum Craſſum ego poſtea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam ſibi ab Cicerone impoſitam.*

p. 675. ad loc.

PRAEIVDICIVM. Ad calcem hujus loci addantur ſequentia:

* Locus Ciceronis, quem heic allegavimus, dignus eſt, quem plene exſcribamus. *Obeſt*, inquit, *plerumque iis, qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur: deſinunt enim ſuum judicium adhibere. Id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare ſoleo id, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, ſi quid adfirmarent in diſputando, quum ex iis quaereretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos* Ipſe dixit, Ipſe *autem erat Pythagoras. Tantum* opinio praejudicata *poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas.*

p. 677.

p. 677.

ad loc. PRAEPARAMENTVM

v. 7. hujus loci ſic lege:

* *Praeparatura* et *Praeparator* Tertulliano: *Praeparatorius* i. e. *ad praeparationem ſpectans*, Vlpiano tribuitur.

p. 680. inſeratur:

PRAESVMO pro *ſuſpicor* vel pro *exiſtimo* vel pro *id pro certo pono*, *ich praeſumire es*, *ich glaube es aus gutem Zutrauen*, *ich ſetze als etwas gewiſſes voraus* v. g. *Quemlibet verbi divini praeconem pium eſſe praeſumo*, perperam.

* Quid *Praeſumere* apud veteres ſignificet, de eo vide infra Parte Syntact. loc. *Praeſumere ſibi*.

p. 684. Loc. ſubſequentem ſic lege:

PROCESSIO pro *publica ſupplicatione; obambulatione religioſa; agmine ſupplicantium longo ordine procedente; proceſſu ſacra ferentium* cet.

p. 685. ad loc.

PROCESSVS. Ad calcem hujus loci adde: *De capitalibus rebus inquirere*, einen peinlichen Proceſs führen. *Sententiam judicis exſecutioni dare*, einem den Proceſs machen.

p. 686.

ad loc. PROFVNDITAS.

Huic loco addantur in fine haec:

† Nota 1: Adjectivum neutrum interdum, apud Poëtas praeſertim, more Graecorum Subſtantive ponitur. Tacitus 6 Annali: *Donec minor filius lubricum juventae exiret*, pro *lubricam juventutem*. Idem *humidum paludum*, *ſecretum loci*, dixit pro *humidae paludes*, *ſecretus locus*. Apulejus *proclive montis*, *lubricum aetatulae virentis* pro *monte proclivi*, *aetatula virenti*, *quae lubrica eſt*. Horatius *amara curarum*, pro *amaris curis*. Catullus *truculenta pelagi* pro *truculento pelago*. Virgilius *telluris operta* pro *tellure operta*. Et alia multa, quorum bonam partem enumerat *Vechnerus* in Hellenolexia L. 1. p. 42. ſeqq.

Nota 2: Duobus Adjectivis concurrentibus, alterutrum naturam Subſtantivi induit.

Ad loc. PROGNOSTICARE.

Ad finem hujus loci addantur haec verba: *Prognoſticon* ſignificat et *praedictionem et rei futurae ſignum*.

p. 687. ad loc.

PROLIXVS, v. 29. ſeqq. hujus loci ſic lege:

Fortaſſis autem *Borrichii* cauſam juvare poſſit; quod referatur interdum ad comam vel barbam. v. g. apud Terentium Heaut. A. 2. Sc. 3: *Capillus paſſus*, *prolixus*, *circum caput rejectus negligenter*; et apud Cornelium, Datam. cap. 3. n. 15 *Homo maximi corporis terribilique facie*, *quod et niger et capillo longo barbaque erat prolixa*; et apud Virgilium cet.

p. 692. ad loc.

PROTOCOLLA. v. 4. ſeqq. hujus loci ſic lege: rectius et quidem Latine dixeris *adverſaria*, *conſignationes judiciales*, vel *publicas* cet.

v. 8. ſeq. Inducas et deleas verba: *in acta publica referre aliquid*, etwas protocolliren.

v. 26. haec interſere:

* Atque ſic *in adverſaria* ſeu *in publicos alterum forenſium commentarios referre aliquid*, ſignificat *etwas protocolliren*; atque *in codicillos* ſ. *in tabulas publicas* ſ. *in publica documenta aliquid referre*, ſignificat *etwas in das Gerichts - Handelsbuch eintragen*.

p. 694. locum ſubſequentem ſic lege:

PVRGARE ἁπλῶς pro *alvum purgare*, *alvum laxare*, *alvum ducere* cet.

p. 695. v. 8. ſeqq. hujus paginae ſic lege:

* Cicero hac notione uſurpat *purgationem* v. g. de Nat. Deor. L. 3. c. 22: *Aeſculapius primus alvi purgationem invenit*. Quin et Medicorum Cicero, Celſus, ſimiliter hoc vocabulo ſic utitur.

p. 697. Locum QVANTOCIVS ſic lege:

QVANTOCIVS, *Flugs*, *je eher je lieber*, niſi in antiquioribus, ſaltem in Sulpicio Severo, it. in Licinii Imperatoris litteris publicis apud Lactantium de Morte Perſecut. c. 48. §. 8. et apud Mamert. Grat. Act. ad Julianum c. 2. occurrit: cet.

Ad loc.

QVATERNIO. v. 18. hujus loci pro *Quattuor humores*, lege *Quattuor diſtincti humores*.

p. 698. Locus hic ſubſequens legatur ſic:

QVITANCIA vel QVIETANCIA, *eine Quitung*, medii aevi eſt; Pandectae pro eo dicunt, *apocha*.

Ad calcem hujus loci adde:

* *Apocha* deſcendit a Graeco ἀποχέω, *refundo, recipio.* Latini unum vocabulum, quo *confeſſionem de recepto* exprimant, non habent. Vide *Duckerum* de Latinitate veterum JCtorum. In Codice dicitur *profeſſio pecuniae ſolutae*, *ſecuritas*, *chirographum ſecuritatis*. Bornitius cum Briſſonio vocat *ſchedulam liberatoriam*.

† *Apochae* reſpondet *antapocha*, qua debitor fatetur debitum creditori, aut qua quis ſe obligat, *die Obligation.* Pro *antapocha* tamen multo uſitatius dixeris *chirographus* ſ. *chirographum*. *Antapochae* autem vocabulum a Juſtiniano confictum dicitur ex analogia.

Ad loc. QVODLIBETVM.

v. 6. hujus loci ſic lege:

* Hodie notatur etiam hac voce *farrago verſuum male cohaerentes argutias conjungens*, ſ. *genus carminis Satyrici*; *quod diverſas actiones non nullorum fatuas in unum compingendo perſtringit.* Quod quidem cet.

p. 699. Locum RABVLISTA ſic lege:

RABVLISTA, *ein Zungendreſcher, Cauſenmacher*, barbarum: Lat. *rabula*; *homo fallax in negotiis forenſibus*; *leguleius ad negotia impedienda et expedienda callidus*; *callidus negotiorum implicandorum et explicandorum artifex*; it. *praevaricator*: cui opponitur *judex prorogator*.

Locus hic ſubſequens ſic legatur:

RAQVETVM, *ein Raquet*, Gall. *un Raquet*, vocabulum a Gallis proficiſcens: Latine dixeris, *ignis artificioſus* vel *pyrobolus* recta *linea in altum adſurgens*; *faſciculus teres pulvere nitrato repletus*.

p. 700. Locus RAVELINVM legatur ſic:

RAVELINVM, *ein Ravelin oder Auſſenwerk*, barbarum: dic cum *Boxhornio* in Hiſt. Bred. pag. 48. *moles, inſularum ſpecie, a vallo divulſae* et *aqua circumfuſae*; cum aliis, *munimentum exterius*; *moles ab reliquis munitionibus ſejuncta et quaſi abſciſſa, triangulari forma cuſpidum inſtar eminens.* Dicitur etiam *propugnaculum*, it. *moles* ſimpliciter ac ſine aliqua adjunctione.

p. 701. Locum ſubſequentem lege ſic:

RECAPITVLARE, id eſt, *ſumma rerum capita repetere*; *rerum capita ſummatim repetere*; ἀνακεφαλαιοῦν, *quaſi per capita et generatim referre*; *repetere potiora*; *ſummam dictorum repetere*; *res diſperſe et confuſe dictas in unum locum cogere ac reminiſcendi cauſa unum ſub adſpectum ſubjicere*; *colligere et breviter commonere*, *quibus de rebus verba fecerimus*; *dicta repetere quam breviſſime*, veteres non dicunt.

Tertullianus cet.

Ad finem hujus loci adde: Pro *recapitulatione*, Cicero dicit *orationis enumeratio*, *dictorum repetitio quam breviſſima*.

p. 703. Locus hic ſubſequens ſic legatur:

RECIDIVA, Subſtantive, *ein Recidiv*, ſuſpectum, licet Medicorum filii ita uſurpent: dic cum Cicerone *novae tentationes morbi*; et cum Celſo *morbus recrudeſcit*; et cum aliis, *morbus iteratus*, *morbi iteratio*, *morbi impetus revolutus* ſ. *redux*, *iteratus in morbum lapſus*, *altera ejuſdem morbi tentatio.* Cicero etiam dicit. *De integro in morbum incidit*, er hat ein Recidiv bekommen. Recte etiam dici poſſit *morbus recidivus*; nam Plinius habet *recidivas febres*.

* Nam Adjectivum cet.

Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

RECOMMENDARE barbarum: Latini agnoſcunt non niſi *commendare*.

* Ex Gallorum lingua recentiori deſumtum eſt, qui dicunt *recommender*: apud Bartolum autem ejusque adſeclas saec. XV. valde increbuit; quemadmodum Spigelius in Lexico ſuo Juris declarat: et apud eos aliosque JCtos *recommendari reus* dicitur, quando in carceribus eſt propter unum crimen, et alii veniunt implorantes officium judicis, quod iſte in carcerem conjectus etiam detineatur propter eorum cauſas ac rationes ſatis praegnantes.

† Ex Phaedri L. 2. cet.

v. 12. hujus loci adde: *Burmannus* ad hunc Phaedri locum p. 71. ed. 1727.

p. 707. Locus hic ſubſequens ſic legatur:

REGISTRARE, *Regiſtriren, Eintragen*, verbum medii aevi: dixerim pro eo, *in codicem referre; in tabulas referre; in acta publica referre. Voſſ.* de Vit. 762.

* Primitivum ejus *regiſtrum*, quod Cicero exprimit per *commentarium*, eodem habendum eſt cenſu. *Voſſ.* de Vit. 74. 596.

† Natum *regiſtrum* ex *regeſtum*, a *regerendo*, quod nomen Vopiſcus et Codex Theodoſii habet. *Fab.*

Hinc ſimiliter barbara *Regiſtrator* i. e. *actorum publicorum conſignator, qui eſt a commentariis publicis, qui acta publica conficit, qui res judiciales in acta publica refert:* et *Regiſtratura* i. e. *actorum publicorum conſignatio, litterae publicae de rebus actis memoriae cauſa conſcriptae*, vel pro argumento, *tablinum.*

p. 710. Locum ſubſequentem ſic legito:

REPRAESALIA, REPRESALIA et REPRESSALIA: hic enim triplex ſcribendi modus reperitur: vocabulum eſt medii aevi, quo intelligitur *actus ille, quo vices reddere ſolent magiſtratus ad coërcendos eos vicinorum impetus et vexas, quas bello perſequi aut propulſare haud ſit operae pretium.*

Ad calcem hujus loci ſic lege:

De *juſtitia et injuſtitia repreſſaliorum* peculiarem libellum conſcripſit *Godofredus de Peſchwitz* Jenae 1661. 8.

p. 711. Locus hic ſubſequens ita legatur:

RESIDENS pro eo, *qui publico nomine alicubi commoratur, qui Regis vel reipublicae negotiorum curandorum ergo in loco quodam peregrino* cet.

p. 714. Locum ſubſequentem ſic legito:

RESPONSORIA vocabulum Eccleſiaſticum poſteriorum ſaeculorum: ſunt autem *cantica, quibus chorus in ſacro officio canens reſpondet. Voſſ.* de Vit. 599. *Borrich*, Cogit. 35.

† Dicitur autem a *reſpondendo*, quod uno deſinente alter reſpondet et quidem chorus. Differt ab *antiphonis*, quod in *reſponſoriis* unus tantum dicat verſum, cui chorus integer reſpondeat; in *antiphonis* autem alternent verſibus chori. *Antiphonae* ſunt voces reciprocae per duos choros alternatim pſallentes ſ. cantus a choro alternatim ad chorum dictus: *Reſponſoria* ſunt voces non niſi inter unum aliquem et chorum reciprocae. Itali primum *reſponſoria* inveniſſe traduntur, ſicut *antiphonas* Graeci.

p. 715. Locum ſubſequentem ſic legito:

ROSARIUM pro *ſphaerulis precatoriis, quas in Eccleſia Romana Deo adnumerant*, pro *globulis ſacris, quos precando percurrunt*, Germ. *der Roſenkranz*, cet.

p. 718. ad loc.

SALVAGARDIA. Ad finem hujus loci ſubjice:

Per *Salvagardiam* in vita communi intelligimus etiam *milites tutelares in ſecuritatem datos; copias tutelares peregrinantibus in ſecuritatem datas.*

p. 720. ad loc.

SCABINI, v. 3. hujus paginae lege ſic:

* *Tribunal eorum* appelles ratione quadam concinniori *commune judicium*, *quod vulgo* Scabinatus *dicitur*, vel *Collegium JCtorum auctoritate publica conſtitutum, conſulentibus de jure reſpondentium*, *quos barbare* Scabinos *vocant*, Germ. *der Schöppenſtul. Voſſ.* de vit. 884.

Apud Germanos olim, qui jurisdictioni praeerant, *Comites* dicebantur, quibus adjuncti erant *Scabini*. V. *Martinii* Lexicon Philol.

Locus hic ſubſequens ita legatur:

SCANDALIZARE, Gr. σκανδαλίζειν i. e. *corrumpere juvenes; pejorem aliquem reddere; offendere malo exemplo; exemplo ſuo ad peccandum aliquem invitare; male et impie agendo alios male agere docere; perniciofum exemplum prodere; alicui eſſe offenſioni; conſcelerare alicujus aures* cet.

p. 722. inſeratur:

SCIENTIA non dicitur de *doctrina, artium praeceptis et diſciplina*, ſed de *earum peritia* et *percepta cognitione*. Non ſunt igitur vulgaria haec Latina, *amat ſcientias, patronus, magiſter et doctor ſcientiarum. Henſ.* obſ. 428.

p. 726.

p. 726. ad loc.

SEDVCERE. v. 6. hujus paginae adjiciantur haec: *Seductrix* autem Eccleſiaſtica hac notione ſumtum non tantum apud Tertullianum L. 2. adv. Marcionem cap. 2. extr. ſed etiam Apulejum in Florid. prope finem occurrit. *Khunius* ad Vorſtium p. 44.

p. 728. inſeratur:

SERVIRE pro *officium alicui praeſtare, conſulere alicui*, perperam.

p. 729. inſerantur:

SIMPLEX pro *hebetis ingenii homine* aut *vecordi*; item

SIMPLICITAS pro *vecordia* aut *inertia*, parum viris, candidae dictioni adſuetis, probatur: vix enim hac notione occurrit apud optimae notae ſcriptores.

* *Simplex* eſt veteribus fere

1. Quod *unum, neque ex aliis conflatum aut miſtum eſt*, atque ſic ei, quod *duplex* eſt, opponitur. Sic *ſimplices cibos* Tacitus Germ. cap. 23. et Plinius L. 40. c. 53. dixerunt, *unde apparatus et condimentorum ars atque varietas abeſt*.

2. Ad hominem quando refertur, *apertum ſincerumque, in quo nihil fallaciae ac doli ineſt*, ſignificat, cui *fictus* et *faver*, et quem aliquando *duplicem* Latini vocant, opponitur. Cujusmodi animis quum pueri ſint, idcirco *ſimplices annos* pro *pueritia* Martialis dixit Lib. 10. epigr. 20. Ciceroni quoque *ſimplex homo* eſt candidus et ſincerus: cujusmodi alio loco *antiquos homines, tales, qui ſunt antiqua fide*, vocat: quemadmodum et Graeci ἀρχαίους pro ἁπλοῖς dicunt. Cicero L. 11. ep. 28: *Trebatius tuum erga me animum ſimplicem atque amicum aperuit.* Id. Fin. L. 2. c. 14: *Omnia vera diligimus, id eſt, fidelia, ſimplicia, conſtantia; tum vana, falſa, fallentia odimus.*

Sic etiam *Simplicitas* veteribus fere non niſi in laude ponitur, notans *animi habitum ſimplicis ac ſinceri, qui dolis ac fraudibus et omni fuco atque fallacia abſtinet.*

Verumque illa notione, quam non magnopere probamus, aevo demum Neroniano increbuiſſe videtur. Malim autem praeferri candidiſſimam et maxime elegantem dicendi veterum rationem.

* Prorſus autem haec vocabula ea notione, qua *ſtupidioris animi habitum* prae ſe fert, damnat *Henſingerus* obſ. Antib. 430: Simplex, *inquiens*, ubi ad hominem refertur, virtutis, non vitii nomen eſt. Numquam id apud veteres, quod conſtet, *ſtolidum* ſignificat. Vide Bentlej. ad Horat. l. 1. ſat. 3. v. 57. Ipſe Seneca, qui lib. 2. de Ira cap. 16. extr. in *ſtultos* contuliſſe dicitur in Fabriano Theſauro, ſatis oſtendit, *ſimplicitatem* in laude eſſe, ideoque ejus nomen *ſtultis, luxurioſis, nepotibus*, quibus vulgo tribuatur, non convenire, qui potius incauti ſint. Vt vero non ideo, quia vulgus *prodigos* vocare ſolet *liberales*, recte *liberalem* dixeris eum, cujus profuſior ſit luxuria; ita nec *ſimplicem* Seneca auctore dicere poteris, qui *ſtultus* fuerit. Ne Aurelius quidem Victor, qui in Epit. c. 46. Vetranium ait fuiſſe *prope ad ſtultitiam ſimpliciſſimum*, dici poteſt *ſimplicitatem* magis pro vitio habuiſſe, quam is verecundiam reprehendit, qui dicit, *eſt prope ad timiditatem verecundus*. Scimus enim, virtutibus aliqua vitia eſſe finitima, in quae, qui illarum incautius ſtudioſi ſunt, facillime incidant.

Locum hunc ſubſequentem ſic legito:

SINGVLARIS pro *eo, qui moroſus, cerebroſus, opinioſus eſt, qui ſuo modo et moribus vivit* Plaut. pro *eo, qui moroſae ſuperbiae eſt*, cet.

p. 730. ad loc.

SITVARI. v. 13. ſeqq. hujus loci ſic lege:

* Etiam *ſituatio* pro barbaro habendum: Cicero pro eo, *terrae ſitus; terrae forma; terrae circumſcriptio*; Plin. L. 10. ep. 59. *loci poſitio; regionis forma; regionis ſitus; locorum ſitus; loci natura.*

p. 732. Locus SPIRITVALIS ſic legatur:

SPIRITVALIS i. e. *corporis expers, ab omni concretione materiae ſegregatus, ſejunctus*, Adjectivum, quo Eccleſiaſticis ſcriptoribus, Tertulliano, Hieronymo, aliis, nihil tritius: neque tamen profanis prorſus ignotum: ita enim Solinus cap. 23: *Corporibus noſtris commercia ſunt ſpiritualia. Cell.* C. P. 287.

Eccleſiaſtici tamen ſcriptores Biblicum πνευματικὸς ita vertunt, eoque ſenſu propterea ſumunt, qui extra civitatem Dei ignoratur: quam quidem notionem Latine vertas, *verum, quae ad animi ſanctitatem*

tem

tem pertinent, peritus; rerum divinarum ac coeleſtium ſtudiis addictus; eorum, quae ad ſanctiorem vitae habitum conferunt, intelligens.

Quodſi ſumitur pro *eo*, *qui acutus*, *ingenioſus*, *ſubtilis ingenii eſt*, notionem ſuſtinet ab omni Latio remotam, ac talem, quae in Gallia quaerenda eſt.

p. 733. Articulus hic ſubſequens ſic legatur:

STANDARTVM, *die Standarte*, vocabulum medii aevi: Latinis dicebatur *labărum* (mediâ correptâ). *Caſp. Barthius* cet.

p. 734. ad loc.

STIPVLARI. In fine hujus loci ſubjice: Veteres certe pro eo dicunt, *datâ dextra aliquid promittere*, *fidem dextrâ ſancire.*

p. 735. Locus hic ſubſequens ſic legatur:

SVADEOR timide uſurpem: rectius, *ſuadetur mihi.* Dicitur enim fere, ſaltem apud probatos auctores, *ſuadeo tibi.* Sequioris autem aevi ſcriptores v. g. Apulejus Metam. L. 9. p. m. 360. et Tertullianus de Habitu Muliebri c. 1. et Exhortat. ad Caſtitat. c. 4. habent *ſuadeo te. Khunius* ad Vorſt. p. 18. §. 33.

* Cicero de Provinc. Conſul. c. 17: *Me, ut ſibi eſſem legatus, non ſolum ſuaſit, verum etiam rogavit.* Plautus etiam Aulul. Argum. v. 6. habet *ſuaſus* ſcil. qui ſum. Si tamen cuncta in ſermone humano ad ſtateram rationis exigi praecipue debent, quâ quidem liquidum eſt, *ſuadere* et *perſuadere* requirere Accuſativum rei et Dativum perſonae; neutrum ſane exemplum ſatis recte ſeſe habet: ſicut *perſuaſus ſum*: quod etiamſi heic atque illic, praeſertim apud Poëtas, occurrat; malim tamen cum accuratioribus, *perſuaſum eſt mihi*, utpote quod rationi magis convenit, et frequentiori uſu viget. Confer, quae fuſius de eo dicuntur infra, Parte Syntactica, ad loc. *Diſſuadere aliquem ab aliqua re*; it. *Perſuaderi ſe patitur*; it. *Perſuaſus ſum.*

p. 736. inſeratur:

SVBDELEGARE verbum decompoſitum nove confictum: Lat. dixeris, *vices ſibi demandatas in alterum nobis inferiorem conferre; alteri provinciam ſibi delegatam demandare; aliquem ſibi ſubſtituere ad negotium aliquod conficiendum.*

Ad loc.

SVBDITVS v. 5. hujus loci ſic lege: *pārentes* primâ longâ; *ſubjecti* Subſtantive ſumtum; *cives*; cet.

p. 737. Locus SVBHASTARE ſic legatur:

SVBHASTARE, *auf gerichtliche Erkänntniſs etwas an den meiſtbietenden verkaufen*, Solinus et recentiores ICti: veteres pro eo dicunt, *ſubjicere haſtae; ſub haſta vendere; ſub haſta ponere; ſub haſta vendere plus licitantibus; per praeconem vendere aliquid; bona defuncti ſubjicere voci praeconis*; vel, ut Cicero loquitur, cet.

p. 738. inſeratur:

SVBORDINARE et SVBORDINATIO Philoſophis trita vocabula; Lat. *res diverſas ſic inter ſe ordinare ac diſponere, aut aliae aliis ſubjectae ſint, ut aliae ab aliis pendeant*; it. *rerum diverſarum inter ſe ordinatio.*

Ad loc.

SVBSTANTIA. v. 7. lege ſic: apud Quintilianum Declam. 5. it. 19. c. 9. Auctorem Dialogi de Oratoribus c. 7. §. 6. Aurel. v. 8. lege: Paullum LC. et complures hujus et ſequioris aetatis alios.

Locus SVCCESSIVE ſic legatur:

SVCCESSIVE Philoſophis frequens; de cetero autem ſuſpectum eſt. Latine pro eo dixeris, *progreſſu temporis* cum Cicerone, *ſucceſſu temporis* cum Quintiliano, *procedente tempore* cum Plinio.

p. 742. ad loc.

SVPERIORITAS. Subjice huic loco ſubſequentia:

Hinc *ſuperioritas territorialis*, quam ICti vocant, Latine dici poſſit *dominatio ſuperior*, *quae territorio adhaeret.* Adjectivum autem *territorialis* ſequioris aevi eſt, occurrens apud Aggenum Vrbicum in Front. de Limit. agric. p. 47.

p. 745. ad loc.

SVRGERE. Ad calcem adde haec:

* *Khunius* ad Vorſt. p. 18. etiam compoſitum *Exſurgere* eo ſenſu uſurpari obſervat

ſervat ap. Tertullianum in Scorpiac. adv. Gnoſtic. c. 2. Cyprianum de Exhortat. Martyr. c. 11. p. 177. et L. 2. adv. Judaeos c. 10. et Lactant. L. 4. Inſtit. c. 13.

p. 746. inſeratur:

SYRMA pro *comitatu* v. g. *Princeps cum longo ſyrmate venit*, *mit einer groſſen Suite*; it. pro *copioſo dicendi genere* v. g. *Magno verborum ſyrmate aliquid exponere*, ſuſpectum.

† *Syrma*, quod ſciam, non niſi *tractus veſtis muliebris* apud veteres eſt, vel *ipſa veſtis tali tractu ornata*. *ein Rock mit einem langen Schweiſe oder Schleppe.*

p. 747. ad loc.

TACTVS. v. 9. hujus loci ſic lege:

Nota heic locutiones: *Perpetuis inter canendum frequentamentis uti*; *Vocem jucunda modulatione vibrare*; *Cantu tremulo uti*, Horat. *Modos et frequentamenta varia incinere*, Coloraturen machen, Triller ſchlagen. *Vocum compoſitiones coloratae*, Triller. *Delicatiores in cantu flexiones*, Manieren, Cic. Lib. 3. de Orat. n. 98.

Locus TANTISPER prorſus hac et ſequenti pagina deleatur, quia ſuperfluus eſt, quum ad Voc. *Parumper*, quae de eo dici debent, exſtent.

p. 748. inſeratur:

TEMPE et CETE indeclinabilia eſſe, tralaticio errore ſtatuunt Grammatici. Ergone et tertio et ſexto Caſu dicendum erit *tempe?* Hoc vero non Grammatice, ſed barbare eſſet loqui. Graeca τέμπεα τέμπη, et κήτεα κήτη, Neutra ſunt, quae per omnes Caſus flectuntur, faciuntque Dativum τέμπεσι, κήτεσι. Haec ita in ſuam linguam tranſtulerunt Latini, ut terminationem quoque Graecam ſervarint. Qui licet nusquam in iis libris ſuis, qui ſuperſunt, Dativo uſi fuerint: tamen, ſi tertium aut ſextum Caſum latine exprimi opus fuerit, non peccaturus ſis, ſi vel *tempibus* dixeris et *cetibus*; vel, quod malim, *tempeſi* et *ceteſi* ac potius *cetis*, a primo Caſu *cetus*. Hoc ſi minus placet, licet etiam περιφράσει novandi neceſſitatem evitare. A doctiſſimis tamen viris veniam dari video Aeliani interpreti, qui lib. 3. var. hiſt. cap. 1. extr. non dubitarit, dum ita locus poſcebat, dicere, de *Tempibus Theſſaliqis*. Recte vero Abr. Ortelium Voſſius l. 1. Anal. c. 47. reprehendit, quod ſcripſerit, *atque haec de Tempis*: ipſe tamen non minus reprehendendus, quod hanc rationem adfert, *quaſi Tempe* non ἄκλιτον *ſit*. Rectius dixiſſet *Defectivum*. Quum ἄκλιτα ſub una terminatione per omnes Caſus vagantur, quod vero in hoc vocabulum non convenit. *Heaſ.* obſ. antib. 447. ſeq.

Locus hic ſubſequens ſic legatur:

TEMPERAMENTVM pro *corporis temperatura*, *corporis conſtitutione*, *natura*, *affectione*, κράσει, *mutua proportione ſolidorum et fluidorum*, ut non nulli Medici loquuntur, Germ. *die Beſchaffenheit der leiblichen Begierden*, cet.

p. 749. ſeq. ad loc.

TENEBRARE. v. 1. ſeqq. p. 750. ſic lege:

Tenebroſus Virgilius; *tenebricus* et *tenebricoſus* Cicero; *tenebrarius*, *ein Tockmäuſer oder Tuckmäuſer*, Vopiſcus†; *tenebrio*, *onis*, i. e. *doli architectus*, *doli et mendaciorum tenebras aliis offundens et lucem fugiens*, *ein Schleicher*, *der den Schelm hinter den Ohren hat*, *der mit ſeinen böſen Streichen hinter dem Buſche hält*, *der hinter dem Berge hält*, Nonius ex Varrone et aliis citans; *tenebreſco*, *ich werde finſter*, Auguſtinus et Petrus Chryſologus. Conf. ſupra *Obtenebrare*.

† De origine voc. *Tuckmäuſer* vid. *Hermanni* Poecile T. 1. p. 245.

p. 751. ſic ſuo loco lege:

THALERVS vocabulum novo nummorum generi, quod ſaec. XVI. innotuit, nove impoſitum. Alii vocant illum *nummum uncialem* cet.

Ad calcem modo dicti loci adde:

* *Imperialis cum ultamſe*, ein Dickthaler. *Quadrans Imperialis*, *Quadrans nummi uncialis*. ein Orth-Thaler.

p. 752. inſeratur:

THEOGNDEM, quartum Caſum, a *Theognis* ſuſpectum habet ac potius damnat H. Stephanus de abuſu L. Gr. p. 39, eodemque loco et ceteros ejus generis habet, *Adonidem*, *Alexidem*, *Buſiridem*, *Daphnidem*, *Eupolidem*, *Hyagnidem*, *Ianthidem*, *Oſiridem*, *Paridem*, *Phalaridem*, *Stratidem*, *Thyrſidem*,

ſidem, Tenaridem. Nam ne Graecos quidem hos Accuſativos in *ida* terminaſſe, ſed in IN, contendit. Non diſſentit ab eo Vrſinus in Gramm. Graeca p. 71. Nec exempla optimorum ſcriptorum refragantur. *Adonin* eſt Feſti p. 455. Gothofr. *Alexim* Virgilii Ecl. 2. v. 86. *Daphnin* Ecl. 5. v. 52. *Buſirin* Ovid. l. 1. art. v. 649. Quintil. l. 2. c. 16. p. 191. Burm. *Thetin* Virgil. Ecl. 4. v. 52. *Parin* ejusd. l. 10. Aen. v. 705. *Phalarin* Cic. l. 3. Offic. c. 16. v. 10. 16. *Heuſ.* obſ. antib. 448.

p. 754. ſic lege:

TRADVCERE pro *vertere, Ueberſetzen;* et TRADVCTIO pro *metaphraſi, die Ueberſetzung,* cet.

p. 755. inſerantur:

TRANSFIGVRARE veteres Latini ignorant: dic., *alienâ formâ inducere, alicujus formam immutare.*

TRANSLATIO pro *interpretatione, metaphraſi,* ſuſpectum.

* Quod ſcimus, notat

1. Proprie et phyſice. Plin. l. 21. c. 4: *Vitis translatione optime provenit,* der Weinſtock kömmt am beſten fort, wenn er umgeſetzt wird. Columella L. 5. c. 9. *Arbuſculae habiles translationi,* Bäumgen, die nunmehro ſtark genung ſind zur Verſetzung. Cic. 6. Verr. c. 42: *Translatio criminis,* die Ablehnung.

2. Idem, quod Graecum *Metaphora.* Cic. Orat. c. 41: *Durior translatio;* it. *Verecunda debet eſſe translatio,* unſere Metaphorae müſſen nicht von garſtigen Sachen hergenommen werden.

p. 756. v. 41. ſeqq. lege ſic:

Tandem, quum ſaec. XII. Philoſophiam Peripateticorum in occidente excolere inciperent poſt barbariem et ruditatem, quae ea loca per Hunnorum, Gothorum et Vandalorum inundationem occupaverat; transmutationem hanc per vocabula *ſubſtantiae* et *accidentis* explicare coeperunt, dictitantes, panis ſubſtantiam per conſecrationem mutari in ſubſtantiam corporis Chriſti, manentibus accidentibus panis, parum penſi habentes, quomodo Ariſtoteles vocabula ita uſurpaſſet, et an accidens ſine ſubſtantia eſſe poſſet. Atque inde ortum eſt vocabulum *transſubſtantiationis,* quod Petrus Bleſenſis primus omnium uſurpaſſe dicitur circa finem ſaeculi modo dicti XII, primitus autem publice protulit, et Eccleſiae uſurpandum tradidit cet.

p. 759. inſeratur:

TVRBATIO, *die Verwirrung,* ſuſpectum: dic., *conturbatio, perturbatio.*

* *Turbamentum* v. g. *turbamenta atque exitia reipublicae;* it. *turbamenta vulgi,* Salluſtii eſt et Taciti, et mox activam, mox intranſitivam, numquam paſſivam notionem habet. Perperam igitur heic ſubſtituitur.

Ad loc.

TVRIFICARE. v. 10. ſeq. hujus loci lege ſic: licet paullo ante Leonidae, patri ſuo, martyrii laeto animo ſubeundi cet.

Ad loc.

TVSCIA v. 4. hujus loci pro *la Toſcano* lege *Toſcana.*

p. 761. inſeratur:

VALOR i. e. *pretium* v. g. *Oboli valore vendimi poteſt, man kann's für fünf Pfennige haben,* ſuſpectum. Plinii quidem verba in Rob. Stephani Theſauro haec adferuntur, *victoriati valori vendimi;* ſed quae jam ipſi Roberto ſuſpecta fuerunt, nec dum in Plinio quicquam reperta ſunt ſolum Onomaſt. Gr. L. *Valor, τιμή.*

p. 764. inſeratur:

VERSIO vulgo ſine ſuffragio veterum dicitur *interpretatio, metaphraſis, die Ueberſetzung des Textes in eine andere Sprache* v. g. *Verſio Latina, Verſio Germanica Bibliorum,* cet.

* Deductum eſt a *vertere,* quod hac notione ſat belle ſe habet, ſi v. g. addatur *ex Graeco in Latinum,* vel ſimile aliquid, ut proinde in hoc Subſtantivo nihil deſideremus, reſpectu nempe ejusdem notionis, niſi veterum auctoritatem. *Verſio,* quod ſcimus, Chemicorum vocabulum eſt, idem apud eos notans, quod *Converſio.* Apud ſcriptores R. R. adhibetur de eo, quod facere agricolae ſolent, quum boves, emenſis agris, vertunt.

Qui vocem *translationis* heic ſubſtituunt, his nimirum onus probandi incumbit, id nominis a veteribus hoc ſignificatu fuiſſe uſurpatum. Conf. ſupra *Translatio.*

Interim

Interim et *verſio* et *tranſlatio* hac ipſa notione, quam notandam eſſe ducimus, tolerari poſſunt, ut artis vocabula, praeſertim quum ſumus didactici.

p. 765. ad loc.

VIDIMATUS. Ad calcem hujus loci appone:

* *Apographum cum autographo conferre; Deſcripta exempla ex archetypo recognoſcere; ſcripti fidem ad rationem archetypi expendere*, die Copey mit dem Original collationiren.

p. 767. ad loc.

VISITATOR. In fine hujus loci adde:

* Notentur hoc loco hi loquendi modi: *Officioſus aditus*, *Officioſa ſalutatio*, eine Viſite. *Officia ſua viſendo praeſtare*, *viſendi debita praeſtare*, die Viſite ablegen. *Viſitando reſpondere alicui*, Gegen-Viſite ablegen.

Item: *Inquirere et ſcrutari aliquem*; Corn. *Viſitare et explorare merces*, die Waaren und Bagage viſitiren. Hinc *exploratores mercium et ſupellectilis itinerarii*, die Thorſchreiber und Zollbedienten.

p. 769. ad loc.

UNIGENITUS. v. 27. hujus loci ſic lege: *Voſſ.* de Vit. 137. it. de Analogia L. 1. c. 22. pag. 83. *Sciopp.* de Stil. Hiſt. 209. cet.

p. 771. ad loc.

UNIVERSITATIS v. 32. ſeqq. hujus paginae ſic lege:

Sunt hodie, qui perſpicuitatis et diſtinctionis ergo *ejusmodi ſcholam illuſtrem et regiam*, *ejusmodi doctrinarum officinam univerſalem* vocant cum addito *univerſitatem doctam*, *univerſitatem litterariam*.

p. 772.

v. 58. ſeqq. hujus paginae ſic lege: Poſſis tamen recte etiam, ut ſolent, *thalerum* dicere *Joachimicum*; *ducatum*, *nummum aureum*. *Denarius* quum apud Romanos X aſſibus conſtet, perperam ſubſtituitur pro *groſſo*. Quin *duodenarium* rectius dicas hunc; ſed non niſi quum ſermo eſt *groſſo Miſnico*, qui conſtat duodecim nummulis, et pars imperialis vigeſima quarta eſt: nam *groſſus Caeſareus* eſt pars imperialis trigeſima; et *groſſus Marianus* eſt pars imperialis trigeſima ſexta; et *groſſus Polonicus* eſt pars imperialis nonageſima.

p. 773.

v. 24. poſt voces: quos *Janiſſaros* vulgo nominant; haec interſere:

Sic etiam: liceat mihi haec Weiſſianis verbis interponere: quum Turci regiones dividant in *Baſſatus* et *Beglerbegiatus*, quas Poloni *Staroſtias* nominant; hae voces autem *dynaſtiae* notionem expleant: non niſi cum praefamine aliquo adhibentur. v. gr. *Dividunt Poloni regiones ſuas in dynaſtias, quas quidem ſua lingua* Staroſtiarum *nomine appellant*.

p. 774.

v. 24. hujus paginae adde ſubſequentia: it. *Goclen.* Probl. Gramm. p. 66. Addantur *Nicodemi Friſchlini* Praefatio Nomenclatori ipſius trilingui praemiſſa; *Ubertus Folieta* de L. L. uſu et praeſtantia L. 2. p. 149. ſeqq. edit. Moſhem. et ipſe *Moshemius* in Diſſertatione his Folietae libris praemiſſa; *Chriſtiani Becmanni* Manuductio ad L. L. c. 16. p. 61; *Joh. Vorſtius* de Lat. mer. ſuſp. p. 10; *Sebaſt. Foxius* de Imitatione p. 28; *Reinhardi* Inſtitutiones Stili Lat. p. 7. Plures etiam auctores ὁμοψήφους adducit *Walchius* in Hiſt. Crit. L. L. cap. 4. p. 761. edit. recent.

Quam nuncupamus *contucham*, hanc Latine *pallam matronalem* dixeris: nam teſte *Pareo* Lex. Crit. p. 878. *palla eſt honeſtiſſimarum feminarum veſtimentum*.

Adriennam, praeeunte Virgilio Lib. II. Aen. v. 576. *pallam talarem* l. *pallam longam* dixeris.

Cameletum, *ein Camlot*, Gall. *un camelot*, cum Plinio L. 8. c. 48. exprimas per *veſtem undulatam*.

Quod Gallice dicitur *un manteau*, Germ. *ein aufgeſtecktes Oberkleid der Frauens-Leute*, non nulli *pallam fibulis adſtrictam* vocitant.

Diſtinguendum tandem eſt inter *Vocabula nova* et *Vocabula novata*. De *Vocabulis novis* egimus hactenus. *Vocabula novata* ſunt duplicis generis: vel quae in alium uſum deflectuntur; vel quae compoſitione novantur. Prioris generis fuerit, quod *famoſus* argentea aetate in meliorem partem acceptum ſit. Poſterioris generis ſunt *vitilitigator* a *vitio litigando* pro *homine rixoſo*; *bubſequa* pro *bubulco*; item

item illa Pacuvii: *Nerei repandiroſtrum incurvicervicum pecus.* Ad hanc claſſem etiam pertinent, quae derivatione novantur: ut, *vituperones*, *amorabundus*, *verbigerari*; cujusmodi vocibus praecipue gaudent Apulejus, Marcianus Capella, Sidonius Apollinaris, et qui ad horum exemplum ſeſe compoſuerunt.

v. 56. ſeqq. ſic lege:

VOLVPTVARIVS, *wollüſtig* v. g. *voluptuarius et nimis laetus*; *Voluptuariae Veneris filius* cet.

AD PARTEM ETYMOLOGICAM.

SECTIO II.

p. 777. et 778.

Inſcriptio Partis Tertiae hujus Lexici mei Antibarbari per diſtinctionum ſigna ſic emendetur:

Pars Tertia Etymologica, Sectio Poſterior, exhibens vocabula, falſo ſuſpecta; raro uſurpata; a Graecis petita; Poëtis, Oratoribus, Hiſtoricis, vel uni alicui ſcriptori plane propria; ſingularis, at vulgo neglectae notionis aut obſervationis; notabili differentiae ſynonymicae obnoxia; a Latinis quidem, ſed numquam aureae aetatis ſcriptoribus uſurpata; et tandem varium Particularum-ſignificatum et uſum, notabiliorem praeſertim et elegantiorem.

p. 781.

v. 28. adde: Sueton. *Vix dum firmus a gravi valetudine.*

v. 36. adde: Sueton. *A matre magnum Pompejum artiſſimo contingebat gradu.*

v. 44. adde: Salluſt. B. Catil. *Ab ſtirpe interiit.*

p. 784. Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

ABSQVE i. e. *ſine*, aureae quidem et argenteae aetatis ſcriptores habent; ſed rariſſime. In ſcriptis Ciceronis bis tantummodo ſe legere meminit *Schwarzius* ad Turſellinum p. 21. Bina autem illa loca Ciceroniana, ubi reperitur, ſunt de Invent. L. 1. c. 36. et Ep. ad Attic. L. 1. ep. 16. Conf. *Voſſ.* de Lat. mer. ſuſp. c. 9. p. 78. ſeq. *Nolt. Suppl.* *Khunius* ad Vorſt. p. 7. *Borrich.* Anal. 61. *Cellar.* Antib. 97. ſeq. C. P. 173. Conf. Sect. I. *Absque.*

p. 785.

v. 36. adjice: Auguſtino l. 1. Doctr. Chr. c. 4. *abuſus* et *abuſio* notat *uſum illicitum*, den Misbrauch.

p. 786. Locum ſubſequentem ſic lege:

ACCENTVS i. e. *intentio vocis* l. *legitima pronuntiandi ratio* cet.

p. 788. Articulus ſubſequens ſic legatur:

ACINACES, *ein Sebel*; SATRAPA ſeu SATRAPES, *ae*, *ein Landeshauptmann*, *ein Landdroſt*; PHALANX, *eine Schlachtordnung*; CIDĂRIS, mediâ correptâ, *ein Perſiſcher Zierath um Hute oder an der Mütze*; GAZA, *der Schatz*, *Vorrath an Gütern*; et alia hujusmodi vocabula non pauca ex lingua Perſica in Latinam commigrarunt: de quibus *Guilielmus Burtonus* in Lipſan. Linguae Perſicae et S. Rev. *Joh. Henr. ab Seelen* in Adnotatis ad hunc libellum.

† Celticarum praeterea vocum tantus in Latina lingua comparet numerus, ut multi cogitatione illarum inducti Celticam Latinae linguae matrem eſſe opinarentur. Etiam Germanica lingua ſibi adſerit vocabula *frameae*, quae haſta erat miſſilis, *uri*, *tecti*, *heri*, *ganzae*, quo Plinius Major utitur, cet. *Eſſedum* et *carrus*, Gallicae vel Britannicae originis ſunt.

v. 44. hujus loci adde: Conf. *Eraſmum* de Copia Verb. L. 1. p. m. 29.

p. 789. ad loc.

ACTA et GESTA v. 36. hujus paginae ſubjice: Nec inconcinne puto *acta Apoſtolorum* vocari poſſe, quae *actorum Apoſtolicorum* nomine haec nobis veniunt; quum praeſertim hac nomenclatura vel ipſe Hipponenſium Praeſul, Auguſtinus, ſubinde utatur.

Locum ACTVARIVS ſic lege:

ACTVARIVS i. e. *qui eſt ab actis judicialibus, qui acta judicii publici curat*, non minus vulgatae, quam probae notae eſt.

p. 790. ad loc.

AD v. 36. adde: Liv. L. 2. c. 61: *Cauſam agere ad populum*. P. Vatin. ap. Cic. L. 11. ep. 29. fin. *Ad Caeſarem meam cauſam agas.*

v. 41. adde: Huc etiam pertinet locutio *Ad nomen reſpondere*, Germ. *Bey der Muſterung ſich ſo fort mit ſeiner Stimme hören laſſen, wann unſer Name abgeleſen wird.* Corn. Datame: *Haec ad noſtram conſuetudinem ſunt levia et potius contemnenda.*

p. 791.

v. 34. ſeqq. hujus pag. ſic lege:

16. *Prae.*

* Cic. *Perſuadent Mathematici, terram in medio mundi ſitam ad univerſi coeli complexum quaſi puncti inſtar obtinere.* Item: *Exiſtimo, eum eſſe virum bonum et non illitteratum; ſed nihil ad Perſium.*

v. 52. hujus pag. haec ſubjice:

21. *Qualitati temporis* ſubſervit.

v. g. Petron. p. 80: *Ad lunam, beym Mondſchein.* Id. p. 81: *Nocte ad lunam radiabantur.*

p. 792. Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

ADGREDI interdum idem eſt, quod *Compellare aliquem cum indignatione quadam.* v. g. *Eum, ne quid ad gratiam reſponderet, hunc in modum fuerat adgreſſus.*

p. 793. ad loc. ADMODVM.

v. 9. hujus loci ſubjice: Atque hac notione aetati cum elegantia adjicitur v. g. *Admodum puer, Admodum adoleſcens, Admodum juvenis.*

Inſeratur:

ADNOTATIO Gellius, Praefatione; florentiori aetate pro eo dixerunt, *nota, obſervatio.*

p. 795. Loco ADSENTIO ſubjice:

* Cl. *Henſingerus* obſ. antib. p. 450. ſeq. *Adſentio* non minus, quam *Adſentior*, Ciceroni familiare eſſe creditur: ſed *Adſentior* innumeris locis, *Adſentio* paucis legitur, variantibus ſemper in his quoque exemplaribus. Lib. 1. ep. 1. editur quidem: *Nam advertebatur, Pompeji familiares adſentire Volcatio.* In quibusdam vero exemplaribus *adſentiri* eſſe, a Graevio adnotatum eſt; et in hac ipſa periodo *adſentiuntur* praecedit. Lib. 1. Offic. cap. 6. ubi vulgo, *Ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere adſentiamus*, in veteri exemplari Veneto eſt *adſentiamur*, quod Eraſmus et alii, nuper vero Pearcius et Facciolatus, limati judicii viri, receperunt, ſuis et ipſi codicibus obſecuti. Lib. 7. Attic. ep. 3. Graevius edidit, *Etſi ex parte magna tibi adſentio:* ante eum plures *adſentior.* Diomedes etiam l. 1. p. 377. adfert ex l. 2. ad Q. F. ep. 1: *Philippus, inquit, adſentio Lentulo.* At Cicero ſcripſit: *Philippus adſenſit Lentulo.* In Praeterito vero Ciceronem *adſenſi* aliquando maluiſſe, quam *adſenſus ſum*, non nego, ut idem *reverti* potius dicere ſolitus eſt, quam *reverſus ſum.* Lib. 5. ep. 2: *Sedens iis adſenſi, qui mihi leniſſime ſentire viſi ſunt.* Item l. 5. ep. 2. v. 26: *Quotiescumque aliquid eſt actum, ſedens iis adſenſi.* Addo et Paſſivum *adſenſum eſt* ex l. 1. ep. 2. v. 4, et alibi. *Henſing.* obſ. antib. 450. it. 452. ſeq.

p. 798. ad loc.

ADVERSARIA, et quidem ad calcem hujus loci:

* *Adverſaria* etiam opponuntur *codici accepti et dati.* *Adverſaria*, quae ab Imperatore L. 17. C. de fide inſtrum. *ſchedae* dicuntur, erant volumina, in quibus nomina (*die Schulden*) tumultuarie adnotabantur; quae ſaepe non ſine lituris et cancellationibus erant, nullamque habebant in foro fidem. Ex *adverſariis* nomina in *codicem accepti et dati* transſcribebantur. *Salmaſ.* de modo uſurarum p. 461.

p. 802. ad loc.

AFFECTIO v. 11. hujus loci ſubjungatur: Cave item, dicas, *affectionem ſuam alicui notam facere;* pro quo Latini, *ſtudia ſua erga aliquem profiteri;*

teri; alicui ſuum amorem oſtendere, demonſtrare, ſignificare; prolixam ſuam erga aliquem voluntatem teſtatam facere.

p. 803. ad loc.

AFFECTVS v. 8. ſeq. hujus loci lege ſic: immo etiam Plinius L. 9. ep. 13. et Lib. 10. ep. 13. et Statius Papinius Silv. L. 5. Praefat. ad Abaſcantium.

p. 806. ſic ſuo loco lege:

AGMEN eſt proprie exercitus ambulans: **ACIES** exercitus ſtans, aut in caſtris deliteſcens. *Agmen* dicitur totum corpus exercitus in itinere: *Acies* dicitur exercitus inſtructus ac paratus ad pugnam.

* Hinc locutiones: cet.

p. 807. ad loc.

AGNATI. Calci hujus loci ſubnectantur haec:

* Eleganter dicunt: *Contingit me ſecundo, tertio, quarto propinquitatis gradu*, Germ. *er iſt mit mir verwandt im zweyten, dritten, vierten Gliede.*

p. 809. ad loc.

ALIAS v. 12. hujus loci ſic lege:

Quod etſi ita eſſe non diffitemur; pluribus tamen exemplis ſtandum eſſe exiſtimamus, et propterea *alias* non adhibendum temere pro *alioquin*.

Locus hic ſubſequens legatur ita:

ALIENVS eleganter ſaepe pro *extraneo*. Cic. *Si modo erunt ejusmodi litterae, quas in alienum incidere nolim.* Plaut. Ciſtell. 1, 2, 26: *Nemo alienus heic eſt; es iſt niemand fremdes hier.*

p. 811. ad loc.

ALLEGARE v. 14. hujus pag. adde: *Busbeq.* 57: *Id ſive ex animi ſententia ita dixerit, ſive Ruſtani Roxolanaeve fraudibus in hoc allegatus.*

v. 28. ſeqq. ſic lege: Et ſane loca auctorum, quae citant, ſatis id demonſtrant. Conf. *Vorſt.* de Lat. mer. ſuſp. 142. ſeq. *Scioppius* etiam Famianum Stradam, quum haec duo invicem aliquando permutaſſet, ea propter notavit in libello, quem inſcripſit *Infamiam Famiani* p. 151. Interim tamen Poëtae hanc differentiam non ubique obſervant; quemadmodum hoc videre eſt apud Catullum carm. 67. de coma Berenices v. 57.

p. 813. ſic ſuo loco lege:

AMBIGERE Ciceroni eſt *lites agitare* ſ., *litigare in foro de aliqua re*, ſeu, ut barbare dicunt, *controvertere.*

v. 11. hujus et ſeqq. ſic lege:

Interdum etiam apud veteres occurrit pro *dubitare*, et quidem, quod hodie fere faciunt, abſolute poſitum v. g. *An hoc ita ſeſe habeat, multum ambigo.* Liv. L. 1. c. 8: *Haud nihil ambigam: quis enim rem tam veterem pro certo affirmet? hiccine fuerit Aſcanius, an major, quam hic, Creüſa matre Ilio incolumi natus.*

Inſeratur:

AMBIO Compoſitum eſſe dicitur ex *ambe* et *eo*, etſi tota ejus conjugatio repugnat. Non enim *ambeo* fit, ut in ceteris compoſitis, ſed *ambio*, *ambiunt*: non *ambibam*, (niſi rarius) ſed *ambiebam*: non *ambibo*, *ambeam*, *ambiens*, *ambeuntis*, *ambeundi*; ſed *ambiam* in Futuro et Praeſenti Conjunctivi, *ambiens*, *ambientis*, *ambiendi*. Quare propius vero videtur, *ambio* eſſe Verbum non Compoſitum, ſed derivatum ab *ambe*, ut ab *intra* nemo non concedit eſſe *intro*, a *ſuper ſupero*, niſi qui a Particulis Verba fieri omnino negat. Quamquam nec is negare poterit, ejusdem ea, quae dixi, eſſe originis, et, niſi *ſupero* ſit a *ſuper*, utique tamen *ſuper* eſſe a *ſupero*. Itaque et *ambio* vel derivatum eſt, vel, ſi ita placet, primitivum, cui cum Verbo *eo* nihil umquam fuit commune. Alia ratio eſt nominis *ambitus*, quod compoſitum eſſe mediae ſyllabae quantitas oſtendit. *Hauſ.* obſ. antib. 451.

p. 814. Locum **AMBITIOSVS.**

AMBITIOSVS etiam is dicitur, qui nimia nimioque ſtudio petit, eoque humilius, quam par eſt, ſe gerit, et valde adulatur, *der immer den Patronen die Füſſe tritt, und immer noch was zu haben will;* quod hominum genus plerumque futile et iners eſt. Par ratio eſt Adverbii *ambitioſe*, et Subſtantivi *ambitionis.*

* Cic. L. 13. Fam. Ep. 1: *Is ſic a me contendit homo minime ambitioſus, minime-*

que in rogando moleſtus. *Id.* *In honoribus petendis nimis ambitioſus.* Sic eſt apud Tacitum Agric. 1, 2. *hiſtoriam alicujus viri ſcribere ſine gratia aut ambitione* i. e. adulatione. Ipſe ſui interpres Hiſt. 1, 1, 4. *ambitionem ſcriptoris* (h. e. hiſtorici) vocat, quod antea dixerat *libidinem aſſentandi*, et paullo poſt *adulationem*.

Ad loc.

AMBO. v. 12. ſeqq. hujus loci ſic lege: Cicero Phil. 8: *Uti C. Panſa, A. Hirtius Coſſ. alter ambove, ſi eis videatur.* Salluſt. B. Jug. cap. 97: *Eo praemio illectus Bocchus cum magna multitudine Jugurtham accedit.* *Ita, amborum exercitu conjuncto, Marium jam in hiberna proficiſcentem, vix decima parte diei reliqua invadunt.* Popma.

p. 815. ad loc.

AMBVLACRA. Addantur loco huic ſequentia: Curt. *Porticus; receſſus amoeni nemoribus manu conſitis; viae denſis praealtisque arboribus umbroſae.*

p. 818.

ANIMANS, quum Adjectivum ſit, omnia genera recipit. Plerumque quidem Femininum aut Neutrum eſt; aliquando tamen et Maſculinum. Maſculinum nusquam ſaepius legitur, quam apud Ciceronem de Vniverſo, ubi *alius animans*; *omnes animantes, qui*; *animantes vivi* et alia frequentantur. Ad Maſculinum ſcilicet intelligitur *deus, homo, mundus*, ut apud Lactantium l. 2. c. 5. n. 37; ad Femininum *res, beſtia*; ad Neutrum *corpus* vel *genus*. Repete, quae *Heuſingerus* dixit ad Lactant. l. 2. c. 11. n. 2. Vid. ejusd. obſ. antib. 436. ſeq.

p. 823. Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

† ANTIGRAPHEVS; ἀντιγραφεὺς, ein Controlleur, ein Gegenſchreiber, vocabulum Graecum: Latine dixeris, *vindex et cuſtos rationum de publicis exactionibus initarum*; quum Cicero in Orat. contra Rullum ſimpliciter eum vocet *cuſtodem*. Salmaſius antiquam inſcriptionem in Hiſtor. Aug. p. 480. producit, quae habet *contraſcriptor*.

† Gallicum *Controlleur* eſt a vocabulo medii aevi *Contrarotulator*.

p. 824. inſeratur ſequens locus:

APEX, cujusque rei ſummitas ſ. eminentiae: CVSPIS, pars exacuta in gladio, cultro, haſta. *Apex* fere in alto; *Cuſpis* in acuminato eſt. Sic *apex capitis*, *apices turrium*, *montium*, *arborum*; at Medici *ad unam, duas pluresve cultrorum cuſpides medicatos ſuos pulveres* reſpectu quantitatis *exigunt*.

p. 825. ad loc.

APPELLATIO. v. 14. ſeq. hujus loci lege ſic: vocant *Summum Senatum provocationum*, it. *Summum ad quod provocatio datur, judicium*, das Ober-Appellations-Gerichte.

v. 38. hujus pag. pro *ſuiſſem* lege *ſciſſem*.

p. 826. ad loc.

APTVS. Ad calcem hujus loci adde:

Quando autem *Aptus* et *Conveniens* contradiſtinguuntur; nimirum tunc *Aptus* notat idem, quod aptari ad aliquid poteſt, et *Conveniens*, quod aptari ad aliquid debet. Sic omni quidem materiae apta Poëſis eſt; ſed haud conveniens omni.

Locus: APVD pro *in libro*: inducatur.

p. 827. ad loc.

APVD et PENES, Vltimo verſiculo hujus loci adde: v. g. ap. Salluſt. B. Cat. cap. 20: *Omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos ſunt, aut ubi illi volunt: nobis reliquerunt pericula, repulſas, judicia, egeſtatem.*

p. 828. inſeratur:

ARCESSIRE pro *arceſſere*, non eſt in obſoletis aut ſoloecis numerandum, ut quibusdam videtur, ſed Ciceronis aequalibus familiare. Caeſ. l. 5. Gall. c. 11: *Ex legionibus fabros deligit, et ex continenti alios arceſſiri jubet.* Salluſt. Jug. c. 62. v. 4: *Metellus propere cunctos ſenatorii ordinis arceſſiri jubet.* Cornel. Nepos Attic. c. 21. v. 4: *Agrippam generum ad ſe arceſſiri juſſit.* Ita enim in ſcriptis libris legitur. Id. Dion. c. 2. v. 2: *Adoleſcenti negare non potuit, quin eum arceſſiret.* Sic in eod. Axen. cujus excerptis uſus ſum, legitur. Curtius l. 6. c. 11. v. 28: *Arceſſiri eum placuit.* Idem l. 7. c. 6. v. 14: *Alexan-*

Alexander Spitamenem et Catenem juſſit arceſſiri. Juſtin. l. 18. c. 2. v. 4: *Qui cum arceſſiri ſummi erat.* Frontin. L. 1. Strag. c. 9. v. 3: *Non ex cauſa culpae videbantur arceſſiri.* Vide ibi Oudendorp. et ad Caeſ. l. 1. Gall. c. 31. v. 4. Tot locis vetus Verbi forma ſervata eſt, etſi, ut fieri ſolet, librarios et Grammaticos multo pluribus eam oblitteraſſe credibile ſit. His enim Soſipater l. 3. pag. 227. perſuaſit, *arceſſo* Infinitivum facere *arceſſere*, non *arceſſire*, et Imperativum *arceſſe*, non *arceſſi*. Qui tamen his ipſi verbis, alios fuiſſe, ſignificat, quibus *arceſſire* probatum fuerit. Itaque Drakenborch ad Livii l. 3. c. 45. v. 3. ſine cauſa hunc Infinitivum ſuſpectum habere videtur. *Heuſ.* obſ. 451. ſeq.

p. 832.

v. 5. hujus pag. ſubjice:

13. Subſervit reſponſioni, quae cum reprehenſione quadam et indignatione eſt conjuncta. Corn. Iphicr. c. 3. fin. *Id quum omnibus mirum videretur; at, ille, merito, inquit, facio.* Germ. *Wie nun dieſes allen wunderlich vorkam; ſo ſprach er; warum möget ihr euch wol hierüber verwundern? da ich doch ſolches zu thun gegründete Urſache habe.*

Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

ATQVE ADEO, quum inchoat periodum, notat

1. Fere idem, quod *propterea.*

* Cic. L. 2. in Verrr. n. 2: *Atque adeo, antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur eſſe dicenda de dignitate.* Plin. L. 5. Ep. 3: *Quid quisque ſentiat, perſpexit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio, quae ſatis apertis notis judicium ab humanitate diſcernunt. Atque adeo, ſi cui forte eorum, qui interfuerunt, curae fuerit, eadem illa legere; intelliget, me quaedam aut commutaſſe aut praeteriiſſe.*

2. Sic etiam uſurpatur, quum per exemplum id, quod ante dictum eſt, comprobare volumus.

* Plin. Jun. Epp. *Sum ex iis, qui miror antiquos: non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa et effeta natura, ut nihil jam laudabile pariat. Atqui adeo nuper audii Verginium Romanum paucis legentem comoediam, ad exemplar veteris comoediae ſcriptam, tam bene, ut eſſe quandoque poſſit exemplar.*

p. 833. ad loc.

AVCTOR. v. 4. ſeq. hujus loci ſic lege: ſed etiam Livius, Phaedrus L. 3. fab. 15. v. 18, Salluſtius, cet.

v. 25. pro *jam ferebat* lege *eam ferebat.*

p. 835. Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

AVLICVS, *a, um*, primus, quod conſtat, Suetonius Latio donavit; quem ſecuti ſunt Spartianus, Jul. Capitolinus et Sedulius.

Sed Subſtantivo ſignificatu *aulici* vocabulum veterum cuipiam uſurpatum eſſe, non liquet. Cicero, Livius et Curtius dicunt, *purpuratus.* Ita *Borrichius* Cogit. p. 80. exiſtimat.

At, quod contra Borrichium notemus, deprehenditur tamen ſignificatu ſubſtantivo apud Cornel. Nepotem in Datame c. 5. §. 2: *Qua celeritate quum magnam benevolentiam Regis Datames conſecutus eſſet, non minorem invidiam aulicorum excepit.* *Khunii* Animadv. ad Joh. Vorſtii lib. de Lat. mer. ſuſp. p. 27.

p. 836. ad loc.

AVT, SIVE, VEL. v. 15. ſeqq. hujus loci ſic lege:

* Haec vero differentia non videtur eſſe perpetua, vel talis, quae usque quaque cuſtodita a veteribus ſit. Adſunt enim non nulla exempla in contrarium. Ita enim Cicero L. 3. Offic. c. 10: *Pace vel Quirini, vel Romuli dixerim.* Varro de L. L. L. 4: *Si quis pro ſe, ſive altero dari rationem volet.* Tacitus Hiſtor. L. 4. c. 47: *Nec multo poſt neceſſitas abiit, ſive omiſſa ſimulatio.* Conf. Tac. Annal. 2. c. 25 & 29. it. Aſcon. Pedian. Comm. in Verr. 2 & 3. *Voſſ.* de vit. 165. *Vorſt.* de Lat. mer. ſuſp. 170. *Cell.* Antib. 280. C. P. 429. *Andr. Borrich.* Append. 197. ſeqq. Vindic. 233. *Cell.* Diſcurſ. Append. 93. *Khun.* ad Vorſt. p. 16.

Ad finem hujus loci ſubjice haec:

NB. *Aut* Conjunctio, aut voces conjungit ejusdem generis v. g. *Si ea, quae eſt in te, aut vis ingenii, aut dicendi venuſtas;* aut geminatum Pronomen

men requirit v. g. *Si ea, quae eſt in te, aut vis ingenii, aut is dicendi lepos;* aut opus eſt, priorem Conjunctionem relinquere v. g. *Si ea, quae eſt in te vis ingenii aut dicendi lepos.* At ſi v. g. dicas: *Si ea, quae eſt in te, aut vis ingenii aut dicendi lepos*, ſoloecum eſt.

p. 838. Integer locus, qui voc. AXIOMA repraeſentat, deleatur, et hinc quidem prorſus extrudatur.

p. 839. ad loc.

BARBARISMVS v. 4. hujus loci ſubjiciatur:

† Citra omnem veterum uſum ſapit *Bangius* L. 2. Obſerv. Philol. p. 1380, quum, quodcumque puritati linguae et Grammaticorum praeceptis repugnat, ſolo barbariſmi nomine complectatur: *Barbariſmus*, inquiens, *eſt uſus dictionis aut omnino barbarae et peregrinae, nec uſu Latinorum rectove loquentium approbatae, aut Latine quidem, ſed vitioſe vel ſcriptae vel pronunciatae, vel formatae per caſus, genera, tempora.* Subjicit deinde p. 1388. ſeqq. copioſam Diſquiſitionem de origine hujus vocis, atque tandem Arabiam ipſi patriam adſignat. Adde *Soſipat. Chariſium* l. 4. p. m. 287. i. e. ſecundum editionem Baſileenſem 1551. 8. et *Voſſium* de vit. p. 1. ed. in fol.

Barbaros ut Graeci quondam praeter ſe cunctos aliarum nationum, etiam Romanos, vocârant; ita Romani, praeter ſe et Graecos, omnes deinceps alios dixere barbaros. Nec in barbari nomine convicium fuerit, ſi, ut proprie ſonat, extraneum intelligamus: quomodo tam Romanus fuerit olim barbarus, ſi in lingua peccet Graeca, quam Graecus in Romana. Totum enim hoc eſt ex genere eorum, quae *relata*, Graecis τὰ πρός τι, nominantur. Itaque videmus, ab Arabibus in Aſia quidem barbaros nominari Graecos, Syros, Perſas et Aegyptios: in Africa contra ſic dici Hiſpanice vel Latine loquentes. Quin ipſe Ovidius, ſe, qui Romanus eſſet, et Getice non noſſet, Tomitanis, Latine loquentem non intelligentibus, barbarum haberi Lib. 3. Triſt. Eleg. 10. queritur.

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor ulli,
Et rident ſtolidi verba Latina Getae.

p. 840.

v. 13. deleatur *Popma.*

v. 29. ſubjungatur:

† At *Soloeciſmus* unde originem ſuam Etymologicam ducit? Nimirum *Solos*, Ciliciae urbem, priſcis temporibus fuiſſe a Solone, clariſſimo illo Athenienſium legislatore, conditam, in quam Athenis duxerit coloniam, referunt, cujus cives ſenſim ab Atticae linguae nitore deſciverint, et in vitioſum conſtruendi genus delapſi ſint, unde *ſoloeciſmi* vocabulum tandem enatum ſit.

v. 51. addatur:

Barbariſmis inquinata oratio apud veteres vocatur *ſtribligo dicendi* ſ. *orationis imparilitas*. Vide Gellium L. 5. c. 20.

Locus BEATITVDO ſic legatur:

BEATITVDO Cicero rarius uſurpat: longe ei uſitatius pro eo, *beatitas*.

Vtrumque autem vocabulum Cicero primus auſus eſt inducere in Latium. *Eraſm.* Cop. Verb. L. 1. c. 11.

p. 841. ad loc.

BENE. v. 8. hujus loci lege: *Cortium* ad Sall. B. Jug. c. 17.

v. 12. hujus loci ſubjunge:

3. Aliquando pro *vili pretio*. Plaut. Moſtell. 1. 3. 140: *Bene emtum tibi dare hoc verbum volo*, *ich will dir dieſer Wort guten kaufs geben.*

p. 842. ad loc.

BINI. v. 19. ſeq. hujus loci lege: v. g. *binae litterae*, non *duae*; *trinae nundinae*, non *tres*; *trinae nuptiae*, non *tres*; cet.

p. 843. inſeratur:

BVCEPHALVS in Lexicis tantum legitur; BVCEPHALAS vero non minus probatum fuit antiquis, et Graecis et Latinis. In vetuſtiſſimis quidem Curtii exemplaribus l. 6. c. 5. n. 18. exſtat, et a Radero vindicatur. E Graecis habet Arrianus l. 5. p. 336.

p. 845. ad loc.

CAMERA. v. 10. ſeqq. uſque ad calcem hujus loci dele, quia jam alibi hoc in libro occurrunt. Horum autem loco adjunge:

* In Eccleſia Romana *conclave* ſpeciatim notat

1. *Curiam illam, in quam Cardinales ſ. Purpurati Patres Pontificem electuri coëunt.*

2. *Ipſa*

1. *Ipſi hunc in finem Purpuratorum Eccleſiae Romanae inſtituta comitia ſ. concilium Purpuratorum Eccleſiae Romanae Patrum eligendi Pontificis cauſa ritu veteri certis quibusdam receſſibus incluſorum.*

p. 847. ad loc.

CAPILLAMENTVM. Exeunti huic loco adde:

† Nec injucunda lectu, nec inutila ſunt, quae de capillamentis curioſe congeſſerunt ac docuerunt *Conradus Tiburtius Range* Tr. *de capillamentis*, vulgo *Paruquen*, ed. Gripsw. 1663. 4. et *Samuel Schelwigius* Diſp. *de Capillamentis* 1683. Gedani habita, et Lipſiae 1707. 4. recuſa.

Ad loc.

CAPILLVS. v. 19. 20. ſic lege: et Tacitum Annal. 2. c. 39. in Germ. c. 31. n. 1. et Petron. p. m. 78. *crines calamiſtro convertere*, cet.

p. 848. inſeratur:

CARNIFICES ſi κατ' εὐφημισμὸν vocitare cupias, praeeunte Salluſtio dixeris *rerum capitalium vindices*.

* B. Catil. c. 35. n. 5: *In eum locum poſtquam demiſſus Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere.*

p. 849. ad loc.

CATAPHRACTVS v. 7. ſic lege: Tacitus annali 3. c. 43. *crupellarius*: c. 45. *ferratus*.

Inſeratur:

CATAPVLTA Caeſar: MANVBALISTA et SCORPIO Vegetius habet. Germ. *ein Armbruſt*, *Paleſter*: (rectius *Baleſter*), quia a Lat. *Baliſta*.

Ad loc.

CATERVA et COHORS. v. 12. ſeqq. ſic lege:

* Ceterum *cohors* a Vellejo Paterculo L. 2. c. 80. inſignitur etiam vocabulo *legionis ſemiplenae*: et a Curtio vocatur *legio dimidiata*. Nimirum conſtabat *legio* ex *cohortibus*: *cohors* autem ex *manipulis* l. *centuriis*, Germ. *aus Compagnien*: unde Curtius L. 5. cet.

p. 850,

v. 23. hujus paginae ſubjungatur:

Cohors nulli legioni adſcripta; centuria militum non legionariorum, Frey-Compagnie. *Turma certaminis equeſtris; equitum turma ad ludicrum certamen inſtructa*, Quadrille.

Inſeratur:

CAVILLATIONES Ciceroni dicuntur, quae *elenchorum ſophiſticorum* nomine in Logicis veniunt.

Ad loc.

CELEBRITAS. Fine hujus loci adde: Id. L. 2. Attic. ep. 14: *Ego propter viae celebritatem et quotidianam exſpectationem rerum novarum non commovi me adhuc Theſſalonica.*

p. 851. ad loc.

CERAE et IMAGINES. Verſiculo ultimo hujus loci adde: *Codicilli collatae dignitatis equeſtris*, Adelbrief.

Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

CEREVISIA, per Syncopen *cerevisia*, quaſi *Cereris vis* i. e. potus ex hordeo et lupulo factus, vocabulum Ciceronis aevo ignotum, occurrit apud Plinium Lib. 22. c. 25. extr. * qui pro eo tamen alibi *Zythus* vel *Zythum* habet. Ammianus Marcellinus etiam *ſabanam* vocat et *vinum hordeaceum*. *Voſſ.* de Vit. 20.

* Plinio L. 22. cap. extr. cet.

Ad finem hujus loci addantur et haec: Conf. *Joh. Henr. Meibomii Commentarius de cereviſia.* Helmſt. 1669. 4.

Notemus interim loquendi modos ſequentes: *Cereviſia craſſa, denſa*, dick Bier; *tenuis*, dünn Bier; *faeculenta*, häfig Bier; *defaecata*, ausgeklärt, ausgegoren; *acida*, ſauer Bier: *mucida*, kamicht Bier; *primaria*, von der erſten Pfanne; *cereviſia fugit*, das Bier wird ſchal; *cereviſia ſaporem ſuum ac vim amiſit*, das Bier iſt ſchal; *aceſcit*, wird ſauer, *Mucere* dicitur, quum mucida eſt, *es iſt kamicht*: *muceſcere* dicitur, quum mucida fit, *es wird kamicht*. *Flos cereviſiae*, die Weehrt. *Faex*, der Geſt.

p. 852. ad loc.

CHARTA, v. 18. praemitte: *Charta Europaea* ex detritis linteorum quisquiliis, in molis ſubactis et alumine firmatis conficitur.

p. 853. ad loc.

CHIROGRAPHVS. v. 10. hujus loci ſubjunge:

 * Non-

* Nonnumquam tamen *ſyngrapha* ponitur pro *chirographo* v. g. ap. Plaut. Aſin. A. 4. ſc. 1. Cicero ad Attic. ep. ult. et L. 6. ep. 2. Seneca L. 6. de Clem. cap. 20. et in Novella 18. c. 8. ubi haec leguntur verba: *Si quis enim ſyngrapham alicujus proferat, hic vero eam neget, etſi manum ejus prae ſe ferat, ita, ut actor in ea probanda moleſtiam ſubire cogatur*, cet.

p. 856. ad loc.

CIRCA. v. 13. hujus loci adjunge: Petr. p. m. 67: *Annorum circa ſedecim.*

p. 857. inſeratur:

CIRCVM ſumitur etiam Adverbialiter. Plaut. Moſt. 1. 4. 38: *Da cito cantharum circum, gieb die Kanne geſchwind herum.*

Ad loc.

CIRCVMSTANTIA. v. 14. ſeqq. hujus loci ſic lege:

* Pro *circumſtantias rerum conſiderare*, elegantius dixeris *judicare, qua modo ac ratione res fiat.* Et pro barbaro *cum omnibus circumſtantiis aliquid ſcribere* l. *narrare*, Latine dixeris, *accurate, accuratiſſime aliquid ſcribere;* it. *diligenter cuncta perſcribere; quae rei aut negotio adjuncta ſunt, enarrare, explicare, perſequi; pleniſſime aliquid dicere*, Cic.; *peragrare dicendo omnes latebras; omnem rem, quo pacto ſe haberet, enarravimus ſeni*, Terent.

Ad loc.

CITRA. v. 5. ſeq. hujus loci ſic lege: Sed habent non ſolum argenteae aetatis ſcriptores, Columella, Plinius, Suetonius, Quintilianus, Celſus; ſed etiam cet.

Ad calcem hujus loci haec adde:

Atque hac prima et propria notione Adverbialiter etiam ponitur v. g. apud Livium L. 10. c. 25: *Paucis citra millibus lignatores ei occurrunt.* Sic et dicimus in Comparativo *Paullo citerius*, Germ. *ein wenig beſſer her, ein wenig zurück.* Sumitur item Adverbialiter in formula *Citra quam debuit*, Germ. *mit Unterlaſſung ſeiner Schuldigkeit;* item *Citra quam decet; Citra quam fas eſt*, cet.

p. 859. ad loc.

CLAVSTRVM. v. 19. hujus loci adde: Qualis arx, quale clauſtrum exſtructum eſt ad urbes ampliores coercendas, et contra hoſtium adſultus eo melius defendendas.

Inſeratur:

CLIMA Columella habet et Vitruvius, et vocabulum Graecum eſt: apud eosdem ſcriptores itemque Gellium occurrit pro eo Latine, *inclinatio coeli, declinatio mundi, devergentia mundi;* apud alios, *certus terrarum tractus duobus parallelis interceptus.*

p. 860. inſeratur:

COCHLEA, quae teſtam habet: LIMAX, quae teſta caret.

* A *cochlea* dictum eſt *cochlear*, uti Columella, l. *cochleare*, uti Martialis exprimit i. e. inſtrumentum, quo liquida ſumuntur, et quod ad modum cochleae incurvum eſt. *Limax* dicitur a *limo*, in quo vivit.

p. 862. ad loc.

COMETES ſubjunge. Sic *Planities* multo etiam uſitatius eſt, quam *Planitia.* Sunt qui poſterius pro obſoleto habent, quo tamen interdum non nulli, praeſertim Vitruvius utatur.

p. 863. ad loc.

COMMODAMVS. v. v. 23. 24. 25. hujus loci, inducendi ac penitus delendi ſunt.

p. 864.

v. 1. et 2. hujus paginae ſic lege: *commode* per vocalem ſecundam v. g. *ſaltare commode; verba commode facere.*

Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

COMMVNE eſſe dicitur; cujus uſus omnibus eſt expoſitus, et proprietas occupanti cedit, ut *aër, aqua profluens, mare, litora maris*, et *lapilli* et *gemmae*, ceteraque, quae in litore inveniuntur. PVBLICVM eſt, quod in communi populi, aut civitatis alicujus uſu et dominio eſt, nec occupanti conceditur, ut *forum, theatrum, via, itinera publica.* Sic *commune jus* dicitur *jus naturae ac gentium*, quo omnes gentes utuntur, quod inter populos plures aut populorum rectores intercedit, ſive ab ipſa natura profectum, ſive moribus et pacto tacito introductum: *Jus publicum* vero eſt, quod populus quisque ſibi

ſibi conſtituit, quod ad omnes unius civitatis ſocios ex aequo pertinet.

Ad loc.

COMOEDVS. Ad calcem hujus loci adde:

Notemus heic locutiones ſequentes: *Ludi ſcaenici, qui toti canendo peraguntur: Actus theatrales Muſici; Dramata Muſica, Opera. Fabulam Muſicam edere,* eine Opera halten.

p. 865. ſic ſuo loco lege:

COMPENDIVM Plauto, Caeſari, Suetonio, Plinio et Ciceroni fere pro *commodo*, cet.

Ad loc.

COMPERIO. v. 25. hujus loci ſic lege: *Comperior* Sallustii eſt B. Jug. c. 52. et 108.

p. 867. inſeratur:

COMPROMITTERE et COMPROMISSVM non modo veterum ICtorum, ſed etiam ipſius Ciceronis ſunt. Significat autem *Compromiſſum*

1. *Mutuam fidem* aut *conventionem*, *qua arbitri ſententiae ſe obtemperaturos*, *invitem ſub poena uterque litigator promittit*.

2. *Facultatem a litigantibus arbitro cuidam datam ſuam utriusque partis controverſiam dirimendi.* Vnde partes *compromittere*, *de re aliqua compromiſſum facere*, *poenas et compromiſſa interponere* dicuntur.

Ejusmodi vir, ad quem partes litigantes ſic compromittunt apud ICtos, nominatim Calliſtratum, vocatur *judex compromiſſarius*, apud Ciceronem *arbiter honorarius*, *qui ex compromiſſo partium litigantium controverſias dirimit*; it. *judex*, *qui ex compromiſſo ſtatuitur.*

p. 868.

v. 24. ſeq. ſic lege: Sic apud Ciceronem loco modo dicto, et Lib. 5. ep. 12. Haec ſumme Rev. D. *Winchlerus*, hucusque Profeſſor Gymnaſii Hamburgenſis, nunc inde accitus Hildeſiam, tamquam Superintendens, Animadv. etc.

v. 59. haec adjice: Corn. Epamin. c. 4. n. 6: *Vno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere conſtituimus.*

2. *Colligendo judicare*; id, quod jam paullo indicatum eſt.

p. 869. inſeratur:

CONCORDATVM, Subſtantive poſitum, nove cuſum eſt ſaec. XII, quum Henricus V. Imp. in poſtulata Pontificum, quibus antecedentes Imperatores maſcule ſe oppoſuerant, tandem tot vexarum pertaeſus, conſenſiſſet. Hinc *Concordatum Germaniae* i. e. pactio Imperatoris cum Pontifice de beneficiis Eccleſiaſticis.

Adjectivum Participiale *Concordatus*, *a*, *um*, in Pandectis ap. Papinianum occurrit. Verbum *Concordare*, Ciceronis, Terentii, Ovidii eſt.

p. 870. ad loc.

CONDVCIBILIS. v. 8. 9. hujus loci ſic lege:

Vſitatius dixeris, *utilis*, *accommodatus*, *ſalutaris*, vel aliter pro argumento.

p. 871. ſic lege:

CONFISCARE i. e. *in fiſcis et arca reponere*, *fiſco inferre*, *in fiſcum Principis redigere*, cet.

p. 872. ſic lege:

CONFVNDI ἀπλῶς pro *erubeſcere*, *pudefieri*, *pudore adfici*, *pudore confundi*, invenitur non tantum apud antiquum ſacrarum litterarum Interpretem, ſed etiam apud Apulejum, Tertullianum, Lactantium, Cyprianum, cet.

p. 873.

v. 25. ſic lege: *Cell.* C. P. 246. *Klinius* ad Vorſt. 12. 13.

p. 874.

Pro *meminitque* — *legere* l. et in Ovidio l. 15. Metamorph. 5, 478:

Ora vacent epulis, alimentaque congrua carpant.

Quamlibet, quod haud diſſimulandum, in pluribus libris ſit *mitia*. Praeter Poëtas igitur vix occurrerit idoneus auctor, apud quem exſtet *congruus*.

Inſeratur:

CONIECTATIO ad vocabula rariora referendum, et ap. Plinium Avunculum occurrit: uſitatius eſt *conjectura* v. g. *conjecturam facere* l. *capere*; *conjectura proſpicere*, *aberrare*.

p. 875.

v. 3. ſeqq. hujus paginae ſic lege:

CONSEQVIMVR labore et ſtudio: IMPETRAMVS precibus: ADIPISCIMVR favente fortuna.

v. 16. hujus loci ſubjice: Cic. pro Cluent. c. 42: *Summos honores a populo Romano adeptus eſt.* Plin. L. 35. c. 10: *Palmam adeptus eſt.*

* *Adipiſci* tamen pro *impetrare* uſurpat Salluſtius B. Jug. c. 84: *Ab Imperatore facile, quae petebant, adepti.*

p. 877.

Loco: CONSVMMATVS ad finem ſubjice haec: Cic. Phil. 11, 7: *Etiam conſummatis profeſſoribus difficile.*

p. 880. v. 1. ſeqq. ſic lege:

* *Haſtâ projectâ, mit gefälleter Pique,* exſtat ap. Nep. Chabr. c. 1. *Haſtas jungere, et ab utroque latere temere incurrentium ilia ſuffodere, ſpaniſche Reuter machen, die Piquen creutzweiſe pflanzen,* apud Curt. L. 4. c. 15: quae *haſtae junctae* ab Livio L. 44. c. 11. *cervi* vocantur. *Haſtulas conjicere, Javeline werfen. Milites in liminibus caſtrorum vigilias agentes; Statio excubitorum certo in loco collocata, ein Piquet.*

p. 881. v. 9. ſubjice:

3. Eleganter quoque Comparativo additur, tamquam Adverbium v. g. *Liber auro contra carior.*

Loco

CONTRARIO ſubjice: *Heuſingerus* Obſerv. antib. 379: *Contrario,* ait, nulla ſatis certa auctoritate, vulgi tantum uſu, invaluiſſe, oſtenſum a me eſt ad Corn. Nep. Eum c. 1. v. 5.

Ad loc. CONVENIRE.

v. 8. hujus loci adde: Etiam Salluſtius B. Jug. c. 11. ſic uſurpat, ſed ita, ut addat *in unum* v. g. *Convenire in unum,* ſcil. locum.

v. 17. haec add: *Convenire alicui* pro *cum aliquo,* occurrit apud Hygin. fab. 105.

p. 883. v. 2. ſubjice:

Conventio, qua pendendorum de mercibus vectigalium modus conſtituitur, Tarif. *Pactum l. conventum de re mercatoria initum; Pactum mercatoria,* Commercien-Vergleich den Zoll und das Geleite betreffend.

Locus ſubſequens legatur ita:

CONVICIOR, *ich läſtere, ich ſchmähe,* Quintilianus, Petronius p. m. 62. et Apulejus habent, et addunt Dativum v. g. *Contra ſentientibus inhumane conviciantur;* it. *Quod ſaniori conviciarer.*

p. 885. ad loc.

CORIVM, v. 12. ſubjice: *Corium Cordubenſe, Corduan.*

p. 886. ad loc.

CORONA. v. 15. ſeqq. hujus loci ſic lege: Atque omnino de vario coronarum genere erudite multa coacervarunt *Car. Paſchalius* de Coronis libro, quo res omnis coronaria e priſcorum eruta et collecta monumentis continetur, Lugd. 1671. 8. maj. item *Martinus Schmeitzel* de coronis tam antiquis, quam modernis iisque Regiis, Ienae 1712. itemque *Valtrinus, Lipſius, Stewechius, Valturius, Meurſius* Junior, *Lydius,* alii.

p. 887. inſeratur:

CORRIPERE pro *reprehendere, increpare, arguere, redarguere, verbis caſtigare, verbis inſectari, aſperioribus verbis appellare,* ita comparatum eſt, ut rariſſima ejus in optima latinitate appareant veſtigia: occurrit autem hac notione apud Horatium L. 2. Sat. 3. v. 257:

Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri;

et ab Cic. in Epp. *Quid alios putas? clamoribus ſcilicet maximis judices corripuerunt, et oſtenderunt, plane eſſe, quod fieri non poſſet.*

Corripere

1. Vſitatiſſime notat *invadere* v. g. *Corripi morbo, dolore, febri,* cet.
2. Interdum *ad ſe trahere.* Corn. Nep. 18, 2, 3: *Omnium partes corripere atque complecti.* Tacitus Annal 11, 8, 4: *Neque cunctabatur, quin proximas praefecturas corriperet.*
3. *Corripere ſe intrò ad aliquem,* ap. Terent. Hec. 3, 3, 5, eſt, *raptim ſe ad aliquem recipere.*
4. *Corripere ſyllabam,* Grammaticorum eſt.

p. 888. ad loc.

CRVCIFIGO. v. 7. hujus loci ſubjunge: Petron. p. 361. *ire in crucem.*

p. 889.

p. 889. ad loc.

CVLTVS. v. 13. ſeqq. uſque ad finem hujus loci deleantur.

Inſeratur:

CVLTVS et CVLTVRA ſic differunt. *Cultus* Deum, religionem, ritus ſacros et caerimonias reſpicit: *Cultura* agrorum, fundi et vitium eſt.

Vtrumque refertur ad ingenium: ſed ſic fere, ut *cultura* ad inſtitutionem in actu; *cultus* ad inſtitutionem in effectu pertineat. Sic autem patientem accommodamus *culturae*, non *cultui*: ingenii autem *cultus* mirifice commendat homines.

p. 890. inſeratur:

CVRA pro *libro*, *docta commentatione*, argentea aetate demum increbuit. Vid. Martial. L. 1. ep. 108. Tacitus Ann. 4, 11. 6.

p. 891. Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

CVRRVS, quo honeſte vehimur: PLAVSTRVM agricolae et mercatores in frumentis, lignis, mercibus deportandis uſurpant: RHEDA, VEHICVLVM ſive CARPENTVM celeritate et agilitate ſe commendat, *eine Chaiſe*, *Kaleſche*: PETORITVM cet.

Ad calcem hujus loci adde:

Rheda ordinaria, it. *Vehiculum publicum*, die Landkutſche.

p. 892. ad loc.

DE Praepoſitio v. 13. ſeqq. hujus loci ſic lege:

2. Reſpicit *locum*, *unde*.

* Ter. *Clamat de via*. Cic. *Nos enim declamatorem de ludo, aut rabulam de foro quaerimus*. It. *Exire de navi*. It. *De Sicilia abire*. It. *De provincia decedere*. It. *Librum aliquem numquam de manu deponere*.

3. Tempus, *quando?*

* v. g. Cic. *De nocte venit*. Id. *Vt conſiderata diligenterque naviges de menſe Decembri*. Id. *De medio die*. Jul. Caeſ. L. 1. B. C. c. 51. §. 4: *Afranius de nocte proficiſcitur*.

4. *Qualitatem perſonae*.

* Cic. *Is accuſator de plebe fuit*. It. *Homo de ſchola*, ein Schulmann. It. *Quidam de collegis noſtris*.

† *Accuſator de plebe* i. e. plebejus. *Homo de ſchola* i. e. ſcholaſticus. Cic. pro Arch. *Poëta de populo* i. e. popularis. Florus: *Mercenarius de villa* i. e. villaticus. It. *Aper de ſilva* i. e. ſilveſtris. Subſtantivum cum Praepoſitione, ſaepe pro Adjectivo eſt.

5. *Multitudinem*.

* v. g. *Vnus de multis*. It. *Vnus de ſeptem*. It. *Vnus de populo*. It. *Nemo de noſtris fuit*.

6. *Materiam*.

* Cic. *Oratio Craſſi de colonia Narbonenſi*. It. *Hermannus Conringius ſcripſit de finibus Imperii Germanici*.

7. *Modum* ac *Qualitatem*.

* Petronius p. m. 81: *De nave carcerem facere*, *aus dem Schiffe einen Gefangen-Stock machen*.

8. Significat etiam *propter*.

* Cic. *Regulus*, *de captivis commutandis*, *Romam miſſus*. It. *Legati de pace*, *de captivis redimendis*. It. *De nihilo iraſci*. It. *Gravi de cauſa*: It. *Certis de cauſis*. It. *Quibus de cauſis*. It. *De imperio certare*.

9. Vſurpatur cum Ablativo, pro Genitivo, Poëtice.

* Plaut. *Haec ſunt verba de legibus*: pro, *verba legis*. Ovid. *Materiam quaeris? laudes de Caeſare dixi*: pro, *laudes Caeſaris*.

10. Ponitur etiam pro *Quod attinet ad*.

* Cic. *De pace ſentio*, *ſimulationem eſſe apertam*. Id. *Virtus*, *quam tu ne de facie quidem noſti*. Id. *De Dymno*, (i. e. quod ad Dymnum attinet) *nihil ſcio*. Id. *De mandatis quod tibi curae fuit*, *eſt mihi gratum*.

11. Idem pro *qualibet rei norma*.

* Cic. *De integro incidere in morbum*. Id. *De amicorum ſententia rem defert ad ſenatum*. Id. *De concilii ſententia*. Id. *De conſilio alicujus aliquid facere*. Id. *De communi ſententia*. Id. *Nec tamen ab illis dicitur ita de induſtria*. Id. *Vt a me de ſcripto dicta ſententia eſt*. Id. *De ſcripto dicere ſententiam*, Germ. *vom Concepte herleſen*. Liv. *Quum ante id tempus de ſuo quisque functus eo munere eſſet*. Plaut. *De noſtro ſaepe edunt*.

12. Interdum etiam cet.

p. 895.

v. 18. dele 1.

p. 896.

v. 33. ſic lege: *infortunitas infortunium* L. 6. c. 1. quamvis in Lactantii epitoma c. 29, in qua idem Gellii locus refertur, *importunitas* ſcriptum eſt, quod Daviſio et Bunemanno prae altero placet.

p. 899.

v. 28. pro *mox proprie, mox improprie* l. *modo proprie, modo improprie.*

p. 901. ad loc.

DELICTVM verſui ultimi hujus loci ſubjungatur: Vnde fortaſſis hodieque apud Italos *peccare* idem ſignificat, ac *ſcortari, adulterium committere.*

p. 902. v. 26. ſic lege:

DEMISSVS *animus* raro eſt idem

v. 35. ſubjice: Interdum ap. Ciceronem *probus, demiſſus, pudens,* idem fere ſignificant, nec in vitio, ſed in laude ponuntur. Ille enim l. 2. de Orat. c. 43: *Facilitatis, liberalitatis, manſuetudinis, pietatis, grati animi, non appetendis, non avidi, ſigna proferri perutile eſt: eaque omnia, quae* proborum, demiſſorum, *non acrium, non pertinacium, non litigioſorum, non acerborum ſunt, valde benevolentiam conciliant.* Idem pro Muraen. c. 40: *Sit apud vos modeſtiae locus, ſit demiſſis hominibus perfugium, ſit auxilium pudori.* Horat. l. 1. Sat. 3. v. 56:

- - - *Probus quis*
Nobiſcum vivit, multum demiſſus *homo: illi*
Tardo cognomen, pingui damus.

Bentlej. legit *Tardo ac cognomen:* qui et *ille*, pro quo *illi* malo ex Baſil. 1527. Mervill. et aliis. Plinius quoque *demiſſum ſuperbo* opponit et *glorioſo* l. 1. ep. 8, 5. et l. 8. ep. 6, 2. Medium igitur eſt vocabulum. *Heuſ.* obſ. antib. 399.

p. 903.

Locu DENASCI ſubjiciatur.

Cl. *Heuſingerus* Obſ. antib. 399. pro hoc verbo citat etiam Caſſium Heminam ap. Nonium c. 2, 257: nihilo tamen minus obſoletum indignumque judicat, quod hodie quoque in omnibus prope ſepulcrorum monumentis legatur.

p. 907. ad loc.

DESPECTVS. v. 7. hujus loci addatur: Stat. Papin. L. 1. Silv.

- - - *Vix lumine feſſo*
Explores, quam longus in hunc deſpectus ab illo.

Id. Lib. 7. Thebaidos:

- - - *nulliquae a montibus obſtant*
Deſpectus.

p. 908. Locus DETERIOR legatur ſic:

DETERIOR comparat bonum cum minus bono: PEIOR malum cum malo.

* *Deterior* comparativus eſt, non quaſi *magis malus*, ſed quaſi *minus bonus*, a *detero:* quoniam ei aliquantum boni *deteritur* et detrahitur. Priſcianus l. 3. pr. *Comparationes, quae ad perſonas vel res, participes poſitivi, fiunt, naſcuntur a dictionibus carentibus caſu, id eſt, a verbis,* ut a detero, deteris, deterior. Clarius etiam Nonius cap. 5, 37: Pejus *et* deterius *his ſenſibus diſcernuntur, quod ſit* pejus *a* malo, *quod in uſu eſt, et creberrime frequentatur;* deterius *vero* a bono, *ut minoris ſit meriti, quam id, quod placet.* Vt igitur *bonus* aliquando eum quoque ſignificat, qui viribus, opibus, virtute excellit; ita *deterior* de eo, qui aliquibus eſt inferior. *Heuſing.* obſ. antib. 400. it. ad Corn. Eum. 3, 6. Sunt tamen loca, in quibus *deterior* manifeſte pro *magis malo* ponitur. Cic. l. 2. N. D. c. 34: *Saepe quod quis corrigere vult, deterius facit.* Mart. 2, 34. de prava matre locuta, addit:

O mater, qua nec Pontica deterior.

p. 909. inſeratur:

DEVIRGINARE i. e. *virginitatem eripere,* defendit *Gerardus Noodt* Lib. 1. Obſ. c. 25. auctoritate Petronii cap. 25, et remittit lectores ad interpretes hujus auctoris, et ad Munkerum ad Hygini fab. 23. de Medea. *Henricus Stephanus* de Latin. falſo ſuſp. p. 190. hoc verbum adeo non improbat, ut exiſtimet, illud Vallae, qui in metaphraſi Latina Herodoti eo utitur, licuiſſe fingere, etiamſi nulla auctoritate nixus fuiſſet: quae tamen ratio valde claudicat; nos ſaltem haud induceret, ut id adſereremus Latio. Et quamvis Petronii auctoritate ſatis abſolvatur; malumus tamen pro

eo,

co, *ſtuprare*, *conſtuprare*, *ſtuprum inferre*, *ſtuprum et corruptelam inferre virgini; Corrumpere*, *vitiare*, *comprimere*, *ludificari virginem; Subigere*, *violare virginem; Inferre vim virgini.*

Devirginari olim pueri dicebantur, quum ex ephebis exceſſere: ut Nonius in *Virgines*, ex Varrone c. 6. n. 57. adſerit.

Devirginatus v. g. *devirginata ancilla* i. e. corrupta, vitiata, ſtuprata, Paullus L. ult. D. de Officio Praeſidis. *Devirginatio* i. e. primus concubitus, Scribonius Largus Compoſit. 8. *Devirginator*, Gloſſae Gr. Lat.

p. 910. inſeratur:

DICTVM ſaepe eſt, quod *conſtitutum* vel *promiſſum* eſt. Verbi ſignificatio non ignota, quum *diem dicere*, et alia hujus generis nemo ignoret: de *dicto* autem nihil eſt in Lexicis. Cic. l. 1. Offic. cap. 7. n. 6: *Fundamentum eſt autem juſtitiae fides, id eſt, dictorum conventorumque conſtantia et fides. Heuſ.* Obſ. antib. 400. it. ad Corn. Milt. c. 2. extr.

p. 915. inſeratur:

DISPVTARE non eſt, *cum uno aut pluribus de aliqua re verbis contendere*, ſed *diſſerere ſine ulla contentione*, ſive *ſermonem habere de aliquo loco* ſeu *argumento. Graevius* ad Cic. l. 3. Offic. cap. 3. pr.

p. 915. ſeq.

Integer locus, qui de DIV et DVDVM agit, deleatur.

p. 916.

Poſt locum DIVERSITAS adjiciatur: DIVERSVS apud Cic. nec Comparativum, nec Superlativum habet: apud reliquos bonae notae auctores ſaepe occurrit. Cicero habet *magis*, *longa*, *maxime diverſus.*

p. 920.

v. 1. pro *pauperis* l. *pauperibus.*

v. 29. pro *Duckerus* l. *Dukerus.*

v. 32. pro *equo* l. *aequo.*

p. 921. ad loc.

DVCERE. v. 23. ſeqq. hujus loci ſic lege: Quintilianus L. 8. c. 3. notat, hoc non ſine rubore legi in Salluſtio: in quo tamen illi non adſentimur. Quum enim verbum *ductare* ſignificet diſſolutionem; apte et proprie Salluſtius dixit *ductare exercitum* pro *ſine ordine ducere*: ſicut idem dixit *agitare aetatem*, *agitare vitam*, *agitare noctem cum equitibus apud aquam*, *agitare inducias*; quum tamen *agitare* ſit voluptarium, auctore Donato. Quid multa? Quum Salluſtio proprium ſit ac ſollenne, verbis uti frequentativis loco ſimplicium, quippe qui etiam dicit *imperitare copiis* pro *imperare*, *dictitare* pro *dicere*, *negitare* pro *negare*, *adventare* pro *advenire*; mihi quidem nimis arguti videntur, qui in hujusmodi frequentativis Salluſtianis aliquid mali et inhoneſti illico ſubodorantur.

v. 37. hujus loci pro *expungenda forent.* lege *expungenda forent!*

p. 923. ſeq.

Integer locus DVDVM et IAM DVDVM prorſus inducatur atque expungatur.

p. 926. Inſerantur:

EDICERE pro aperte *dicere, dreiſt etwas ſagen und offenbaren*, Salluſtius habet B. Catil. c. 48: *Juſſus a Conſule, quae ſciret, edicere, eadem fere, quae Volturtius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hoſtium, Senatum edocet.*

EFFERVS in metro: EFFERATVS in proſa. Germ. *wild, unbändig, grauſam.* Liv. *Odio iraque efferatus.* Cic. *Efferatus immanitate.*

v. 929. poſt voc. *legitur* ſic perget *Elenchus librorum omnium triginta ſeptem.* Hanc vero lectionem ſuſpectam habet, ac potius pro falſa damnat *H. Stephanus* de abuſu L. G. c. 8. Apud Suetonium quidem de ill. Grammat. cap. 8. *opuſculum annalium elenchorum exſtat:* ſed et ibi *reprehenſionem* potius ſignificare videtur, quam *argumentum*, ut jam quidem docuit Burmannus. *Heuſ.* obſ. antib. 401.

p. 929. Locum ELIMINO ſic lege:

ELIMINO i. e. *extra limen ejicio* v. g. *dicta alicujus foras eliminare, etwas wieder ſagen; was ins geheim geſagt worden, austragen,* ver-

verbum, teſte Quintiliano L. 8. c. 3. ab Accio cuſum, quod tamen etiam apud Horatium L. 1. ep. 5. immo etiam apud ipſum Ciceronem occurrit: uſitatius dixeris, *e domo expellere, exterminare, projicere*, vel pro argumento, *effutire, efferre foras arcanum.*

p. 930. Locus EMPLASTRA ſic lege:

EMPLASTRA, Germ. *Pflaſter*, vulneribus imponuntur: MALAGMATA ſeu CATAPLASMATA, Germ. *Umſchläge*, ſunt fomenta, quae contuſa et ſuper cutem injecta ulcera dura mollificant et matura faciunt: PASTILLI arida cet.

Inſeratur:

ENARRARE et ENARRATIO non modo notat idem, quod *commemorare* et *commemoratio*; ſed etiam idem, quod *explicare, interpretari*, et *explicatio, interpretatio.* v. g. *Enarrare auctorem, librum;* it. *Enarratio diligens; Exigitur a Grammaticis Poëtarum enarratio.*

Ita etiam Gellius L. 18. c. 6. et 9. τὸ *enarrator* eadem notione uſurpat. v. g. *Enarrator Salluſtii* i. e. interpres.

Ad loc.

ENIM. v. 14. hujus loci addatur: Conf. *Glaſſii* Philol. Sacra Lib. 3. Tr. 3. de Verbo, canone 56.

Ad calcem hujus loci addatur:

7. Interdum redundat, praecedente Sed. v. g. *Sed enim huic, quod de monarchiae commodis diximus, multo magis repugnat.*

p. 931. inſeratur ſuo loco:

EPHESIVS de perſonis: EPHESINVS de perſonis et rebus. Ita dicunt *templum Epheſium* et *Epheſinum; homo Epheſius* non *Epheſinus.*

p. 932. ad loc.

ERGO v. 3. pro *frage* l. *frag.*

Subjice huic loco:

ERGO non eſſe magis Conjunctionem, quam ſextum Caſum nominis ἔργον, praeter cetera hoc etiam confirmat, quod apud vetuſtiſſimos Poëtas ultima conſtantiſſime producitur, ubi etiam Conjunctionis locum obtinet. Quae cauſa eſt, cur Ennii verſus, quem Cicero conſervavit l. 1. Offic. c. 24. et de Senect. c. 4. non ita, ut Muretus voluit, legendus videatur:

Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret.

Rectior fortaſſe vulgatior omnium fere librorum retinetur:

Ergo poſtque magisque viri nunc gloria claret.

Primum Ovidium correptae ultimae auctorem fuiſſe, obſervat Brouckhuſ. ad Prop. l. 3. el. 5. pr. quem ipſum adibis, itemque Voſſium l. 2. Art. Gr. c. 27. p. 279. *Henſ.*

Ad loc.

ESCENDO. v. 7. pro *latinitatis aevo: non dum*, lege *latinitatis aevo non dum.*

Ad loc.

ESSENTIA deſcendit, v. 5. lege: quando a Graeco *οὐσία*, et Latinorum cet.

p. 933. Locus ET ſic legatur:

ET

1. Subinde eſt indignantis cum interrogatione, praeſertim in vehementioribus clauſulis, quum attulimus, quae valde commovere poſſunt.

* Virg. *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* Cic. *Et vos acta Caeſaris defenditis, qui leges ejus evertitis?* Id. pro lege Manil. cap. 14: *Et quisquam dubitabit,* (pro *Quisnam igitur dubitabit?*) *quin huic tantum bellum hoc transmittendum ſit? qui ad omnia veſtrae memoriae bella conficienda divino quodam conſilio natus eſſe videatur?* Heic ET non eſt copulativum, ſed illativum potius: pariter ut apud Graecos. Sic Marci 10. v. 26: καὶ τίς δύναται σωθῆναι; *Et quis poteſt ſervari?* [*Wer kann dann ſelig werden?*

* Etiam ſine interrogatione etc.

Ad calcem hujus loci haec adde:

6. Duas de eodem ſubjecto diverſas cauſas innuit. Curtius 8, 3, 14: *Quod transfuga et proditor interfectus eſſet* i. e. is, qui et transfuga fuit et proditor. Cic. pro Flacc. 28: *Religionem et Judaeorum et hoſtium.* Id pro Depot. 6: *Et Medico callido et ſervo fideli* h. e. qui ſimul Medicus callidus et ſervus fidelis erat.

p. 935.

v. 5. pro *exorbitat* lege *extra orbitas vagatur.*

p. 938. inſeratur:

ETESIAE, arum, ſecundum regulam generalem eſt Generis Maſculini. At ipſe Cellarius Gen. Feminino extulit ad Plin. l. 10. ep. 26. ejusque verba, *eteſiae reluctabantur*, haec adſcripſit: *Harum quidem flatu in orientem navigantibus ſecundum mare.* Quum vero ſit a Nominativo Singulari *eteſias*, Graecis ὁ ἐτησίας, Pluralis quoque ſit Maſculinus neceſſe eſt. Hoc genus optimi ſcriptores unice admiſerunt. Venia tamen dari poteſt Cellario, *eteſias* Feminino Genere dicenti. Fecit id Hyginus quoque Poët. Aſtron. l. 2. c. 4. pag. 365. Munker. *Ab Jove impetravit, ut eteſiae flarent: quas non nulli eteſias dixerunt, quod quotannis certo tempore exoriantur.* Deinde iterum: *Nonnulli etiam eteſias appellaverunt, quod expoſtulatae ſunt a Jove et ita conceſſae.* Si recte memini, compluribus locis cum hoc congruit Solinus, ad quem legendus Salmaſius Exercit. pag. 697. et Iſidor. Hiſpal. l. 12. Orig. c. 11. In primariis etiam quibusdam Lexicis Generis eſſe Feminini dicuntur. Horum vero auctores in eo peccarunt, quod Subſtantivum *eteſiae*, quod numquam Femininum eſt, non diſtinxerunt ab Adjectivo *eteſiae*, ad quod *aurae* ſubintelligitur. Illud a Nominativo Singulari ἐτησίας, *eteſias*, hoc ab ἐτήσιος, *eteſius*, eſt; quod *annuum* ſignificat. V. *Heuſ.* obſ. antib. 439. ſeq.

Ad calcem loci, quo ETHNICISMUS in ſtilo exagitatur, addatur:

Quem in ſtilo Ethniciſmum dum damnamus, per bonam obteſtamur mentem, ne quid affingatur nobis, quod ipſimet exiſtimamus ridiculum et ineptum eſſe. Nemini interdicimus veterum ſcripta, quamvis ſuperſtitione et abſurdo deorum cultu contaminata ſunt. Nemini ereptum imus libertatem honeſtam utendi eorum modis ac formulis dicendi, qui ſoli videntur optime dixiſſe: abſit modo in ipſa veterum imitatione profana mentis nota; et ſalva res erit. Antiqua veterum ornamenta in rem noſtram transferamus; ſed ſic, ut ne inſanire videamur cum veteribus, quibus deorum cultus pro vano animi irreligioſi oblectamento fuit. Haud probamus etiam voces eorum, qui, quum ethniciſmo huic renituntur, nec apte ſatis, nec ratione probabili, nec ita, ut ſibi ſemper conſtent, omnem hanc cauſſam perorant. Prodierunt *Johannis Friderici Chriſtii pro patrimonio Poëtarum, in quo paganitas quaedam fabularum ſtilique antiqua redolentis accuſatur, Orationes tres: accedunt Non nulli in litteras ac doctrinae in varietatem Excurſus: Lipſiae 1745. 8.* In his Orationibus Auctor, vir eleganter doctus et ad judicandum valde acutus, eos ſcriptores, qui ethniciſmum in ſtilo abrogatum eunt, praepoſteri judicii omnino accuſat; nec utique ſpecie veri deſtituta videntur eſſe, quae terſiſſimo dicendi genere profert: quamvis, ne quid diſſimulem, ad id, quod in hac cauſa nimium eſt, propendere nonnumquam videatur. Addit etiam in *Excurſu*, quem vocat, *tertio*, his trimis orationibus ſubjuncto *pag. 77. ſeqq.* unum atque alterum ſcriptorem, qui praeter hos ſupra a nobis citatos in profligando eodem Ethniciſmo ſimiliter, ut illi, occupati fuerint.

Referam ad pauca capita, quibus Nobiliſſimus *Chriſtius* ſic contra eos, qui Ethniciſmum hunc damnant, loqui videtur, ut facile offendere animos eorum, qui vera pietate in Deum feruntur, poſſit.

In fabulis, inquit, *in deorum nominibus Poëtae habitant. Hoc illis patrimonium eſt; hic fundus.* Eſt patrimonium, concedo, Poëtarum; ſed quorum? nempe non niſi talium, quorum oratio in his profanis nugis ſuo tempore exſultavit. His nimirum relinquemus hoc ſuum patrimonium, hunc ſuum fundum. Aliud autem eſt alludere ad fabulam mythologicam; aliud eſt, per easdem ſic decurrere, ut a Chriſto prorſus alienus videaris eſſe.

At enim ſine verborum paganitate non video, quo pacto laudabile poſſit carmen fingi. Non putamus, haec dici ſimpliciter: ceteroquin credimus, quicumque tandem is ſit, qui ſic ſentiat, eum quodammodo ignorare veram et genuinam carminis laude digni indolem. Neque vero expungi volumus vocabula et locutiones, quarum uſus ſerviit olim paganitati; quaſi iis inſit vitium illud, quod damnamus. Immo vero has ipſas, ſi vel maxime aliquid trahant e vita, e moribus, ex ſacris eorum, qui a vera Dei cognitione alieni olim fuerunt, quum vel vim quamdam prover-

proverbialem hodie obtineant, vel tranſlatae ad ſaniorem uſum et rectiore ſenſu emollitae ſint, nemo, cui ſanum ſinciput eſt, temere ſpreverit: ſed ſi ſic uſurpas ſermonem veterum, ſi talibus te oblectas dicendi figuris, ſi ita vim ingenii in ipſa elocutione exerces, ut inter te et paganum nihil intereſſe videatur: id vero eſt, quod iis, qui vere et ex animo ſincerum Dei cultum prae ſe ferunt, vehementer diſplicet.

Obvertitur: *Hac vocabulorum paganitate ludimus. Quis eſt tam vecordi animo, ut exiſtimare velit, quemquam litteratorum ſic vere et ex animo ſentire?* At vero nec ipſi deorum cultores ſic ex animo vereque ſcripſerunt, et tamen reprehendendi ſunt, quum omnem religionis vim hoc pacto vel enervarint, vel ad meros ingenii luſus transtulerint, ut rem inanem et luſui ſatis aptam. Aliud eſt, dixiſſe, *aequo Jove judicare* eos, quos intelligimus recte exiſtimare; vel *frigido ſub Jove* milites durare; vel *aequo Marte* a pugna diſcedere; vel *iniquo Marte* pugnare; vel *ſuo Marte* epiſtolam conſcribere; vel *craſſa Minerva* contexere aliquid: aliud autem fuerit, dixiſſe: *Pro deum atque hominum fidem! quae fati malignitas me huc impulit? Te, velim, furcifer, omnes dii deaeque perduint. Bacchanalia craſtina luce agamus: adeſte, amici, et mecum ejus ſacris operam date. O Juppiter, qui ipſemet variis arſiſti amoribus, fac, ne obtingat mihi talis conjux, qualem tu habes, nempe formidanda aliqua Juno. O ſancta Venus, mitte Cupidinem pharetratum, ut, quam cupiditatibus meis quam aptiſſimam eſſe cenſes, hanc telis libidinoſo mei amore tinctis vulneret.* Nimirum ſi hujusmodi floſculis decorata oratio noſtra ſit; etiamſi nemo putat, a nobis ſerio haec dici: nemo tamen temere fuerit, qui exiſtimet, te, ſic ſermocinari haud erubeſcentem, bona mente credere in Chriſtum.

Propter numerum, inquis, *haec facile viris doctis condonantur.* O jejunos oratores, qui non niſi hoc modo numerum ſuae orationi conciliare poſſunt! o famelicum dicendi genus, quod haud aliunde arceſſere ſua ornamenta valet, niſi illudatur per ſermonis contextum ipſi religioni! Aliud eſt, pro re nata ignem *Vulcani* nomine, mare *Nerei* vel *Amphitrites* titulo; aliud eſt, *Caſſiopeam*, *Orionem* et alios in coelo aſteriſcos, item dies ſingulos hebdomadis v. g. *diem Martis*, *Mercurii*, *Jovis*, *Veneris*, *Saturni*, impoſitis per diuturnam et receptam conſuetudinem vocabulis appellare; aliud eſt, artem ſtatuariam, picturiam et architecturam denique in deaſtrorum nominibus occupari, quamvis, quod nollem, caſtiores oculi per has artes ſaepenumero offenduntur: aliud autem fuerit, ex ingenii profani luxuria *ad opem Martis confugere, Mercurii facundiam ſibi a Deo precibus expetere, a Vulcano impetrare, ne incendium ſe latius explicet.*

Sed quid immoror diutius cauſae tuendae, in qua neminem temere habeam adverſantem. Quin ipſe doctiſſimus Chriſtius Chriſtiana mente prorſus nobiſcum conſentit, nec adverſatur nobis, ſed adverſari tantum verbis quibusdam, quae ipſi exciderunt, nobis videtur. Poſteaquam enim *Oratione prima pro patrimonio Poëtarum* contra ineptos paganitatis in ſtilo accuſatores multa dixiſſet; ſic tandem, veritus, ne plus juſto tribuiſſe verbis ab ethnicorum ſuperſtitione petitis videatur, pronuntiat: *Poterit, quod non nego, aliquis juſtus ei rei modus adhiberi, ac talis quidem, ut neque difficultate quorumdam litteris ſuus ſplendor, neque velut luxuriante antiquitatis inſincerae amore moribus ac ſacris ſua integritas ac fides detrahatur.*

Ad loc.

ETSI v. 4. ſeq. ſic lege: Mox in initio. Cic. L. 12. ep. 18: *Vide, quanti apud me ſis. Etſi jure id quidem: non enim amore te vinco.*

p. 939. ad loc.

EX et E. v. 7. adde: Tacit. in Germ. *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt.*

v. 12. adde: *Poculum ex auro* i. e. aureum. Atque ſic Subſtantivum aliquod cum hac Praepoſitione ſaepe pro Adjectivo eſt.

p. 940.

v. 15. adde: Plaut. in Aulul. *Vicini e proximo* h. e. proximi.

v. 38. adde: Sall. B. Jug. c. 62: *Ex inopia conſilium capere.*

v. 44. adde: Tacitus, Germ. *Statim e ſomno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur.*

p. 941. ad loc.

EXCIDERE. v. 33. adde: Busbeq. *Sic haec accipere debebis, ut quae in familiaribus colloquiis inter amicos temere excidunt.*

p. 942. ad loc.

EXCVBIAE. v. 12. adde: *Excubitores ambulatorii* l. *exploratorii; Cohors circulatoria; Excurrentes per noctem vigiles militares*, die Patrolle, Patrouille. *Excubias viſitare; Continuas circuitiones militum nocturno tempore facere*, fleiſſig patrolliren, patrouilliren. *Aedicula excubitoria*, Schilderhaus. *Miles ſtationarius*, ein Kerl, der auf ſeinem Poſten ſtehet. *Excubiae extimae; Stationarii conclamatae ſalutis; Excubitorum ſtatio hoſti proxima*, verlohrne Schildwache. *In ſtatione ad portam eſſe; Agere vigilias ad portam*, bey dem Thore Schildwache ſtehen. *Permutare ſtationum vices*, einander ablöſen.

p. 945. ad loc.

EXSPECTARE. v. 2. ſic lege: Petronius Sat. p. 19: *Sed ne quid triſtius exſpectarem.* Id. p. 185: etc.

p. 946. ad loc.

EXTRA. v. 11. ſeq. haec verba: Id. *Sed, mehercle, extra jocum homo bellus es;* deleantur.

v. 17. haec ſubjiciantur:

4. Vtuntur etiam veteres hac Particula, ſi notant vitium, quo praeſcriptas mortales tranſiliunt lineas.*

* Petr. *Quam male eſt extra legem viventibus! quicquid meruerunt, ſemper exſpectant.* Id. *Veſtigia pedum extra menſuram aberrantia.*

Ad loc.

FABVLARE. v. 6. ſic lege: nam de priori nemo dubitat. *Borr.* etc.

p. 947.

v. 10. adde: *Facundia* itidem non eſt Ciceronis: aliorum tamen eſt bonae notae ſcriptorum, ne quid de poëtis dicam.

p. 951. Locus FAVORABILIS legatur ſic:

FAVORABILIS notione paſſiva pro *gratioſo, favoris pleno*, pro *eo, cui fovetur, cujus magna gratis eſt*, recte: at notione activa pro *eo, qui favet, ſtudioque ſuo aliquem juvat* ſuſpectum eſt.

* Beroaldus ad Sueton. Calig. cap. 4. pr. *Irroboravit conſuetudo corrupta, ut favorabilem eum vulgo appellitent, qui favo-* ... *Nolt. Suppl.*

rem praebet et opitulatur: quum et contrario ab his, qui pure et latine locuti ſunt, favorabilis *dicatur is, qui gratioſus eſt et impetrabilis ac favoris plenus apud cunctos mortales.* Prior ſignificatio Suetonii l. c. Valerii Maximi, Senecae, Plinii utriusque, Quintiliani et aliorum auctoritate probatiſſima eſt: poſterior ex Livii l. 22. c. 26. adferri ſolet, ubi legunt, *Haud parum callide auram* favorabilis *populi ex dictatoria invidia petiit.* Sed ſciant, qui hanc lectionem ad malam cauſam tuendam advocant, eam nec in Gronovianis nec Drakenborchianis exemplaribus eſſe, a quibus ex melioribus libris editum *favoris populi*. Pro Livio quidam auctorem dialogi de Oratoribus ſubſtituunt, qui c. 7. n. 1. dixit: *Non enim diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus eſt, vel quo, homo novus et in civitate minime favorabili natus, quaeſturam, aut tribunatum, aut praeturam accepi.* Loquitur ex perſona Apri, qui natus erat in Gallia, quod ipſe ſignificat cap. 10, 3; adeoque in *civitate minime favorabili*, id eſt, cui a Romanis parum favebatur. Ergo ne hic quidem locus ad activam ſignificationem probandam quicquam facit. Satius igitur eſt, eam retinere, quae nihil dubitationis habet. *Heuſ.* Obſ. antib. 405. ſeq.

Ad loc.

FAVORABILITER Verba: *Ceterum Adverbium ---- favorabiliterque luſit*, deleantur.

p. 952. ad loc.

FERE. v. 5. ſeqq. ſic lege: NB. Sic *Fere* notant raritatem: *Paene* autem imperfectionem. Porro *Fere* reſpicit id, quod exſpectationem vel opinionem ſuperat: *Paene* reſpicit id, quod exſpectationi noſtrae egregie reſpondet. v. g. *Hic commilitonum noſtrorum paene doctiſſimus eſt:* non heic dicendum *fere*. *Hora fere nona eſt*, es iſt bald neun Uhr, ich hätte es nicht gemeynet, daſs es ſchon ſo weit wäre. *Hora paene nona eſt*, nur Gedult! es wird die Glocke bald neune ſchlagen.

p. 954. inſeratur:

FESTORVM dierum nomina in Plurali duarum eſſe Declinationum, ſecundae et tertiae, Macrobius docet l. 1. Saturn. c. 4. Vnde *Saturnalium* et *Saturnaliorum* recte quidem dicitur: in Dativo vero *Saturnalibus* tantum in uſu eſt, non *Saturnaliis*. Tamen

 et

et Lampridius in Alex. Sev. c. 37. ſcripſit: *Calendis autem Januariis, et HILARIIS matris deûm, et ludis Apollinaribus, et Jovis epulo, et hujusmodi feſtis diebus.* Hic vero Graecos imitatus videtur, qu ἱλαρίοις dixerunt, quum Latini alioqui *Hilaribus* mallent. Vopiſcus in Aurelian. pr. *Hilaribus, quibus omnia feſta et fieri debere ſcimus, et dici, impletis ſolemnibus.* Heuſ. obſ. 440.

p. 956. inſeratur:

FINIS, extremum cujusque rei eſt, quo longius ea non progreditur, quem terminum vocamus. Sic *fines bonorum et malorum* ſunt, quae in utroque genere ſumma ſunt, quibus nihil addi poteſt. Ubi vero σκοπὸν ſignificet, quae ſignificatio uſu tritiſſima eſt, e Lexicis difficulter diſcas. Alia enim vis eſt earum formularum, quas alii ad denotandum σκοπὸν trahere ſolent. *Quem ad finem* ap. Ciceronem l. 1. de Orat. c. 34. pro Coel. cap. 5. Catil. c. 1. l. 9. epiſt. 26, 2. nihil aliud eſt, quam *quousque? quam diu?* Nepos etiam Epam. c. 2, 5: *Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando ad eum finem, quoad ſtans complecti poſſet atque contendere.* Nec aliter *ea fini* ap. Gellium l. 7. c. 3, 29. interpretari licet. Verba enim ſunt: *At hoc enim, inquit, plane ſtultitiae plenum eſt, eo conſilio atque ea fini facere velle aliquid, ut numquam id facias, quod velis.* Ita enim idem l. 1. c. 3, 16: *Quatenus, quaque fini dari amicitiae venia debeat.* Eodem cap. n. 30: *Hac fini ames, tamquam forte fortuna oſurus: hac itidem tenus oderis, tamquam fortaſſe poſt amaturus.* Lib. 13. c. 20, 9: *His tum verbis Probus et hac fini hominem dimiſit.* Heic etiam *hac fini* eſt, in hac verba deſinens, non plura locutus. Aptior ad probandam, quam quaerimus, ſignificationem eſt locus ex Cicerone l. 1. de invent. cap. 5: *Illud, cujus cauſa, facere debet* (Orator), *finem appellamus.* Idem l. 1. Offic. c. 39. *domus finem* eſſe dicit *uſum.* Auctor quoque ad Herennium l. 2. c. 51. extr. ait, *in judiciali genere finem eſſe aequitatem.* Quamquam et heic *finis* intelligi poteſt, ultra quem non progreditur orator, quem adſecutus deſinit et quieſcit.

v. 4. ſubjice ſequentia:

* *Quam pingis figuram?* Mahleſtu einen Menſchen oder ein Thier? *Quam addis figurae formam?* was für eine Geſtalt giebſtu dem Menſchen oder dem Thiere? Soll der Menſch heslich oder hübſch ausſehen? Varro de L. L. 5: *Pictor quum dicit* fingo, figuram *imponit; quum dicit* informo, formam. Cicero de Univerſitate: *A quo enim animante omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc eâ* figurâ figuravit, *quâ unâ omnes reliquae* figurae *concluduntur.* Id. Lib I. Offic. Formam *noſtram reliquamque* figuram, *in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promtu.* Lucret. L. 5:

Ordine FORMARUM certo, certiſque FIGURIS.

† Quamlibet igitur *Johannes Baptiſta Poquelinus Molerius* (Gallice *Molière*) facundus ille apud Gallos facetiarum arbiter et ſalſi dramatis artifex Tomo II. p. 12. ludibrio exponit eos, qui diſputant, dicendumne ſit *forma pilei*, an potius *figura pilei*; puto tamen, non rem ipſam ab eo exagitari, quam animi impotentiam eorum, qui in foro litterario de hujusmodi minutiis acerbius, quam par eſt inter ſe dimicant. Colligitur enim ex iis, quae diximus, utrumque quidem recte dici *Figura pilei* et *Forma pilei*; ſed diverſo ſignificatu. *Figura pilei* opponitur mitrae, galeae, galericulo et aliis capitum tegumentis, quae pilei ſimilitudinem non habent: ſed *Forma pilei* opponitur aliis pileis ſpecie differentibus. Sic v. g. *forma pilei minoris* opponitur *pileis* vel *mediocribus* vel *latioribus* aut *amplis*; et *forma pilei circa capitis ambitum convexi* opponitur *pileis in pyramidem faſtigatis.* *Haec figura pilei eſt*, Germanice notat *das ſieht aus, wie ein Hut, und nicht wie eine Mütze: Qualem pilei formam poſtulas?* Germanice notat, *was wilſtu für einen Hut haben? ſoll er klein oder groß, neu- oder alt-modig ſeyn?*

Quemadmodum autem nulla temere vocabulorum differentia datur, cui non unus alterque apud auctores veteres locus obſtet; ita et hanc noſtrum non ſatis ἀκριβῶς veteres ubique videntur cuſtodiviſſe. Nec tamen propterea eam, ut inanem, et in cerebro nugacium Grammaticorum natam, ab hiſtrione aliquo rideri velim, quum a veteribus, proprietatis vocabulorum ſtudioſiſſimis, et inculcetur et obſervetur. Ne ſutor ultra crepidam! nec ab hiſtrione: quod non intelligit, rideri velim.

Ad

Ad loc.

FISCVS. v. 10. ſeqq. ſic lege:

* Notabis heic locutiones: *Aerarium ſanctius Principis*, der Scatul. *Pecunia Principis in ſumtus quotidianos eroganda*, Scatullen - Gelder. *Aerarium commune* etc.

p. 957.

v. 4. ſubjunge haec: Cic. pro Quinctio: *Verum his de rebus non neceſſe habeo dicere ea, quae me P. Quinctius cupit commemorare: tametſi cauſa poſtulat: tamen quia poſtulat, non flagitat, praeteribo.*

p. 958. ad loc.

FORTE. v. 12. adjunge: Id. Attic. Lib. 7. ep. 4: *Pompejum vidi IV. Idus Decembris: fuimus unà horas duas fortaſſe.* Germ. *Ohngefehr zwo Stunden.*

p. 961.

v. 9. poſt verba, *ſed fruendum coeleſtibus*, adde: Idem l. 1. Doctr. Chriſt. c. 4: *Vtendum eſt hoc mundo, non fruendum.*

p. 963. ad loc.

GANZA. v. 2. adde: Conf. ſupra *Acinaces.*

p. 965. ad loc.

GIBBER. v. 26. ſeq. ſic lege: Sic Apulejus 2. Florid. *Erat auctio gibbere.* Dicunt etiam veteres in Nominativo ſecundae declinationis *gibbus, i.* Juvenalis Sat. 6. v. 109: etc.

v. 39. ſic lege: Adjective etiam ſumtum, etc.

Inſeratur:

GRAECA Nomina Graecorum more flectuntur, non a Poëtis tantum, quod quidem omnes concedunt, ſed et ab Hiſtoricis, Philoſophis et interdum quoque ab Oratoribus. Itaque vera non eſt Voſſii Obſervatio, qui lib. 2. de Anal. cap. 16. Accuſativum Pluralem Graecum tertiae Declinationis in AS Oratoribus cum Poëtis communem eſſe concedit, ſingularem in A a Poëtis tantum frequentari adfirmat. Quoties apud Cornelium Nepotem legimus *Salamina, Lacedaemona, Strymona, Timoleonta?* Quoties eadem apud Livium, Florum, Juſtinum? Vide Drakenb. ad Liv. l. 1. c. 18. n. 2. n. 2. p. 82. Graec. ad Flor. l. 2. c. 12. pag. 140. Oudendorp. ad Frontin. l. 2. c. 3. p. 181. Quintilianus etiam non refugit *Coraca* a *Corax*, l. 2. c. 16. p. 191. *Phalerea* l. 2. c. 4. extr. it. l. 10. c. 1. pag. 102. in var. lect. In Latinis vero Graecam Declinationem admitti, nimis inſolens eſt. Vnde inepte apud Martialem l. 13. ep. 91. cum Aldo *acipenſera* quidam legunt, et apud Curtium l. 4. c. 3. n. 12. omnes *harpagonas* edunt, pro *harpagones. Heuſing.* obſ. 441.

p. 967.

v. 2. adde: *Eraſm.* de Copia verb. L. 1. c. 11.

v. 46. ſeq. ſic lege: *periodum, orbem, ambitum, comprehenſionem et complexum verborum; Logicam, artem diſſerendi*, de Fato p. m. 4909; *ſoritem, acervalem* ſc. ſyllogiſmum, de Divin. L. 2. c. 4; *Zodiacum, ſigniferum*, ibidem; *planetas, ſidera errantia; horizontes, orbes finientes; lemmata, ſumtiones; ſympathiam, continuationem conjunctionemque naturae.*

p. 969. v. 3. ſubjungantur:

* Modum autem illum Graeciſmos in Latina lingua fugiendi minime probare poſſumus, quo Pomponius Laetus, ſi quidem credere ipſi poſſumus, uſus eſt, ut qui eo diſcere noluit ſermonem Graecum, ne Graeca Latinis miſceret, vel ſtructuram Latinam commutaret cum Graeca.

p. 971. inſeratur:

HABERE pro *tractare*, v. g. *Eodem cultu, quo liberos ſuos domi habuit*; it. *Exercitum ſuum luxurioſe nimisque liberaliter habere*, Salluſtio proprium eſt.

Ad loc.

HABITVS. v. 13. ſic lege: oſtendendum erat, nilque praeterea amplius. Ἀλλότρια, et ad rem etc.

p. 972.

v. antepenultimo pro *Borrichius* lege *Borrichiis.*

p. 973.

v. 15. ſubjice: Interim non de nihilo videtur eſſe obſervatio *Heuſingeri* obſ. antib. 410: *Hactenus*, quum de tempore capiendum videtur, nihil aliud plerumque ſignificat, quam *hac*

ſine tenus; id eſt, huc usque, non ultra, non amplius, ita, nt poſtea finis ſit. Ita *hac fini* ſaepe dictum vidimus a Gellio ſupra in *finis*. Hoc ſi animadvertere vellent, qui *hactenus* ab *adhuc* diſcernere noluerunt, rarius ſecum facere veteres ſcriptores viderent, quorum loca congeſſerunt. Mihi vero otium fecit *Gronovius* obſ. ad ſcript. Eccleſ. c. 22. p. 239.

p. 979. inſeratur:

HOSPTARI i. e. *excipere aliquem hoſpitio*, et *recipi in hoſpitium*, tranſitive et intranſitive ſignificat: ſed intranſitiva notio longe frequentior eſt.

p. 981. ad loc.

IACERE. v. 5. haec ſubjice:

IACERE uſurpatur etiam, *ſi quid nobis in ſermone excidit, unde alii ſcopum noſtrum, quem diſſimulamus, intelligere quodammodo occipiunt.* Salluſt. B. Jug. c. 11: *Jugurtha inter alias res jacit, oportere quinquennii conſulta et decreta omnia reſciendi.* Germ. *der Jugurtha läſst ſich unter andern vernehmen.*

Ad loc.

IANVA. Huic loco exeunti ſubjice:

Differunt etiam *Porta* et *Fores*, ut totum et pars. Liv. L. 1. c. 14: *Haerens in terga Romanus, priusquam fores portarum objicerentur, velut agmine uno irrumpit.*

p. 984. inſeratur:

ILLVSTRIS etiam notionem *ejus, quod* perſpicuum eſt, et luce ſua radiat, ſuſtinet. Sall. B. Jug. c. 5: *Pauca ſupra repetam, quo ad cognoſcendum omnia illuſtria magis, magisque in aperto ſunt.*

p. 987. ad loc.

IMPRAESENTIARVM v. 16. ſic lege: Optime ergo judicant, qui inter rara et ſingularia referunt, aut vocem plebejem fuiſſe adfirmant.

p. 990.

v. 9. ſic lege: *ohne alle weitere Abſicht.* Busbeq. p. m. 124: *Foeni nullum pretium: ſumere cuique licet e plenis campis, quantum velit; ſecundi modo labor et vectura imputantur.* Germ. das Heu hat man umſonſt: *es kann ein jeder ſo viel von den Feldern zu ſich nehmen, als er will; es wird nur das Mühelohn und Fuhrgeld bezahlt.*

Ad loc. IN Praepoſitio.

v. 7. ſic lege: *Ecquid in mentem eſt tibi?* Salluſt. Jug. c. 15: *Vos in locum affinium ducerem.*

p. 991. v. 19. ſic lege:

4. Sumitur etiam pro *ad*:

α. In definiendo termino ad quem.

* Salluſt. B. Jug. c. 8: *In tantam claritudinem brevi pervenerat.*

β. In exprimendo numero

* Livius L. 1. c. 43: *Tertiae claſſis* &c.

v. 29. ſeq. ſic lege:

5. Eleganter haec Praepoſitio *finem* aliquando et *cauſam rei* notat.

p. 993.

v. 46. ſic lege: *in omnes adoleſcentes judices.* Apud Salluſtium: *Pugnare in hoſtem; Foeda crudeliaque in cives facinora facere,*

v. 50. haec adde:

Nec deſunt tamen exempla, quibus hac notione etiam Ablativum adſciſcit. Ovid. Metam. 4. v. 546. et Amor. 1. 7. 34: *Saevus in hoſte.* Cicero Somnio Scipionis cap. 3: *Pietas in parentibus et in patria.* Corn. Nep. Phoc. 4, 4: *In hoc tantum fuit odium multitudinis.*

v. 58. adde: Petron. *In vicinia mortis poëma facere.* Salluſt. B. Iug. c. 31: *Iidem decrevere, ni regnum ipſumque deditum veniſſent, ut in diebus proximis decem Italiâ decederent.*

p. 994.

v. 3. ſubjungantur: Item: *In morte filii tui lacrimas non tenui.*

v. 19. Addatur atque adeo inſeratur:

26. Notationi certorum quorumdam verborum ſubſervit.

Petronius p. 90: *In haec verba foederibus compoſitis.*

27. Parit tandem formulas etc.

v. 48. adjiciantur haec:

Juſtinus L. 32. c. 2. n. 9: Quaeſito prius, an Lycertas *Praefectus Achaeorum, quem ſecundum ſe eſſe ſcientia rei militaris ſciebat,*

ſciebat, incolumis effugiſſet? Quem ut accepit evaſiſſe, non in totum, *dicens*, conſultum male *Achaeis*, *exſpiravit*.

p. 997. inſerantur:

INCVMBA, *pars illa columnae ſuperior, in latitudinem extenſa, cui fornix innititur*, Germ. *das Impoſté, der obere Theil einer Säule, darauf das Gewölbe ruhet*, vocabulum Vitruvii.

INDE notat

1. *Locum, unde?*

* Cic. de Prov. Conſul. cap. 13: *Jam inde a principio hujus imperii.* Liv. L. 4. c. 36: *Jam inde ab incunabilis imbutus odio Tribunorum plebis.*

Adſciſcit hac notione ſumtum interdum *Vsque*, it. *Adeo*, quae particulae tunc expletivae quodammodo ſunt et abundant.

* Cic. Arch. 1: *Inde usque repetens.* Ter. Heaut. a. 1. ſc. pr. *Quamquam haec inter nos nupera notitia admodum eſt, inde adeo, quod agrum in proximo heic mercatus es.* i. e. ex eo tempore, quo agrum mercatus in proximo es.

† Hac notione ſumtum veteres etiam aliquando cum Genitivo junxere. Ennius:

Inde loci lituus ſonitûs effundit acutos.

Lucretius Lib. 5:

- - *Inde loci mortalia ſaecla creavit.*

Quamvis, quod non diſſimulo, haec conſtructio Poëtarum fere, nec niſi rarior videtur eſſe.

2. Subjungitur et perſonis, ut *Vnde*.

* Ter. Adelph. a. 1. ſc. 1. v. 21: *Nati filii duo, inde ego hunc majorem adoptavi mihi.* Inde i. e. ex quibus. Vid. Donatum.

3. Significat conſecutionem temporis, poniturque pro *Deinde*.

* Liv. L. 1. c. 3: *Agrippa inde Tiberini filius regnat.* Id. L. 36. c. 2: *Supplicatio inde per biduum fuit.* Sic etiam occurrit apud Virgil. Aen. 5. v. 139. et 6. v. 411.

p. 999. ad loc.

INDVLGENTIA. v. 20. i. e. ad calcem hujus loci adjiciatur:

Sunt, qui pro *Indulgentiis* ſ. *litteris indulgentialibus*, ut in Eccleſia Romana loquuntur, malint cum Cicerone, *divini humanique juris nundinationes.* Ac pro eo, quod dicunt *Pontifex plenarius indulgentias conceſſit*, malunt *Pontifex plenariam delictorum veniam conceſſit* l. *promiſit; Pontifex omnis admiſſi veniam pollicitus eſt* l. *indulſit; Tabulas condonati criminis* l. *condonatorum criminum ratione unius anni cet. dedit.*

p. 1003.

v. 15. addantur: *Cogitando rem ita informat, ut* etc. *Er macht ſich eine ſolche Idée davon.* It. *Dilucidè aliis tradere non poteſt, cujus ipſe obſcurum habet animo informatam notionem.*

Ad loc.

INFRA. v. 2. ſic lege: de locis dicitur proprie. v. g. Petron. p. m. 68: *Extentus infra grabatum ſcrutantium eludebat manus.* Praeterea etc.

v. 11. adde:

4. Vſurpatur etiam, quando orationem vel epiſtolam ſcripto noſtro interponimus, verbis non nullis indicantes, eam abrupto ſermone noſtro totidem verbis nunc ſubſequi. Salluſt. B. Cat. c. 34: *Ab his longe diverſas litteras Q. Catulus in ſenatu recitavit; quas ſibi nomine Catilinae redditas dicebat. Earum exemplum infra ſcriptum eſt.*

L. Catilina Q. Catulo
S.

Egregia tua fides, re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis fiduciam commendatione meae tribuit. cet. Conf. B. Cat. c. 44.

v. ultimo hujus paginae ſic lege: conſtructio ejus cum Genitivo praecedente, quae occurrit etc.

p. 1005. Ad loc.

INQVIETARE. v. 22. ſeqq. ſic lege:

Plinius Lib. 1. ep. 9: *Nulla ſpe, nullo timore ſollicitor, nullis rumoribus inquietor.* Id. L. 9. ep. 15: *Tam multis undique ruſticorum libellis et tam querulis inquietor.* etc.

p. 1008. ad loc.

INSTRVMENTVM. v. 10. poſt voc. utuntur inſere: Legitur et *inſtrumentum belli, militiae, triumphi, domus, villae*, eadem ſignificatione.

v. 13. adde: Quum vero de una aliqua machina ſermo eſt, hoc nomen a

Latinis non adhibetur: pro eo *organon* l. *machina* frequens eſt.

Ad finem hujus loci adde:

Inſtrumentum pro *documento rei fide publica conſignato*, l. *ſcriptione ad inſtruendam litem ſpectante*, apud recentiores JCtos increbuit, ſine veterum, ni fallor, ſuffragio.

p. 1009. ad loc.

INTER. v. 3. ſeqq. ſic lege: *conſceratus Marti fuit.* Sall. B. Jug. c. 60: *Poſtquam haud procul inter ſe erant.*

Vſurpatur inſuper

1. Per Enallagen de tempore pro *Intra* etc.

p. 1010.

v. 16. ſeqq. pro *eleganter locutionem* l. *elegantem locutionem.*

v. 19. finito inſere:

4. Idem etiam eſt, quod *arcere*, *avertere*, *averruncare*. Plin. Paneg. *Intercedere caſibus*, *occurſare fortunae*, *atque omni ope adniti*, *ne quis e plebe Romana*, *dante congiarium te*, *hominem magis ſentiret ſe fuiſſe*, *quam civem.*

5. Apud Romanos etc.

p. 1011. ad loc.

INTERIM. v. 22. adde: *Eraſm.* Cop. Verb. L. 1. c. 11.

p. 1012. ad loc.

INTERITIO. v. 4. pro *Hirtium* ſubſtitue *Incertum Auctorem.*

Inſeratur:

INTERMITTO eſt interquieſcentis et ad tempus ac opere remittentis: OMITTO ſ. DESINO ab eodem deſiſtentis. Res quoque *intermitti* dicitur, quae non continuatur, ut *intermiſſa libertas*, *planities*, etc. Vid. *Oudendorp.* ad Caeſ. l. 1. B. G. c. 27. l. 7. c. 23. Ne dicas igitur, *Mortuas tandem aliquando bonis maledicere intermittes*, ſed *deſines.*

p. 1013. ad loc.

INTERPRETATVS. v. 20. ſeq. ſic lege: *Bangium* Obſ. Philol. p. 463. et Doctorem Anonymum Pariſienſem in etc.

v. 30. adde: *adeptus* Sall. B. Cat. c. 6. B. Jug. c. 101: *machinatus*, id. B. Cat. c. 48: *obſecratus*, id. B. Jug. c. 26: *veneratus* etc.

Inſeratur:

INTERPRETES, qui vulgo SEPTVAGINTA, rectius fortaſſis ALEXANDRINI dicuntur.

Locum INTERVLA ſic lege:

INTERVLA, *ein Camiſohl*, *ein Unterkleid*, *eine Weſte*, *ein Bruſttuch*, habet Tertullianus, teſte *Voſſio* de Vit. 480; Apulejus, teſte *Cellario*; Ovidius, teſte *Littletono*. Vid. *Ker* Select. de L. L. Obſ. it. *Borrich.* Cogit. 30.

Apud Horatium L. 1. ep. 1. dicitur *ſubucula*, *pexae quae trita ſubeſt tunicae*: apud Plautum Epid. 2. 2. 28. *inducula*: apud alios *veſtis interior* l. *thorax interior.*

p. 1015. inſeratur:

INVTILE EST non tantum, *quod non prodeſt*, ſed ſaepe etiam, *quod nocet*, Cic. l. 3. Offic. c. 13: *Haec tot et alia plura*, *nonne inutile eſt*, *vitiorum ſubire nomina?* Ibid. c. 20: *Id quam injuſtum in patriam*, *quam inutile*, *quam turpe eſſet*, *non videbat.* Plin. l. 22. c. 23: *Oculis per ſe inutile*, *aliqui artitrabantur.* Paullo poſt: *Stomacho inutiliſſimum nervisque contrarium.* Corn. Celſus l. 1. c. 5: *Cumque omnibus inutilis ſit poſt cibum aut contentio aut fatigatio animi: tum his praecipue*, *qui vel capitis vel arteriae dolores habere conſueverunt.* Idem paullo ſuperius c. 3: *Ex labore ſudanti frigida potio pernicioſiſſima eſt: atque etiam itinere fatigatis inutilis.* *Heuſing.* obſ. antib. 412.

p. 1019.

v. 11. poſtpone:

Notentur heic locutiones: *Difficiles et anguſtae viae*; *fauces itineris*, enge, verhauene Wege. *Montium anguſtiae*, *Defiléen im Gebürge.*

p. 1020.

Locus IVVENARI inducatur ac tollatur.

p. 1021.

v. 14. ſic lege: Salluſt. B. Cat. cap. 58: *Quo in loco res noſtrae ſint*, &c.

v. 20. ſubjunge: Salluſt. B. Jug. cap. 75: *Juxta boni maliqùe*, *ſtrenui et imbelles*

belles multi obtruncati. Id. cap. 95: *Litteris Graecis atque Latinis juxta, atque doctiſſime eruditus.*

Atque hic Particulae uſus familiaris eſt Hiſtoricis; Oratoribus non item, etc.

p. 1024.

Loco LECTICA ſubjice:

* *Lectica* ap. veteres non eſt *ſella geſtoria*, ſed *lectus, in quo reſupini portari ſolebant.*

Inſeratur:

LEPVS Maſculinum tantum eſt Lexicis: Priſcianus vero l. 5. p. 658. Commune ei genus tributum ait ab antiquis, a quibus *hic* et *haec lepus* dicatur. Bentlejus quoque Horatio l. 2. ſat. 4. v. 44. reſtituit *fecundae leporis*, in antiquis. Sicut MSS. reſpectum. *Heuſing.* obſ. 445.

p. 1025. inſeratur:

LIBERALITAS ut plurimum privatorum eſt: MVNIFICENTIA magnorum Principum.

* Tacitus 1. Hiſtor. cap. 18. ſub fin. *Conſtat, potuiſſe conciliari animos qualicumque parci ſenis liberalitate.* Salluſtius B. Cat. c. 54. *Caeſar beneficiis ac munificentia magnus habebatur.*

p. 1026. ad loc.

LIGATVRA. v. 11. adde: Celſus frequentat *vinctura.* *Borrichius* in Voſſ. cet.

p. 1027.

Locus LOCI tollatur et ſic emendetur:

LOCI fere ſignificant technice v. g. *Loci Theologici, loci communes, loci argumentorum.* Sed LOCA magis Phyſice. v. g. *Sua ſinguli loca occupant.* Sic metaphorice *loca allegata, loca auctorum.*

Rariſſime veteres contra hanc ἀκρίβειαν peccant. v. g. Virgil. L. 1. Aeneid. *Locos explorare novos.* Gell. L. 6. c. 6: *Loci idonei et felices.*

p. 1028. ad loc.

LOQVENTIA. v. 17. ſic lege: *ductare* pro *ducere; tranſire vitam* pro *tranſigere vitam; facere* pro *parare* cet.

Ad loc. LORICA v. 1. ſeqq. ſic lege:

LORICA Florus L. 5. c. 20; ſeu *Pomoerium* idem Flor. L. 1. c. 9. n. 7 et Livius L. 7. c. 44; ſeu *acclive opus;* it. *acclivitas foſſarum exterior; terra ad oram munitionis propugnaculi adgeſta; murus ſuperior valli caeſpiticius l. lapideus; lorica propugnaculi; congeries terrae ſuper ambulacrum valli tantae altitudinis ac latitudinis, ut militem ab hoſtium telis ſartos poſſit tectosque reddere:* Boxhornius Hiſt. Bred. 141. Germ. *eine Contreſcarpe, eine Bruſtwehre.*

Via cooperta, Via circa loricam contecta, bedeckter Weg. *Reſciſſiones, opus abſciſſum, Operis ſegmentum, Sectio operum militarium,* Abſchnitte. *Aggerem interſcindere,* Abſchnitte im Walde machen, Caeſ. *Foſſas transverſas viis praeducere; omnibus viis vallum obducere; Obſidentibus ingreſſum novis munimentis intercludere,* Abſchnitte in den Straſſen machen, Caeſ.

Inſeratur:

LOTVS Feminis tantum ab omnibus adnumeratur, parumque abeſt, quin ipſe Cicero ſoloeciſmi arguatur, qui l. 7. ep. 20. n. 3. ſcripſit: *Quamquam illa quidem habet lotum, a quo etiam advenas teneri ſolent; quem tamen ſi excideris, multum proſpexeris.* Nam, niſi librariorum culpa ſit, qui *lotum* ſcripſerint, ubi *lucum* repererant, quid pro ſe dicat, ipſum Ciceronem vix habere putant. At Graeci ὁ λωτὸς dixerunt et ὁ μελίλωτος, quos Cicero auctores ſecutus eſt. Illis λωτὸς ἥμερος, ἄγριος, αἰγύπτιος, non ignotus erat. Vid. Dioſcorid. l. 4. c. 111. 112. et 114. et de μελιλώτῳ ἀττικῷ l. 3. c. 48. Nec ſolus Cicero Graecos imitatus eſt; ſed et Martialis l. 8. ep. 51. n. 14:

Palladius tenero lotos ab ore ſonat.

Nam veteres, arborum nomina Feminini Generis omnia eſſe, numquam putarunt. Praeter enim illa pauca, quae a Grammaticis ad Maſculina et Neutra referuntur, etiam *buxus, cupreſſus, platanus,* aliaque Maſculina apud veteres fuerunt. Vid. Sanctii Minerv. l. 1. c. 7. pag. 44. *Heuſinger.* obſ. 445.

p. 1030.

v. 16. ſubjunge:

Ludus, in quo ſuper oblongâ menſâ globulos eburneos per teretes haſtas varie ſciteque

que impellimus, der Billard. *Luſus* l. *ludus latrunculorum*, quem ceteroquin *ludum Schacciсum* appellant, quo de *Guſtavus Selenus* i. e. Auguſtus D. Br. et Lun. ſingularem librum conſcripſit. Hinc *latrunculi* ſ. *latrones* et *calculi* (*Steine im Schachſpiele*), quibus ludimus ſedecim ſcrupis gemina acie utrimque directis: in quibus duo Reges ſunt invicem contendentes, duae Reginae, quattuor equites, ſedecim pedites, quattuor ſatellites, totidem centuriones.

Ad loc.

LVMEN. v. 16. adjunge: *Filamenta ellychnii; quae inaequaliter candelam depaſcunt, apparent*, Germ. *das Licht hat einen Dieb oder einen Räuber*.

p. 1036.

v. 5. ſic lege: exſtat apud Ciceronem L. 4. Fam. ep. 4. et L. 11. Attic. ep. 18. et apud Terentium Phorm. A. 5. Sc. 9. v. 23.

p. 1038.

v. 2. inſere: It. Suet. Gramm. c. 17: *Ad exercitanda diſcentium ingenia aequales inter ſe committere ſolebat, probat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent, ſed et praemio, quod victor auferret.*

p. 1045.

v. 19. ſubjunge:

Petronius p. 12:

Nolo, quod cupio, ſtatim tenere,
Nec victoria mi placet parata.

Ad loc.

MIHIPTE. v. 7. ſeqq. ſic lege:

† Syllabica adjectio *pte* frequenter quidem apud Terentium, Livium, Tacitum, quin etiam ipſum Ciceronem Lib. 3. Orat. n. 10. et alios componitur cum Ablativis *mea*, *tua*, *ſua*, *noſtra*, *veſtra*, ut *meapte*, *tuapte*, *ſuapte*. *noſtrapte*, *veſtrapte*: et interdum cum *meo*, *tuo*, *ſuo*, cet. ut *meopte*, *tuopte*, *ſuopte*, cet. ſed compoſitio ejus cum *mihi*, ut *mihipte*, valde inſolens, et propterea eo magis notanda. Antique etiam dictum invenitur *eopte* pro *eo ipſo*, teſte Feſto. Quin et *iſtapte* occurrit apud Catullum ad Flav. v. 12.

Locum MINGO ſic lege:

MINGO i. e. ut Petronius honeſtius loquitur, *veſicam exonero*, vel, ut Columella, Vlpianus, alii, *urinam facio*, *lotium reddo*, Voſſius de Vit. etc.

p. 1046.

v. 10. ſic lege: Neque enim ſolus Vopiſcus et Vegetius ſibi illud permiſit, etc.

p. 1048.

Integer locus, quo MODICVM illuſtratur, deleatur, et hoc ampliori et meliori modo reddatur:

MODICVS aevo latinitatis optimo ac florentiore notat non niſi *id, quod modum ſuum ſervat, quod intra modum ſuum ſe continet, quod modum non excedit*, Germ. *was ſeine gehörige Maſſe hält, was nicht zu viel und nicht zu wenig, nicht zu groſs und nicht zu klein iſt, was ſeiner natürlichen Beſchaffenheit nach weder gröſſer noch kleiner, weder mehr noch weniger ſeyn darf oder ſeyn kann:* cui contrarium eſt *immodicum* i. e. *quod modum excedit, quod intra modum ſuum ſe haud continet*. Minus proinde acute vident, qui hanc notionem confundunt cum eo, quod *puſillum* ſeu *exiguum* eſt: nec enim, quicquid *non immodicum*, id illico *puſillum* ſive *exiguum* eſt; quia *modicum* interjectum eſt inter *exiguum* et *immodicum*. Nempe *quod exiguum*, idem verius eſt *intra modum*. Cicero L. 9. ep. 11. ad Servium Sulpicium: *Modice hoc faciam, aut etiam intra modum.* Quae verba etiam Gellius adducit Lib. 12. cap. 13. Sic vero explicat: MODICE *dixerat, id eſt, cum modo aequo et pari: deinde quaſi hoc diſpliceret, et corrigere id vellet, addit* AVT ETIAM INTRA MODVM. *Per quod oſtendit, minus ſeſe id facturum eſſe, quam quod fieri modice videretur: id eſt, non ad ipſam modum, ſed retro paullulum et citra modum.* Similiter MODICE medium eſt 1. Inter *frequenter* et *raro*. Vnde Columella: *Magis conducit agricolae, frequenter id potius, quam modice facere.* 2. Inter *nimium* et *parum*. Vnde Cic. Phil. 2. cap. 3: *Eſt ſapientis, quicquid homini accidere poſſit, id praemeditari ferendum modice eſſe, ſi advenerit.*

* Cic. L. 7. ep. 27: *Etſi unus ex omnibus minime ſum ad te conſolandum accommoda-*

modatus; quod tantum ex tuis moleſtiis cepi doloris, ut conſolatione ipſe egerem: tamen, quam longius a ſummi luctus acerbitate meus abeſſet dolor, quam tuus; ſtatui, noſtrae neceſſitudinis eſſe, meaeque in te benevolentiae, non tacere tanto in tuo moerore tam diu, ſed adhibere aliquam modicam *conſolationem*, (i. e. quae pro meo ipſius dolore gravior nunc quidem eſſe nequit, quum ipſe conſolatione egeam, quae, ſi ad modum doloris, quem ipſe perſentiſco, exigatur, talis videri poſſit, ut major a me et uberior conſolatio proficiſci non queat; Germ. einen Troſt, ſo gut ich denſelben bey meiner gegenwärtigen ſelbſteigenen Betrübnis mittheilen kann) *quae levare dolorem tuum poſſet, ſi minus ſanare potuiſſet.* Idem Paradox. *Meam autem quoniam pecuniam contemnis*, (et recte: *eſt enim ad vulgi opinionem mediocris; ad tuam nulla, ad meam modica*) i. e. mihi et meo vivendi modo ſufficiens. Germ. Mir iſts gnung, ich brauche nicht mehr: *de mea ſilebo, de te loquar.* Idem Lib. 2. cap. 21: C. *Gracchi frumentaria magna largitio fuit: exhauriebat igitur aerarium. Modica M. Octavii, et reip. tolerabilis, et plebi neceſſaria: erga et civibus et reip. ſalutaris.* Liv. L. 25. cap. 22: *Tum ambo Conſules circumſederunt urbem* (ſc. Capuam) *et Claudium Neronem Praetorem ab Sueſſula ex Claudianis caſtris exciverunt. Is quoque* modico *ibi praeſidio* (i. e. ſufficienti, quantum praeſidii ſatis videbatur eſſe) *ad tuendum locum relicto, ceteris cum omnibus copiis ad Capuam deſcendit.* Idem alibi: *Commiſſo* modico *certamine* i. e. non valde acri aut crudeli, quum rerum conditio proelium atrocius haud efflagitaſſet.

Atque haec notio omnium crebertime occurrit etiam apud ſcriptores aetatis argenteae.

* Tacitus Ann. 2, 6, 2: *Non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo, quae* modicis *domibus aut civitati-* (i. e. mediocribus, quae intra modum ſuum ſe continent, nec immodicis ſe opibus efferunt.) Id. Ann. 3, 51, 2: *Quum extolleret pietatem, quamvis* modicas *Principis injurias* (i. e. non nimis magnas, ſed leviores) *acriter ulciſcentium.* Id. Ann. 3, 72, 2: *Quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniae* modicus, (i. e. non admodum pecunioſus, haud dives ultra modum eorum, qui ipſius ſortis ac conditionis eſſent) *avitum decus recoluit.* Id. Ann. 2, 37, 3: *Sed hunc mitem erga amicos*, modicum *voluptatum* (i. e. ſervantem juſtum voluptatis fruendae modum, moderatum in voluptatum uſu) *uno matrimonio, certis liberis egiſſe.* Id. Ann. 4, 31, 1: *His tam adſiduis, tamque moeſtis* modica *laetitia* (i. e. non nimis magna, ſed mediocris tamen quaedam) *interjicitur, quod C. Cominium, equitem Romanum, probroſi in ſe carminis convicium, Caeſar precibus fratris, qui Senator erat, conceſſit.* Id. Ann. 4, 52, 2: *Is recens Praeturâ*, modicus *dignationis* (i. e. non ſummae dignationis vir, ſed in mediocri dignitate conſtitutus) *et quoquo facinore properus clareſcere, crimen impudicitiae, adulterum Furnium, veneficia in Principem et devotiones objectabat.* Id. Ann. 4, 72, 2: *Tributum iis Druſus juſſerat* modicum *pro anguſtiâ rerum*, (i. e. pro tenui re et exiguis eorum facultatibus non adeo grave, ſed valde tolerabile) *ut in uſus militares coria boum penderent.* Id. IV. 10. v. 3: *Queis* (Germanis) *ingentium belluarum feraces ſaltus*, modica (i. e. quae rei familiaris ipſorum modo ſufficerunt, nec modum neceſſitatis excederent) *domi armentà ſunt.* Id. Ann. 6, 30, 3: *Getulicus ea tempeſtate ſuperioris Germaniae legiones curabat, mirumque amorem adſecutus erat, effuſae clementiae*, modicus *ſeveritatis* (i. e. in ſeveritate modum ſervans, numquam nimis ſeverus) *et proximo quoque exercitui per L. Apronium ſocerum non ingratus.* Id. Ann. 6, 39, 3: *Fine anni Poppaeus Sabinus conceſſit vitâ*, modicus *originis* (i. e. non adeo claro ortus genere) Principum *amicitiâ Conſulatum ac triumphale decus adeptus.* Id. Ann. 12, 20, 2: *Sed diſſerebatur contra: Suſcipi bellum avio itinere, importuoſo mari: ad hoc Reges feroces; vagos populos; ſolum frugum egens: tum taedium ex mora, periculum ex properantia*, modicam *victoribus laudem* (i. e. non ita magnam vel ſingularem) *ac multum infamiae, ſi pellerentur.* Id. Hiſt. 2, 49, 6: *Othoni ſepulcrum exſtructum eſt* modicum (i. e. haud nimiam pompam prae ſe ferens, ſed mediocriter ſumtuoſum) *et manſurum.* (Nimis ſumtuoſa enim, ac nimis ſplendida monumenta Principum invidia et emulatio ſucceſſorum ſaepe deſtruxit.) Id. Hiſt. 3, 72, 3: *Voverat Tarquinius Priſcus Rex bello Sabino, jeceratque fundamenta, ſpe magis futurae magnitudinis, quam quo* modicae *adhuc populi Romani res* (i. e. quae non dum extimeſcendam aliquam magnitudinem haberent) *ſufficerent.* Id. Hiſt. 4, 40, 1: *Quo die Senatum ingreſſus eſt Domitianus, de abſentia patris fratrisque ac juventa ſua pauca et* modica (i. e. quae intra modum ſubſiſterent, quae ad leges modeſtiae eſſent compoſita) *diſſeruit.* Id.

Agric 18, 4: *Ire obviam diſcrimini ſtatuit, contractiſque legionum vexillis et* modica (i. e. mediocri, nec ita valde magnâ) *auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant. ipſe ante agmen, quo ceteris par animus ſimili periculo eſſet, erexit aciem.* Curtius 4, 7, 15: *Jamque haud procul oraculi ſede aberant, quum complures corvi agmini occurrunt*, modico *volatu prima ſigna antecedentes.* (i. e. eo volatu, quo ſic prima ſigna antecederent, ne ſpatium plus juſto majus inter ipſos et ſubſequens militum agmen intereſſet) Valerius Maximus in Prologo: *Nec mihi cuncta complectendi cupido inceſſit. Quis enim omnis aevi geſta* modico *voluminum numero comprehenderit?* (i. e. eo voluminum numero, quo juſtae magnitudinis libri fere conſtant.)

Interdum tamen Domitiani ac Trajani aevo etiam pro *exiguo* ſive *puſillo* uſurpatur.

* Tacitus Ann. 2, 52, 4: Modicam *manum, ſi multitudinem Numidarum atque Maurorum ſpectares.* Id Ann. 14, 32, 4: *Sed quia procul Sertorius aberat, petivere a Cato Deciano Procuratore auxilium. Ille haud amplius quam ducentos ſine juſtis armis miſit: et inerat* modica *militum manus.* Id. Ann. 14, 36, 3: *Gloriae eorum acceſſurum, quod* modica *manu univerſi exercitus famam adipiſcerentur.* Id Hiſt. 4, 56, 6: *Accepta peditum equitumque* modica *manu, nihil apud Batavos auſus, quosdam Nerviorum Betaſiorumque in arma traxit* Id. Hiſt. 5, 9, 6: *Claudius, defunctis Regibus, aut ad* modicam *redactis.* Curtius 4, 6, 7: *Praeerat ei Betis, eximiae in Regem ſuum fidei;* modicoque *praeſidio muros ingentis operis tuebatur.* Id. 7, 4, 36: *Prior barbarus emiſit haſtam, quam Erigyius* modica *capitis declinatione vitavit.* Plinius Lib. 3. ep. 3: *Adhuc illum pueritiae ratio intra contubernium tuum tenuit, praeceptores domi habuit, ubi eſt vel erroribus* modica, *vel etiam nulla materia.*

Haec ſane oſtendunt, notionem *puſilli* ſeu *exigui*, quae huic vocabulo inſit, nequaquam barbaram atque adeo repudiandam eſſe, quamvis non dum in uſu fuiſſe videatur optimo Tullii aevo, immo nec ante imperium Flaviae gentis, eoque homini eleganti ita loquendum magnopere haud ſit. Nec tamen parum auctoritatis adferre ſignificatui huic poſſit etiam Tertullianus, qui ab aevo argenteo et dicendi ratione puriori quam proxime abeſt. Hic enim libro adverſus Praxeam hunc adducit Scripturae locum Hebr. 2, 7: *Propter hoc minoratus a Patre*, modicum *citra angelos.* Quippe heic Graece eſt βραχύ τι: quod potius eſt *paulliſper.* Item adducit illud eodem loco: Modicum *adhuc temporis vobiscum ſum.* Qui locus eſt ex Joh. 7, 33, ubi Graece eſt μικρὸν χρόνον, *paulliſper*, ſive *exiguo tempore.* Idem Lib. 2. adverſus Marcionem: *Nec magnus vobis placet, nec* modicus Vbi manifeſte *modicum* vocat, quod prius dixerat *puſillum.* Conf. *Voſſius* de Vit. Serm. Lib. 1. c. 33. p. m. 148 ſeq. unde haec deſumſimus, ſed, ut lectori rerum hujusmodi curioſiori patebit, uberiori exemplorum farragine ab nobis corroborata; iis ante reſectis, quae nihil ad rem facerent, vel minus recte poſita viderentur. Quodſi etiam placuerit ea, quae *Vorſtius* de Lat. mer. ſuſp. cap. 2. p. m. 23. contra Voſſium ſuper hoc loco adfert, cum Voſſii verbis noſtrisque additamentis his conferre, et ſingula, quae adduximus, veterum loca probe expendere; apparebit, opinor, Vorſtium exemplis minus idoneis contra Voſſium eſſe uſum, atque omnino eidem minus apte contradixiſſe. Hoc etiam addiderim, ſequiori aevo, praeſertim in Pandectis et apud JCtos minus frequentem apud veteres illam notionem *Modici* qua *Magno* opponitur, valde frequentari, immo etiam Modicum plerumque in jure capi pro *minimo*, *valde levi* et *leviſſimo*, Conf. *Joh. Theodori Sprengeri Liber novus Juridico - Politico - Hiſtoricus de* Modico, *in quo tractatur, quid* Modicum *ſit, quotupliciter capiatur, quomodo praeſumatur, quales praeſumtiones generet, in quibus juris articulis caveatur et negligatur, et quales tam in theoria, quam praxi producat utilitates; ex jure Divino, Canonico, Civili, Feudali et Receſſibus Imperii deductus. Francof. ad Moen. 1658. 12.*

Inſeratur:

MODO, DVDVM, NVPER, PRIDEM, DIV, QVONDAM, OLIM, IAM DVDVM, IAM PRIDEM, IAM OLIM, IAM DIV, differunt.

MODO ſignificat *tempus vix dum praeteritum.* Ter. *Apud forum modo de Davo audivi*, Germ. *Ich habe es allererſt am Markte von dem Davo vernommen.* Plura exempla vide in loco proxime praecedente ſub n, 1.

DVDVM ſignificat *tempus paullo longius*, ſcil. *unius horae, ſemihorae, duarum* aut *trium.* v. g. *Dudum ſonuit duode-*

duodecima, Germ: *es hat ſchon längſt Zwölfe geſchlagen.*

NVPER et PRIDEM ſignificat *tempus adhuc longius*, ſcil. *aliquot dierum, menſium*, aut *etiam non numquam annorum*. Cic. *Nuper: quid dico nuper? immo vero modo ac plane paullo ante.* Id. *Cauſa, quae abs te nuper dicta eſt.* Item: *Quam pridem pater tuus mortuus eſt?* R. *Non ita pridem.*

DIV ſignificat *continuationem temporis* ſeu *longum temporis ſpatium*. v. g. *Diu heic habitavi; Diu navigavi; Diu equitavi; Diu hoc praedixi*, Germ. *ich habe nun lange Zeit ſchon ſolches vorher geſagt.* Ter. *Ubi ubi eſt, diu celari non poteſt.* Hinc fit comparativus *Diutius* v. g. *Non abero diutius unâ horâ, ich werde nicht länger, als eine Stunde, weg ſeyn.* It. *Non poſſum heic diutius agere, ich kann hier nicht länger bleiben.*

QVONDAM et OLIM ſignificat *tempus longiſſimum*. v. g. Cic. *Populus Romanus, qui quondam in hoſtes leniſſimus exiſtimabatur.* Id. *Sic olim loquebantur.* It. *Olim litterae in pretio fuerunt.* OLIM dicitur etiam *de futuro*. v. g. Virg. *Olim meminiſſe juvabit.* It. *Olim te poenitebit facti.*

DVDVM, PRIDEM, OLIM, ſignificat *actum tranſeuntem, non durantem*, et adſciſcit *Verbum Praeteriti temporis*. v. g. *Dudum hoc fecit. Pridem fuit in aedibus. Olim hoc factum eſt.* Adſciſcit tamen interdum *Tempus* etiam *Praeſens*, ſi actus, vel id, quod olim eſſe coepit, non dum finitum eſt. v. g. *Dudum hoc facio, ich habe es vorlängſt ſo gemacht, und mache es noch ſo. Ite ad crucem, qua dudum digni eſtis.*

IAM DVDVM, IAM PRIDEM, IAM OLIM, (it. *Olim jam*) IAM DIV verſa vice ſignificat *actum durantem, inſiſtentem ac permanentem*, et adſciſcit uſitate *Verbum Praeſentis temporis*. Ter. Eun. a. 4. ſc. 7: *Jam dudum animus eſt in patinis*, Germ. *mich hat ſchon lange gehungert, und hungert noch.* Cic. Attic. *Jam pridem cupio Alexandriam viſere*, Germ. *Ich habe ſchon lange Zeit her nach Alexandria gewollt, und will auch noch gern dahin.* Cic. *Jam olim omnes te amant et volunt.* Id. Lib. 1. Acad. Quaeſt. n. 24: *Jam diu haec tractantur a Graecis.* Rarius *tempus Praeteritum*. Plaut. Men. A. 2. ſc. 3: *Jam dudum tibi adverſabar.* Cic. 2. Attic. *Jam pridem intellexiſti voluptatem meam.* Id. Lib. 1. de Orat. n. 38: *Quod niſi feciſſet, rempublicam, quam nun nunc vix tenemus, jam diu nullam haberemus.*

Ex his ergo, quae docuimus, ſequitur, non dicendum eſſe *Quam diu rediit?* ſed *Quam dudum rediit?* non *Diu* l. *Jam diu hora prima ſonuit* l. *audita eſt*; ſed *Dudum hora prima eſt audita:* non *Diu rediit*; ſed *Dudum rediit:* non *Jam diu animam exhalavit*; ſed *Jam dudum animam exhalavit:* non *Jam dudum mortuus eſt*; ſed *Jam diu mortuus eſt:* non *Diu receſſi*; ſed *Dudum receſſi:* non *Diu equum adſcendi*; ſed *Dudum equum adſcendi:* non *Jam diu magiſter eſt in ſchola*; ſed *Jam dudum magiſter eſt in ſchola:* uſitate *Jam dudum hoc intelligit*; rarius *Jam dudum hoc intellexit.*

MODO, MOX, NVNC, tria diverſa tempora ſignificat: *illud* praeteritum; *iſtud* futurum; *hoc* praeſens. v. g. *Modo hoc faciet, das wird er bald thun. Nunc facit, jetzo thut ers.*

Imperiti ſubinde haec confundunt, ut audias: *Modo hoc facturus ſum; Mox hoc facit; Nunc hoc fecit*: quamvis, quod haud diſſimulandum eſt, *nunc* interdum pro *modo* uſurpetur. Conf. infra *Nunc*.

p. 1051. ad loc.

MORTALES. v. 4. ſeq. ſic lege: Praecipue Livius et Salluſtius ita frequentant hoc vocabulum.

Ad loc.

MOX. v. 2. adde: Confer ſupra *Modo*.

p. 1052.

v. 9. ſubjice:

6. MOX, MOX, ad alternum tempus ſignificandum, eruditis valde quidem in uſu eſt, quum tamen veteres *modo* quidem, numquam vero *mox* hac ſignificatione iterent.

Inſeratur:

MVLIEROSVS i. e. φιλογύνης, *addictus et indulgens mulieribus*, et MVLIEROSITAS i. e. φιλογυνία, *cupi-*

cupiditas femineae voluptatis, bina ſunt vocabula, quibus Cicero primus uti auſus eſt. Vid. *Cic.* 4. Tuſc. 11. it. *Eraſmi* Cop. Verb. L. 1. c. 12.

p. 1053. inſeratur:

MYRTVS et ſecundam et quartam Declinationem ſequitur, quod a priſcis Grammaticis negatum probat Bentlejus ad Horat. l. 2. od. 15. v. 6. ubi legit, *Myrtus* (ultimâ longâ) *et omnis copia navium.* Ita enim et Virgil. l. 2. Georg. v. 64. et Catull. Epithal. Pelei v. 89.

Quales Eurotae progignunt flumina myrtus.

p. 1054. ad loc.

NAVALIA. Subjice huic loco:

Notabis heic locutiones: *Navis in fabrica lignaria aedificatur* ſ. *exſtruitur*, das Schiff liegt auf dem Stapel. *Jus, quod vocant, Stapulae, quo venales prius exponuntur merces quam alio transferuntur*, die Stapel - Gerechtigkeit, Niederlags - Gerechtigkeit.

p. 1055.

v. 24. pro *ſuas* lege *tuas*.

v. 51. adjiciatur: v. g. *Inimicus peſſimus, ne dicam vir patriae amantiſſimus, omni caritate proſequendus eſt.*

p. 1056.

v. 8. ſeqq. ſic lege:

† Sciendum tamen, in aliis loquendi formulis etiam *ne* Adverbium eſſe negandi. v. g. *Te obſecro, ut ne dicas.* In hujusmodi enim locutionibus nullus eſt Pleonaſmus: ſed integre ſic loquimur, ac citra figuram. Quoties autem *ut* omittitur, tunc nimirum Ellipſis ſtatuenda eſt.

p. 1057. ad loc.

NEGOTIATIO. Et quidem ad calcem hujus loci adde:

Negotiationes, Trafiquen. *Negotiari, exercere commercia, mercaturam facere*, Trafiquiren.

Ad loc.

NEMPE. v. 8. adde: Item Petronius: *Ite nunc, mortales, et magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti et opes fraudibus captas per mille annos diſponite. Nempe hic proxima luce patrimonii ſui rationes inſpexit: nempe diem etiam, quo venturus eſſet in patriam, animo ſuo finxit. Vah! quam longe a deſtinatione ſua jacet.*

p. 1058.

v. 9. ſeqq. ſic lege:

* Cic 1. Philipp. cap. 7: *Pompeji Conſulatus, in quibus actis conſiſtit? Nempe in legibus.* Id. pro Lig. c. 3: *Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum, qui, quum hoc ſciret, tamen me, antequam vidit, reip. reddidit,*

v. 16. ſeq. ſic lege:

6. Confirmantis eſt, et nunc cum interrogatione, nunc ſine ea ponitur &c.

p. 1060. ad loc.

NOMEN. Hunc locum ſic amplificabis:

NOMEN et VERBVM eſt, quod quisque proprium et certum habet, ut *Cicero Roma*: VOCABVLVM eſt, cujus ſignificatio eſt communis, ut *homo, urbs.* Sic enim vero diſtinguit Varro de L. L. 9. n. 2. Sed apud veteres *nomen* et *verbum* idem ſaepenumero ſignificat, quod *vocabulum*.

Rectius diſtinxerimus ſic: *Vocabula* et *Verba* ſunt communia et appellativa; *Nomina* autem ſunt tum appellativa, tum etiam propria.

* Sic v. g. dico: *Mihi nomen eſt Petro*; non, *Mihi vocabulum* vel *verbum eſt Petro.* Recte autem dico: *Imponenda nova novis rebus nomina* l. *vocabula* l. *verba ſunt.*

Ad loc.

NON. v. 2. pro *Nein* l. *Kein.*

p. 1061. ad loc.

NOVISSIMVS. v. 19. lege ſic: Caſſius, Hirtius, Salluſtius B. Cat. c. 33, Varro, Livius, etc.

p. 1063. inſeratur:

NVMELLAE, *arum*, apud Plautum occurrit, et ſignificat genus vinculi, cui collum et manus in poenam inſeruntur, Germ. *der Pranger.*

Hinc: *Numellis publicis adfigere, inſerere, conſtringere, alligare*; *Ferreo torque aliquem ad palum infamem alligare*, einen an den Pranger ſtellen.

Ad loc.

NVNC. v. 10. adde: Confer ſupra MODO.

p. 1068.

p. 1068. ad loc.

OBITER. v. 10. lege: cum Graecis, *παρέργως, ὡς ἐν παρόδῳ*. Sub finem hujus loci adde: *Eraſmi* Cop. Verb. L. 1. c. 11.

p. 1069.

v. 11. adde: Conf. *Eraſmus* de Copia Verborum L. 1. p. m. 30. ſeqq.

p. 1072. ad loc.

OBSECRO. v. 18. ſubjunge: Quodſi concurrunt *Rogo* et *Peto*, quamvis hoc ſit rarius, poſteriorem locum occupat *Peto*.

v. 24. hujus loci adde: It. *Reliquum eſt, ut te rogem et a te petam*.

p. 1074.

v. 55. ſeqq. ſic lege:

Eraſmus in Moriae Encomio p. m. 189. vehementer exagitat id Grammaticorum vulgus, qui hujusmodi obſoletis mirum quantum delectantur, et inter exeſa et multo quaſi muſco obducta antiquiſſimae latinitatis rudera vitam transigere decreverunt. *Jam adde*, inquit, *et hoc voluptatis genus* &c.

p. 1077.

v. 1. poſt verba *eine Schmelzhütte*, adde atque interpone: et *officina vitriaria*, *eine Glashütte*, in qua arenae nitro admixto in vitrum excoquuntur, Germ. *wo das Glas gebrannt wird*, idque vitrum emiſſo ſpiritu in plurimos habitus formatur, Germ. *das Glas geblaſen und formiret wird*.

Exeunti huic loco adjice:

Submovere officinas adulterinas, die Pfuſcher aufheben.

p. 1078.

v. 11. adde: Confer ſupra *Modo*.

v. 12. ſic lege:

4) Horatius etiam pro *interdum* ſeu *aliquando* poſuit &c.

Ad loc.

OMNIFARIUM. v. 3. ſeq. ſic lege: Gellius L. 12. c. 13. et Pandectae L. 4. C. de contrah. committend. ſtipulat. Cicero aliique etc.

p. 1082.

Exeunti paginae ſubjunge:

† *Declamare* pro *exerceri ad eloquentiam*, Tullii aetate demum increbuit.

p. 1085. ad loc.

PAGI. v. 13. usque ad finem lege ſic: ut Germania et Helvetia olim diviſa erat in quattuor pagos, qui urbes duodecim et vicos quadringentos habebant. *Popma* 131. it. 334. *Perotti* C. C. Epigr. 2. Col. 56. v. 57. ſeq. Scilicet hac ſignificatione *pagus* apud Caeſarem, Plinium, Tacitum, alios, legitur: ac ne medio quidem aevo, quid proprie *pagus*, quid *vicus*, eſſet, Germani ignorarunt: in quorum monumentis tamen quum *pagus* non numquam ponatur etiam pro *vico*; vulgaris notio *pagi*, qua notat Germ. *ein Dorf*, inde apud eruditos noſtros increbuiſſe videtur.

Vicus duplici modo dicitur, extra urbem et in urbe. Extra urbem ſignificat locum, ubi plures caſae ſunt, nulla munitione ſaeptum, Germ *ein offener Flecken oder Dorf*. In urbe vicus dicitur continuata aedium ſeries, Germ. *eine Reihe Häuſer*, *eine Gaſſe*.

p. 1086. ad loc.

PANNVS XYLINVS. Hic locus deleatur, et ſic amplietur:

PANNVS XYLINS l. *ex goſſypio confectus*, Barchent oder Cattun. *Pannus Atalicus*, Atlas *Pannus aureus*, Drap d'or. *Pannus argenteus*, Drap d'argent. *Pannus bombycinus undulatus* l. *Pannus cumatilis*, Tabin. *Pannus cilicinus*, Percan. *Pannus conchyliatus*, Scharlach. *Pannus Damaſcenus*, Dammaſt. *Pannus verſicolor*, *filo aureo contextus*, it. *Pannus bombycino et aureo filo textus*, güldener Brocat. *Pannus pinguis*, *criſpatus*, *villoſus*, Boy, grober, gekieperter Boy.

Inſeratur:

PARENTES pro *cognatis*, non optime dicitur. Vſurparunt tamen hac notione non modo, quod Cellarius C. P. 249. putat, Julius Capitolinus et alii ejus aetatis, ſed etiam Curtius l. 6. c. 10. §. 30, et fortaſſe alii melioris notae auctores, ut ipſi Cellario poſtea viſum eſt ad Curtii locum modo dictum. Vid. etiam *Freinshemius* Ind. Curt.

v. 37. Pro PAROXISMVS l. PAROXYSMVS.

p. 1087.

p. 1087.

v. ult. adde haec: Occurrit tamen hac notione Theologica jam apud ſcriptores Eccleſiaſticos antiquiores, et apud ipſum Lactantium Inſtitut. 4, 27, ubi *crucem* vocat *ſignum paſſionis Dominicae*.

v. 15. lege: PAVPERIES Poëtarum fere eſt.

p. 1089. ad loc.

PENES. v. 4. adde: Sall. B. Jug. c. 20: *Ceterum fides ejus rei penes auctores erit.*

p. 1090. inſeratur:

PENVS, ſi eſt ſecundae et quartae Declinationis, Genus agnoſcit tum maſculinum, tum etiam femininum; ſed maſculinum tamen luculentiori antiquitatis ſuffragio: ſi eſt tertiae Declinationis, Genus agnoſcit neutrum, et in Genitivo uſitatiſſime habet *Penoris*. Dicas ergo hic et haec *Penus, i,* et *ûs*; et *hoc Penus, oris*.

* Addere poſſem haec neutra: *Penum, i; Penus, eris* et *iteris*; et *Penu, u*. Sed nolim talia in exemplum trahi, quamvis qualicumque tueri ſe auctoritate poſſint: praefero priora.

† Servius in Lib. 1. Aeneid. *Dicimus*, inquit, *et* hic *et* haec *et* hoc penus*: ſed a maſculino et feminino Genere quarta eſt Declinatio; a neutro tertia*, penus, penoris; *quomodo eſt* pecus, pecoris. Ergo ſecundum Servium *penus* eſt Generis omnis: quod et Servio antiquiores docent; quemadmodum etiam Donatus et Caper illi ὁμόψηφοι ſunt. Quod vero ſit ſecundae Declinationis, de eo ſilet Servius: nec modo non agnoſcit *penus, i*, ſed neque *penum, i*. Chariſius tamen ac Priſcianus etiam *penum, i*, adſtruunt illo Afranii: *In penum herile.* Poterant etiam illud adſtruere illo Plautino Capt. a. 4. ſc. 4: *Dicam, ut ſibi penum aliud ornet*, cet. Sed obſoletum id arbitratur *Voſſius* de Vit. 84; nec, ſi *penum* in recto dixerint, eo, et obliquos ejus in uſu fuiſſe, conſequi, ait: Chariſium Genitivum *peni* nulla auctoritate fulcire, aut fortaſſe id apud Naevium et Pacuvium legiſſe; ubi multa vieta reperiri et rancida, etiam pueris notiſſimum eſſe. Ceterum A. Gellius l. 4, c. 1. quemdam rei Grammaticae doctorem ita loquentem inducit: *Penus* variis Generibus dictum et varie declinatum eſt: nam et *hoc penus* et *haec penus*, et *hujus peni* et *penoris* et *peniteris* et *penoris* veteres dictitaverunt. Hactenus Gellius. Chariſius videtur quoque *hoc penu* in recto agnoviſſe; ſed nuſquam reperitur. Quod ſit tertiae Declinationis *penus, penoris*, id nemo in dubium vocat. *Borrich.* in Voſſ. 190. De vario illo Genere, quod praeſertim ad uſum commendamus, ne cui ſcrupulus ſuperſit, ita hahabeto. Femininum placuit Lucillio ap. Nonium in *Penus*, et Priſcianum Lib. 5:

Magna penus parvo ſpatio conſumta peribit.

Quin hocce modo Pomponium, et Naevium, locutos eſſe, docet Nonius d. l. Ac ne haec pro obſoletis habeas, etiam in Pandectis Florentinis eſt: DE PENV LEGATA. In maſculino Genere utitur Plautus Pſeudolo a. 1. ſc. Exite, agite:

Facite hodie, ut mihi munera multa huc
ab amatoribus conveniant:
Nam niſi penus annuus hodie convenit,
cras populo proſtituam vos.

Neutrum uſurpat, non Afranius modo, qui in Talione, *herile penus*, dixit, Priſciano teſte: Sed etiam Horatius lib. 1. ep. 16. v. 72:

Annonae proſit, portet frumenta penusque;

It. Sueton. Ner. c. 11: *Penus multiplex*; et Gell. l. 4. c. 1. extr. *Ea ſola eſſe penoris putat*; et Paullus ad Feſtum: *Penora dicuntur res neceſſariae ad victum quotidianum.*

p. 1091.

v. 34. haec ſubnectantur:

10. Notat etiam interdum *Ante*.

* Sall. B. Jug. c. 35: *Incedunt per ora veſtra.*

p. 1092. ad loc.

PERFVGIVM. Huic loco adjice:

Tacitus Germ. habet *ſuffugium*: *Nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur.*

Inſeratur:

PERICVLVM ſtilo plebejo ſignificat *ein Gerichts-Protocoll*, quo ſenſu in ipſo Cicerone ſemel, nempe pro Archia cap. 2, reperitur, apud ſecutae vero aetatis ſcriptores ſaepius.

p. 1094. ad loc.

PERSEQVI. v. 10. lege: *Proſequi aliquem odio, invidiâ, lapidibus.*

p. 1095.

v. 28. pro *licere* l. *luere*.

p. 1099.

p. 1099.

v. 10. adjice: *Praedones Dalmatiae*, die Morlacken.

Exercere latrocina maris, Juſtinus. *Mare praedonibus infeſtatur. Infeſtum mare reddere. Piraticam adgredi;* Capern.

p. 1100. inſeratur:

PLERIQVE non ſemper majorem partem, ſed ſaepe aliquam tantum indicat, nihilque aliud eſt, quam *multi* l. *perquam multi, valde multi*. Curt. l. 4. c. 1. n. 26: *Itaque non Stratonis modo regiam ſupellectilem attribui ei juſſit; ſed pleraque etiam ex Perſica praeda.* Nemo majorem Perſicae praedae partem novo regulo attributam ſuſpicabitur. Idem l. 6. c. 9. n. 35: *Praeter Macedonas plerique adſunt, quos facilius, quae dicam, percepturos arbitror, ſi eadem lingua fuero uſus; qua tu egiſti.* Non plures ex Graecia aderant, quam Macedones. Atque ita ſaepe Curtius. Sueton. Aug. c. 40: *Quum autem plerique equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, ſpectare ludos e quattuordecim non auderent.* Idem Domit. c. 19: *Centenas varii generis feras ſaepe in Albano ſeceſſu conficientem ſpectavere plerique.* Non fit credibile, extra urbem *pleroſque* ejusmodi venationum ſpectatores fuiſſe. *Heuſingerus* obſ. antib. 424.

Inſeratur:

PLERVMQVE non modo, quod Lexica inculcant, Adverbium eſt, ſed etiam Singulare Neutrum. Salluſt. B. Jug. c. 24: *Sed ubi plerumque noctis proceſſit* i. e. poſtquam maxima noctis pars tranſiit.

p. 1101. ad loc.

POETICA. v. 16. ſeqq. dele haec verba: *pater altitonans*; Cic. 1. Divin. c. 12; *genus altivolum*, ibid. c. 48; *flammifera vis*, Cic. Acad.; *ignifer*, in Arato; *ſpinifera cauda*, ibid.

p. 1102.

v. 26. ſic lege: c. 13. n. 3. it. L. 4. c. 3. n. 26. it. Sall. B. Cat. c. 58; *monſtrificus* cet.

v. 35. adde: Conf. *Eraſm.* de Copia verborum L. 1. p. m. 26. *Buchner.* cet.

p. 1105. ad loc.

POSTERIVS. Adde huic loco:

Occurrit ceteroquin hac notione apud Terent. Plaut. Virg. et Cornel. Pauſan. c. 5. §. 5.

Inſeratur:

POSTICA et POSTICVM, *die Hinterthür*, utrumque: ſed *Poſticum* frequentius eſt apud bonos auctores.

Ad loc.

POTIONATVS. Huic loco ſubjice:

† Nota: Quod Borrichius putat, verbum *tunicare* numquam fuiſſe in uſu, in eo quidem errat: exſtat enim apud Varronem, citante Nonio cap. 2. n. 873. Legitur, ſi quid hoc etiam ad rem pertinet, et in Onomaſtico: *Tunico*, χιτωνίζω. Vſus eſt etiam hoc Verbo aliquoties Alanus libro de planctu naturae, proſâ 8 et alibi. V. *Daumii* de cauſis amiſſ. rad. L. L. c. 27. p. 107.

p. 1110. inſeratur:

PRAEDICTVS pro *eo*, *quem ſupra vel antea dixi*, non apud Ciceronem quidem, ſed tamen apud alios bonos auctores legitur. Plin. l. 34. c. 8. ſub fin. *Epigonus omnia fere praedicta imitatus praeceſſit in tubicine.* Quintil. l. 8. c. 3. n. 83: *Vicina praedictae, ſed amplior virtus eſt.* Id. l. 10. c. 1. n. 75: *Theopompus his proximus, ut in hiſtoria praedictis minor.*

Ad loc.

PRAEFISCINE. Hunc locum ſic lege:

PREFISCINE, quod magis archaice, vel PRAEFISCINI, quod florentioris aetatis videtur eſſe, penultimâ correptâ, etc.

Ad loc.

PRAEVOCARE. v. 1. pro PRAEVOCARE lege PRAEFOCARE.

p. 1111. inſeratur:

PRAELVDERE i. e. *praemittere aliquid ſcenae, praefari*, occurrit apud Senecam ep. 102: *Illi meliori vitae longiorique praeluditur.* Et apud Stat. Papin. Praefat. ad Lib. 1. Silvarum; *Stilo liberiore praeludere.*

* *Praeludium* vetus Onomaſticum habet. An etiam Ciceronis verbum ſit, in con-

controverſia eſt. Vulgo adfertur ex Philippica 14. c. 3: *Praeludium illud et portentum L. Antonius.* Sed plures MSS. libri habent *proludium:* Ferrarius et Lambinus ex contextu divinant *propudium:* Gruterus *proluvium.* Pro *praeludio* ergo tutius cum Plinio Lib. 6. ep. 13. dixeris *praeluſio: Tu tamen aeſtima, quantum nos in ipſa pugna proelii et certaminis maneat, cujus quaſi praeluſio atque praecurſio has contentiones excitavit.*

Ad loc.

PRAES. v. 15. Pro *Receptor doctus* lege *Receptor dictus.*

p. 1114. ad loc.

PRAETER. v. 17. ſic lege: *ipſe ſentiam.* Cornel. Ariſtid. *Sibi non placere, quod cupide elaboraſſet, ut praeter ceteros juſtus appellaretur.* Plaut. Amph. A. 2. Sc. 2. v. 10. etc.

p. 1115. Locum hunc ſubſequentem ſic lege:

PRAETEXTVS pro *cauſa, quae praetexi ſolet, der Vorwand,* v. g. *ſub praetextu, ſub eo praetextu, ad praetextum, zum Vorwand,* habet Petronius p. m. 31, cujus verba haec ſunt: *Funde ſanguinem, quem ſub praetextu queſtionis petiiſti;* et Suetonius in Tiberio cap. 28, cujus verba haec ſunt: *Ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorumdam calumniatus.* Cicero et alii pro eo, etc.

p. 1116.

v. 8. adde: Alii hujusmodi conventum exprimunt per *delectos ordinum militarium.*

p. 1117.

v. 1. pro *media* lege *penultima.*

p. 1119. ad loc.

PRIVILEGIVM. v. 3. adde: Sueton. Caeſ. *Athletis et conſervavit privilegia et confirmavit.* *Scioppius* Jud. de Stil. etc.

p. 1120. ad loc.

PRO. v. 9. adde: Sall. B. Jug. c. 32: *Sed, uti pro Conſilio imperatum erat.* i. e. coram conſeſſu Senatorum, coram concilio. Id. B. Jug. c. 94: *Pro muro dies noctesque agitare.*

p. 1121. v. 11. ſubjunge:

* Sall. B. Jug. c. 61: *Pro victoria ſatis jam pugnatum, reliquos labores pro praeda fore.* Ter. *Pro peccato magno paululum ſupplicii ſatis eſt patri.*

p. 1126. ad loc.

PROPTER. v. 10. adde: Sall. B. Cat. c. 59: *Propter aquilam adſiſtit.*

p. 1129. ad calcem hujus paginae adde:

PSALLO non tantum apud Horatium; ſed etiam Salluſtium B. Catil. c. 24. p. m. 91. occurrit.

* *Pſaltria* Terentii eſt. *Pſalmus, Pſalmographus, Pſalterium, Pſaltes,* non niſi Tertulliani, Hieronymi, et aliorum ſequioris aetatis ac praeſertim Eccleſiaſticorum ſunt.

p. 1130. inſeratur:

PVDET verecundiae eſt: PIGET poenitentiae.

Ad loc.

PVLVINAR. v. 8. ſeqq. ſic lege:

* Atque hanc poſteriorem notionem tuentur etiam multis locis Livius, Suetonius, Cornelius, alii.

p. 1133.

v. 48. ſeqq. ita lege: Interdum tamen *Per, Valde, Sane, Admodum, Oppido quam, Oppido perquam,* additur, atque uſitate jungitur Verbo et Poſitivo. Verbo: ut ap. Plin. *Perquam velim ſcire;* et ap. Cic. *Sane quam refrixit.* Poſitivo: ut apud Cicer. *Suos valde quam paucos habet;* apud eumdem, *Hos perquam breviter perſtrinxi;* apud eundem, *Sane quam graviter tuli;* ap. Livium, *Oppido quam parva;* ap. Caeſ. *Oppido perquam pauci.*

6. Ponitur et pro *Quantum* &c.

p. 1136.

Ad finem loci QVANDOQVE adde: Etiam Cl. *Henſingerus* obſ. antib. p. 427. pro ingenuitate hujus Adverbii adduit Columellam l. 7. c. 3. §. 13. Dein ſic pergit: Quid? quod apud Ciceronem quoque l. 3. Tuſc. c. 7. in plerisque libris eſt: *In quemque ea cadunt, in eumdem cadit, ut ſerviat, ut victum ſe quandoque eſſe fateatur.* Ubi tamen *aliquando* Lambinus eſt poſt eum alii. Vide eruditiſſimi Bunemanni Adnot. ad Lactant. l. 2. c. 10. §. 22. Nihilo minus tutius erit, Ciceronem, ubi non corruptus eſt, imitari. Certe hoc

hoc loco in exemplari antiquo Argent. 1616. ſcriptum reperio *quandocumque*, quod pro *aliquando* legi conſtat.

p. 1141. ad loc.

QVIDEM. v. 23. adde: *Si vales bene eſt; ego quidem valeo. Was meine Wenigkeit betrifft, ſo bin ich ja noch geſund.*

v. 40. poſt verbum *dederimus*, haec inſere: Id. L. 12. ep. 18: *Vide, quanti apud me ſis. Etſi jure id quidem: non enim amore te vinco.* Germ. *Bedenk einmal, wie hoch du bey mir angeſchrieben ſeyſt. Wiewohl es freylich nicht anders ſeyn kann: denn deine Liebe gegen mich iſt ſo groſs, daſs meine Liebe gegen dich nicht gröſser ſeyn kann.*

p. 1142.

v. 5. adde: It. *Optime illud quidem.* Terent.

v. 51. haec ſubjunge:

9. Idem ſignificat, quod *Tamen.*

* Corn. Thraſyb. c. 2: *In ſecundo proelio cecidit Critias dux tyrannorum, quum quidem adverſus Thraſybulum fortiſſime pugnaret.*

10. Etiam perſonas diſtinguit.

* Cic. *Quamquam ille quidem*, wiewol, ſo viel jenen betrifft. *Ego quidem ſcribo; tu vero legis; ille autem dormit.*

11. Eleganter ſubjicitur etc.

p. 1143. ad loc.

QVIPPE. v. 10. poſt verba *habeat auctoritatis*, haec inſere: It. *Convivia cum patre non inibat, quippe qui ne in oppidum quidem, niſi perraro, veniret.*

v. 17. haec adde: Sall. B. Cat. *Hi milites, poſtquam victoriam adepti ſunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe ſecundae res ſapientium animos fatigant: ne dum illi, corruptis moribus, victoriae temperarent.*

Inſeratur:

QVICVMQVE duo verba poſtulat: QVISQVE uno contentum eſt. Rurſus *Quicumque* ſignificat *omnis qui; Quisque* tantum *omnis.*

p. 1144.

v. 21. pro *interrumptum* lege *interruptum.*

Nolt. Suppl.

p. 1152. ad loc.

REVERSVS SVM. In fine adde:

† Cl. *Heuſingerus* obſ. antib. 455. cenſorem ſe praebet paullo moroſiorem, quam par eſt, quum ad h. l. ſic commentatur: REVERSVS EST ex aureo etiam ſaeculo dixit Cornelius Nepos Them. c. 5. v. 2: *Itaque, qua ſex menſibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Aſiam reverſus eſt.* Auctor B. Hiſp. c. 13. v. 6: *Qui quum in oppidum reverſi eſſent* Id. c. 18. v. 1: *Reverſus eſt ad portam.* Quamquam utroque loco nunc aliter legitur, *revertiſſent* et *revertit.* Cur Hyginum quoque huic aetati accenſeat Cl. Noltenius, miror non minus, quam illud moleſte fero, quod *reverto* Latinos dicere ait: quum vix unus et alter ex iis, quos nemo imitatur, nominari poſſit. Vide Oudendorp. ad Caeſ. l. 7. Gall. c. 5, v. 4. Hactenus Heuſingeri verba. Ego vero Hyginum aureae aetati accenſeo, non quod hac aetate digna ubique protulerit, ſed quod Auguſti Imp. tempore vixerit, et a non nullis ad eamdem aetatem ea propter referatur. Deinde dico *reverto* apud Latinos dici; ſed uſitatius eſſe *revertor*, quam obſoletum *reverto* Num id a me dici, jure quisquam moleſte ferat?

p. 1153. ad loc.

ROGATIO. v. 11. poſt verba *approbanda videretur*, adde: Hinc locutio, *Rogationem ad populum promulgare*, Sall. B. Jug. c. 47. *Spatium promulgationis* etc.

p. 1154.

v. 31. deleatur *v. g.* et legatur ſic: quibus Praetor aut jubebat aliquid fieri, aut prohibebat, ne hoc vel illud fieret.

p. 1155. Inſerantur:

RVMPERE, DISRVMPERE idem interdum, quod *valde laborare, eniti.* Plaut. Captiv. Prol. 14: *Ego me tua cauſa non rupturus ſum*, ich will mich deinetwegen nicht zerreiſſen. Cic. *Diſrupi paene me in judicio.*

RVRSVM et RVRSVS notat

1. *Retro.*

* Ter. Hec. 3. 1. 35: *Trepidari ſentio, curſari rurſum prorſum.* Germ. *daſs ſie hin und her laufen.* Sic *Rurſus prorſus meare.*

2. *E contrario, Verſa vice.*

* Ter. Eun. 2. 3. 20: *Id rurſum negant: laudo id quoque.* Saepe ita Tacitus

v. g. Agric. cap. 28: *Quem caſum neque, ut plerique fortium virorum, ambitioſe, neque per lamenta rurſus ac moerorem muliebriter tulit.*

3. *Iterum.*

* Virg. Aen. 2. v. 655: *Rurſus in arma feror.* Ter. Eun. 1. 1. 15: *Induciae, bellum, pax rurſum.*

4. *Porro, Praeterea.*

* Cic. Lib. 13. ep. 5: *Itaque commemoratio tua paternae neceſſitudinis benevolentiaeque ejus, quam erga me a pueritia contuliſſes, ceterarumque rerum, quae ad eam ſententiam pertinebant, incredibilem mihi laetitiam attulerunt. Rurſus declaratio animi tui, quem haberes de republica, quemque habiturus eſſes, mihi erat jucundiſſima.*

5. Elegantiâ veteribus admodum ſollemni abundat.

* Plaut. Poen. Prol. v. 79: *Revertor rurſus denuo Carthaginem.* Caeſ. B. Civ. L. 4. c. 4: *Tridui viam progreſſi rurſus reverterunt.* Sic *Rurſus renovare curſum, Rurſus reducere legiones, Repetere rurſus Bithyniam*, cet. apud Caeſarem, Suetonium, alios.

p. 1156.

Locus, quo SALTARE opponitur τῷ TRIPVDIARE, qui ſubſequenti pagina occurrit, hac pagina praemittatur loco, quo τὸ SALTEM exponitur. Subjungantur autem inſuper eidem ſubſequentia:

Notemus heic locutiones non nullas, quae ad artem ſaltandi ſpectant: *Saltare commode*, fein und zierlich tanzen, Corn. *Alterna genuum in ſaltatione flexio*, Coupée-machen. *Magiſter in arte ſaltandi, qui membra honoratioris utriusque ſexus prolis ad venuſtatem fingit atque componit, ut dignitatem aliquam in ſtando, ambulando ac ſedendo conſequantur, ut omnis puerorum ac puellarum motus atque habitus ſit aequabilis, ad naturam, non ſibi relictam, ſed perpolitam, congruens ac decorus*, ein Tanzmeiſter. *Puella jungitur adoleſcenti: hi primum inflexo poplite ſe mutuo ſalutant, deinde alter alterius prehendit manum, brachium brachio adſurgit, pedes ad numeros decenter moventur, ſic ſub ſuaviſſimo fidium tibiarumque concentu ſuſpenſo gradu modo unà obambulant, modo ſe dimittunt, nunc tremulo ſaltu in aërem ſe efferunt, nunc toto corpore circumaguntur, modo huc, modo illuc ſe vertunt, nunc fugere ſe videntur, alter fugacis ſtringit veſtigia, tergoque ejus imminet, donec iterum jungantur, ſicque eamdem viam ſingulari venuſtate ſaepenumero percurrunt:* ſic nimirum deſcribi poſſunt modi ſaltandi artificioſiores ex Gallia arceſſiti.

p. 1158.

v. 40. ſeqq. haec verba: in *Jacobum Pontanum* in Atticis Bellariis Syntagm. 10. p. 610: dele, atque in horum locum ſubſtitue ſubſequentia:

Praeclare etiam defendit vocem *Salvator P. Manutius* contra Ciceronianos in Commentario p. m. 449. et longe fuſius *Nigronius* Commentario in Regulas Ordinis Jeſuitici, cujus verba refert *Jacobus Pontanus*, Parte 2. Attic. Bellar. p. 449.

p. 1162. ad loc.

SAXVM. v. 10. adde: Et Petronius pag. 57: *Ego quoque ſinum meum ſaxis onerabo.* Et Vegetius L. 2. c. 23: *Adſueſcendum eſt etiam, ſemel tantum funda circa caput rotetur, quum ex ea emittitur ſaxum.*

p. 1168. inſeratur:

SENECTVS in proſa: SENECTA in verſa magis.

p. 1169.

v. 30. poſt voc. *loquerentur*, adde: quamvis hoc diſcriminis haud cuſtoditum ſemper a veteribus eſt. v. Jul. Caeſ. L. 1. B. G. c. 1. n. 6. 7.

p. 1170.

v. 55. ſubjice: Id. cap. 20. Mil. *Millies in eâ* (villâ Pompeii) *fuerat.*

p. 1171.

v. 27. adde: Etiam ad hunc modum eleganter Busbequius Ep. 3. p. m. 181: *Omnia oculis perluſtrabat, ſi eum reperiret.*

p. 1173. ad loc.

SIGNVM. v. 17. ſeqq. ſic lege:

Ab utroque differt TABELLA et PICTVRA, quae penicillo exprimitur. Hinc Cicero Lib. 2. Nat. deor. p. 105. edit. Gryph. *Domitilia ornata ſignis atque picturis, inſtructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur.*

Promiſcua formarum inter ſe non convenientium pictura, Grotesque.

p. 1174.

Locus SIMIVS ſic efferatur: SIMIA uſitate: SIMIVS minus crebro occurrit.

Ad loc.

Ad loc.

SIMUL. v. 18. haec adde: Id. L. 12. ep. 11: *Nunc haec primo cupio cognoſcere: iter tuum cujusmodi ſit; ubi Brutum noſtrum videris; quam diu ſimul fueris.*

p. 1175. ad loc.

SINUS. v. 13. lege: Florus, Plinius Junior, alii *ſinum* pro *gremio* cet.

p. 1178. inſeratur:

SPECUS, ûs, Generis communis eſt, ſed maſculinum praevalet: SPECUS, *oris*, tertiae Declinationis eſt et Generis neutrius; quamvis fere hoc modo occurrit non niſi in Nominativo et Accuſativo.

* Ovid. 3 Metam. v. 29:

Eſt ſpecus in medio, ſilvis et vimine denſus.

Liv. L. 1. c. 56: *Ex infimo ſpecu vocem redditam ferunt.* Silius 6. v. 276: *Specus ultima.* Gellius L 5. c. 14: *Specus remota latebroſaque.* Virg. L. 7. v. 568:

Heic ſpecus horrendum, et ſaevi ſpiracula Ditis
Monſtrantur.

Silius L. 13. v. 425: *Inviſum coelo ſpecus.*

Habemus etiam *hoc ſpecum*, et *haec ſpeca*: quamvis hoc femininum in obſoletis eſſe malim. Cato apud Priſcianum in L. 6: *Speca appoſita, quo aqua devia abiret.*

p. 1180. ad loc.

STUDIOSUS. v. 8. ſubjice: Id. in Epp. *Injungo autem et pro rei magnitudine rogo, ut ex copia ſtudioſorum, quae ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumſpicias praeceptores.*

p. 1181. ad loc.

STUDIUM. v. 9. ſubjice: Et ap. Salluſtium B. Cat. cap. 3: *Ego adoleſcentulus initio, ſicuti plerique, a ſtudio ad rempublicam latus ſum.*

v. 23. adde: *Joh. Caſp. Khunii* Animadv. ad Vorſt. p. 27.

p. 1183. inſeratur:

SUBINDE pro *identidem, crebro, frequenter*, Quintiliani ſeculo demum increbuit, vel potius innotuit, et praeter Quintilianum occurrit ita ap. Plinium, Suetonium et ſimiles. Ante hoc temporis non niſi pro *mox, poſtea, deinde*, uſurpatum eſt: qui tamen ſignificatus etiam argenteae aetatis ſcriptoribus ſatis familiaris eſt. Vellejus L. 1. c. 7: *Sed M. Cato quantum differt? qui dicit, Capuam ab iisdem conditam, ac ſubinde Nolam.*

p. 1185.

v. 12. pro *Tenés* l. *Tenez!*

v. 14. pro *Prenés* l. *Prenez!*

Inſeratur:

SUPER interdum apud Poëtas pro *Deſuper*, et ſic Adverbii loco. Virg. L. 8. Aen. v. 245:

At ſpecus et Caci detecta apparuit ingens
Regia, et umbroſae penitus patuere cavernae:
Non ſecus, ac ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, et regna recludat
Pallada, dîs inviſa, ſuperque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immiſſo lumine manes.

SUPER pro *plus quam* v. g. Suet. de Gramm. *Super viginti celebres ſcholae fuerunt in urbe.*

Ad loc. SUPER quomodo differat etc.

v. 15. ſic lege: Et Curtius L. 4. c. 15. v. 26: *Vidiſſe ſe crediderunt paullulum ſuper caput Regis placide volantem aquilam.* Et L. 8. c. 5. n. 22. etc.

Ad calcem hujus loci haec ſubjice:

Supra etiam opponitur τῷ *Sub*, ap. Cic. L. 2. de Nat. deor. p. 105. edit. Gryphianae: *Quodſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum; cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt, quae ſunt minus operoſa, et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem coeli ornatum ſuſpexiſſe videantur. Praeclare ergo Ariſtoteles: Si eſſent, inquit, qui* ſub terra *ſemper habitaviſſent bonis et illuſtribus domiciliis, quae eſſent ornata ſignis atque picturis, inſtructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exiſſent umquam* ſupra terram, *accepiſſent autem fama et auditione, eſſe*

quoddam Numen et vim deorum: deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis ſedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuiſſent; quum repente terram et maria coelumque vidiſſent, nubium magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam ſolis efficientiam cognoviſſent, quod is diem efficeret, toto coelo luce diffuſa: quum autem terras nox opacaſſet, tum coelum totum cernerent aſtris diſtinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem, tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorumque omnium ortus et occaſus, atque in omni aeternitate ratos immutabilesque curſus: haec quum viderent; profecto et eſſe deos, et haec tanta opera deorum eſſe, arbitrarentur.

Inſeratur:

SVVS a priſcis ſcriptoribus, recondito quodam uſu, ſumitur pro *proprio, nativo, inſito, non aliunde adſcito.* Cic. l. 1. Offic. c. 31: *Admodum autem tenenda ſunt ſua cuique, non vitioſa, ſed tamen propria.* Paullo poſt: *Id enim maxime quemque decet, quod eſt cujusque ſuum maxime.* Ib. c. 33. §. 2: *Ad ſuam cujusque naturam conſilium eſt omne revocandum.*

p. 1188.

v. 7. ſubjice:

Supplicatio eleganter etiam dicitur pro eo, quod barbara notione vocant *proceſſionem*, Germ. *einen feyerlichen Umgang.* v. g. *Habebitur ſupplicatio*, man wird eine Proceſſion halten. *Fuit ſupplicatio vaga et ſine ordine*, mit der Proceſſion iſt es unordentlich zugegangen. Conf. ſupra Sect. I. *Proceſſio.*

Ad loc.

SVPRA. v. 6. ſic lege:

1. Per heteroſin eſt *Vltra.*

* Hirtius B. Afr. &c.

Ad calcem hujus loci adde:

6. Sumitur etiam Adverbialiter pro *Ante.*

* Sall. B. Jug. c. 5: *Sed priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca ſupra repetam*, Germ. *ſo will ich erſt vorher noch etwas erinnern.*

p. 1193. ad loc.

TEMERE. v. 20. adde: Salluſt. B. Jug. c. 61: *Oppida temere munita* i. e. inconſulte, male.

p. 1195.

v. 44. pro *der jetzo zum viertenmal* lege *der jetzo zum drittenmal.*

Inſeratur:

TESSERADECASTICHON vocari poſſit illud carminis genus, quod Galli vocant *un Sonnet*, *eine Art Verſe von vierzehn Reihen, da die erſten achte nur zweyerley Reimſyllben haben.*

p. 1198. ad loc.

TRANSFVGA. Exeunti huic loco adde:

* Haec differentia interdum ſusque deque habetur. v. g. Sall. B. Jug. c. 61: *Metellus transfugas explotatum miſit.*

p. 1199. ad loc.

TVBA. Ad calcem hujus loci ſcribe: Interim ſi dixeris *tibiam militarem*, inſtrumentum illud Muſicum denotas, quod vocant *ein Hautbois.*

Ad loc.

TVM. v. 7. ſubjice:

2. Singulari cum elegantia dicendique venuſtate ponitur in apodoſi, qua reſpondentis adducuntur verba.

* Cic. L. 12. ep. 12: *Quem quum objurgarem, quod parum valetudini parceret; tum ille, nihil ſibi fuiſſe longius, quam ut me videret.*

v. 8. pro 2 ſcribe 3.

v. 20. pro 3 ſcribe 4.

p. 1200.

v. 9. ſubjice: Id. L. 13. Fam. ep. 20: *Aſclapone Patrenſi, Medico, utor valde familiariter, ejusque tum conſuetudo mihi jucunda fuit, tum etiam ars, quam ſum expertus in valetudine meorum: in qua mihi tum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate benevolentiaque ſatisfecit.*

v. 11. pro 4 ſcribe 5.

p. 1201.

Locus, quo TYMPANOTRIBA exponitur, ſic amplietur:

TYMPANOTRIBA, *ae, ein Tambour, ein Trommelſchläger*, Plautus habet et Apulejus: pro eo Cicero et Curtius L. 8. c. 14. *tympana pulſare ſolitus*; et Ovidius *tympana ferire ſolitus.*

* Notes heic locutiones: *Tympana equeſtria*, die Paucken, Caeſ. B. C. L. 3. c. 105. *Tympana*

Tympana ſonant, die Trommel wird gerührt. *Tympana reſonantia*, it. *Tympanorum ſonus*, klingende Spiele. *Suſcitabulum matutinum militum*, it. *Quartae vigiliae ſignum*, die Reveille, Diane oder Tagewach. *Quartae vigiliae* l. *ad quartam vigiliam ſignum tympano dare*, Gall. Battre la Diane, Germ. die Reveille ſchlagen. *Circuitio tympanorum veſpertina, qua in hoſpitium quiſque ſuum vocatur*, der Zapfenſtreich. *Conclamare ad arma*, it. *convocare tympano ad arma*, Appell ſchlagen. *Convocatio militum per tympanorum ſonum ad vices ſtationum denuo ordinandas*, die Vergadderung. *Tubae* l. *tympani ſigno quempiam ad colloquium evocare; tubâ* l. *tympano ſignum dare ad pacis colloquium* l. *ad dedendam urbem obſeſſam; ſignum deditionis tympani ſono dare; deditionem facere ſonantibus tympanis*, Chamade ſchlagen.

p. 1204. inſeratur:

VALERE pro *poſſe*, ex Cicerone etiam adferunt, qui de Sen. cap. 10. dixerit: *Nemo adhuc convenire me valuit, quin fuerim occupatus.* Sed quanto melior haec aliorum eſt lectio? *Nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim occupatus.* Nam *quin* pro *cum non*, inſolentius eſt. Pro Cicerone Plinium auctorem adſcribit Theſaurus Stephanianus, qui lib. 34. c. 18. extr. dixit: *Valet purgare, ſiſtere, excalfacere, perrodere.* Saepius vero ita Poëtae, quam ceteri, apud quos *valeo* cum Infinitivo rariſſimum eſt: de caſu vero et eventu numquam dicitur; id, quod jam inculcavimus ſupra in hac Parte Etymol. 2. ad voc. POSSUM.

Locus VALOR deleatur et heic quidem excludatur.

p. 1206. inſeratur:

VBIQVE et VNDIQVE differunt. *Vbique* notat *in omni parte, in omni loco: Vndique* notat *ex omni parte, ex omni loco.*

* Cic. *Locus undique ſaeptus.* Id. *Vndique convenire ad aliquem.* Sen. *Nuſquam eſt, qui ubique eſt.*

p. 1208. ad loc.

VELVT. v. 2. pro τῷ quaſi, lege τῷ *quaſi.*

v. 15. Punctum illud, quod poſt τὸ *praepoſitionem* apparet, muta in comma.

v. 16. ſeqq. ſic lege: v. g. In hac propoſitione: *Ego venio ad te, velut ad Deum;* non eſt dicendum: *Velut Deus eſſes;* ſed, *velut ad Deum accederem,* non, *tamquam Deus eſſes;* ſed, *tamquam ad Deum accederem.*

* Nec tamen haec ἀκρίβεια cuſtoditur a Salluſtio B. Cat. c. 38: *Alii, ſicuti jura populi defenderent; pars, quo ſenatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum ſimulantes, pro ſua quisque potentia certabant.*

p. 1210. ad loc.

VERTERE. v. 2. ſeq. ſic lege: intranſitive pro *vertere ſe* ſeu *verti.*

v. 11. ſic lege: *quas agit.* Salluſt. B. Cat. c. 52: *Nae iſta vobis manſuetudo et miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam vortet.* Terent. Phorm. A. 4. Sc. 3. etc.

v. ultimo lege: *Rotare, Migrare, Movere.*

Locus, quo VERVM ENIMVERO illuſtratur, ſic amplietur et in ſcriptura emendetur:

VERVM ENIMVERO, quo praecipue Livius gaudet, et ENIMVERO ſignificat idem, quod *ſed profecto.*

* *Verum enim vero* Cicero, Salluſtius, et alii praeſtantiſſimi veterum auctores, uſurpant parcius ac valde moderate.

Enimvero ſi non inchoat periodum, nota indignantis eſt. Conf. Parte Synt. voc. *Enim.*

p. 1211.

v. 56. haec ſubjunge: Id. pro Ligar. c. 6: *Reprehendo igitur? Minime vero.* Germ. *Tadele ich denn euch deshalben? o, nein; gewiſs, keinesweges; in Wahrheit ganz und gar nicht.*

p. 1212.

v. 48. haec ſubjunge: Cic. *Quodſi nos ad aliquam alicujus commodi aliquando recuperandi ſpem fortuna reſervavit, minus eſt erratum a nobis: ſin haec mala fixa ſunt; ego vero te* cet.

9. Apodoſi ſubinde inſervit. v. g. *Vbi ſe fruſtra eſſe videbat, tum vero totam circuibat domum cum tantis et tam acutis clamoribus, ut ferri non poſſet.*

10. Quarum particularum cet.

p. 1216. ad loc.

VIR. Huic loco adjice:

Speciatim Livio ac Salluſtio, id frequens eſt, ut *vir* dicatur pro *marito*.

p. 1218. ad loc.

VNVS. v. 40. ſeqq. ſic lege:

Obiter heic notari velim, Hebraeorum אחד et Graecorum *εἷς*, *μία*, *ἓν*, etiam ſubinde denotare *primum*; atque ita accipi Matth. 28, 1. Marc. 16, 2. 9. Joh. 20, 19. Act. 20, 7. 1 Cor. 16, 2. Apocal. 6, 2. cet. et proinde his locis etc.

p. 1220.

v. 33. pro *voluptuarius* lege *voluptarius*.

p. 1221. ad loc.

VOX. v. 8. ſubjunge:

Quare *Aldus Manutius* contra uſum Latinae linguae haud peccat, quum in *Inſtitutionibus* ſuis *Grammaticis* p. m. 17. vocem definit per *aërem ictum auribus accidentem*, eamque diſtinguit in *vocem articulatam*, *quae ab aliquo ſenſu mentis proficiſcitur*, et in *inarticulatam*, *quae a nullo ſenſu mentis proficiſcitur*.

p. 1223.

v. 6. poſt *mea conſilia* deleatur *comma*.

Eidem verſui ſubjunge: Virg. l. 8. Aen. v. 154:

Tunc ſic pauca refert: Vt te, fortiſſime Teucrûm,
Accipio agnoſcoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchiſae magni vultumque recordor!

v. 14. ſic lege: *ut ſit*, *ut temporibus illis*, *ut illis temporibus*, *ut in tali tempore*, cet.

p. 1224.

v. 20. poſt verba, *ut nunc ſunt mores.* adde: Plin. in Epp. *Vir eſt emendatus et gravis: paullo etiam horridior et durior, ut in hac licentia temporum.* It. *Satis moratus eſt Johannes* etc.

p. 1225.

v. 9. ſic lege: *Livius L. 1. c. 24. Incertus auctor B. Hiſp. c. 5. n. 4.* quamvis hoc loco meliores codd. legunt *uter* pro *quis*. Conf. Voſſ. Analog. 4. 2.

Locus, quo VTI pro *ut* exponitur, ſic amplietur:

VTI uſurpatur

1. Pro *ut*. v. g. *Orat*, *uti ſibi veniam det.* Atque hoc modo hanc particulam frequentant Salluſtius, Tacitus, Suetonius et Livius.

2. Pro *prout*. Sall. B. Cat. p. m. 15: *Statui res geſtas populi Romani carptim, uti quaeque memoriâ digna videbantur, perſcribere.*

p. 1233.

v. 18. interſere atque adde haec: Adſtipulatur etiam Borrichio *Khunius* ad Vorſt. p. 9. ſeq. provocans ad loca Curtii, Auctoris Epitomes Livianae, Juſtini, Pandectarum, Tertulliani, Lactantii, Auctoris Panegyrici Conſtantino, Conſtantii filio, dicti, et Pacati.

p. 1236.

V. extremo adde: Sall. B. Jug. c. 94: *Praedocti ab Duce.*

Ab ſequente M, occurrit rariſſime. Occurrit tamen apud Salluſtium B. Cat. p. m. 10: *Ita imperium ſemper ad optumum quemque ab minus bono transfertur.* Et B. Jug. c. 71: *Ab Metello petundi gratia miſſionem rogat.*

AD

PARTEM SYNTACTICAM.

p. 1238. ad loc.

ABDICARE. v. 7. lege: *Abdicare magiſtratum, den ganzen Rath abſetzen; Abdicare Conſulem, generum, cibum*, cet. *etwas abandoniren.*

Ad loc.

ABERRARE. Ad calcem hujus loci adde: Petron. *Veſtigia pedum extra menſuram aberrantia.*

p. 1239. ad loc.

ABHINC. v. 24. ſubjunge: Palladius tamen, ait *Khunius* ad Vorſt. p. 4. etiam de futuro tempore vocabulum illud uſurpavit L. 4. de R. R. c. 14: *Septimo anno omnes dentes ejus explentur. Latent abhinc aetatis notae.*

Ad finem hujus loci adde: *Grammaticus* autem hic canon ſupponit, reſpectu quidem Accuſativi, Praepoſitionem *Ante*; nam *Abhinc triennium*, valet *Abhinc ante triennium*: ac, reſpectu Ablativi, Praepoſitionem *In*; quippe *Abhinc annis quindecim*, integre foret, *in annis quindecim.*

Inſeratur:

ABIGERE *aliquem a ſe, ab aedibus, ex aedibus.*

p. 1240. ad loc.

ABIRE in his locutionibus v. 6. ſeq. ſic lege: Habet enim Cicero, Terentius, Catullus. *Tu abi tacitus tuam viam; geh du ſein in aller Stille deiner Wege*, Plaut. Rud. 4. 3. 88.

Ad loc.

ABIRE *ab emtione.* Exeunte hoc loco haec adde:

Notentur heic locutiones Ciceroni potiſſimum propriae: *Intercedere emtioni alicujus, Interponere ſe in emtionem alicujus, einem in den Kauf fallen.*

p. 1241. inſeratur:

ABIRE *in ora hominum, in der Leute Mäuler kommen*, Liv. L. 2.

ABLATIVO eleganter utimur, ſequente *Quod* l. *Quia*, ſi rationem adnectimus ejus, quod adfirmavimus: qualem dicendi modum Germanice exprimimus *zum Wahrzeichen, aus Urſach, Darum, deshalben, und zwar deswegen.* v. g. *Falſum eſt, Johannem hoc feciſſe, argumento, quia non fuit eo die, quo factum eſt, domi.*

p. 1242. ad loc.

ABS ME. v. 7. lege: ſed in compoſitione tantum, ut *abſcedo, abſcondo. Vorſt.* de Lat. etc.

v. 13. pro *vix ac ne vix quidem*, lege *vix aut ne vix quidem.*

v. 23. poſt verba, *et in vincula conjectos*, haec interſere: Scribit etiam *abs re* Apulejus de Dogm. Platon. L. 3. p. 57. edit. Wowerianae, ubi ita legimus: *Nunc dicendum eſt, quemadmodum quattuor illae propoſitiones inter ſe affectae ſunt: quas non abs re eſt in quadrata formula ſpectare.* Tertullianus, ſive quisquis auctor eſt carminis adverſus Marcionem, eamdem Praepoſitionem, ſequente Vocali, uſurpat L. 4. c. 4. v. 103:

Quos in Evangelio Dominus quoque dixit, et haedos
Abs ovibus cerni ſtantes in parte ſiniſtra.

Et Lib. 5. c. 5. v. 121:

Unde etiam potuit baptiſmi dona benigna
Promiſſa abs alio tamquam ſua promere factu.

p. 1243.

v. 3. ſeqq. ſic lege: Ciceroni L. 1. de Nat. Deor. cap. 10. *ſolis abſceſſus* idem eſt, quod *curſus ſolis in climate quodam remotiori*; et Celſo L. 5. c. 17. *abſceſſus* eſt *apoſtema.*

Solis abſceſſui apud Ciceronem l. c. opponitur *Solis appulſus.* Integra Ciceronis verba haec ſunt: *Terrae maximas regiones inhabitabiles atque incultas videmus, quod*

 pars

pars eorum appulſu ſolis exarſerit, pars obriguerit nive pruinaque longinquo ſolis abſceſſu.

p. 1244.

Ad calcem hujus paginae, v. 3. loci *Abſtinere cibo*, adde:

* Ovid. *Virtus eſt, placitis abſtinuiſſe bonis*. At Ciceronis eſt, *Abſtinere manus ab alienis pecuniis.*

p. 1245.

v. 3. ſubjice: Petr. 87: *Abſtinere ab aliquo injuriam.*

Ad loc.

ABSTINERE MANVS. Ad calcem ſubjice: Etiam Petron. p. m. 87: *Abſtinere injuriam ab aliquo.*

Ad loc.

ABSTRACTIVARVM. v. 16. lege *tenuitas mea, amabilitas tua*, cet.

p. 1246. ad loc.

ABVNDE cum Genitivo. v. 6. lege ſic: v. g. *Vbi terrarum, Nusquam gentium, Poſtea loci* Salluſt. B. Jug. c. 102.

p. 1247.

v. 39. adde: Tale exemplum reperitur etiam ap. eundem Jul. Caeſ. L. 3. de B. Civ. c. 109. n. 5: *Quos ille, quum in conſpectum ejus veniſſent, prius, quam audiret, aut, cujus rei cauſa miſſi eſſent, cognoſceret, corripi ac interfici juſſit.*

p. 1250. inſeratur:

AC NON, ET NON apud optimos ſcriptores ea ſaepe ſignificatione leguntur, quae Germanicae, quam Latinae linguae, convenientior eſſe videtur. Ea cauſa eſt, cur multa eorum loca mutentur. Corn. Nepos Traſyb. c. 4. v. 1: *Quam quod amor civium et non vis expreſſerat.* Sic enim in tribus melioris notae codicibus ſcriptum eſt. Vulgo *amor civium, non vis.* Auctor Dialogi de Oratoribus, qui falſo Quintiliano adſcribitur, c. 1. v. 3: *Vix hercule auderem, ſi mea ſententia proferenda, ac non diſertiſſimorum, ut noſtris temporibus, hominum ſermo repetendus eſſet.* Heic etiam nuper copulam reſectam video, quaſi non ab auctore, ſed a barbaro aliquo librario acceſſerit. Ea vero pluribus aliis ſimillimisque locis manet, omniumque judicio ſervanda eſt. Cic. pro Domo c. 50: *Si illa lex eſt, ac non vox ſceleris.* Livius l. 21. c. 41. v. 13: *Atque utinam pro decore tantum hoc vobis, et non pro ſalute eſſet certamen.* Nolo plura congerere, qualia jam habet Schwarzius ad Horat. Turſellinum de Particulis in AC et ET, Bengelius in Indice ad Cicer. Epp. et Fabrianus Theſaurus. *Heuſing.* obſ. antib. 456. ſeq.

AC SI, bene et eleganter: Plinius Jun. et alii pro eo etiam *Vt ſi*.

Cicero et optimus quisque τῷ *ac ſi* ſic etiam utuntur, ut aliquid particularum praeponant: v. g. *Pro eo, ac ſi; Similiter ac ſi; Juxta ac ſi; Non ſecus ac ſi.* Dicunt etiam pro *ac ſi, tamquam ſi; perinde quaſi.*

* Cic. *Tecum agam, non ſecus ac ſi meus eſſes frater.* Plin. Paneg. *Nihil reliquiſſe tibi videbatur, qui tam multa excogitaſti, ut ſi ante te nihil eſſet inventum.* Cic. *Pro eo ac ſi conceſſum ſit, concludere oportebit argumentationem.* Id. *Similiter facis, ac ſi me roges.* Id. *Qui me omnibus officiis, juxta ac ſi meus frater eſſet, ſuſtentavit.* cet.

Ad loc.

ACCEDERE *ad flammam.* v. 3. lege: *in ſenatum, in aedes, in Apuliam.*

Ad loc.

ACCEDIT, *quod.* v. 3. lege: *Accedat eodem oportet lepos quidam;*

Ad loc. ACCEDO *tibi.*

v. 4. lege: ACCEDO *te* vel *ad te, loca* et *ad loca* i. e. adeo, *ich trete heran.*

p. 1251. ad loc.

ACCEPTVM FERRE. v. 12. ſubjunge: Immo etiam aureae aetatis eſt, quum occurrat apud ipſum Jul. Caeſarem L. 3. B. Civ. c. 57. fin.

p. 1252. inſerantur:

ACCIDENTIA PHYSICA i. e. *adjuncta, quae non ſemper eveniunt*, ſeu, ut Cicero in Topicis loquitur, *quae ab ipſa re, in qua inſunt, ſeparari poſſunt*, Philoſophi recentiores habent.

ACCIDENTIA LOGICA eodem habendum cenſu eſt: dic, *nomina cogitationibus attributa; cogitationes,*

quae

quae non in rem ipſam proxime cadunt, ſed in adjuncta rei.

p. 1253. inſeratur:

ACCINCTVS *gladio*, pro *Succinctus gladio*, infrequens, obſervante *Bucklero*.

p. 1254. ad loc.

ACCOMMODATVS *naturae*.

Ad calcem: Cic. L. 4. Fam. ep. 5: *Illud ſi ſciſſem, ad id meas litteras accommodaſſem.*

Ad loc.

ACCVSARE *aliquem*. v. 16. adde: Hinc ejusmodi locutiones integre ſic ſe habent: *Abſolvo* vel *Accuſo te crimine furti, adulterii*, cet. *damno te adulterii*, vel *furti cauſſa; condemno te dupli* vel *capitis poena*, cet.

v. 27. lege: *Teneri de furto. Agere aliquem reum de furto. Accuſare aliquem*, cet.

v. 30. haec appone:

Regunt etiam Ablativum ſine Praepoſitione, ſi ſequatur ipſum nomen *criminis*; cujus exemplum loci hujus initio exhibetur: vel aliud generale; ut *ſcelus, peccatum, maleficium.*

* Cic. L. 2. ep. 1. ad Fam. *Condemnabo ego te eodem crimine.* Id. pro Milone: *Atque hunc illi vir ſummus ſcelere ſolutum periculo liberavit.*

Inſeratur:

ACCVSATIVVS cum Infinitivo ſequitur fere poſt verbum finitum. Per Antiptoſin tamen hic Accuſativus apud Poëtas, qui in eo Graecos imitantur, mutatur ſubinde in Nominativum.

* Lucan. L. 9: *Tutumque putavit, Jam bonus eſſe ſocer*: pro, *jam bonum eſſe ſocerum.* Catullus:

Phaſelus ille, quem videtis, hoſpites,
Ait fuiſſe navium celerrimus.

p. 1255. ad loc.

ACIES *prima*. v. 12. lege: *Aciem dirigere;* Caeſ. B. C. L. 3. c. 93. *Aciem inſtituere;* Tacitus Germ. c. 6. n. 8. *Aciem componere;* Virgil. Aen. 9. v. 42. *Aciem ſtruere.*

v. 16. lege: *In aciem producere exercitum aequum in locum, ſi hoſtis praelio decertare velit*, Jul. Caeſ. B. C. L. 3. c. 56. *In aciem* cet.

In fine hujus loci adde: *Aciem perturbare, disjicere, inſtaurare, iterare, integrare*, bonae notae ſcriptores. *Ordinatae copiae conſiſtunt*, die Glieder ſind geſchloſſen, Corn. Iphicr. c. 2.

Ad loc.

ACTVM EST MECVM. Ad calcem hujus loci adde:

* *Actum eſt de me*, geminam notionem in Latio ſuſtinet.

1. Sumitur in re deſperata, uti hoc loco id barbariſmo, quem explodimus, ſubſtituere voluimus.

2. Reſpicit alicujus cauſam, quae ſuſcipitur aut peroratur in judicio. Plancus ap. Cic. L. 14. ep. 4: *Si de filii tui dignitate eſſet actum, amabilius certe nihil facere potuiſſes.*

p. 1258. inſeratur:

ACVTVS *ingenio; ad fraudem.*

AD ANNVM. v. 8. adde: Caeſ. B. G. L. 4. c. 82. n. 4: *In annos Conſulatum definiebant; ſie beſtimmten vorher, wie die Bürgermeiſter in künftigen Jahren auf ein ander folgen ſolten.*

Locus AD APOLLINIS ſic emendetur:

AD APOLLINIS *ſenatus habitus eſt*, Ἀττικισμὸς pro *ad aedem Apollinis*, Cic. L. 8. ep. 4.

* Sic idem Cicero L. 14. ep. 2: *Valerius ad me ſcripſit, quemadmodum a Veſtae ad tabulam Valeriam ducta eſſes.* Et pro Milone: *Cum falcibus ad Caſtoris, cum gladiis toto foro volitarent.* *A Veſte* ſcil. aede. *Ad Caſtoris* ſcil. aedem.

* Ita recte hodie, nec ſine quadam elegantia hunc Atticiſmum imitantur, qui ſcribunt. e. g. *Ad S. Martini Paſtor Primarius*, cet.

† Hic Atticiſmus interdum etiam in N. T. obvius eſt. Apoc. 3, 7: *Haec dicit ſanctus et verus*, ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβὶδ, *qui habet clavem David* h. e. clavem domus David, id eſt, Eccleſiae.

p. 1262. inſerantur:

AD INTERIM barbare: Abſit Praepoſitio, et recte pro eo dixeris *interim.*

AD OCCASVM *ab ortu ſolis cui omnia domita armis parent, ein groſser Monarch, der vom Aufgang der Sonne bis zum Niedergange ſich alles hat unterwürfig gemacht*, Salluſt. B. Cat. cap. 36.

p. 1263. ad loc.

AD RADICES MONTIS. Sub finem adde: it. Salluſt. B. Cat. c. 57: *Sub ipſis radicibus montium.*

Ad loc.

AD SE REDIRE. v. 6. ſic lege: item Andr. A. 3. Sc. 5. Speciatim haec locutio cômmodatur ad eum, qui iracundiae moderatur ſuae. v. g. *Reprime iracundiam atque ad te redi, Vorſt.* de Lat. etc.

p. 1265. ad loc.

AD TEMPVS. In fine haec adde:

Notat *Ad tempus* praeterea etiam idem, quod *reſpectu temporis*, *ratione temporis habita*, *prouti tempus feret*. Plancus ap. Cic. L. 14. ep. 3: *Ipſe, ſi a Lepido non impediar; celeritate ſatisfaciam: ſin autem in itinere mea ſe oppoſuerit, ad tempus conſilium capiam.*

p. 1268. ad loc.

ADDERE *ad aliquid*. In fine adde haec: Immo et alii bonae notae ſcriptores ita loquuntur. v. g. Caeſar L. 3. B. Civ. cap. 59. n. 4: *Et ad cetera addiderunt.* Cornel. Catone: *Multas res novas in edictum addidit.*

p. 1269. ad loc.

ADDO ETIAM. Subjice huic loco: Cic. pro Marcello cap. 8: *Itaque illam tuam praeclariſſimam et ſapientiſſimam vocem invitus audivi: Satis te diu vel naturae vixiſſe, vel gloriae. Satis, ſi ita vis, naturae fortaſſe; addo etiam, ſi placet, gloriae: at, quod maximum eſt, patriae certe parum.* Id. L. 8. ep. 20: *Ex omnibus incommodis nihil tolerabilius exſilio, praeſertim innocenti, ubi nulla adjuncta eſt turpitudo; addo etiam, quum ea urbe careas, in qua nihil ſit, quod videre poſſis ſine dolore.*

Ad loc.

ADDVCERE *aliquem*. v. 4. ſubjice: Cic. L. 5. Fam. ep. 12: *Quodſi te adducemus, ut hoc ſuſcipias*, cet. *Adducere aliquem in ſuſpicionem alicujus* et *in ſuſpicionem alicui.*

p. 1270. Locum ſubſequentem ſic inchoabis:

ADFERRE *alicui* et *ad aliquem* cet.

Ad locum ADFERRE EQVVM, cet. Sub finem haec adde:

* *Adferre ſe* recte quoque aliquis dicitur, quod monuit *Titius* in Manuduct. ad excerp. c. 33. p. 172. et ſeq. et confirmavit teſtimoniis Plauti Amphitr. 3, 4, 6: *Ego ſum Jovi dicto audiens, ejus juſſu nunc huc me adfero.* Terentii Andr. a. 4. ſc. 5. v. 12: *Haud auſpicato huc me attuli.* Virgilii Aeneid. 8. v. 477: *Fatis huc te poſcentibus adfers.* Idem loquendi modus occurrit etiam Aen. 3. v. 345:

—— —— —— *Seſe a moenibus heros*
Priamides multis Helenus comitantibus adfert.

p. 1271. ſic legito:

ADFINEM *eſſe alicujus* et *alicui*, *ſceleris* et *ſceleri*, utrumque cet.

p. 1273.

Locus ADHIBERE *diligentiam*, cet. ſic amplietur:

ADHIBERE *curam*, *diligentiam*, *fidem*, cet. *ad* et *in res* l. *in rebus*; *ad* et *in aliquid* l. *in aliquo.*

Adhibere curam, *diligentiam*, *fidem*, cet. *alicui rei*, perperam; quamvis multi viri docti hodie ſic ſcribunt.

p. 1275. inſeratur:

ADIACERE *mari*, *mare* et *ad mare.*

* Liv. L. 2. c. 42: *Tuſcus ager Romano adjacet.* Corn. Timoth. 2, 2: *Omnes eas gentes, quae mare illud adjacent.* Lucretius 5, 145:

Vsque adeo magni refert, quid quae adjaceat res.

p. 1277. ad loc.

ADIRE *aliquem*. Huic loco ſubjice:

* Cic. L. 12. Fam. ep. 22: *Quemadmodum coram qui ad nos intempeſtive adeunt, moleſti ſaepe ſunt; ſic epiſtolae offendunt, non loco redditae. Si autem, ut ſpero, nihil te perturbat; et ille, cui mandavi, ſatis ſcite et commode tempus ad te cepit adeundi: confido, me, quod velim, a te facile impetraturum.*

p. 1278.

p. 1278. ad loc.

ADIVVARE *alicui aliquid.* Ad calcem adde: Caeſ. L. 4. B. G. *Adjuvat multum ad rem, es hilft viel zur Sache.*

Inſeratur:

ADLABI cum Dativo et Accuſativo conſtruitur.

* Virg. *Noſtris, clemens allabere coeptis.* Id. 6. Aen. *Euboicis Cumarum allabitur oris.* Id. 9. Aen. v. 474: *Nuntia fama ruit, matrisque allabitur aures.*

ADMIRARI *brevitatem litterarum: de Dionyſio ſum admiratus.*

p. 1279. ad loc.

ADNITI *ad aliquam rem.* v. 7. pro *c. 43.* lege *c. 50.*

p. 1280. ad loc.

ADOPTARE *ſibi aliquem.* v. 4. ſic lege: et Plinium L. 2. ep. 20. et Salluſtium B. Jug. c. 9. ſimpliciter etc.

Ad loc.

ADQVIESCERE ἁπλῶς. v. 5. ſic lege: *Adquieſcere a* et *ex laſſitudine.*

p. 1281. ad loc.

ADSENTOR. In fine ſubjice: Qui Accuſativus ab non nullis creditur eſſe ex Atticiſmis. Alii exiſtimant, a Verbo illum regi in notionem tranſitivam heic degenerante.

Ad loc.

ADSIDERE *alicui.* v. 2. ſic lege: Salluſt. B. Jug. cap. 11. *adſidere aliquem* etc.

p. 1282.

v. 12. adde: *Documentum attributionis* l. *Scriptura, qua debitor creditori ſolutionis praeſtandae cauſa ſuum debitorem quemdam deſignat, eoque illum delegat,* die Aſſignation, der Aſſignations-Schein.

p. 1284. Locum ADSVMERE SOCIVM ſic ampliabis:

ADSVMERE SOCIVM, *Chirurgum,* cet. *Einen Camaraden, Wundarzt, annehmen,* non tantum cet.

Inſerantur:

ADVERBIA derivata, primitivorum ſuorum caſum retinent. v. g. *Convenienter loqui moribus Romanis.* Nimirum quum Adjectivum *conveniens* conſtruitur cum Dativo; Adverbium inde deductum eumdem caſum poteſt adſciſcere. Sic dicimus *Similiter huic veſtitus eſt.* Horat. L. 1. ep. 16:

Vivere naturae ſi convenienter oportet.

ADVERBIA quod Verbis adjungantur et Verborum Participiis, ſaepe etiam Nominibus Adjectivis, ſatis notum eſt: at quod etiam interdum Subſtantivis addantur, id vero ad interiorem latinitatis curam pertinet.

* Terent. Phorm. 3, 2: *Ne parum leno ſis.* Quintil. L. 5. c. 9: *Mollis et parum viri ſigna.* Cic. in Bruto: *Homerus plane orator.* Sic dicimus *Mulier admodum anus; Te admodum puero; Virgo admodum puella.*

Aliquando etiam Adverbia adjunguntur Adverbiis.

* Terent. Prol. Phorm. *Minus multo audacter, quam nunc laedit, laederet.* Sic Cicero ſubinde *Minus paullo* et *Paullo nimium.* Cato: *Sat cito, ſi ſat bene.*

ADVERBIA interdum, maxime apud Comicos, ſunt loco Nominum appoſitorum: quod idem Graecis uſitatum. Sic *mulier intus* i. e. domeſtica et quae intus eſt, Plaut. in Mercat. Quibus gemina et paria ſunt: *parum fides* i. e. parva; *Satis conſilium, Satis otium* pro multo et abundanti. *Georg. Caſpar. Kirchmaieri* Latinitate Legali p. 50.

p. 1285.

v. 45. pro *numquam* l. *raro.*

v. 46. poſt *dicitur que* adde *rectius.*

v. penult. pro *vix* lege *rariſſime.*

p. 1286.

v. 1. ſeqq. lege ſic: Dixi: *Aedes* pro *domo privata,* raro habere Singularem: occurrit autem ap. Horat. L. 1. od. 30. Curtium, alios.

p. 1287.

v. 2. ſubjice:

* Conſtructionem cum Genitivo et Dativo ita diſtinguunt, ut *aequalis ei,* valeat idem, ac *par: aequalis ejus,* idem ſit, atque *aetate conjunctus.* Sed hoc diſcriminis haud eſt perpetuum.

p. 1288.

Locus AESTIMARE *magni et magno,* deleatur: nam infra ſub loco TANTI,

TANTI, QVANTI etc. proponitur multo copioſius et exactius.

Inſerantur:

AESTIVA *agere; Milites in agris haud longius disjunctos habere; Copias in anguſtum coactas habere; Exercitum in villarum anguſtiis collocatum collocare; Omnes copias in certam aliquam regionem contrahere*, Cantonniren. *Stationes* l. *ſtativa militum in agris*, Cantonnirungs-Quartier.

AETATE *provecta eſt*; et *Aetate provectus eſt.*

AGERE *ad praeſcriptum* et *ex praeſcripto*, etc.

AGERE *cum aliquo apud judicem* et *ad judicem.*

p. 1289. inſeratur:

AGERE ORATIONEM Ciceroni tribuunt, qui apud eum de Seneℝ. c. 6. legunt: *Et tamen ipſius exſtat oratio. Atque hanc ille egit, ſeptem et decem annos poſt alterum Conſulatum.* Ita poſt alios et Graevius edidit: qui quum ceterorum locorum variantes lectiones non praeterierit, heic nullam adſcripſit, quaſi in hoc lectione omnes libri conſentiant. Fallit vero Graevius, ac meliorum exemplarium ſcripturam ſtudioſe ſupprimit, quae eſt: *Atque haec ille egit.* Ita enim Aldi codd. ita Vinarienſis perantiquus mihi inſpectus, ita et alius, cujus excerpta habeo: ita etiam jam olim ediderunt Aldus et Lambinus, et poſt eos Wolfius, Elzevirius aliique. Quis alius *Orationem agere* dixerit, non conſtat. Sunt, qui in Quintiliano id ſibi legiſſe videntur, qui l. 10. c. 1. p. 833. dixit: *Pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia ſcripſit, etiamſi egiſſe eum Cornelius Celſus falſo exiſtimat.* Ad *egiſſe* ſubaudiunt *orationem*, quaſi id verbum non abſolute potius dictum intelligi poſſit, ut alibi. Certis autem rebus, quae incerta ſunt, probare ſolemus, non iis, quae negari facilius, quam adfirmari, poſſunt. Itaque *haber orationem*, *agere cauſam* dicemus, dum auctores nominentur certiores, quibuscum *orationem agere* dicamus excuſate. Quamquam et hoc ea forte ſignificatione jam admitti poteſt, qua apud Suetonium legimus *canticum agere*, Galb. cap. 13, ut id geſtibus exprimi intelligatur, quod verbis deſignatur. *Heuſing.* obſ. antib. 457. ſeq.

Locus AGGERIBVS *oppugnare oppidum*, ſic locupletetur:

AGGERIBVS *oppugnare oppidum*, Cic. L. 2. Fam. ep. 10. Die Stadt von den Batterien beſchieſſen. *Suggeſtus tormentorum, quibus murus* l. *moenia disjiciuntur*, Breſch-Batterien. *Suggeſta tormentorum excitare; Tormentorum ſedem ſtruere* l. *exſtruere; Aggerem jacere tormentis locandis*, Batterien verfertigen, aufwerfen, Caeſ. L. 2. B. G. c. 12. et L. 8. c. 41. *Aggeribus ſtruendis praefectus*, ein Batterien-Meiſter. *Suggeſtus tormentorum*, Boxhorn. Hiſt. Bred. p. 64; *Tormentaria ſuggeſta*, Heinſ. Silv. Duc. p. 36; *Suggeſtus tormentarii*, ibid. p. 38; *Tormentorum ſuggeſta*, Schurzfl. ep. 419. Die Batterien. *Suggeſta tormentorum hoſtilibus oppoſita*, die Contrebatterien. *Tormenta bellica in ſua ſede* vel *in ſuggeſtu locare, diſponere, conſtituere*, das Geſchütze auf die Batterien führen. *Suggeſtus mortariorum*, Batterie à mortier.

Ad loc.

AGI, AVFERRI etc. In fine adde:

* Sunt inter eruditos, qui ſcribere ſolent *Agi, auferri, rapi, abripi in transverſum*: at, quo auctore idoneo, non dum liquet.

p. 1290. ad loc.

AGMEN *quadratum inſtituere*.

v. 5. adde: *Prima acies*, *Qui primi incedunt*, die Avant-Garde: etc.

Ad calcem ſubjice: *Equeſtris pugnae ſimulacrum edere*, beym Exerciren die Cavallerie auf einander los gehen laſſen. *Media acies*, *Acies intermedia*, Corps de bataille.. *Statio militum validiſſima in foro collocata*, Corps de Gardés. *Expedita manus, expeditum agmen, caſtra volatica* l. *tralatica*, Corps volant, fliegend Corpo. *Cohortes integris viribus ad auxilium ferendum opportunae*, Hiſt. B. Alex. c. 2. n. 3; it. *Milites in ſubſidiis locati*, Curt. it. *Manus ſubſidiaria*, Corps de Reſerve. *Locum alicujus in ſubſidium obtinere*, das Corps

Corps de Reſerve formiren, Caeſ. *Major exercitus pars*, *Gravius exercitus agmen*, das Groſs der Armée. Curt.

Ad loc.

AGUNTUR *veſtra vectigalia.*

Sub finem adde: it. *Si id agitur*, *wenn man damit umgehet.*

Verſui extremò adjiciatur: Salluſtius etiam dicit, *Alia poſt alia.* v. g. B Jug. c. 70: *Dein ab eo magiſtratu, alium poſt alium ſibi peperit.*

p. 1291 ad loc.

ALIENUS. v. 25. adjiſce: Sall. B. Cat. c. 56: *Simul alienum ſuis rationibus videri, cauſam civium cum ſervis fugitivis communicaſſe.*

p. 1292.

Locus ALIQUANTUM deleatur.

Locus ALIQUOT CENTUM deleatur.

Inſeratur:

ALITER interdum ad inſtar integrae propoſitionis eſt, ſignificans, *Quodſi vero res aliter cadat*, Germ. *widrigenfalls aber*, *In Entſtehung deſſen aber.* v. g. *Haec ita fieri in bello, juſtum eſt: aliter, qui tale aliquid audent, animadverſione gravi et capitali poena adficiantur.* Vid. Sall. B. Cat. c. 30. Par ratio eſt in τῷ *Secus.*

p. 1293. ad loc.

ALIUS, ALITER. a v. 19. usque ad finem ſic lege:

Poſt *Non aliud* et *Nihil aliud* ſequitur *Quam*, *Praeter*, *Praeterquam*, et uſitatiſſime *Niſi*. v. g. *Tota hominum vita nihil aliud eſt, quam* l. *niſi via ad mortem.* It. *Quae eſt alia poena, praeter mortem.* It. *Quid quaeris, praeterquam id?* cet.

Alius etiam more Graecorum Ablativum ſine Praepoſitione adſciſcit.

* Horat. L. 1. ep. 16. v. 12: *Neve putes alium ſapiente bonoque beatum.* Id. L. 2. ep. 1. ad Auguſtum, v. 293: *Edicto vetuit, ne quis ſe praeter Apellem pingeret, aut alius Lyſippo duceret aere.* Cic. Fam. 11. ep. 2: *Nec quicquam aliud communi libertate quaeſiſſe*, (Brutum et Caſſium) *exitus declarat*: communi libertate i. e. praeter communem libertatem.

Verba *Poſt nihil aliud*, usque ad *praeter mortem? cet.* deleantur.

p. 1295. ad loc.

ALTA VOCE. v. 4. lege: et Senecae Tragici: nec Cicero a ſimili abhorret etc.

v. 9. ſubjice: Senecae Tragici verba, unde *Borrichius* hanc locutionem profert, exſtant Troad. a. 2. v. 194: *Haec fatus alta voce.* Sed, quod bene notandum, non ſatis tuto huic loco inniti poſſumus: anceps enim eſt et dubius; quum praeſertim Farnabius legat pro *alta voce*, *alta nocte*. *Vorſt.* de Lat. mer. ſuſp. cap. 2. p. 25. et *Khunius* ad Vorſt. p. 5.

p. 1296. ad loc.

AMAMUS *nos invicem.*

Sub finem haec ſubjiciantur:

Quin etiam Accuſativus interdum heic plane omittitur. Plin. epp. *Quae omnia huc ſpectant, ut invicem ardentius diligamus, quum tot vinculis nos ſtudia, mores, fama, ſuprema denique hominum judicia conſtringant.*

p. 1297. inſeratur:

AMICTORIUM ſ. FOCALE *ornatûs ergo collum muliebre ambiens, quod vulgo* Palatinum *vocant*, eine Palatine, Hals-Schmuck für Frauenzimmer.

p. 1298.

v. 2. ſic lege: *Multum te amo, quod reſpondiſti.* Id. *De Rauduſculo multum te amo.* Id. *Signa, quae nobis curaſti, ea ſunt ad Cajetam expoſita: te multum amamus, quod ea abs te diligenter parvoque curata ſunt.* *Schor.* Phraſ. ad Voc. *Amo.*

Locus AMOR TUUS ita mutetur:

AMOR TUUS Active i. e. *quo tu amas:* AMOR TUI Paſſive i. e. *quo tu amaris.* Sic *fiducia tua*, Active; et *fiducia tui*, Paſſive: et ſic porro.

* Genitivi *mei*, *tui*, *ſui*, *noſtri* et *veſtri*, ſubjiciuntur Nominibus adfectuum et ſimilibus, quando Paſſive ſignificant. Sed Adjectiva *meus*, *tuus*, *ſuus*, *noſter* et *veſter*, iisdem ſubjiciuntur, quando Active ſignificant: quamvis haec ipſa Poſſeſſiva interdum etiam accipiantur pro Primitivis. Cic. *Quae meâ cauſâ fecit.* Terent. *Quae noſtra cauſa numquam fuerimus.*

† Sin

† Sin autem alii Genitivi ejuſmodi Nominibus apponuntur etc.

Inſeratur:

AMPVLLA VITREA it. *Lagena vitrea, eine Bouteille*, Plinius L. 20. cap. 14.

Lagenam vitream munire ſubere, einen Kork auf die Bouteille ſtecken.

Ad loc.

AN-AN. v. 8. ſeq. lege: in dubitatione ſeu dubititiva ſententia, oppoſitis interrogationis membris additum. V. g. *Incertum*.

v. 20. ſic lege: *Incertum eſt, odio dignus ſit, annon?* it. *Incertum eſt, hoc verum ſit*, nec ne? it. &c.

p. 1299.

vſ. 1. et 2. deleantur, ac ſubſtituantur ſubſequentia:

Quamvis hoc verborum nexu primum comma ſubinde etiam admittit apud Ciceronem *Vtrum*.

* Cic. 3. Verr. *Vtrum admonitus, an tentatus, an (qua eſt iſte ſagacitate in his rebus) ſine duce ullo, ſine indice pervenerit ad hanc improbitatem, neſcio.* Id. 4. Verr. *Vtrum hoc ſignum improbitatis tuae* &c.

p. 1300.

v. 15. lege: quantumvis vindicatum: quum praeſertim Cl. *Heuſingerus* obſ. antib. 458. ſeqq. et hunc ipſum loquendi modum, et praecedentem illum, quo *An-an* ponitur pro *Vtrum, an*, vehementiſſime de novo reddat ſuſpectos. Sic autem ille:

AN, AN, pro *Vtrum, an*, oppoſitis interrogationis membris recte prorſus diſſentire auſus eſt. Sed Plinii locum, qui in exemplum adferebatur ex lib. 8. ep. 14. a Cortio et Geſnero jam rectius explicatum video: qui et alium, quem Cellarius non adnotaverat, ex lib. 6. ep. 16. n. 15. vitio repetitae hujus Particulae liberarunt. Non multum diverſa erit ceterorum ratio, in quibus alterum *an* vel a librariis inculcatum, vel Anaphora quadam ab auctoribus poſitum apparebit. De loco Curtii l. 8. c. 6. v. 25. non opus eſt conjectura. Optimos enim codices nominat Snakenburgius, in quibus ita ſcriptum: *Id ad conſolandam patientiam verberum, an ad incitandum juvenum dolorem dictum eſſet, in ambiguo fuiſſe.* Anaphora uſus eſt Cicero l. 2. Attic. ep. 6: *Quin etiam dubitem, an heic, an Antii conſidam.* Non de diverſis rebus dubitat. *Heic* eſt in hac regione, et quidem *Antii*. Maneat ergo, in interrogationibus, ubi duae tantum partes disjunguntur, *utrum* priori, *an* poſteriori membro dari, vel, ſuppreſſo altero, unum tantum *an* adhiberi.

AN, ſequente *aut*, ſuos quoque habet approbatores: in quibus Longolius V. C. ad Plinii lib. 10. ep. 48, ubi fide ſcripti exemplaris, ſed, quod ipſe concedet, parum docta manu ſcripti, legitur: *Dignum eſt certe deliberatione, ſitne faciendum, aut ſi relinquendum.* Hoc ille adverſus Cellarium, qui *an ſit relinquendum* maluit, acriter defendit, et multis evincit illud exemplis, *an, ne, num, utrum*, ante *aut* reperiri: quod vero voluit, eas Particulas a priſcis etiam ſcriptoribus disjuncte ſibi opponi, nec aequiſſimo Geſneri judicio probat. Quum enim Cicero pro S. Roſcio Am. c. 21. dicit: *Credo, quum vidiſſet, qui homines in hiſce ſubſelliis ſederent, quaeſiſſe, num ille, aut ille defenſurus eſſet:* non Erucium ait quaeſiſſe, utrum hic, an ille, qui in magnis patronis numerabatur; ſed *num* (vel *utrum*) *ille aut ille, an* vero alius quiſpiam minus notus defenſurus eſſet. Similis huic eſt Flori locus l. 3. c. 12. n. 6: *At neſcio, an ſatis fuerit populo Rom. Sicilia et Africa contento fuiſſe, aut his etiam ipſis carere, dominanti in Italia ſua; quam eo magnitudinis creſcere, ut viribus ſuis conficeretur.* In his *neſcio, an* nihil aliud eſt, quam *fortaſſe*, nec ulla ratione cum *aut* copulari poteſt: aptius inter ſe cohaerent *an ſatius fuerit, quam eo magnitudinis creſcere.* Vnum ex Plinii Paneg. c. 89. pr. exemplum id, quod Longolius contendit, comprobare concedo: *Vt dubitare cogatur, utrum ſit efficacius ad recte vivendum bene inſtitui aut feliciter naſci.* Quum vero fortaſſe unum ſit, quod omnibus aliis opponi poſſit: hanc Plinii manum eſſe, nemo concedet, qui eum ſemper

utrum

utrum an jungere ſolere novit, et, quam facile librarii labantur, perſpexit. Apud Ciceronem quoque l. 2. Offic. c. 20. n. 10. in Cod. Vin. in ed. antiquiſſ. Rom. et multis aliis legitur: *Quum conſuleretur, utrum bono viro pauperi, aut minus probato diviti filiam collocaret*, pro *an*, quod in melioribus eſt. Hactenus *Heuſingerus*.

Nemo temere tam ineptus fuerit, ut objiciat hac in cauſa nobis loca veterum, in quibus *aut* non habet relationem ad praecedens *an*, ſed ad ſubſequens illud alterum *aut*. v. g. Cic. 1. Fin. c. 21: *An ille tempus aut in Poëtis voluntandis aut in Muſicis contereret?*

v. 16. usque ad v. 21. incl. deleantur.

Inſeratur:

ANHELARE *ad aliquid*, ſuſpectum: Latini dicunt, *anhelare aliquid*, v. g. Cic. *Anhelare ſcelus, crudelitatem.*

p. 1301.

v. 16. adde: *Anno vertente* autem eſt, *completo duodecim menſium ſpatio, annui temporis orbe*, non *extrema ejus parte*, non *extremo menſe aut die*, nec *ineuntis anni principio.*

Ad loc.

ANNONAM *levare.* In fine hujus loci adde: *Annona ſe laxat, laxatur, remittit ſe* i. e. annonae pretium remittitur, *das Korn ſchlägt ab. Annona ingraveſcit* i. e. carius multoque pluris venire incipit, *das Korn ſchlägt auf.*

p. 1303. ad loc.

ANTECEDO, ANTECELLO. v. 8. lege ſic: Quin Accuſativus cum verbo *Antecello* occurrit non niſi etc.

p. 1306. ad loc.

APPELLARE *aliquem.* Exeunti huic loco addi velim: *Ad ſuperiorem judicem provocare*, Appelliren. *A Praetore ad Tribunos appellare auſus eſt*, Cic. Er hat eine Appellation interponirt: ſed hoc more Romano locum habet. *Adverſarius provocatione in ſuperius judicium arceſſitus*, der Appellate, diejenige Parthei, wider welche appelliret worden.

Inſeratur:

APPETERE tranſitive v. g. *appetere laudem*; et intranſitive v. g. *Tempus, nox, hora, dies appetit* i. e. adventat, appropinquat.

Ad loc.

APPLICARE *ſed ad aliquem.*

v. 2. lege ſic: *ad amicitiam, ad ſocietatem, ad familiaritatem alicujus.*

p. 1309.

v. 20 ſubjice: Cic. ad Attic. Lib. 3. ep. 6: *A me petierat, ut ſecum et apud ſe eſſem quotidie, quod conceſſi libenter.*

p. 1310. inſeratur:

ARCERE *aliquem muro* et *a muro; hoſtem urbe* et *ab urbe; Arcere aliquem ab injuria; aditu, tranſitu, ſuis finibus.*

v. 46. 47. et 48. deleantur.

Locus ARDERE ſic emendetur:

ARDERE abſolute, v. g. Cic. Attic. L. 10. ep. 2. *Animus ardet.* Item: *Ardere cupiditate, ira*, cet. et ſecundum Salluſtium *Ardere in cupiditatibus.*

p. 1311. inſeratur:

AREA *explicandis copiis aut aciei inſtruendae idonea; Locus quem ad arma vocati petunt milites:* vel pro argumento, *Urbs apparatibus bellicis opportuna, in qua Princeps arcem belli gerendi conſtituit*, Place d' armes, ein Waffenplatz.

Ad loc.

ARMATI *bipennibus.*

Adjice: *Miles bipenni* l. *gaeſo armatus ad oſtium Principis excubias agit*, es ſteht dem Fürſten ein Kerl mit der Partiſane vor dem Hauſe.

p. 1312.

v. 8. ſubjice: Quum igitur lingua Graeca ſuis ſe jactet articulis; lingua Latina autem omnes omnino articulos reſpuat, atque inſuper innumeris vocabulis, quae aliunde, quam ex Graecia, acceperit, et flexione tandem atque conſtructione vocum vehementer differat: intelligi haud difficulter poteſt, linguam Latinam pro Graecae dialecto haberi non poſſe, quamvis alia Graecitatis veſtigia in ea non nunquam appareant, quando quidem negari haud poteſt, Graecas colonias per Bruttios, Calabros, Campanos diffuſas

rſas fuiſſe, unde pars illa Italiae inferior Magnae Graeciae nomen ſortita ſit.

p. 1313.

Loco AT QVIDEM ſubjice haec:

Interdum etiam *Quidem* heic omittitur.

* Cic. Dejot. c. 6: *Quid poſtea? an Dejotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimiſit exercitum? nullus erat alius inſidiandi locus? At eodem te, quum coenaviſſes, rediturum dixeras: itaque feciſti.*

Locus ATTENDO *tibi*, ſic ab initio amplietur:

ATTENDO ἁπλῶς, it. *tibi* et *te*, *huic rei*, *de hac re* et *ad hanc rem*. Plin. Epp. *At ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur.* Id. *Per ſilentium noctis ſonus ferri, et, ſi attenderes acrius, ſtrepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur.*

Attendo te etc.

Ad loc.

ATTINET. v. 6. adjice: heic omiſerunt: omiſerunt autem ſaepenumero ſequiorum temporum ſcriptores, et, qui vel inter eos primas tenet, ipſe Tertullianus de Patientia c. 12.

p. 1314.

v. 3. ſubjice: et pro Dejot. c. 5.

p. 1315. inſeratur:

AVE MARIA quid ſignificet in Eccleſia Romana, nemo neſcit: magis Latine dixeris, *Salutatio Angelica.*

Ad loc.

AVELLO. Calci hujus ſubjice:

Dicitur etiam *Avelli de arboribus*, praeſertim apud Poëtas.

p. 1316. inſeratur:

AVXILIVM FERRE *alicui*, bene: Salluſtius etiam B. Cat. p. m. 24. *auxilium portare alicui. Poſt, ubi pericula propulerant, ſociis atque amicis auxilia portabant.*

p. 1317. ad loc.

BANCAM ROTTAM FACERE.

v. 7. pro *rapta* lege *rupta.*

v. 14. poſt verba *atque adjuncta merentur.* Haec interſere: Plautus habet, *a menſa* (ſubaudi *trapezitica*) *ſurgere.*

v. 20. adde: *Creditorum per ſimulatam inopiae cauſam ſ. ſpeciem defraudatio, eine mutwillige Banquerotte.*

v. 26. poſt verba *eccleſiae bono ſuſtentantur*, haec inſere: it. *Certa pecuniae ſumma, vel ex liberali divitum collatione, vel aliunde collecta et repoſita ad ſublevandam indigentiam.*

Ad loc.

BARBA MAIOR.

v. 3. poſt τὸ *Barba prolixa*, inſere: Cornelius Nepos Datame cap. 3. n. 1. et

Ad calcem hujus loci adde:

Lanugo incipit illi per malas ſerpere; Primam emittit lanuginem. Germ. *Der Bart läſst ſich nach gerade ſehen.*

Ad loc. BELLI *apparatus.*

Hic locus ſic amplietur:

BELLI *apparatus; Res ad gerendum bellum neceſſariae*, die Ammunition, allerley Krieges-Vorraht.

p. 1318. ad locum BELLVM GERERE.

Hic locus initio ſic amplietur:

BELLVM GERERE *adverſum* et *adverſus aliquem; contra aliquem; in aliquem* et *cum aliquo. Bellum gerere in aliquem*, occurrit ap. Cornel. Lyſandro.

p. 1319. ad loc.

BENE HABEO. Ad calcem adde:

Dicunt etiam *Belle habere* et *Belle ſe habere.*

p. 1320.

v. 14. poſt τὸ *ſeqq.* inſere: *Khunius* ad Vorſt. p. 18. ſeq.

p. 1321. v. 21. ſubjice:

Fraternitatem poculis ſancire, Brüderſchaft trinken.

p. 1324.

v. 6. verba: Conf. ſupra *Aliquot centum* deleantur.

Inſeratur:

BRASSICA *ſeſſilis, capitata*, weiſſer Kopf-Kohl. *Braſſica Cumana*, breiter roter Kohl. *Braſſica Sabellica, criſpa*, Savoyer-Kohl. *Braſſica Pompejana, Cypria*, Blumen-Kohl.

p. 1325.

p. 1325.

Locum BVCCINA *ſignum dare*, ſic immutabis:

BVCCINA *ad ſummiſſiorem ſonum edendum inſtructa*, vel *Buccina ſurda*, eine Sourdine, Juvenalis Lib. 7.

Inſtrumentum Muſicum, tremulum ſonum edens, quod dicunt un Fagot.

Inſeratur ſuo loco:

CALAMVS SCRIPTORIVS, *die Schreibfeder.*

* Chartis veteres *Calamos* dabant *arundineos*, quos ea propter Celſus et Scribonius *ſcriptorios* vocant, et Dioſcorides ad βιβλογραφίαν accommodatos tradit, et tandem avium pennas illis minores, crena extremitatis inciſa, ex qua liquor ſtillat litteras efformans, ſive atramentum nigraeque loliginis ſuccus, ſive minium aut muricis ſuccus, illud vulgaribus, hic Imperatoriis libellis et Edictis, vel titulis, qui adhuc Rubricae nomen retinent, advocari ſolitus.

p. 1325. inſeratur:

CALENDAE IANVARII hodie vulgo vocantur, quae olim *calendae Januariae, Februariae, Martiae, Apriles.* Servabatur id etiam in *nonis* et *idibus*, quibus nomen menſis Adjectivum addebatur, ut *nonae Majae, Juniae, Septembres.* Exempla in inſcriptionibus quam plurima ſunt, et non nullas Aldus quoque habet in Orthogr. p. 301. *idibus Auguſtis.* p. 303. *XIII Kalendas Julias.* pag. 453. *K. Aprilibus.* p. 456. *XI. K. Majus.* p. 457. et 458. *K. Auguſtis.* p. 459. *XVI Kal. Januarias.* p. 462. *III. Kal. Julias.* Horat. l. 3. od. 8. pr. *Martiis coelebs quid agam Kalendis. Heuſ.* Obſ. 444.

p. 1326.

CALLIDVS *temporum; rei militaris; ad fraudem.*

p. 1327.

Locum CANERE *claſſicum*, ſic immutabis:

CANERE *claſſicum, Canere bellicum*, Ciceronis ſunt: *Ad arma conclamare*, Livii: *Signum dare buccinâ*, Curtii L. 3. c. 3. Germ. *Lermen blaſen, Bouteſelle blaſen, Buttaſelle blaſen.*

Dicunt etiam: *Tubâ ſignum dare; Signum primum ad iter equitibus buccinâ dare;* Signo buccinae equites de adornandis equis monere. Panico terrore excitare militem.* Germ. *Blinden Lermen ſchlagen.* Nolt. Suppl.

† *Claſſicum* ex mandato unius Imperatoris pendet, isque in bello ſonus eſt, quum ſigna omnia pariter canunt, et militem vocant vel ad concilium vel ad pugnam.

Inſerantur:

CAPERE, PERCIPERE, FERRE *fructum alicujus rei* et *ex aliqua re.* Qui dicunt, *Capere fructum ab aliqua re;* ii vero viderint, unde hoc probent.

CAPERE *fructum oculorum ex aliqua re;* et *Capere fructum oculis ex aliqua re.*

Locum CAPERE *voluptatem*, ſic amplificabis:

CAPERE *voluptatem, dolorem, exemplum, ex aliqua re* et *in aliqua re.* Sed prius uſitatius.

Dicunt etiam *Capere exemplum de aliquo;* it. *Capere poenam de aliquo* i. e. punire aliquem.

* Cic. L. 12. ep. 17: *Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem.*

Ad loc.

CAPERE *alicui lumen.* V. 10. pro *c.* lege *c. 60.*

Inſeratur:

CAPERE *detrimentum, poenas pro aliquo*, Jul. Caeſar et Salluſtius B. Jug. c. 75.

p. 1328. ad loc.

CAPIO. v. 16. ſeqq. ſic lege:

v. g. *Cepit me taedium, oblivio, odium, ſatietas, luctus, pavor*, cet. et non *Cepi taedium, oblivionem, odium, ſatietatem, luctum, pavorem*, cet.

p. 1329. ad loc.

CAPTARE haec adde:

* *Captare coenam* Petr. p. 3. dicitur paraſitus, qui Gnathonem imitatur, Germ. *der gern mit iſſet, ein Schmarotzer,*

Inſerantur:

CASEVS *inveteratus, aridus, exſuccus*, ein alter Thurholz. *Caſeus recens*, friſcher Käſe; *uvidus, ſeroſus*, weicher, wäſſeriger Käſe; *vermiculoſus, putris*, fauler Käſe; *ſpongioſus, fiſtuloſus*, der Augen hat, loſer Käſe; *bene compactus, denſus*, dichter Käſe; *ſubvi-*

ſubviridis, *Smaragdinus*, grüner Käſe; *Caſeus Hollandicus*, holländiſcher Käſe; *Theſſalicus*, Theſſel-Käſe. i. e. preſſus in Theſſalia; *Parmenſis*, Parmeſan-Käſe. *Caſeus ovillus*, Schaf-Käſe; *bubulus*, Kuh-Käſe. *Caſeus primarius*, vom Floſs; *ſecundarius*, ohne Floſs; *hornus* vel *hornotinus*, von dieſem Jahre. *Premere, formare, figurare caſeum*, Käſe machen.

CASSVS *lumine:* raro, *luminis.*

CASTRVM DOLORIS, *ein Trauer-Gerüſte*, vulgo: Lat. dixeris, *machina feralis honoraria*; *tabulatum ferale in honorem defuncti ad tempus exſtructum*; *opus funebre in aedis ſacrae meditullio magnifice exſtructum.*

p. 1331. inſeratur:

CAVILLARI *aliquem*, et *in aliquo aliquid* i. e. ridendo ſugillare, exagitare: CAVILLARI *cum aliquo* i. e. jocari.

p. 1333. inſeratur:

CAVSA, GRATIA l. NOMINE, ut apud Graecos ἕνεκα, frequentiſſime leguntur omiſſa, non apud Hiſtoricos modo et Oratores, ſed etiam ICtos. Sall. B. Cat. *Quod initio conſervandae libertatis atque augendae reip. fuerat.* Id. *Exercitum opprimendae libertatis habet.* Vlpian. D. ad legem Jul. de Adult. *Si quis evitandi criminis id egit, ut reip. cauſa abeſſet.*

Ad calcem loci CAVSAM *dicere pro aliquo* adde:

Cauſam agere ad Caeſarem, pro *apud Caeſarem*, P. Vatinius ap. Cic. L. 11. ep. 29. fin. *Cauſam agere ſub judice*, Suetonius. *Difficilem tenui ſub iniquo judice Cauſam*, Ovidius.

p. 1334. v. 3. ſeqq. lege ſic:

CEDERE *loco*, *de loco*, *a loco*, *ex loco*; it. *Cedere alicui locum: Cedere via*, *templis*; it. *de dignitate*, *de fortuna*. *Cedere alicui jure ſuo* et *de jure ſuo.* Sumitur ergo tranſitive et intranſitive.

Inſerantur:

CEDERE *poſſeſſione*; et *Decedere de poſſeſſione.*

CELEBRARE *virtutem alicujus*, et *Celebrare virtutem alicujus in majus.* Poſterior loquendi modus occurrit apud Salluſt. B. Jug. c. 81.

Locus CELEBRIS, CELEBERRIMVS, ſic legatur:

CELEBRIS, CELEBERRIMVS accommodatur fere ab optimae notae ſcriptoribus, non tam perſonis, quam rebus. Ac ſi vel maxime perſonis interdum jungatur; ſit tamen id raro ſimpliciter, ſed cum adjunctione.

* Plin. L. 7. &c.

p. 1336.

v. 26. poſt verba *interdum occurrit*, haec inſere: v. g. Cic. L. 12. ep. 9: *A te autem peto, ut me hanc quaſi falſam hereditatem alienae gloriae ſinas cernere, meque aliqua ex parte in ſocietatem tuarum laudum venire patiare.* Liv. L. 4. c. 8. etc.

Locus CERTE ſic legatur:

CERTE junctum verbis ſciendi vel cognoſcendi ſeu intellectûs, mutat E in O. Cic. *Certo ſcio.* Id. *Certo credo.* Id. *Sed certo videntur haec aliquo eruptura.* Id. *Nihil ita exſpectare quaſi certo futurum.* Id. *Nequeo tibi hoc certo polliceri* Terent. a. 4. ſc. 4. v. 4: *Atqui certo comperi.*

At vero ſi quaedam interponuntur, *Certe* redit. Ter. Andr. *Certe enim ſcio.* Plaut. Amph. *Certe aedepol ſcio.*

Dicimus etiam, *Certum ſcio.*

Certe confirmantis et concedentis eſt, et totam enuntiationem afficit: *Certò* eſt fere confirmati et certioris de aliqua re facti, et non niſi verbum afficit, quod ἀμέσως ſubjungitur.

p. 1338. ad loc.

CHARTA. v. 2. interpone: *Charta litteras transmittens*, Papier, das durchſchläget. *Charta auguſta*, i. e. charta ab inſigni tenuitate et praeſtantia ſua epiſtolis dicata, et ab Auguſto nomen ſortita, Plin. Poſt-Papier.

v. 15. poſt voc. *inſcribat*, inſere: Charta blanca, Charta bianca.

v. 24. poſt voc. *Papier*; inſere: *Charta aſpera et ſcabra*, *quae pennam remoratur*, *ne inoffenſo apice decurrat*, rauch und uneben Papier.

v. 26.

v. 26. adde: *Charta inepta, rejectanea; Charta libri inutilis, quae loco ſegeſtrium mercibus involucra praebet, nec amplius venalis aut vendibilis eſt*, Maculatur.

p. 1339.

v. 5. ſubjunge: Conf. *Voſſi* Ariſtarch. 136.

Inſeratur:

CIRCVITIO *militaris, vigilium explorandorum cauſa; Circuitores exploratorii; Excubiae circumeuntes*, Ronde.

Ad loc.

CIRCVITVS *caſtrorum*. v. 5. poſt vocc. *munimenta caſtrorum*; adde: alii, *ſaepes caſtrorum ſimplex; opus vallare; foſſae vallares*.

p. 1340.

v. 13. poſt voc. *converſus*, adde: *Vrbi obſeſſae oppoſitus vallus*.

v. 14. adjice: *Foſſae, per quas ab uno caſtrorum opere* l. *ab uno propugnaculo ad aliud iter patet*, Communications-Linie.

Loco CITARE *alvum*, appone: *aliquem ad teſtimonium*.

Ad loc.

CLAM. v. 6. ſic lege:

* Priſcianus et alii pro Adverbio habent, et caſum ſextum ab intellecta Praepoſitione *a* l. *ab* ducunt.

p. 1341. inſeratur:

COELVM PENSILE, it. *Vmbraculum in ſollemni aliqua pompa ſupra caput alicujus geſtari ſolitum*, der Traghimmel.

Candelabrum penſile, pluribus candelis capiendis accommodatum, ex argento l. *orichalco confectum*. Ein hangender Leuchter, Licht-Crone.

Ad loc.

COGITARE *aliquid*. In fine adde: et *in animo*.

p. 1342. inſeratur:

COHORS PRAETORIA, *Garde du Corps, ein Leib-Regiment, eine Leib-Garde*, Cic. 2. Cat. c. 11. Curtio, Plinio, Tacito dicuntur *milites Praetoriani*; aliis, *cohors palatina*, it. *ſtipatores corporis Principis*.

Equites delecti ad cuſtodiam corporis Imperatoris, die kaiſerliche Leib-Garde zu Pferde, die Hatſchierer, Gendarmerie, Gens d' armes.

Ad calcem loci COIRE *in loco*, adjice: Quem poſteriorem modum etiam alii imitantur v. g. Cornelius in Conone.

p. 1343. ad loc.

COLLOCARE. v. 16. pro *ab hoc verbo noſtro dependentibus*, lege *quibus hoc verbum noſtrum jungi poteſt*.

p. 1344. inſeratur:

COLLVCTARI *morbo* et *cum morbo, malis publicis* et *cum malis publicis*.

Ad loc.

COMMENDO. Ad calcem adjice:

Commendari ab aliquo et *per aliquem, alicui*; it. *Commendari memoriae ſempiternae* et *ad memoriam ſempiternam; aliqua re* et *ab aliqua re*.

Loco COMMENTARI, adde: It. *Commentari aliquid ſecum* et *inter ſe*, Germ. *eine Sache überlegen*.

Loco COMMITTERE *ſe*, adde: *Committere immaturo congreſſu ſalutem ſuam diſcrimini ancipitis pugnae* et *in diſcrimen ancipitis pugnae*.

p. 1345.

v. 2. poſt voc. *ſuppoſiti*, adde: v. g.

v. 12. deleatur it. *etwas verleihen*. Adjiciantur deinde haec: *Einem in einer Sache oder zu einer Sache behülflich ſeyn*. Item: *Commodare alicui veſtes, vaſa, equos*, cet. Germ. *Einem etwas verleihen*. Petronius de matrona illa egregia Epheſi: *Aſſidebat aegre fidiſſima ancilla, ſimulque et lacrimas commodabat lugenti, et, quoties defecerat, poſitum in monumento lumen renovabat*. Germ. *das Mägdlein weinte zugleich zur Geſellſchaft mit*.

Ad loc.

COMMVNICARE *aliquid*. v. 9. poſt verba *utuntur etiam ea*, adde: Tertullianus, Cyprianus.

v. 13. adde: *Vorſt*. Lat. mer. ſuſp. 172. *Khunius* ad Vorſt. p. 16.

p. 1346.

v. 5. ſic lege: n. 50. et alibi habet:

p. 1347. inſeratur:

COMMVTARE VITAM CVM MORTE, et verſa vice COMMVTARE MORTEM CVM VITA, utrumque recte, prout luculenter id oſtendit Cl. *Heuſing.* obſ. antib. 463. ſeq.

p. 1348.

Ad locum COMPARATIVIS non ſine elegantia, in fine adjice haec:

Iisdem quoque intendendi particulae addi ſolent *Tantò*, *quantò*, *aliquantò*, *hòc*, *eò*, *quò*, *multò*, *longè*, *paullò*, *nimiò*.

* Fab. *Quo quis indoctior, eo impudentior.* Cic. *Quanto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſſius geramus.*

Atque hinc non dicendum, *Qui eſt paullum humanior*; ſed, *Qui eſt paullo humanior*: non, *Qui eſt paululum peritior*; ſed *Qui eſt paullo peritior.* Neque dicendum, *Hic inferior multum atque imperfectior eſt*, ſed, *Hic inferior multo atque imperfectior eſt.*

Ac ſimiliter his particulis comparativi Adverbiorum junguntur. Vt in eleganti illa γνώμη Fabii: *Quo quisque ingenio minus valet, hoc ſe magis attollere et dilatare conatur: ut ſtaturâ breves, in digitos eriguntur, et plura infirmi minantur.*

† Nota: Pro *Tanto*, *quanto*, *aliquanto*, ſumuntur etiam, quamvis rarius, haec nomina adverbialiter ſumta, *Tantum*, *quantum*, *aliquantum*.

Val. Max. L. 4: *Quantum domo inferior, tantum gloriâ ſuperior.* Terent. Eun. 1, 2: *Ejus frater aliquantum eſt ad rem avidior.*

Ad loc.

COMPARATIVVM formant. v. 11. poſt verba *Maxime doctus*, adde: Sall. B. Jug. c. 5: *Pauca ſupra repetam, quo ad cognoſcendum omnia illuſtria magis magisque in aperto ſint.*

v. 15. ſubjice:

Nota: Dantur apud auctores optimae notae interdum loca, ubi in hoc comparandi modo *Magis* omittitur Tacitus: *Claris majoribus, quam vetuſtis*, id eſt, magis claris, quam vetuſtis. Plautus: *Tacita bona eſt mulier ſemper, quam loquax* i. e. magis bona, quam loquax.

p. 1349. ad loc.

COMPARATIVVS uſitate locum habet.

v. 6. adjice: In Plurali tamen id non obſervatur. Plin. *Apum adoleſcentiores ad opera exeunt.* Nempe quia apes in duas dividuntur ordines, puta adoleſcentiores et grandiores natu. Similiter dixeris, *Peritiores Geographorum.*

p. 1352. ad loc.

CONCEDERE autem pro *permittere.*

v. 2. poſt verba *conſtruitur*, interſere: *Concedere alicui aliquid ad certos annos*, einem eine Octroy verleihen; *Concedere libertatem alicui* etc.

p. 1353. ad loc.

CONCILIARE *aliquem.* v. 3. poſt verba *Conciliare aliquem alicui* infere haec: v. g. Jul. Caeſ. B. C. L. 3. c. 55: *Conciliare civitates reliquas amicitiae Caeſaris;* Item *Conciliare ſibi animum alicujus*, etc.

v. 15. pro *aliquot* lege *aliquos.*

Locum CONCIONARI ſic lege:

CONCIONARI *aliquam rem* et *de aliqua re, apud aliquem.*

p. 1354.

CONCORDARE *alicui rei* et *cum aliqua re.*

* Seneca ep. 20: *Maximum hoc eſt et officium ſapientiae et judicium, ut verbis opera concordent, et ut ipſe ubique par ſibi idemque ſit,*

p. 1355. ad loc.

CONDOLERE ALICVI. v. 17. ſeqq. ſic lege:

Idem propemodum de hac locutione ſentiendum, quando ſignificat *dolorem ſuum ex alterius incommodis perceptum eidem declarare, coram declarare alicui dolorem ſuum, miſericordiam et dolorem ſuum ex alterius infortunio conceptum ſignificare, dolentis officio fungi, alloquiis conſolationis honorare aliquem, plenam doloris ſalutationem ad aliquem ferre, de alterius dolore ſuum dolorem teſtari*, Germ. *einem condoliren, das Leid klagen.* Vnus Ovidius obſtare videtur, qui hac notione uſus eſſe exiſtimari poſſit. Ita enim ille Lib. 5. Triſt. eleg. 4. v. 32:

Vt tamen audiſti percuſſum fulmine vatem,
Admonitu matris condoluiſſe potes.

p. 1356. ad loc.

CONFERRE *ſe in campum.* v. 15.

poſt

poſt verba *non ad Joannem*, haec adjice: Cic. *In Rege Ariobarzane ea mihi ſigna videor virtutis, ingenii, fidei, benevolentiaeque perſpexiſſe, ut non ſine cauſa tantam curam benevolentiamque in ejus vos ſalutem videamini contuliſſe.* Valla L. 3. c. 45.

p. 1357. Inſeratur:

CONFVGERE *ad locum* et *in locum*, differunt. *Ad* notat vicinitatem, propinquitatem vel contiguitatem; *In* autem notat locum ipſum, quo concludi et coërceri volumus. Sic dici poteſt *Confugere ad templum* et *in templum*; ſed diverſo ſignificatu. Dicitur autem *Confugere in ſinum*; non, *ad ſinum*: item *Confugere ad aram*; non, *in aram*.

Sic etiam quoties perſona, vel ſimpliciter, vel metonymice innuitur; non niſi Praepoſitioni *Ad* locus eſſe poteſt. quum eò non niſi per contiguitatem concedatur aditus. Dicimus enim *Confugere ad aliquem, ad fidem alicujus; ad miſericordiam alicujus*; non *in aliquem*, non *in fidem alicujus*, non *in miſericordiam alicujus*. Quod etſi ſatis clarum eſt, et ipſi rationi congruit; miror tamen, inter eruditos eſſe, qui dicant *confugere in miſericordiam alicujus*.

Ad loc.

CONGREDI *cum aliquo*. Ad calcem adde: Dicitur etiam ſimpliciter *Congredi*, Germ. *eins mit dem Feinde wagen*. Corn. Datam. c. 8. n. 1: *Haec etſi Autophradates videbat; tamen ſtatuit congredi, quam cum tantis copiis refugere, aut tam diu uno loco ſedere.*

p. 1358. ad loc.

CONIVNCTIONES pleraeque. a v. 10. ac ſequentibus usque ad finem, deleantur ac tollantur cuncta.

p. 1359. inſeratur:

CONNITI *animo* et *virtute*; *in aliquem locum*.

Ad loc.

CONNIVERE. Exeunti huic loco ſubjice:

* *Conniveo* in Praeterito habet *connivi*: Priſciano teſte, Turpilius, Comicus vetus, dixit etiam *connixi*: ſupino autem prorſus caret.

v. 29 et 30. hujus paginae deleantur et inducantur.

Ad loc.

CONSCIVS *ſibi*. v. 4. ſeqq. ſic lege:

* Cic. *Vides, officium agi meum quoddam, cui tu es conſcius.* Id. *Is conſcius illi facinori fuiſſe putabatur.* Id. *Nolo viros primarios eſſe temeritati et mendacio conſcios.*

Interdum etiam Accuſativus cum Infinitivo ſequitur. Mattius ap. Cic. L. 12. ep. 13: *Conſcius mihi eram, nihil a me commiſſum eſſe, quod boni cujusquam offenderet animum.*

p. 1360. ad loc.

CONSIDERE *loco aliquo*. v. 2. lege: *et apud aliquem locum; ſuper lectum; Conſidere certis* etc.

p. 1361. inſeratur:

CONSPIRARE *cum aliquo*, *ad rempublicam liberandum*, *in necem alicujus*.

Loco CONSTARE *animo*, adjice:

Cornelius in Attico dicit etiam *Conſtare in aliqua re. Omnis ejus pecuniae reditus conſtabat in Epiroticis et urbanis poſſeſſionibus.*

v. 9. hujus pag. pro *conſtantem et perpetuo manere*, lege *conſtantem eſſe et perpetuo manere*.

v. 15. hujus pag. poſt verba *fructus otii tui*, inſere: Plin. in epp. *Jam ſtudia ejus extra limen proferenda ſunt, jam circumſpiciendus Rhetor Latinus, cujus ſcholae ſeveritas, pudor in primis, caſtitas conſtet.*

v. ſubſequenti 16. ſubjiciantur haec:

Ponitur hac notione etiam ſimpliciter et ſine verborum adjunctione. V. g *Veniam dabo aetatis infirmitati, modo reliqui temporis officia conſtent.*

Ad loc.

CONSTAT pro *notum eſt*.

v. 5. pro *In Singulari*, lege *Si uni alicui aliquid notum eſt.*

v. 8. pro *In Plurali*, lege *Si pluribus aliquid notum eſt.*

p. 1362. ad loc.

CONSVLERE ALICVI. v. 54. poſt verba *conſuli mallem*, inſere: Salluſt. *Ibo et conſulam hanc rem amicos.*

In fine hujus loci haec ſubjice:

Atque hinc videre eſt, hoc verbum, quoties hac notione occurrit, pertinere ad ea verba tranſitiva, quae geminos regunt Accuſativos: unum perſonae; alterum rei: quamvis pro Accuſativo rei etiam uſurpari poſſit Ablativus cum Praepoſitione *De.* v. g. *Conſulere aliquem de aliqua re.* Atque hic Ablativus interdum ita neceſſarius eſt, ut illum conſtruendi modum, qui fit per Accuſativum, plane excludat. Quis enim dicat, *Conſulo te hereditatem* aut *bellum*, pro *de hereditate* aut *bello?*

p. 1363.

Ad calcem loci CONSVLTARE ſubjice:

Capitur etiam intranſitive, quando notat *conſilia agitare.* Sall. B. Cat. c. 50: *Omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia vacuos eſſe decet.*

p. 1366.

v. 21. lege ſic: Alii dicunt: *Contrarium faciunt, quam promiſerant;* quod etſi minus latine dicatur; habet tamen aliquod praeſidium in Lactantio l. 3. c. 29. v. 13: *Hoſtis juſtitiae, qui contraria faciat, quam Deus.*

p. 1367. inſeratur:

* CONTRAHERE *alicui,* pro *aliquo,* Vlpiano frequens eſt. Videtur referri poſſe ad eam formam loquendi, quâ verba quaedam, in primis conjungendi ac miſcendi ſignificationem habentia et Dativo junguntur et Ablativo cum Praepoſitione: de quibus *Voſſius* de Conſtructione cap. 37. Sic *Conſtituere alicui* et *cum aliquo,* apud Terentium, Ciceronem et alios, quos laudat *Gronovius* L. 1. Obſerv. 1. *Pugnare alicui* et *cum aliquo,* apud Catullum. *Servare fidem alicui* et *cum aliquo,* Plaut. Capt. 5. 1. 10. et Curcul. 1. 2. 49. *Nubere alicui* et *cum aliquo;* Cic. 15. Fam. 3. Terent. Phorm. 5. 3. 34. *Convenire alicui* et *aliquo,* Hygin. fab. 105. Vid. *Dukerus* de Lat. vett. ICtorum pag. 336.

p. 1368. inſerantur:

CONTVERI *coelum* et *ad coelum.*

CONVENIRE IN VNVM i. e. *conventum agere conſultandi ergo,* Sall. B. Jug. cap. 11. —

Loco CONVENIT *hoc tibi,* haec adde: Plinius etiam heic adhibet Praepoſ. AD. In Epp. *Laetor, eum eſſe me, in quem tu, quum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quae non ad maximam partem civium conveniret.*

p. 1369. inſeratur:

CONVERTERE *omnium oculos ad ſe* et *in ſe.*

* Corn. Alcib. *Quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescumque in publicum prodiſſet, ad ſe converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur.*

p. 1370. inſeratur:

CRANIVM *hominis mortui; Reliquiae capitis hominis mortui,* Germ. *Todten-Kopf. Imago Chriſti in cruce pendentis, ſubjuncto ad calcem l. ad crucis inferiorem extremitatem cranio humano et binis oſſibus albicantibus decuſſatim poſitis,* Germ. *ein Crucifix mit einem Todten-Kopf und etlichen Gebeinen.*

p. 1371.

v. 5. adde: Alii hoc ita exprimunt: *Continuis tormentorum verberationibus valli operumque praeſtructorum ruinas edere.* It. *Magna pars muri tormentis dejecta eſt,* es iſt eine groſſe Breche in die Mauer gelegt worden. *Ruinas munimentorum ingredi,* über die gelegte Breche marchiren, Curt. *Muros quaſſos l. vallos dirutos raptim obſtructis ſaxis reficere,* die Breche ohne Verzug repariren, Curt.

Ad loc.

CREDERE IN DEVM. v. 17. adde: it. Tractatu 29 in Job.

v. 22. pro *Buccio* lege *Puccio.*

Ad calcem hujus loci haec ſubjice:

Hanc ſane diſtinctionem non modo S. Auguſtinus, ſed noſtro etiam tempore magni nominis Philologus *Joh. Ludov. Praſchius, Comment. de Barbariſmis,* aliique agnoſcunt. Ipſa etiam Latini ſermonis proprietas hanc diſtinctionem ſatis tuetur: quamvis tertius et ultimus modus mere Biblicus et Theologicus eſt, fundatus praeterea in Symbolo Apoſtolico, cujus ſumma apud omnes, etiam quod ad conſtructionis hujus ſenſum attinet, eſſe debet auctoritas. Id tamen merito notemus, *το Credere in aliquem* ſecundum ſtilum ſacrum

crum ſumi bifariam; modo pro *fiduciam ponere in aliquo*; modo pro *habere fidem alicui*. Conferri heic poſſit *Glaſſius*.

p. 1372. Locus CRYPTA *hortorum*, ſic legatur:

CRYPTA *hortorum artificioſa; Antrum tophis et pumicibus artificioſe conſtructa atque adeo exornata; Crypta, ornamenta ex conchis et lapidibus in varias ſpecies aut figuras compoſita referens*, Germ. *eine Grotte*.

Plinius hujusmodi cryptam nuncupat *cryptoporticum*. *Subeſt*, inquit, *cryptoporticus, ſubterraneae ſimilis: aeſtate violento frigore riget.*

p. 1373. inſeratur:

CVM Praepoſitio copulativa interdum duo Singularia ita conjungit, ut per Syllepſin indirectam ſubſequens Verbum eo reſpiciat, tamquam ad aliquod Plurale. Cic. *Ipſe cum fratre adeſſe juſſi ſumus* Juſtinus: *Filium Alexandri cum matre in arcem cuſtodiendos miſit.*

p. 1374.

v. 27. pro *Adque* lege *Atque*.

p. 1376.

v. 32. ſubjungatur: Hirt. de B. Afr. c. 23. n. 1: *His verbis hominis graviſſimi incitatus adoleſcentulus, cum naviculis cujusque modi generis 30, cet.* Ibid. c. 39. n. 2: *Jam, quum non amplius paſſuum 1500 inter hoſtium aciem ſuasque munitiones eſſe animadvertiſſet*, cet.

p. 1378. inſeratur:

CVNICVLVS l. *meatus ſubterraneus; Occultum opus* l. *ſpecus*, Curt. it. *Doli ſubterranei*, Minen.

Ad loc.

CVNICVLOS *tectos agere* v. 14. ſic lege: *Cuniculi adverſi* vel *oppoſiti, contrarii, transverſi*, it. *fornices abſceſſorum cuniculis oppoſiti; cuniculi cuniculis oppoſiti*, Contra-Minen, ibid.

v. 17. adjice: *Cuniculos hoſtium detegere*, feindliche Minen entdecken. *Pulverem pyrium ſub cuniculis incendere*, eine Mine ſpringen laſſen.

p. 1379. ad loc.

CVRATOR FISCI. v. 7. poſt verba, *qui Principi multam debent*, haec inſere: hodie vulgo, *ein Fiſcal*.

Ad loc.

CVRO *redire*. v. 5. lege ſic: Plautus aliquoties etiam Dativum rei heic adhibet.

p. 1381.

v. 3. pro *Kappius ad Jenſium 164*, lege *Khunius ad Vorſt. p. 16. ſeq.*

v. 21 adde: Pro *damnare ad mortem*, dixit Tertullianus L. 1. adv. Marcion. c. 22. *damnare in mortem.*

v. 23. adde: Lactantius etiam Epit. Inſtit. Div. c. 4: *Damnare aliquem morte.*

p. 1382. inſeratur:

DANTVR MVLTI multis familiare eſt. Non damnabo tamen, quum praeſertim ap. ipſum Ciceronem loca quaedam exſtent, ubi *dari* pro *eſſe* poſitum videatur: nec tamen prius, illud Latinum eſſe concedam, quam, quo auctore ita loquantur, qui a me diſſentiunt, docuerint. Germaniſmo certe ſimillimum, nec mihi umquam apud Romanum aliquem ſcriptorem lectum eſſe memini. *Heuſingerus* obſ. antib. 398.

DARE CONSILIVM IN REM, non ſignificat, ut non nulli exiſtimant, *exſequi conſilium*; ſed *dare conſilium, prout res ipſa poſtulat.*

p. 1383.

v. 11. ſubjice: Ita in Graeca, Gallica, Italica, noſtra et aliis Europae linquis multa ſubinde perſimiliter cadunt, et Latinae linguae ex aſſe reſpondent: id, quod de lingua Graeca *Vechnerus*, de Gallica *Henricus Stephani*, de noſtrate *Vorſtius* probatum ivit, ſingulari quisque libello.

p. 1384. ad loc.

DARE OPERAM Fini ſubjice:

Operam dare, ſequente Infinitivo, inſolens eſt Latinis auribus, ac ne mediocris quidem ſcriptoris alicujus exemplo probatum. Omnes enim dixerunt, v. g. *Dedit operam, ut tempus duceret*, non *ducere*, et in hunc modum alia.

p. 1385.

v. 12. ſic lege: *puniendum reum confitentem exiſtimare.* Sed hac notione ſumtus Dativum rei adſciſcit.

Pro *dare poenas alicujus rei*, Salluſtius B. Jug. c. 17. habet *reddere poenas alicujus rei*.

v. 13. ſic lege: DARE *ſe ad hilaritatem*, *Dare ſe jucunditati*, *Dare ſe ad rem aliquam faciendam* etc.

v. 22. poſt verba *in fugam* et *fugae*; haec inſere: *Dare ſe certo cuidam vitae generi*; *Dare ſe alicui*, einem überall ſich gefällig erzeigen.

Ad calcem hujus loci adde: *Dare rei ſummam in caſum*, auf ein Gerahtewol es ankommen laſſen; *Dare rem in proelii caſum*, die Sache auf eine Schlacht ankommen laſſen.

Inſerantur:

DARE vel VERTERE *alicui aliquid probro*, *vitio*, *culpae*.

DAT *hoc ſe ſponte iis*-i. e. hoc intellectu facile eſt, Germ. *das giebt ſich denenjenigen leicht zu erkennen*, elegans Latiniſmus.

p. 1386. ad loc.

DE DIE IN DIEM. v. 14. adde: Ne quid dicam de Cypriano, qui l. 3. ep. 11. extr. Froben. *Has litteris*, ait, *puto te debere*, *frater*, *et ad ceteras eccleſias mittere*, *ut omnes ſciant*, *ſchiſmatici hujus et haeretici dolum et praevaricationem de die in diem evacuari*.

p. 1387. inſeratur:

DE FACTO *ſibi aliquid tribuere*, vulgo et praeter uſum antiquitatis: Lat. *Sibi propria auctoritate*, *nullo autem jure aliquid tribuere*; *Per vim et injuriam* l. *iniquo facinore*, l. *contra jus faſque ſibi aliqud vindicare*.

p. 1389.

v. 24. lege ſic:

DECEDERE abſolute, et DECEDERE *vitâ* et *de vitâ*, Latini pro *mori*.

p. 1390.

v. 11. ſubjice:

† Cetera Activae Vocis Impersonalia fere Dativum regunt, ſequente Infinitivo, ut ap. Horat. L. 1. ep. 17:

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Et ap. Ovid. L. 2. Triſt.

Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi.

v. 41. ſic lege:

DEDVCERE *aliquem ex Africa*, *domo et de domo*; *de finibus* &c.

Locum DEDVCIMVS NAVES ſic immutabis:

DEDVCIMVS NAVES *in altum*: SVBDVCIMVS NAVES *ad terram*. Conf. infra *Naves deductae ad terram*.

p. 1392. inſeratur:

DEFERRE *nomen alicujus de ambitu apud aliquem*, et *Deferre ſcelus et de ſcelere alicujus ad aliquem*, einen verklagen.

* Cic. *Deferre nomen alicujus apud magiſtratum*. Id. *Nomen amici mei de ambitu detulit*. Id. *Maleficium alicujus ad judicem deferre*. Corn. Dat. cap. 7. n. 1: *Ad Regem tranſiit et de defectione patris detulit*.

p. 1393. inſerantur:

DEGENERARE *in feritatem*, *a gravitate paterna*. Poëtae etiam Dativo jungunt. Propertius l. 4. eleg. 1. v. 79. *Non degenerare propinquis*. Niſi eſt κατ᾽ ἔλλειψιν praepoſitionis. Manifeſtior tamen Dativus ap. Claudianum de 4. Conſ. Honorii v. 366: *Patri non degeneraret Achilli*. Nec male cum quarto Caſu componitur. Ovid. l. 3. Pont. eleg. 1. v. 45: *Hanc*, *cave*, *degeneres*. Ita *Heinſius* e MSS. emendat, confirmatque aliis exemplis, cujusmodi eſt illud Statii 3. Silv. 1. v. 160: *Non degenerabit honorem*.

p. 1394. ad loc.

DELECTO et OBLECTO. In fine addes:

Quod ſpeciatim ad verbum *Delectandi* attinet, id ſingulares et elegantiori Latio plane proprias locutiones parit ſubſequentes:

1. *Hic ſtatus reip. me non delectat*, bey dem gegenwärtigen Zuſtande der Republique daucht mir nicht wol.

2. *In hac urbe neminem res ulla delectat*, in dieſer Stadt ſiehet es jetzo ſchlecht aus.

3. *Plane*, *ubi delectet otiolum ſuum*, *non habet*, er weiſs ſich gar kein Amuſement zu machen; er weiſs ſich bey müſſigen Stunden kein recht Vergnügen zu machen.

p. 1395. inſeratur:

DELITESCERE *ſub umbra clementiae Principis; in auctoritate alicujus.*

p. 1396.

v. 10. ſic lege: *accommodare;* non auſim cum quibusdam damnare &c.

Inſeratur:

DEMONSTRATUM EST, *ſupra demonſtratum eſt, es iſt bereits erzehlet worden,* formulae Hiſtoricis, nominatim Jul. Caeſari, ſollemnes. V. Jul. Caeſ. L. 3 B. C. cap. 10. n. 1.

Ad loc.

DENTES MAXILLARES. v. 9. adde: *Dentes levare pennâ,* die Zähne ſtochern.

p. 1397. ad loc.

DEPENDERE *aliquâ re.* v. 13. poſt verba *pendet omnium ſalus,* inſere: Sall. B. Jug. c. 107: *Spes opesque ejus ex patre pendebant.*

Inſeratur:

DEPERIRE *aliquam* et *in aliquam,* i. e. perdite amare.

p. 1398. inſeratur:

DESCENDERE *in ſe, Excutere ſe, Inquirere in ſe,* Cicero: *Dicta et facta ſua remetiri,* Seneca. Germ. *In ſich gehen, eine genaue Prüfung ſeines Lebens und Wandels anſtellen.*

p. 1399. inſeratur:

DESPONDERE *virginem* aut *filiam alicui;* it. *Deſpondere virginem* aut *filiam alicujus ſibi.* Nam et pater filiam juveni nupturienti, et juvenis ejusmodi virginem etiam ſibi deſpondet.

p. 1402. inſeratur:

DICAT ALIQVIS, DICAT QVISPIAM, DICES; it. *Obvertat heic quispiam; Occurritur autem nobis, et quidem a doctis et eruditis, quaerentibus, ſatiſne* etc. *Sed increbuit ſermo quidam hominum imperitorum, qui ita dictitant* etc. *Quodſi ita eſt; quid, quaeſo, commovit veteres illos* etc. formulae ſunt Prolepſeos apud Ciceronem et alios.

* Plin. L. 5. ep. 8: Dices: potes ſimul *et reſcribere actiones et componere hiſtoriam.* *Utinam! ſed utrumque tam magnum eſt, ut abunde ſit, alterum efficere.*

Inſeratur:

DICENDO in vulgari ſermone crebro hodie auditur, pro eo, quod eſt *quum dicit.* Itaque ſimilia huic multi frequentant: *Quam inutilis ſit multorum librorum lectio, Seneca docet dicendo: Nusquam eſt, qui ubique eſt.* Sed haec loquendi ratio ab iis nata eſt, qui Latina cum Hebraicis non tam conjungunt, quam commiſcent. *Heuſ.* obſ. antib. 465. ſeq.

p. 1404. ad loc.

DICTO AUDIENTEM ESSE. v. 20. poſt *olim - commiſſorum peccatorum;* adde haec: et ap. Xenophontem Paed. 2. et 8. occurrat *αἱ παραυτίκα ἡδοναὶ, illico - voluptates* i. e. momentaneae voluptates; et ap. Demoſthenem Philipp. 2. *ἡ παραυτίκα ἡδονὴ καὶ ῥᾳστώνη, illico - voluptas* i. e. momentanea voluptas et relaxatio; et 2 Cor. 4, 17. *τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν, illico - levitas* i. e. momentanea levitas; et ap. Sophoclem *ἀεὶ χρόνος, ſemper - tempus* i. e. tempus perpetuum; et ap. Euripidem *ἡ πάλαι γυνὴ, olim - mulier* i. e. mulier natu grandior.

p. 1405.

v. 11. adde: *Peragrare circa - ſaltus* i. e. ſaltûs, qui circa ſunt, ſaltû vicinos, Liv. L. 1.

v. 27. pro *comutari* lege *commutari.*

p. 1407. inſeratur:

DIFFIDERE *ſibi, rebus ſuis, memoriae, cauſae ſuae.* It. *Diffido, me poſſe hac in cauſa conſiſtere, me poſſe hoc adſequi.* Item: *Diffido tibi* et *de te.*

p. 1408. Locum DIGNUS *amore,* ſic lege:

DIGNUS *amore; Dignus, qui ametur; Dignus, ut ametur* etc.

v. 8. ſeq. hujus loci ſic lege:

Dignus et *Indignus* non numquam etiam, more Graecorum, Genitivum habent etc.

Ad loc.

DILIGENS *veritatis.* In fine adde: Plinius Jun. etiam habet *Diligens de aliqua re.*

p. 1409. inſeratur:

DIRECTORES CIRCVLORVM, *ausſchreibende Fürſten, Crais-Oberſten*, in medio orationis nexu magis Latine interdum dixeris *Principes, qui conventus Ordinum in ſingulis S. R. I. Circulis indicunt ac moderantur.*

Ad loc.

DISCEDERE *ne latum.* v. 4. lege: Diſcedere *vitâ*, it *a* vel *ex vita;*

Ad loc.

DISCEPTARE. v. 5. poſt verbum *veterum* inſere: v. Salluſt. B. Jug. c. 11.

Loco DISSENTIRE ſubjungantur: *Diſſentire* et *Diſſidere alicui* pro *cum* l. *ab aliquo*, non niſi Poëtarum videtur eſſe, vel eorum etiam, qui et heic et in aliis loquendi modis Poëtas ſequuntur.

p. 1411. inſeratur:

DISPERTIRE *praedas militibus;* it. *per oppida.* Sed *Diſpertire aliquid inter aliquos*, quod recentiores uſurpant, non dum me apud idoneum ſcriptorem legere memini. Conf. infra *Impertio* etc.

Locus DISPVTARE legatur ita:

DISPVTARE *cum aliquo, coram aliquo* (Plauto etiam *alicui*) *aliquam rem.*

p. 1412. ad loc.

DISSVADERE *aliquem ab aliqua re.*

v. 7. poſt verba *ducenda diſſuaſurus*, inſere: Atque eodem etiam modo loquitur Tertullianus Exhortat. ad caſtitatem c. 4: *Per haec enim, docens, cur non expediat nubere, diſſuadet ab eo, quod ſupra indulſerat.*

Ad calcem hujus loci ſubjunge:

† Compoſitum tamen ſimilis naturae *Perſuadere* cum Accuſativo perſonae conſtructum legimus in Fragm. Traguriano, quod Petronio tribuitur, edit. Lipſ. 1666. p. 18: *Aliqua die te perſuadeam, ut ad villam venias, et videas caſulas noſtras.* Et p. 33: *Nactus ego occaſionem, perſuadeo hoſpitem noſtrum, ut mecum ad quintum milliarium veniat.* Item ap. Ennium in fragm. Merulae p. 39: *Quis te perſuaſit?* Et ap. Tertullianum, vel quisquis auctor eſt carminis adv. Marcion. L. 1. c. 7. v. 157:

Infandos omni magicae dementiâ plenos
Perſuaſit ſeſe virtutem dicere ſummam.

Conf. Part. Etymol. Sect. I. *Suadeor;* it. infra *Perſuaderi ſe patitur;* et *Perſuaſus ſum.*

p. 1413. Loci:

DISTRIBVERE *aliquid*, finem ſic exprime: *milites in numeros; ſpolia in equites.*

Locum: DISTRICTVS *negotiis;* ſic locupletabis:

DISTRICTVS *negotiis* et *a negotiis.* Prior modus, in quo Praepoſitio ἐλλείπει, uſitatior eſt.

* Cic. *Sic habeto, numquam me a cauſis et judicis diſtrictiorem fuiſſe.*

Locus: DIVERSVS *ab eo;* ſic ab initio habeat:

DIVERSVS *ab eo*, recte. Sed Praepoſitio interdum omittitur. Salluſt. B. Jug. c. 57: *Alius alio quam maxime diverſi.* Quintilianus L. 8. c. 3. etc.

Sub finem loci hujus adde:

Diverſus ap. Cic. nec Comparativum nec ſuperlativum habet, qui pro *Diverſiſſimus* dicit *longe diverſus, maxime* l. *longiſſime diverſus.*

Ad calcem loci;

DIVERTERE *ad* vel *apud hoſpitem.*

Sic ergo loquendum: *Apud quem diverſabimus? Apud quem divertemus? Ad quem* l. *apud quem divertemus? Bey wem wollen wir herbergen? Bey wem wollen wir einkehren?*

p. 1414.

Exeunte hac pagina adde haec:

Doceo cum ſuis compoſitis, etiam in Paſſivo, retinet Accuſativum rei. Horat. L. 3. od. 6: *Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo.*

p. 1415. inſeratur:

DOCILIS adſciſcit Genitivum et Accuſativum cum Praepoſitione *Ad.*

* Quintil. L. 1. c. 3: *Imitatio eſt docilis naturae.* Horat. L. 4. od. 6: *Docilis modorum.* Silius 3. v. 233: *Docilis fallendi.* Cic. L. 12. ep. 17: *Docilis ad hanc diſciplinam.*

Ad loc.

DOCTVS *in Grammatica.* v. 12. ſic lege:

lege: *Doctus belli artes, militiam; Doctus ad militiam,*

Ad loc.

DOLERE *ob aliquam rem.* v. 24. lege ſic: *Dolent oculi viro tuo; Dolet mihi ejus fortuna*, etc.

v. 29. ſubjice: *Doleo vicem tuam*, non *de vice tua*: Hoc uſus et conſuetudo, quod ſciam, reſpuit; illud amplectuntur Cicero, et optimus quisque. Sic diverſa illa conſtructio, quam idem verbum admittit, non quadrat ubique et at cuncta ſine diſcrimine appoſita.

p. 1416. ad loc.

DOMVS conſtruitur, ut etc. v. 6. ſubjice *meam, tuam, ſuam*, cet. *mea, tua, ſua, noſtra*, cet. v. g. *Sum domi meae, Eo domum meam, Redeo domo mea.*

v. 9. adjice: Id. pro Dejot. c. 5: *Arguitur, domi te ſuae interficere voluiſſe.*

p. 1417.

v. 3. adjiciantur haec: Quemadmodum et quum motus ad locum ſignificatur. Ut in illo Ciceronis: *Prima luce Pompeji domum veniſſe dicitur.*

v. 9. adde: Sall. B. Jug. c. 75: *Alius alium domos ſuas invitant.*

v. 10. ſeq. ſic lege:

4. Non numquam tamen etiam Praepoſitionem admittit, ſive ponatur cum Adjectivo, ſive ponatur ſine Adjectivo. v. g. *In domo* et *in domo mea.* Nec tamen dicendum *domi paternae*; ſed *domi patris* vel *in domo paterna.*

v. 26. adde, et ſic lege: *ſum in domo* vel *domi, deducere aliquem domo* et *de domo.*

v. 30. ſubjice: *Rus* etiam, ut *domus*, conſtruitur, ut nomen urbis: hoc, utroque numero; illud, ſingulari tantum.

Locum DONO *tibi librum*, ſic augebis:

DONO *tibi librum*, et *Dono te libro*, utrumque. *Dono te libro, munere*, cet. paullo ſignificantius dici videtur; quum plerumque praemii gratia id fiat, interdum etiam admirationis, interdum benevolentiae, interdum miſericordiae ſit. Dicunt etiam veteres *Donare res aliquas inter ſe.*

p. 1420.

v. 23. ſubjice: Atque hoc etiam Cl. *Hnſingerus* obſ. antib. 466. inculcat, ea, quae ad diſciplinam Vorſtianam heic in medium prolata ſunt, hoc breviori verborum ambitu exponens: DVBITO, AN frequentius locum habet, ubi is, qui ſe dubitare dicit, pronior eſt ad adfirmandum, et commode exponitur *parum abeſt, quin dicam vel faciam.* Nec tamen negari poteſt, *dubito, an hoc ſit, an hoc faciendum ſit*, aliquando nihil aliud ſignificare, *quam parum abeſt, quin hoc verum vel faciendum eſſe negem.* Quintil. l. 9. c. 3. p. 818: *Ideoque, an figura ſit, dubito.* Deinde pag. 826: *Num de illo dubitari poſſit, an ſchema ſit diſtributis ſubjecta ratio.* Plin. l. 2. ep. 4. v. 1: *Fuiſſet fortaſſe dubitandum, an adires hereditatem etiam viro gravem.* Id. l. 6. ep. 27. v. 2: *Dubito, num idem tibi ſuadere, quod mihi debeam.* Id. l. 9. ep. 2. v. 5: *Habes, ut puto, juſtam excuſationem; quam tamen, dubito, an tibi probari velim.* Non vult eam amico ſuo probari. Sed haec rariora apud meliores, quam ea, quae ab initio dixi.

p. 1421.

v. 27. pro *Ita etiam* lege *Ita tamen.*

p. 1422.

Locus DVDVM, PRIDEM et NVPER deleatur.

Item locus DVDVM et NVPER itidem deleatur. Vterque enim alibi copioſius hoc in libro exponitur.

p. 1423. ad loc.

DVM HAEC GERVNTVR. v. 3. adde: Vid. Salluſt. B. Cat. c. 33. 56. Cornel. Datam. c. 5. n. 1.

v. 6. adde: Dicunt etiam veteres *Dum haec aguntur.* v. g. Juſtin. L. 32. c. 1. Salluſt. B. Cat. c. 49. Item: *Dum ea res geritur*, Salluſt. B. Jug. c. 95.

p. 1425.

v. 3. adjice: It. *Pretium altero tanto majus eſt; der Preis iſt noch einmal ſo hoch geſtiegen,*

p. 1428.

p. 1428.

v. ultimo adde: Sall. B. Jug. c. 98: *Pauca munimenta egebat.*

p. 1429. inſeratur:

EGO, TV, NOS et VOS rarius verbis apponuntur apud veteres: apponenda autem ex lege naturae et ad antiquitatis normam ſunt, quoties diſcretio aut emphaſis hoc poſtulat. v. g. Horat. L. 1. ep. 10: *Tu nidum ſervas; ego laudo ruris amoeni rivos.* It. *Tu audes iſta loqui?* Nugatorium eſt, ſi dicas: *Quid facis? Ego ſcribo.* Item: *Quis ſacitis? Nos ſcribimus.* Immo vero dicas: *Scribo; Scribimus.*

Ad loc.

EGREDI *domo.* v. 5. poſt verba *egredi veritatem*, haec adde: et Salluſt. B. Jug. c. 110: *Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipſam fluit, non egrediar.*

p. 1431. inſeratur locus:

ELIGERE *de multis, ex multis, in locum alicujus, ſibi aliquem in Principem.*

Ad loc.

EN duos Caſus habet. v. 3. poſt verba *et exprobrative;* adde: quamvis in exprobrando Accuſativus videatur eſſe multo uſitatior, quam Nominativus. Virg. *En dextra fidesque.* Id. *En quattuor aras.* Item: *En hominem* etc.

p. 1432.

v. 8. poſt verba *ejusmodi ſortitio.* adde: Atque haec acceſſio pleonaſtica admodum frequens eſt Ciceroni in rebus repentinis. Lib. 2. Attic. ep. 8: *Epiſtolam quum a te avide exſpectarem, ecce tibi nuntius.*

v. 10. ſubjice:

* Vtrumque autem *En* et *Ecce*, ponuntur etiam abſolute. Ter. *En umquam cuiquam contumelioſius audiſti factam injuriam?* Ovid. *Ecce, Corinna venit.* Immo ſemper fortaſſe ponuntur abſolute. Valde enim veriſimile puto, Nominativum cohaerere cum intellecto verbo Subſtantivo: Accuſativum autem regi a verbo tranſitivo. Nempe ut *En dextra* valeat idem, quod *En, eſt dextra;* et *En dextram* valeat idem, quod *En, habes dextram.*

p. 1434. ad loc.

EQVIDEM. v. 16. pro *n. 16.* lege *n. 2.*

p. 1435.

v. 15. adde: vel plane ad Verborum perſonas non reſtringitur. v. g. ap. Cic. Attic. L. 3. ep. 3: *Adhuc equidem valde me poenitet.* Notioni poſteriori favere etiam videtur locus Salluſtii B. Jug. c. 85: *Equidem ego non ignoro.*

Locus EQVVS *candidus*, ſic augeatur:

EQVVS *candidus*, ein Schimmel; *ater*, ein Rapp; *ſpadiceus, puniceus, bajus*, braun; *gilvus*, Iſabell; *Equus puniceus et ſcutulatus cum cauda albicante*, ein Schweiſsfuchs; *maculoſus, diſcolor, varius*, ein Schäcke; *rufus*, ein Fuchs; *Aſtur equus, Aſturco, tolutarius equus, qui tolutim incedit l. ingreditur, equus gradarius*, ein Paſsgänger, ein Zelter; *macie corruptus*, ein dürres Pferd; *frenatus, paratus, ephippiatus*, geſattelt; *Durior oris equus*, hartmäulich, Ovid. L. 2. Amor. el. 9. v. 30; *cantherius* i. e. equus caſtratus, ein Wallach; *Equus ephippiarius*, ein Sattel-Pferd; *Equus mordax et calcitro*, ein beiſſig und ausſchlagend Pferd; *Equus ſternax*, ein Pferd, das den Reuter gern abwirft; *Inducere equo ſoleas ferreas*, ein Pferd heſchlagen; *Equus ſuccuſſor* l. *equus ſuccuſſarius* i. e. qui graditur, concutiendo ſeſſorem; *Sella equeſtris*, ein Sattel; *Sternere equum*, das Pferd ſatteln; *Equi laeti et exſultantes progrediuntur, celſa cervice jubam jactantes, ut ſe ſpectari ſentire videantur*, die Pferde brüſten ſich; *Equum frequenti palpo ſibi conciliare*, ein Pferd ſtreichen und careſſiren; *Equum* vel *in equum adſcendere, in equum inſilire*, Aufſitzen; *Equum incitare*, Anſtechen; *Equo concitato vehi; equo admiſſo ad aliquem accurrere; citato curſu invehi l. equitare; equo calcaria ſubdere et acri impetu invehi; effuſo curſu in hoſtem advolare, ire, proruere; in aliquem laxatis habenis invehi; equo citato ad urbem contendere; equo admiſſo ire in hoſtem*, Galloppiren; *Equo et equum ſedere; Equo vehi* l. *geſtari;* it. *Equum premere*, Martial. *Ire in equo*, Ovid. Reiten. *Equus emiſſarius*, ein Zuchthengſt.

p. 1435.

v. 22. ſubjice:

Cl. *Heuſingerus* Obſ. antib. 403. ita ad h. l. commentatur: Equidem ſecundae etiam ac tertiae perſonae aptatur; ſed non ab omnibus, neque ab optimis. Virgilius et Horatius id primae ſingularis tantum deberi putarunt. Sunt aliqua Ciceronis exempla, quae diſcrepant: id vero certum eſt, haec admodum rara, et vel aperte corrupta, vel ex ipſa librorum inconſtantia ſuſpecta eſſe. Longe plura apud Ciceronem non magis, quam apud ceteros omnes, reperies, quae primam perſonam praeferre ſuadent. Quod qui facit, Ciceronem ſe imitari noverit: qui vero quocumque loco *equidem* pro *quidem* admittit, caveat, ne librariis potius auctoribus id ſibi permittat, qui facile et frequenter *equidem* ſcripſerunt, ubi *quidem* vel *et quidem* legendum erat. Itaque quum pro Planco c. 12 in vulgatis eſt: *Emiſſus aliquis e carcere, equidem emiſſus, ut cognoſtis, neceſſarii hominis rogatu*: quisque videt, legi potius debere *et quidem*. Plura adnotavi ad Cicer. l. 1. offic. c. 12, l. c. 14, 4. l. 2. c. 2, 10. Vide et Theſaurum Geſnerianum in *Equidem*.

p. 1436. ad loc.

ERIPERE *aliquid alicui*. v. 5. adde: Plin. *Eripere faces de manibus*.

p. 1437. Locus: ES et ADES, ſic immutetur:

ES et ADES Indicativus eſt et Imperativus: nihilominus tamen imperandi modo ab antiquis *Es* frequentius, quam *Sis* dicitur. Ter. *Modo bono animo es, duces uxorem hanc*.

p. 1438. Inſeratur:

ESSE aut FIERI, ſi Verbum *Datur*, *Licet*, *Expedit*, aut ſimile, ſive cum Dativo ſuo, ſive absque eo, anteceſſerit; vel Dativum poſt ſe habebit, vel Accuſativum. Habebit

1. Dativum.

* Ovid. *Vobis immunibus hujus Eſſe mali dabitur*. Cic. L. 1. Tuſc. *Licuit otioſo eſſe Themiſtocli*. Id. *Mihi negligenti eſſe non licet*.

2. Accuſativum.

* Ter. Heaut. a. 2. ſc. 3: *Expedit vobis eſſe bonas*. Cic. pro Balbo: *Civi Romano licet eſſe Gaditanum*. Id. pro Ligario: *Liceat eſſe miſeros*. Id. ad Attic. L. 10: *Medios eſſe non licet*.

† Dativum habet conſuetudine Graeca; Accuſativum verò ex natura linguae Romanae. Atque hic Accuſativus convenit cum Pronomine intellecto Nam *Expedit vobis eſſe bonas* integre fuerit, *Expedit vobis, vos eſſe bonas*. Et *Civi Romano licet eſſe Gaditanum* integre ſit, *Civi Romano licet, ſe eſſe Gaditanum*.

Ad loc.

ESSE *in curſu*. v. 6. poſt verba *et exſpectari*; adde: *cum bona ſpe* i. e. ſpem habere.

v. 13. poſt verba *in tuto*, adde: *ante oculos ſuorum*,

v. 29. lege: *Eſſe ad manum* l. *ad manus*, *Bey der Hand ſeyn*;

p. 1439.

v. 10. ſubjice:

ESSE *in dubio*, notat

1. *Ancipitem animi eſſe*, im Zweifel ſtehen.

2. *In ancipiti periculo eſſe*, *in vitae ſalutisque diſcrimine verſari*, *in ancipiti et lubrico ſtare*.

Ad loc.

ESSE IN EXTREMIS. v. 3. lege ſic: *in den letzten Zügen liegen*; non magnopere probem, licet apud Petronium occurrat hac ipſa notione *in ultimis eſſe*. Schor. Phraſ. etc.

v. 8. ſubjice:

ESSE *multo ſuperiorem bello et in bello*. Corn. Alcib. c. 7. n. 7.

v. 10. ſubjice:

ESSE *odio*, et *in odio*, *omnibus*.

ESSE *opinionis alicujus*, et *in opinione aliqua*.

ESSE *in convivio comiter et jucunde*, Cic. Dejot. c. 6.

ESSE *ſolvendo*, *oneri ferundo*, etc. ſcil. aptum, elegans Ellipſis.

ESSE *hoc in omnium animis debet*, Corn. Thraſyb.

v. 34. ſubjice:

ESSE, VIDERI, FIERI, HABERI, ſimilisque ſignificationis Infinitivi, ſaepe poſt ſe Nominativum habent. v. g. Salluſt. *Cato eſſe, quam videri, bonus malebat*.

Idem

Idem fit, quum ſignificatur ſtatus aut geſtus rei. v. g. *Solet Parmeno incedere rectus.*

At Accuſativus erit, ſi Accuſativus anteceſſerit v. g. *Catonem, ajunt, bonum eſſe, quam videri, maluiſſe.* Item: *Parmenionem incedere rectum video.*

Scilicet Nominativus eſt, ſi antecedat Verbum finitum: Accuſativus, ſi infinitum. Ita dicimus, *Cupio fieri doctus*, quia *doctus* pertinet ad *cupio*; in quo intelligitur *ego*. Dicimus quoque *Cupio fieri doctum*; ſed *doctum* refertur tunc ad *fieri*: quod diverſam reſpicit perſonam: exempli gratiâ, *filium*; quicum conveniet *doctum*: quia integre eſt, *filium fieri doctum*.

p. 1440. ad loc.

EST MIHI *nomen Petrus*. v. 4. adde: quum apud veteres auctores quam creberrime occurrat. Rarius enim apparet modus, qui fit per appoſitionem; rariſſime autem apparet modus, qui fit per Genitivum.

Locum:

ET conjungit ſimiles caſus; dele ac tolle.

v. 8. ſubjice:

† Cl. *Heuſinger* Obſ. antib. 403. ſeqq. ad h. l. EST cum Infinitivo non tantum dicitur pro *licet*, ſed ſaepe etiam pro *neceſſe, tempus, operae pretium eſt*. Ciceroni quidem id falſo tribuit *Vechnerus* Hellenol. p. 366, quem ibi refutavi: ceteri vero ſcriptores plerique id admittunt. Cato de R. R. cap. 1: *Eſt interdum praeſtare mercaturis rem quaerere, ni tam periculoſum fiet; et item fenerari, ſi tam honeſtum fiet.* Heic *eſt praeſtare* nihil aliud ſignificat, quam *praeſtat*. Salluſt. Jugurth. c. 110, 3: *Fuerit mihi eguiſſe aliquando amicitiae tuae, qua apud animum meum nihil carius habeo.* Cortius interpretatur, *eguerim*. Sed haec et plura alia collegerunt et interpretati ſunt praeter Cortium Gronov. l. 4. obſ. c. 8. Torrent. ad Val. Max. l. 1. c. 7, 2. Oudendorp. ad Caeſ. l. 7. Gall. c. 73, pr. Geſner. ad Catonis locum ſupra poſitum. Illud tantum heic obſervo, Ciceronem eadem ſignificatione *eſt*, *quod* maluiſſe. Lib. 1. offic. c. 28, 7: *Eſt autem, quod differat in hominum ratione habenda inter juſtitiam et verecundiam.* Idem ſaepius *eſt, ut*: de quo pauca dixi ad Vechneri Hellenolex. p. 539. Multa vero ejus loca corrupta, aut ſuſpecta ſunt. Pro Mil. c. 13. extr. *Ille, erat, ut odiſſet, primum defenſorem ſalutis meae, dein vexatorem furoris, demitorem armorum ſuorum.* Nihil aliud dicit, quam *ille oderat*. Sic Lucret. l. 5. v. 977:

Non erat, ut fieri poſſet, mirarier umquam.

Hoc eſt, *non poterant mirari*. Horat. l. 1. ep. 12, 2.

- - - *Non eſt, ut copia major*
Ab Jove donari poſſit tibi.

Fruſtra ergo Ciceronem emendare ibi conantur, qui non intelligunt. Idem l. 2. offic. c. 8, 20: *Haec enim eſt una res prorſus, ut non multum differat inter ſummos et mediocres viros.* Eodem libro cap. 24. pr. *Quamobrem ne ſit aes alienum, quod reip. noceat, providendum eſt: quod multis rationibus caveri poteſt, ſi non* (vulgo *non ſi*) *fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum.* Non ex conjectura, ſed ex codice MS. Vinarienſi, quem mihi inſpicere contigit, et ex tribus Aldinis, ſex Oxonienſibus, et tribus editionibus Venetis lego *ſi non*: pro quo in codice Gothano, duobus Aldinis, quattuor Oxonienſibus eſt *ſi non hoc fuerit*. Cicero, *ſi non fuerit, ut perdant*, dixit pro *ſi non perdiderint*. Sed hoc nemo interpretum docuit: plures ineptis interpretationibus et conjecturis ſanum locum corruperunt.

p. 1441. Locum:

ET eleganter ponitur; itidem dele ac tolle.

Pro utroque ſubſtitue hunc locum ſequentem:

ET conjungit ſimiles Caſus in declinabilibus. Horat. *Pulvis et umbra ſumus.*

* Si tamen vox praecedens diſſimiliter ſit affecta; poſſunt Caſus eſſe diſſimiles. v. g. *Fui Romae et Venetiis.* Ter. *Salvus ſum meo praeſidio atque hoſpitis.*

Et ſimiles modos in Verbis.

* Futura tamen diverſorum modorum ſaepe conjunguntur. Ter. *Siquidem porro, Mitio, in tuum officium facies, atque huic aliquid paullum prae manu dederis, unde utatur: reddet tibi cito.* Vides *facies* et *dederis*. Cic. *Quod ſi erit factum; et remp. divino beneficio affeceris et ipſe aeternam gloriam conſequere.*

* Immo eſt, quum ſententia modum plane diverſum poſtulet. Ter. *Audaciſſime oneris quidvis impone, et feret.*

Ad

Ad loc.

ET pro *Etiam.* v. 9. ſeq. lege ſic: Opponimus ei multa Ciceronis exempla v. g. L. 3. Offic. c. 6. etc.

Ad calcem loci:

ET NON interdum pro *nec;* ſubjice:

Immo etiam *Ne:* pro eo, quod neceſſario videtur exprimi debuiſſe per *Et non.* Cic. L. 12. ep. 20: *Furnium noſtrum tanti a te fieri, quantum ipſius humanitas et dignitas poſtulat, nec miror et gaudeo.* Pro *et non miror et gaudeo.*

p. 1442. ad loc.

ETSI, TAMETSI. v. 5. ſeqq. ſic lege:

* V. g. *Etſi, Tametſi, Etiamſi, Quamlibet, Quamquam mihi ſemper fuiſti cariſſimus; tamen multo eris carior, ſi meis monitis parueris.* Item: *Quamlibet quid eſt, quod nobis iſta opponas?*

p. 1443. ad loc.

EVADERE IN VIRVM DOCTVM. v. 2. ſic lege: trita omnino eſt locutio, ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus, Euſebio, Socrate, aliis, ſatis frequentata; ſed cet.

p. 1445. ad loc.

EX OPPOSITO. v. 8. ſubjiciatur:

* *Exadverſum* Praepoſitio compoſita eſt, idem notans, quod *Adverſus* l. *Adverſum.* Cornel. Themiſt. *Exadverſum Athenas apud Salamina claſſem ſuam conſtituerunt.*

Ad loc.

EX POST FACTO. v. 2. adde: it. *ex eventu.*

p. 1446. inſeratur:

EX TEMPORE ſumitur bifariam:

1. Notat *Subito, ſine praevia meditatione.* v. g. *Ex tempore verſus fundere.*

2. *Vt res fert, Vt temporis conditio poſtulat.* v. g. Cic. *Ex tempore admoneri, Ex re et ex tempore conſtituere aliquid.*

Ad loc.

EXACTIO *capitum.* v. 3. poſt verba *Attic. ep. 16,* lege: *Cenſus ſingulis capitibus impoſitus; Tributum in capita conſtitutum* l. *in ſingula capita imperatum,* Germ. *Kopfgeld. Capite cenſeri; Conſtituere pretium in capita; Exactionem capitum* l. *capitationem facere,* Germ. *Kopfgeld anſetzen. Exactio oſtiorum* etc.

p. 1447. Locum: EXCITARE *aliquem,* ſic lege:

EXCITARE *aliquem ab inferis; ſomno* et *ex ſomno.*

Inſerantur:

EXCVSABO *te praeceptori* et *apud praeceptorem.*

EXEMTVS *ab oneribus publicis,* perperam: dic, *Exemtus de oneribus publicis.*

* Praepoſitio A l. AB in hoc loquendi modo reſpicit ſubjectum; at Praepoſitio DE objectum. Ita recte dixeris, *Exemtus eſt a ſummo magiſtratu de oneribus publicis.*

p. 1448. inſeratur:

EXERCITVS *levis armaturae;* it. *Expedita manus,* eine fliegende Armée. *Exercitus ſpeculatorius,* l. *Exercitus, qui obſidionem aut expeditionem aliquam tuetur,* eine Obſervations-Armée, Obſervations-Corpo. *Subſiſtere* l. *Stativa habere in aliquo loco,* mit der Armée Halte machen; mit dem March inne halten, Curt.

Ad loc.

EXIMERE *alicui ſcrupulum.* v. 2. ſeq. ſic lege: *Eximere aliquem noxae, ſervitio;* et cum Ablativo, *Eximere aliquem odio et gratia; Eximere aliquem vinculis* etc.

p. 1450. ad loc.

EXPERS *eruditions.* v. 4. ſeqq. ſic lege:

* Plautus, Lucretius, Catullus, Juſtinus, et antiquitatis exoletae veſtigia ſubinde tenens. Salluſtius etiam conſtruit cum Ablativo. v. g. *Expers more, patriâ, metu, domo, ſomno, famâ atque fortunis.*

p. 1451. inſeratur:

EXPLANARE *aliquam rem* et *de aliqua re.* Prior modus ſatis notus eſt: poſterior occurrit apud Salluſt. B. Cat. p. m. 15: *De cujus hominis moribus pauca prius explananda ſunt, quam initium narrandi faciam.*

Loco:

EXPLORARE *aliquid,* adde: *Explorata*

plorata mihi eſt haec res; et *Exploratum mihi eſt hac de re.*

Loco:

EXPONERE *aliquid*, adde: Corn. Pelop. cap. 1. n. 1: *Cujus de virtutibus dubito quemadmodum exponam.*

p. 1452. inſerantur:

EXPROBRARE *alicui aliquam rem*, et *de aliqua re.*

EXSPECTARE *aliquid ab aliquo* et *ex aliqua re.* Item, *Exſpectare aliquid de aliqua re*, tamquam objecto.

* Jul. Caeſ. B. Civ. L. 3. c. 80. n. 1: *Monuit equites, ut ex ſua amicitia omnia exſpectarent, et ex praeteritis ſuis officiis reliqua ſperarent.*

Loco:

EXSVLARE *domo*, adde: Macrobius dixit, *Exſulare a conviviis.*

p. 1454. inſerantur:

FABAE ARABICAE, Caffée-Bohnen. *Fabae Arabicae toſtae* l. *aduſtae*, gebrannter Caffée. *Aqua cum fabis Arabicis contuſis cocta; Potio ex fabis Arabicis parata*, Caffée-Trank. *Mola manuaria ad fabas Arabicas terendas apta*, Caffée-Mühle.

FAC *me miſſum*, Germ. *laſs mich gehen, laſs mich bezählen*, pueris notum eſt. Sed hac locutione paullo aliter utitur Cicero ad Attic. L. 8. ep. 28: *Cohortes ad me miſſum facias.*

Ad loc.

FACERE *alicui bonum.* v. 9. dele *ſcriptum.*

v. 10. dele *auctoritatem.*

v. 15. dele *heredem aliquem.*

v. 16. dele *promiſſum.*

v. 17. dele *iter.*

v. 18. dele *medicinam.*

v. 19. poſt *praedam*, adde *et praedas.*

v. 26. poſt *honorem alicui*, adde *ſpiritum alicui, viam alicui.*

p. 1455.

v. 7. dele, *facere ignem*, Nepos, Cicero:

v. 16. ſeq. dele, *proelium*, Liv. Lib. 25. cap. 22.

v. 22. adde: Plaut. Caſin. 1, 29: *Quid tu mihi facies, was wilſt du mir denn thun.* Id. Mil. 2, 1, 30: *Intimum ſe apud aliquem facere.* Ter. Adelph. a. 2. ſc. 2. v. 12: *Numquam rem facies, du wirſt nimmer reich werden.*

p. 1457.

v. 12. pro *Duckerus* lege *Dukerus.*

p. 1458. ad loc.

FACERE *foedus*, ſubjice:

* *Foedus ad hoſtem adgrediendum initum; Foedus hoſtis invadendi cauſa initum*, eine Offenſiv-Alliance. Sed *foedus parta tuendi cauſa initum*, eine Defenſiv-Alliance.

p. 1459. inſeratur:

FACERE *publici juris aliquid* v. g. *Librum hunc publici juris fecit* pro *edidit*, malim minus frequenter ab eruditis uſurpari: nulla enim alia, quod ſciam, auctoritate nititur, niſi Velleji l. 2. c. 69. n. 2. ubi occurrit *Sui juris aliquid facere.*

p. 1460. ad loc.

FACERE *verba.* v. 5. adde: Salluſt. B. Jug. c. 9: *Dicitur hujuscemodi verba cum Jugurtha habuiſſe.*

v. 19. lege: *Facere verba alicui, ad aliquem, ad aliquam rem, de aliqua re* etc.

p. 1461. inſeratur:

FACERE VRINAM i. e. *mejere, lotium* ſ. *urinam reddere, veſicam exonerare*, in Lexicis omiſſum eſt: apud Columellum tamen ac Medicos legitur. v. g. Scribon. Largum c. 143. 145. Marcell. Empir. c. 26. ſub fin. Hygin. fab. 195.

FACILE reſpectu ultimae ſyllabae Grammatiſtae produci jubent: at perperam. V. *Heuſing.* Obſ. Antib.

p. 1462. inſerantur:

FALLI *animi* et *animo.*

FAMILIAREM *eſſe alicujus* et *alicui.*

FATIGARI *curſu* et *in curſu.*

Ad loc.

FEBRIM *habet.* v. 3. lege ſic: *Febris ab illo diſceſſit; Incidit in febrim, remiſſam quidem et lentam, continuam tamen,*

tamen, ad quam capitis gravedo et catarrhus adjungitur; Febris ardentis impetus eum conſumſit; Ex ſudore quam etc.

p. 1464.

v. 8. ſubjice:

† Hujusmodi conciſo ſermonis genere Latini etiam in aliis locutionibus utuntur. v. g. *Laborare tertiana, quartana,* putà *febri; Reus repetundarum*, ſcil. *pecuniarum; Calida lavari et frigida perfundi*, ſcil. *aquâ; civicâ donari*. ſcil. Coronâ; *In Tuſculano*, ſcil. *praedio*; *Circenſibus*, nempe *ludis; primas tenere* l. *deferre*, ſcil. *partes; de meo*, ſupple *aere*; etc.

Inſeratur:

FERRE *aliquem oculis* et *in oculis*, Cic. L. 12. ep. 35.

Locum:

FIGVRAS GRAMMATICAS; dele et tolle.

p. 1465. inſerantur:

FILVM *ex ferro, chalybe, orichalco, aere ductum*, Drat von Eiſen, Stahl, Meſſing, Kupfer.

Filamenta ex auro vel *argento ſicto ducta*, Leoniſcher Drat.

Opifex talium filorum, Drat-Zieher. *Officina ejusmodi filorum*, Drat-Mühle.

FIMBRIAE *curbaſinae, quae veſtis atratae, et ſingularem luctum ſignificantis, manicis adſuuntur*, die Pleureuſen.

Loco:

FIRMVS *equitatu*; adde: Item: *Firmus contra pericula et inſidias*, Sall. B. Jug. c. 31.

p. 1466. inſeratur:

FONS *artificioſus; aquae artificioſe proſilientes*, eine Fontaine.

p. 1467. inſeratur:

FRAGRAT *flos miro odore* et *mirum odorem.*

Ad loc.

FREGIT *navim.* v. 2. lege ſic: *caput, coxam, tibiam,* cet.

v. 6. lege ſic: L. 2. ep. 1. Petron. p. 143. Seneca ep. 104. cet.

Ad loc.

FRVI *aliqua re.* v. 1. lege ſic: Apud Comicos, Tacitum et alios interdum habet etc.

Nolt. Suppl.

Ad loc.

FVGIO *te*; ſubjice:

* *Fuge procul a viro majore*, proverbium, i. e. Cave tibi a commercio potentiorum et verſare cum aequalibus.

Inſeratur:

FVIT ILLVD EXTREMVM, *da war das Ende vom Liede, die ganze Sache lief zuletzt darauf hinaus*, formula Ciceroniana, ſi in fine rei ponitur, quisnam tandem ejus fuerit exitus.

* Pro lege Man. c. 9: *Fuit enim illud extremum, ut ex iis locis a militibus noſtris reditus magis maturus, quam proceſſio longior quaereretur.*

p. 1470. inſerantur:

GENIVS *linguae* v. g. *Hoc abhorret a genio linguae*, timide uſurpes: dic potius, *ingenium linguae, idioma linguae.* Nec ſcio, quis veterum τὸ *genius* uſurparit pro *naturali indole* ſ. *idiomate.*

Loco:

GENVS GENERALISSIMVM in fine adde: Confer Cicer. de Orat. p. 113. Aldinae, edit. in 8vo.

GENVS et SPECIES quid notent, e doctrina Praedicabilium intelligimus. Hoc tamen notari meretur a Rhetoribus, immo et JCtis, *genus* ſaepe appellari, quod a Logicis vocatur *ſpecies*; et vero *ſpeciem*, quod Logicis eſt *individuum.*

* Sic qui commenſalibus cantharos propinat in ſpecie, ſingula eorumdem individua creditur deſignaſſe. Sic qui ruſticos dixerit homines nequam, excuſare ſe poterit, ſe locutum in genere h. e. certam ruſtici perſonam a ſe non fuiſſe notatam.

GERVNDIA ante ſe habent Nomina, Verba, Praepoſitiones, more Nominum. *Gerundia in di*, ut Genitivi: *Gerundia in dum*, niſi neceſſitatem ſignificent, ut Accuſativi: *Gerundia in do*, ut Ablativi. Itaque ut dicimus, *occaſio ſtudiorum, aptus ad ſtudia, feſſus ſtudiis*; ſic quoque dicimus, *occaſio ſtudendi, aptus ad ſtudendum, feſſus ſtudendo.* Interdum etiam *Gerundia in do* conſiderantur ut Dativi. Nam ut dicimus, *inutilis ſcriptioni*; ſic Plinius ait, *inutilis ſcribendo.*

do. Ejuſdem Plinii eſt, *Rubens ferrum non eſt habile tundendo* h. e. contuſioni; vel, ut tundatur.

Gerundia in di ante ſe habent Nomina Subſtantiva, *Gratia*, *cauſa*, *tempus*, *occaſio*, *facultas*, *ars*, et ſimilia, ut: *Grammatica eſt ars recte loquendi.* Cic. pro Mil. *Maxima illecebra peccandi, impunitatis ſpes eſt.*

† Subſtantivum *cauſa* interdum intelligitur per Ellipſin. Ter. *Ne id adſentandi magis, quam quod habeant gratum, facere exiſtimes.* Quod ipſum fit et in Participiis a Gerundio deductis. Vt ap. Salluſt. *Regium imperium, quod initio conſervandae atque augendae reip. fuerat.*

Aliquando ante ſe habent Nomen Adjectivum. Ter. Hec. 1, 2: *Cupidus redeundi.* Virgil. 4. Aen. *Certus eundi.*

* Poëtae heic pro Gerundiis etiam frequentant Infinitivos, et id quidem ad morem Graecorum. Propert. *Non datur ad Muſas currere lata via* h. e. currendi. Immo etiam in proſa interdum hoc fit. Caeſ. *Conſilium cepit, omnem a ſe equitatum dimittere* h. e. dimittendi.

Gerundia in dum ante ſe habent Praepoſitiones *ad*, *inter*, *ante*, *ob*, *propter*, Cic. pro Lege Man. *Locus ad dicendum ampliſſimus.* Virg. Ecl. 9: *Et potum paſtas age, Tityre: et inter agendum Occurſare capro: cornu ferit ille: caveto.* Id. *Ante domandum.* Cic. *Ob abſolvendum.* Quintil. *Plus eloquentia circa movendum valet.*

Quum ſignificant neceſſitatem; ſine Praepoſitione ponuntur cum Verbo *Eſt*, addito aliquando Dativo, aliquando etiam omiſſo. Ter. Andr. 2. 1. ſc. 1: *Prope adeſt, quum alieno more vivendum eſt mihi.* Horat. 1. carm. od. 37: *Nunc eſt bibendum, nunc pede libero pulſanda tellus.* Quae ſic reſolvuntur: *Neceſſe mihi erit vivere alieno more. Nunc convenit, bibere: nunc convenit, pede libero pulſare tellurem.*

Gerundia in do aliquando Praepoſitiones *a*, *ab*, *abs*, *de*, *e*, *ex*, *cum*, *in*, *pro*, ante ſe habent: aliquando ſine Praepoſitione verbis adjunguntur. Publ. Syrus: *In judicando criminoſa eſt celeritas.* Plaut. Aul. 3, 3: *Pro vapulando abs te mercedem petam.* Ovid. de Ponto 3. Eleg. 7: *Curando fieri quaedam majora videmus vulnera.*

† Sed utcumque praetereatur Praepoſitio, nihilominus intelligitur, ut: *Cantando rumpitur anguis* h. e. in cantando.

* Pro *Gerundiis in do* interdum ponitur Infinitivus, praeſertim apud Poëtas. Virg. Ecl. *Cantare parati*, pro *cantando*.

Gerundia in *dum* et *di* regunt poſt ſe Caſus Verborum ſuorum: primo quidem Genitivum, ut: *Obliviſcendum iſtorum.* 2. Dativum, ut: *Moriendum omnibus.* 3. Accuſativum, ut: *Ecquae tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?* Virg. 1. Ecl. 4. Ablativum, ut: *Vtendum eſt aetate, cito pede labitur aetas;* Ovid. L. 3. de arte. At Gerundia *in do* numquam, teſte Valla, caſum regunt. Nam qui objectant iſtud Quintiliani: *copiam cum judicio conſequemur legendo atque audiendo;* fruſtra ſunt; quum Accuſativus *copiam* non regatur a *legendo atque audiendo*, ſed a *conſequemur*. Inepte ergo dicitur, *do operam legendo libros* ſed *legendis libris* dicendum eſt.

Gerundia in di. pro Caſu ſui Verbi, habent interdum Genitivum Pluralem. Plaut. Capt. 4. 2: *Nominandi iſtorum magis, quam edundi erit copia.* Terent. Prol. Heaut. *Novarum qui ſpectandi copiam faciunt.*

† Nempe ut dicimus, *copia iſtorum* et *copia nominandi*; item, *copia novarum*, et *copia ſpectandi*: ita junctim dicimus, *copia nominandi iſtorum* et *copia ſpectandi novarum.* Cauſa eſt, quia Gerundia ſunt Subſtantiva utriusque numeri. Simile eſt hoc Plinii: *Illorum videndi gratia.* Et Suetonii illud: *Permiſſa licentia diripiendi pomorum.* Mollior autem eſt haec ſtructura cum Pluralibus Genitivis, *ſui*, *noſtri*, *veſtri*; idque ob ſimilem terminationem. Vt, quum Cicero dicit: *Non tam ſui conſervandi cauſa.* Item: *Veſtri confirmandi et conſolandi cauſa.* Alii aliam cauſam adferunt, qui Gerundia Singularis ſolum numeri eſſe exiſtimant, atque intelligi Infinitivum poſitum pro Nomine Subſtantivo. Vt, *nominandi iſtorum*, puta *nominare* ſive *nomina*: *ſpectandi novarum*, puta *ſpectationem* ſive *conſpectum*.

* *Gerundia in dum*, neceſſitatem ſignificantia, Accuſativum patientem rarius recipiunt. Neque enim uſitatum eſt, *Diſcendum eſt lectionem:* ſed pro eo, *diſcenda eſt lectio.* Dixit tamen Virgilius L. 2. Aen. *Pacem Trojano ab Rege petendum.* Et Lucretius L. 1: *Aeternas quoniam poenas in morte timendum.* Quae Graecorum tamen imitatione dicuntur. Quomodo Xenophon ait, τοὺς φίλους εὐεργετητέον. Id Latine fit, *Amicos eſt demerendum.* Et ita in aliis. Vſitate autem hic Accuſativus patientis convertitur in Participium. Ita multo rectius et uſitatius [illegible] *Idoneus*

 ad

ad rempublicam gerendam, quam *Idoneus ad gerendum rempublicam.* Sed *Gerundium in di* utroque modo. v. g. *Occaſio vincendi hoſtis* et *Occaſio vincendi hoſtem.*

Locus:

GERVNDIVM *in dum*, deleatur, et in locum ejus ſequentia ſufficiantur:

† *Gerundia in* dum deſinentia Nominativum rei recipere, Vechnero perſuaſum fuit Hellenol. l. 1. part. 2. c. 33. p. 373. Itaque is dici poſſe exiſtimat *dolus praeſtandum eſt; culpa praeſtandum eſt*, pro *dolus praeſtandus eſt, culpa praeſtanda eſt.* At perperam ita dici, oſtendit *Heuſing.* ad Vechn. l. c. et obſ. antib. 468.

GERVNDIA in *dum* et PARTICIPIA in *dus* terminata a multis Latinae linguae alioqui non imperitis adhiberi video, ubi Verbo, unde Supina vel Participia formantur, *poteſt* addere licet Dicunt enim *vix dicendum eſt* l. *vix credendum eſt, virtus numquam ſatis laudanda*, et multa his ſimilia. Veteres quoque aliquando ita ſcripſiſſe videntur. Caeſar enim l. 5. B. G. c. 28: *Maximeque hac re permovebantur, quod civitatem ignobilem atque humilem Eburonum ſua ſponte populo Rom bellum facere auſum, vix erat credendum.* Cornel. Nep. Attic. c. 18. extr. *Quod vix credendum ſit, tantas res tam breviter potuiſſe declarari.* Sed niſi Caeſaris locum ita placet interpretari, ut *credendum* idem ſit, quod *credi debeat*: audiendus nobis eſt Perizonius ad Sanctii Minervam l. 1. c. 15. n. 8. p. 142, qui multis exemplis oſtendit, Gerundia et Participia haec, praeſentis temporis eſſe, et *credendum eſt* nihil aliud eſſe, quam *creditur.* Aliud vero eſt *vix dicendum eſt* pro *dici poteſt*, quod ex noſtra in Latinam linguam influxit, adeoque barbarum eſt. *Heuſ.* obſ. antib. 469. ſeq. Conf. etiam infra locus: *Vir non ſatis laudandus.*

GESTATORIA SELLA, *ein Tragſtuhl, Sänfte, Porte-Chaiſe*, Suet. Nerone c. 26. et Vitell. c. 16.

p. 1471. inſeratur:

GLACIES *crepitat, minatur rumpi*, das Eis krachet; *ſolvitur*, thauet auf; *finditur, agit rimas*, berſtet auf; *nullis innumbit ſuſtentaculis, nullis fulta eſt trabibus*, Bohleis; *Glacies infirma eſt, fragilis; Timeo, ut glacies ſit ſatis firma; Non audeo me glaciei credere*, Ich traue dem Eiſe nicht, es möchte brechen. *Lubrico motu labi per glaciem; Lubricum curſum agitare per glaciem; Levibus et lubricis pedibus per ſummam glaciem labi; Lubricis pedibus volitare in glacie; Pede lubrico tentare glaciem*, Glitſchen, auf dem Eiſe glitſchen.

Ad loc.

GRAMMATICA. v. 9. ſeq. ſic lege: *In Mathematicis regnat.* Cicer. L. 12. ep. 18: *Vt primum Velia navigare coepi, inſtitui Topica Ariſtotelica conſcribere.* Id. *Muſicorum perſtudioſum accepimus* etc.

p. 1473. ad loc.

GRATVLOR *tibi.* v. 4. ſeq. ſic lege: *Gratulor tibi in hac re* et *in hanc rem. Gratulor tibi, quod* etc.

v. 15. adjunge: Gaudet etiam Dativo rei; ſed tunc ſemper omittitur Dativus perſonae. Cic. L. 12. ep. 9: *Hoc ſi tibi fortuna quadam contigiſſet; gratularer felicitati tuae.* Sic veteres dicunt etiam *Gratulor adventui tuo, Gratulor incolumitati tuae*, pro *Gratulor tibi adventum tuum*, l. *de adventu tuo, Gratulor tibi incolumitatem tuam*, l. *de incolumitate tua.*

p. 1475.

v. 9. poſt verba *falluntur et falluntur*; ſubjice: Quamquam enim hoc loquendi genere ita utitur Tertullianus Libro adv. gentes c. 13; tamen hinc parum praeſidii peti poteſt, quum praeſertim ita locutionis hujus notio nusquam alibi temere inveniatur.

v. 20. poſt verba: *de Latin. falſo. Suſp.* 69. 70. 239. adde: *Khun.* ad Vorſt. pag. 6.

Ad loc.

HABERE *aliquem accurate et liberaliter.* v. 7. lege: *dubium; conſuetum; certum; manifeſtum* etc.

p. 1476.

v. 3. lege ſic: *habent ita ſe mores; quae bello opus ſunt, prima habere* i. e. praecipua maxime ſibi curanda exiſtimare: *Habere apud animum ſuum nihil carius:* Salluſtiana ſunt.

Ad loc.

HABERE *bonum animum.* v. 27. ſeqq. ſic lege: *aliquem ad manum ſcribae*

bae loco, Germ. *einen, als einen Schreiber, flugs bey der Hand haben*; etc.

v. 39. poſt verba: *Cic. ad Atticum*; inſere haec: *aliquid pro diſciplina et praeceptis habere poſſe*, Germ. *etwas zur Lehre nehmen können; wobey lernen können*, Jul. Caeſ. L. 3. B. C. c. 10. n. 4. *Habere triduum ferias*, Cic. L. 2. Leg. c. 22; *Habere illam moleſtiam, quod*. Id. *Habere noctem plenam timoribus ac miſeriis*; Id.

p. 1477. inſeratur:

HABERE *curam maximam pro aliquo*, Veget. l. 2. de re milit. cap. 20.

Ad loc.

HABERE *delectum*. Ad finem ſubjice:

Habere delectum ſignificat 1. *Luſtrare exercitum*. 2. *Conſcribere milites*.

p. 1478. ad loc.

HABET *malum ſpiritum*. v. 3. poſt verba *Anima ei foetet*; adde: *anima graviter ei olet; foetidum emittit halitum; Os ipſi foetet*.

v. 14. pro *immo quod*, lege *quum*.

Ad loc.

HABILIS *alicui rei*. Calci hujus loci ſubjiciatur:

Sed *Habilis* ſimpliciter poſitum pro *homine callido, prudente, vitae negotiali atque exercitae adſueto, ſollerti, in rebus gerendis induſtrio, rerum gerendarum peritiſſimo, rerum uſu perito, rei civilis intelligente*, ſuſpectum.

Inſeratur:

HAEC TIBI, it. *Haec tibi ſoli*. v. g. *Sed haec tibi, ne quis ſit fortaſſe, qui nefas eſſe exiſtimet, quicquam in ſaeculi noſtri moribus deſiderare*, elegans locutio elliptica, ſi quid alicui dictum volumus ea lege, ut ne exeat in vulgus et cum aliis communicetur.

p. 1479. inſeratur:

HAVD MINVS pro *ad minimum*, Germ. *zum wenigſten*, rarius occurrit. Liv. 6, 43: *Decem haud minus poſt annos id actum eſt*.

Locum HAVD SANE lege ſic:

HAVD SANE rarius ap. veteres occurrit: Curtio autem adeo frequens eſt, ut haec dicendi forma Curtiana dici mereatur. Vid. *Joach. Henrici Erneſti* Latinitatem a Curtio in Particulis uſurpatam pag. 101.

p. 1480. ad loc.

HEM et HEV. v. 10. ſubjice:

Hem, quum demonſtrandi vim habet, non niſi Accuſativum adſciſcit. Terent. *Hem tibi Davum*.

p. 1483.

v. 25. ſic lege: *Magnos honores alicui habere*; it. Verbum *Dare*. v. g. *Dare alicui honorem*, uti ap. Salluſt. B. Jug. cap. 3.

Ad loc.

HORREVM *provinciale*. v. 4. adjice: Idem Caeſar: *Rem frumentariam comparare*, Magazine aufrichten; *Frumenti quod inventum eſt, in publicum conferre*, den Vorrath in die Magazine führen. Pro re nata dixeris etiam *Promtuaria mercium*, das Waaren-Magazin; *Promtuarium curſus cujusdam arcuati*, Magazin an der Kutſche.

Locus: HOSPITIORVM *deſignator*; ſic amplietur:

HOSPITIORVM *militarium deſignator*, *Schurzfleiſchio* Epiſt. 199. notat *einen Quartiermeiſter*. Aliis dicitur *Caſtrorum Tribunus*; *Caſtrorum metator*. Sic *Summus caſtrorum Tribunus, Supremus caſtrorum metator*, notat *einen General-Quartiermeiſter*. *Hoſpitiorum Summi Ducis et eorum, qui cum eo uno in loco morantur, deſignator*, Germ. *der General-Stabs-Quartiermeiſter*.

p. 1484. inſerantur:

IACVLARI ſumitur pro *jaculando ferire*. v. g. *jaculari rubente dextera arces; jaculari igne et telis aciem*: et pro *jaculum mittere*. v. g. *jaculari tela in hoſtes*.

IAM DIV EST, *quod venit, quod ſtudet*, cet. Plauti eſt: reliqui elegantiores omittunt *Quod*, dicentes *Jam diu venit, Jam diu ſtudet*.

Locus:

IAM DVDVM, *Jam pridem*; deleatur ac tollatur.

p. 1485. ad loc.

IAM IN EO EST. v. 4. adde: *Quum jam in eo eſſet, ut comprehenderetur*,

tur, da es nunmehro an dem war, daſs man ihn erwaſchen wollte, Corn. Nep. Pauſ. c. 4. n. 1.

p. 1486. inſeratur:

ICONISMI *aeneis formis expreſſi*, Kupferſtiche. *Iconiſmi ligneis formis expreſſi*, Holzſchnitte.

Ad loc.

ID TEMPORIS, v. 9. et 10: Livius etiam pro eo habet *Per id tempus* v. g. L. 2. c. 9; deleantur.

p. 1487.

v. 9. poſt verba *Vind. p. 93*, inſere: et *Kunius* ad Vorſt. p. 23.

v. 10. poſt verba *in eodem conſicio erat cum Beſſa*; inſere: et Taciti Annali 15. c. 2. princ. in oratione Vologeſis: *Hunc ego eodem mecum patre genitum in poſſeſſionem Armeniae deduxi.*

p. 1488. Locus IGNES *feſti*; ſic amplietur:

IGNES FESTI, *ludicri, artificioſi*; *Spectacula pyrotechnica*; *Ignium artificioſorum ludicra ſpectacula*, Germ. *Feuerwerke.*

p. 1489.

v. 1. ſeqq. ſic leges:

* Notabis heic locutiones ſequentes: *Feſtos ignes ſuccendere*; *Feſtis ignibus laetitiam celebrare*; *Jactus ignitos oculis exhibere diei alicujus feſti agendi ergo*, ein Feuerwerk anzünden. *Feſtis ignibus aedes ornare*; *Lampadibus feneſtras plateam verſus conſpicuas illuſtrare*, das Haus illuminiren. *Feneſtrae ignibus feſtis illuſtres*, illuminirte Fenſter.

p. 1490. Loco:

ILLE IPSE ad calcem adde: Conf. ſupra *Ipſe, ſi praemittitur* cet.

p. 1492. ad calcem loci:

ILLVMINARE PICTVRAM, ſubjice:

Sic *illuminare* quidem ſenſu tranſlato ad ſtilum quidem genusque dicendi, aliosque actus, quibus aliquid reddimus illuſtre, ut dignitate fulgeat et honore, refertur; non autem ad ſtudium commentandi verboſiusque aliquid explicandi: ut adeo *illuminatus* pro *illuſtratus*, et *illuminare ſcriptum* vel *librum aliquem* pro *illuſtrare ſcriptum* vel *librum aliquem*, minus recte dicatur.

p. 1493.

v. 12. ſeqq. ſic lege:

1. Proprie *aliquid animo effingere, animo et cogitatione fingere, imaginem alicujus rei cogitatione fingere* l. *mente concipere alicujus ſimilitudinem mente concipere* etc.

Loco:

IMMERGERE *ſe ponto*, ſubjice: *Immergere aliquid aquae* et *in aquam.*

p. 1494. Loco:

IMMVNIS *operis*, ſubjice:

Genitivus Poetis magis proprius videtur eſſe.

* Sic Virgilius, *belli immunis*; Ovidius, *operum* it. *mali immunis*. At Livius, *immunis militiae*. Plinius, *Caprificus omnibus immunis*, nempe *malis*, de quibus fuerat ſermo. Vellejus 2, 14, 3: *Domus immunis ab omnibus arbitris.* Id. 2, 7, 2: *Immunis delictorum paternorum.*

Ablativus cum Praepoſitione maxime omnium frequentatur. v. g. *Poſt bene vitam immunis erit ab ſuppliciis flammarum ſaevitiae*; *er wird nicht ins Fegefeuer kommen.*

p. 1495. inſeratur:

IMPELLERE *aliquem ad ſcelus, ad maleficium*; *in hunc caſum.*

p. 1497. ad loc.

IMPERTIO *tibi ſalutem*. v. 11. ſeqq. lege ſic: diſtinguere: Valla L. 5. c. 35: quamvis et Paſſive occurrit, quum *Partio* Activum etiam in uſu ſit. v. g. ap. Sall. B. Jug. c. 50. Alterum, quod inde ſit, compoſitum *Diſpartio* l. *Diſpartio* non niſi Paſſivum habet *Diſpartio*; quod ſimiliter, ut *Impertior*, nusquam, quod ſcio, Deponentaliter ſumitur.

p. 1499.

v. 28. pro *Implicare in morbum*, lege *Implicari in morbum.*

p. 1500. ad loc.

IMPORTAT *nihil*. v. 11. poſt voc. *calamitatem*, interſere: Id. *Tergiverſari nolui, ne mea nimia cunctatio ſuſpicionem et aliquam importaret.*

Inſeratur:

IMPOS *animi*, uſitate: *Impos animo*, vix apud veteres occurrit.

p. 1502.

v. 37. poſt verba *quidem cadit*, interſere: Id. 4. Verr. *Eſſe in amicitiam populi Romani.*

p. 1503.

v. 1. lege ſic: Juſtinum Lib. 2. cap. 4. n. 17. et Horat. L. 1. ep. 2. v. 43. habere *In omne aevum.*

p. 1505. ad loc.

IN GENERE. v. 26. poſt *nominatim*, adde *particulatim.*

p. 1506. ad loc.

IN AMPARIO ESSE v. 7. et ſeqq. usque ad calcem hujus loci, qui p. ſubſequenti apparet, prorſus dele ac tolle.

p. 1507. inſerantur:

IN LIBERIS CVSTODIIS HABERI, Germ. *Im weiten Arreſt ſeyn*; Sall. B. Cat. c. 47.

IN ME NON ERIT MORA, *Ego non ero in mora*, et *Per me nulla erit mora*, Germ. *an mir ſoll es nicht fehlen.*

p. 1509. inſerantur:

IN PRIMIS uſitate jungitur Poſitivo: interdum et Superlativo. Plin. Avunculus: *Herba in primis utiliſſima.*

IN PROCINCTV STARE Quintil. L. 12. c. 9. extr.: malim pro eo, *ſuis armis inductum* l. *cinctum eſſe*; it. *paratum et promtum eſſe ad aliquid agendum*; *expeditum eſſe ad negotium*; *accinctum* l. *paratum eſſe ad iter*, Cic.; *ad profectionem inſtructum* l. *praeparatum eſſe.*

p. 1510. ad loc.

IN REM *eſt.* v. 22. poſt verba *in promtu habere*; inſere, *In incerto haberi*;

p. 1512.

v. 17. adde: Sall. B. Jug. c. 63: *Praeterea pollicetur, in tempore ſemet cum exercitu affore.* Germ. *Er wolle ſchon zu rechter Zeit mit der Armée da ſeyn.*

Locum INANIS lege ſic:

INANIS adſciſcit

Mox Genitivum.

* Ovid. Heroid. Ep. 3. v. 6: *Sanguinis atque animi pectus inane.* Cic. pro Muraena cap. 12: *Inaniſſimus prudentiae.*

Mox Ablativum.

* Cic. Verrin. 5. c. 52. etc.

Locum INCEDERE ſic locupletabis:

INCEDERE *ſuâ viâ*, et *in ſua via*, et *ſuam viam.* Conſtructio cum Praepoſitione *In*, occurrit rarius.

Ad loc.

INCESSIT *cupiditas.* v. 5. ſubjice:

* Conſtructio cum Dativo Salluſtio praeſertim frequens eſt. Bello Catil. cap. 30.: *Quibus pro reip. magnitudine belli timor inſolitus inceſſerat.* Quamvis etiam alii ſubinde hunc modum frequentent. v. g. Jul. Caeſ. B. C. cap. 74. n. 2: *Exercitui quidem omni tantus inceſſit ex incommodo dolor*

p. 1513.

v. 3. adde: Atque hic modus ab Salluſtio praeſertim frequentatur. v. g. B. Cat. p. m. 28: *Tanta cupido gloriae inceſſerat.* i. e. coorta erat.

Ad loc.

INCIDO, mediâ correptâ. v. 11. ſeq. lege ſic: Plin. Lib. 10. ep. 47; *in opinionem*, *in cogitationem*, *in ſuſpicionem.*

v. 24. adde: *Incidere in cogitationem*, quod ſciam, non niſi Active uſurpatur. *Incidere* l. *Cadere in ſuſpicionem* ſemper Paſſive: quamvis et Active uſurpetur; ſed mutato caſu et mutata conſtructione. v. g. *Vnde haec tibi incidit ſuſpicio?* Germ. *Wie kömmſtu auf den Argwohn?*

p. 1514. inſerantur:

INCISVRAE *in manu*, vel *Inciſurae manûs*, *die Linien in der Hand*, Plin. L. 11. c. 25.

Hinc *Divinare aliquid ex inciſuris manuum*, Germ. *Nach den Grundſätzen der Chiromantie einem aus der Hand etwas vorher ſagen.*

INCITARE *aliquem contra* et *in hoſtes.*

Ad calcem loci:

INCHOATIVA *verba*; adde: Jul. Caeſ. B. C. L. 3. c. 49: *Jamque frumenta matureſcere incipiebant.*

p. 1515. inſeratur:

INCRUSTARE l. PALLIARE ERROREM, locutiones pervulgatae, ſed praeter veterum auctoritatem et per ineptam translationem formatae, ipſo *Lipſio* judice in *Oratoria p. 76.*

* Horatius habet L. 1. Sat. 3. *incruſtare ſincerum vas*, *einem echten Gefäſſe eine Glaſur geben.* *Palliare* i. e. aſtute diſſimulare l. celare, Apuleji eſt. Participium *palliatus* Cicero et Suetonius habent; verbum ipſum ignorant: notat autem apud eos idem, quod *pallio indutus*, *pallio veſtitus.*

Rectius pro illo dixeris; *tegere errores*; *erroribus ſuis patrocinium quaerere* l. *adferre*; *errores ſuos ſub veritatis ſpecie proponere.*

p. 1516: inſeratur:

INCUMBERE *ovis* et *ova*. Poſteriorem modum vid. ap. Petron. p. 19.

p. 1517.

Locus INCURRERE *in tenebris*; ſic legatur:

INCURRERE *in tenebris*, ſich im Finſtern ſtoſſen; *Incurrere in crimen*, *in reprehenſionem*, *in oculos*, *in odium*, *in oculas malevolorum*; nec raro Praepoſitio omittitur, v. g. *Incurrere crimen*, *reprehenſionem*, *odium*, cet. Uſus tamen ſpectandus, quo in aliis Praepoſitio rarius omittitur, in aliis frequentius adjungitur. Ita omnium creberrime dicitur *Incurrere in oculos*, *in oculas hominum*; et vix aut ne vix quidem Praepoſitio heic omittitur.

p. 1518. ad loc.

INDUCERE *animum ſuum*. v. 8. adjunge: Conf. infra *Suus Pronomen.*

p. 1519. inſeratur:

INDUCIAS *facere*, *paciſci*, Ciceronis: *Induclas pangere*, Livii eſt.

Locum INDUERE *ſe acutiſſimis vallis*, ſic leges ac locupletabis.

INDUERE *ſe acutiſſimis vallis*, it. *Sudibus praefixis munire ripam*, Paliſaden ſetzen, Caeſ. L. 7. B. G. c. 73. *Sudes comparare*, Paliſaden hauen, Hiſt. B. Afr. c. 20. *Sudes ſtipitesque praeacutos defigere*, ſtarke und ſpitzige Paliſaden ſetzen, Caeſ. L. 1. B. C. c. 27.

Sudes praepilatae, *cuſpidati ſtipites*, *temerti ſudium pectines*, *obices palorum*, dicuntur praeterea valli illi praeacuti, quos vocant Germ. *die Paliſaden*. *Paliſicatio*, quando foſſae ſiccae hinc atque inde longa conſtipataque cipporum acutorum ſerie induuntur: Germ. *Die Verpaliſadirung.*

p. 1520. ad loc.

INFERIUS *hac de re dicetur.*

Exeunti huic loco adde: Favere etiam quodammodo locutioni huic noſtrae ſuſpectae vel rariori videtur τὸ *Poſterius*, quo ipſe Cicero aliquoties pro τῷ *Inferius* utitur, v. g. L. 12. Fam. ep. 27: *Sed haec poſterius*, Germ. *wiewol von dieſem letzten wollen wir unten am Ende noch was beybringen.*

p. 1522. ad loc.

INFINITIVI Praeſens v. 3. deleatur *interdum.*

Ad calcem addatur:

† Alii Enallagen Modi nuncupant: alii veriſimile eſſe autumant, intelligi heic Verbum *coepit* vel ſimile.

Inſeratur:

INFITIAS IRE locutio plebeja ap. veteres fuiſſe videtur. Nam Comicis, Terentio et Plauto, ea eſt perfrequens, non item aliis eius aevi. Solus Corn. Nepos ſemel ea utitur 15, 10, 4. qui quidem dum humile dicendi genus ſectatus eſt, plures offeret idiotiſmos inveſtigantibus. *Heum.* de Ling. Rom. pleb. p. 9.

p. 1523. ad loc.

INGERERE *convicia*. v. 2. poſt verba *cibum ori*; adde, *membranae verſus*;

p. 1524. inſeratur:

INGRUERE ἐπελθεῖν; it. *Ingruere alicui* et *in aliquem.*

* *Aetas*, *tempeſtas*, *nox*, *frigus*, *metus ingruit*, optimi auctores. *Morbi ingruunt gentibus univerſis*, Plin Maj. *Morbi in agreſtes ingruerunt*, Liv. L. 4. c. 30.

p. 1525. ad loc.

INIICERE *alicui manum*. v. 9. ſic lege:

Sed etiam eſt

1. *Manu aliquem ducere.*

v. 20. ſubjice:

2. *Blandiri*, *blandimenta alicui dare.*

v. g. Petron. p. 59: *Injeci cervicibus manus*, Germ. *ich habe ihn um den Hals gefaſſet, ich habe ihn aus Liebe umhalſet.*

Ad loc.

INIMICITIAE. v. 3. lege: V. g. Cic. *Intercedunt mihi* etc.

v. 7. adde: *Tacitae magis occultae inimicitiae timendae ſunt, quam indictae et apertae:* Germ. *als offenbare Feindſchaft.*

p. 1526. ad loc.

INQVAM. v. 18. ſubjice: Quae loca veterum integrae orationi hoc verbum praeponunt, cuncta haec in vitio cubant. Conf. *Heuſ.* obſ. antib. 471. ſeq.

p. 1527.

v. 21. ſubjice: Pro Participio *inquiens* veteres potius *inquit* dicebant; aut, ſi Participio opus eſſet, *dicens*, ut Corn. Nep. Milt. 3, 1. *docens*, ut idem Corn. Ageſ. 2, 1. *dictitans*, ut Tac. 1. Ann. c. 14. v. 2. et c. 72, v. 2. etſi ibi vulgo *dictans* legitur vitioſe.

Locus: INQVIRERE *de aliquo*; ſic legatur:

INQVIRERE *de aliquo* et *in aliquem, quemadmodum vivat. Inquirere in aliquem capitis et capite.* Item: *Inquirere aliquam rem*, Cic. 3. Offic. c. 3. Item: *Inquirere in aliquam rem, in alicujus mores*, et *de aliqua re*, Curt. Lib. 6. c. 8.

Inſeratur:

INQVIT rectae ſemper orationi aptatur: AIT et MONVIT obliquae: V. g. *Ita, inquit, res eſt. Ita, ait, rem eſſe. Ita rem eſſe monuit.* Conf. *Heuſing.* obſ. antib. 472.

p. 1528.

v. 9. ſubjice:

Apud eumdem Plautum Bacchid. 4, 5, 1. et Moſtell. 3, 3, 5. occurrit etiam *Inſanum magnum, entſetzlich groſs.*

Vterque tamen loquendi modus Plauto relinquendus: ad riſum namque captandum prolatus videtur.

p. 1529. Locum:

INSERVIRE *alicui*, dele integrum.

p. 1530. ad loc.

INSTITVERE ſimpliciter. v. 5. adde: Sall. B. Jug. c. 15: *Inſtituere amicitiam cum aliquo.*

v. 11. adde: Pro *facere inſtituit*, Latini etiam ſubinde dicunt *facere coepit, facere incipit.*

p. 1531. ad loc.

INSVLARVM nomina. v. 5. ſeqq. lege ſic:

* Cornelius Nepos frequentiſſime Praepoſitionem omittit. Sed apud reliquos tamen bonae notae ſcriptores frequentius, ut appellativa et cetera regionum nomina, in Ablativo ponuntur cum Praepoſitione: ut, *In Lemno aurum ducit*, Ter. Phorm. ſc. ult.

v. 9. adde: Id. *Ibitis Italiam.* Immo et Livii eſt: *Proficiſci Peloponneſum.* Tacitus etiam dicit: *Aegypto remeare.*

p. 1532. Locum: INTENDERE *animum*; lege ſic:

INTENDERE *animum, oculos, manum*, cet. et *Intentum eſſe* etc.

Ad calcem hujus loci adde: Sall. B. Jug. c. 23: *In regnum Adherbalis animum intendit.*

Locum: INTENDERE *tela*; ſic lege:

INTENDERE *tela, pericula, arcum, aciem oculorum*, cet. *alicui* et *in aliquem. Intendere ſe mens in diverſa difficulter poteſt. Ejus dicta eodem intendere videt.*

* Cic. *Ego tela intenta jugulis civitatis de conjuratorum manibus extorſi.* Id. pro Sextio c. 7: *Intendere arcum in aliquem.* Id. *Neque enim fieri poteſt, ut ait Xenophon, ſimul et multa quispiam faciat, eademque recte omnia: non enim poteſt ſe mens intendere in diverſa.* Sall. B. Jug. c. 71: *Vbi Marius haruſpicis dicta eodem intendere videt.*

Sed: *Intendere nervos in aliqua re*; non, *in aliquam rem.*

Ad loc.

INTENDERE *opinionem.* v. 12. poſt verba *Minas intendere*, adde: *officia intendere* v. g. Salluſt. B. Jug. c. 82: *Quia Numidae, ſicuti plerique, in nova deditione officia intenderant.*

p. 1533. Locum: INTENTVS *ſtruendae fraudi*; lege ſic:

INTENTVS *ſtruendae fraudi*, Liv. Lib.

Lib. 23. c. 35; *aliquo negotio*, Salluſt. B. Cat. p. m. 11; *ad aliquid*, Cic. etc.

p. 1534. Loco:

INTERCLVDERE *hoſti*; adde: *Intercludere alicui aditum*, et *aliquem aditu* (*ab aditu*, vix occurrerit). *Intercludere alicui viam* et *aliquem à viâ*: Ablativus viâ ſine Praepoſitione vix occurrerit.

v. 5. ſic leges: INTERDICO *tibi hac re*; interdum *hanc rem*.

Loco:

INTERDICO *tibi aquâ et igni*; adde, et quidem v. 5. poſt *interdictus es*: et *Aqua et ignis tibi interdicitur*.

v. 6. adde: Vſitatius tamen atque adeo rectius dices: *Interdico tibi hac re*, et paſſive *Interdicitur tibi hac re*. Reliqui modi conſtructionis ſunt rariores.

p. 1535. ad loc.

INTERIECTO TEMPORE v. 3. poſt verba *Paucis interjectis diebus*, haec inſere: Paucis diebus interpoſitis, Caeſ. B. C. Lib. 3. cap. 37.

p. 1537. Locum: INTRARE *urbem*; ſic exprime:

INTRARE *urbem, domum, pontum, navim*, cet. ſaepe etiam *in urbem*, *in domum*, *in pontum*, *in navim*, cet. Poëtae etiam etc.

Inſerantur:

INTROMITTERE *aliquem in aedes*, et *in aedibus*.

p. 1538.

v. 5. ſubjice:

* Salluſtius etiam hoc Verbo utitur intranſitive pro *inſurgere*. v. g. B. Cat. p. m. 104: *Ex ſumma laetitia atque laſcivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis triſtitia invaſit.*

v. 35. ſic lege:

INVIDERE *alicui honorem*, aureae; *Invidere alicui honore*, argenteae aetatis eſt. Dicunt etiam, *Invidere alicujus honori*:

p. 1539. inſeratur:

IPSE, ſi praemittitur IS vel ILLE, cum emphaſi uſurpatur. v. g. *Is ipſe erat*, er war es wahrlich; *Ille ipſe eſt*, er iſt es gewis ſelbſt; Ja, ja, er iſt es.

Ad loc.

IPSIVS. v. 9. lege ſic: Ep. 151 *Meum ſolius peccatum corrigi non poteſt.*

p. 1540. ad loc.

IRASCI. v. 2. poſt *alicujus* adde: *Iraſci pro aliquo*; *Iraſci* cet.

p. 1542. inſeratur:

ITALICAM LINGVAM an quisquam veterum dixerit, quae Latina ab omnibus vocatur, dubitat *Ad. Th. Siberus* in epiſtolis p. 477. 450. 514. 543. Ex antiquiſſimis nullum citare poſſum auctorem, quod Latina lingua tum toti Italiae non dum fuit communis. Sequiori vero aevo qui ita loqui coeperint, plures reperio. Arnob. l. 4. p. 161: *Quam quidem olim partem judicii acris viri, atque ingenio perſpicaci, tam ſermone Italo explicuere, quam Graeco.* Eodem libro pag. 175: *Euhemeri libellos Ennius ſermonem in Italum tranſtulit.* Chryſoſt. in ſermone ad fidelem patrem tom. VI. p. 190: ὁ δεῖνα τὴν Ἰταλῶν γλῶσσαν ἐκπαιδευθείς. Libanius de ſua fortuna τὴν Ἰταλὴν ἐπισταμένους vocat, qui Latina didicerunt. Apud ipſos tamen Romanos nullum hujus appellationis veſtigium mihi occurrit. *Heuſ.* obſ. antib. 413.

p. 1543.

v. 30. lege: locuti ſunt Tacitus Annal. 4, 72, 2. cet. Salluſt. B. Jug. c. 81. cet. Hyginus, Macrobius,

Ad loc.

IVBERE, v. 36. ſubjice: Cl. *Heuſingerus* autem obſ. antib. 473. ad haec verba noſtra ſic commentatur, meque alioſque edocet, ea veterum auctorum loca, quae pro Dativo huic Verbo adferendo excitentur, ſuſpecta eſſe: *Iubeo tibi*, inquit, quod labantis ac peſſum euntis latinitatis eſt, novo patrocinio dignatus eſt Cl. Noltenius, qui relictis Cellarii partibus ad Scioppium tranſiit. Prius vero quam quis ejus in ſententiam concedet, leget, quae dicta ſunt a Burmanno ad Petron. c. 71. Drakenborch ad Silium Italicum l. 12. v. 607. et ad Liv. l. 17. c. 24. Oudendorp. ad Caeſ. l. 3. B. C. c. 98. et prae omnibus eruditiſſimum Geſnerum in novo Theſauro, qui non Ciceronem, Caeſarem, Livium, Curtium, ſed librarios id, quod vulgatum eſt, ſcripſiſſe, aut vulgo id male intelligi, oſtendit.

p. 1544. ad loc.

IVDEX COMPETENS. v. 4. poſt verba *et legitimum*; inſere: it. *cujus de re controverſa jurisdictio eſt.*

p. 1545. inſeratur:

IVS PVBLICVM pro *diſciplina, quae de notitia rerum publicarum hodie florentium agit*, nove dicitur. Veteribus *Ius publicum* eſt, quo *omnes ex aequo cives fruerentur*; *quod populus ſibi quisque conſtituit.*

p. 1547. ad calcem loci:

LABORARE *morbo*, adde:

Nota: Ablativus ſine Praepoſitione frequentior, ſi morbus reſpicitur; Ablativus cum Praepoſitione *E* vel *Ex* frequentior, ſi membra, in quibus morbus reſidet, reſpicitur. Sic *laborare pedibus*, notat Germ. *das Podagra haben*; et *Laborare ex pedibus*, notat Germ. *Schmerzen an den Füſſen haben.*

Inſeratur:

LAC *ſincerum, integrum*, ſüſſe Milch. *Lac fugiens, deficiens, corruptum*, verſchuerte Milch, die ſich nicht mehr hält. *Lac primarium*, unabgeflöſſete Milch. *Lac ſecundarium, ſua pinguedine exutum* l. *privatum*, abgeflöſſete Milch. *Pingue lactis, flos lactis, adeps lactis*, der Rham. *Cogere lac in butyrum*, Buttern. *Lac coagulatur*, die Milch gerinnet.

p. 1548. inſeratur:

LANVGO *volitans autumno*, *der im Herbſt fliegende Sommer*. Auſon.

Ad loc.

LATET MIHI v. 22. ſeq. ſic lege: Cicero autem tantum tribus locis (cujus tamen unum exemplum ab optimis MSS. exſulat; duo reliqua autem, ſunt, qui ſpecioſe cauſae huic abjudicant, quum Dativus ita explicari poſſit, *ut a verbo latuit* haud pendere videatur.)

Locum: LECTVS *funebris*; ſic lege:

LECTVS *funebris, magnifice exſtructus; Lectus feralis, magnifice ſtructus; Lectus feralis, ad pompam compoſitus, in quo Regis exanime corpus jacet, cujus capiti adjecta fortunae ejus eminentiſſimae inſignia*, ein Parade-Bette.

Locus: LEGATVS LEGIONIS; ſic legatur;

LEGATVS LEGIONIS ſignificare poſſit, ut nunc militiae ratio eſt etc.

p. 1550.

v. 1. ſeqq. ſic lege: *Praefecti militumque ſ. belli ſuperiori honore, Praefecti ſuperiores*, Ober-Officiers. *Praefecti militum inferiori dignitate, Praefecti inferiores*, Unter-Officiers.

v. 8. adde: *Praefectus praeſidiariorum; Praefectus praeſidii; Vrbi defendendae* l. *cuſtodiae urbis impoſitus; qui urbi aut praeſidio urbis praeeſt; Praefectus urbis, arcis*, ein Commendant.

Ad loc.

LEGES PRAESCRIBERE. v. 5. dele, *ſancire.*

Ad calcem loci:

LIBER *amoris*; adjunge: Genitivus Taciti et Poëtarum proprius videtur.

* Cic. *Animus terrore liber*. Id. *Liber a delictis*. Liv. *Liber animi metu*. Id. *Liber a metu inſidiarum campus*. Horat. *Liber laboris*. Lucan. *Libera legum a Roma ſores.*

p. 1551. inſeratur:

LIBRI SYMBOLICI Eccleſiaſticae latinitatis eſt: in eloquentia civili aliquando, ſi res ita exigat, pro eo dixeris *Libri, doctrinae probatae formulam, normam, praeſcriptionem continentes.*

p. 1252.

Locus: LINEA NEBVLA, ſic exprimatur:

LINEA NEBVLA, it. VENTVS TEXTILIS apud Petronium. LINVM BYSSINVM apud Plinium. Vtrumque eleganter pro *lino* etc.

Locus: LINVM *crudum*; ſic amplietur:

LINVM *crudum*, ungehechelter Flachs. *Linum pectere*, Plin. it. *Stuppam* l. *ſtupam pectere ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur*, Flachs hecheln. *Linum nere*; it. *Linum in fila ducere*, Flachs ſpinnen. *Immittere lina per acum*; it. *Conjicere filum in acum*, einfädeln, Celſ. Lib. 6. c. 7 et 17. *Lintea veſtis*, ein Kittel. *Linteum Peluſium albi coloris*, ein Schleyer, Cic. Verr. 7. c. 56. *Lintea tunica Sacerdotalis*, ein Chorhembd, Liv. L. 9. c. 40. *Lintea manuum ornamenta*, it. *Limbi lintei manum ornantes*, Manchetten. *Fila lintea* con-

conglobare, winden, haſpeln. *Fila lintea glomerare*, Globen machen. *Linteum texere*, Weben.

p. 1554. ad loc.

LITTERAE *publicae*. v. 4. pro *Litterae publici commeatus*, lege *Litterae publici l. liberi commeatus*;

v. 8. poſt *Ep. 14.* inſere: *Formula liberi commeatus; Liberi itineris teſſera; Conſignata litteris teſtificatio, per quam conſtat, poteſtatem alicui factam eſſe ultro citroque commeandi*, l. *commeatum alicui datum eſſe*, ein Paſsport.

p. 1555.

v. 3. ſeqq. ſic lege:

† *Optio* autem in genere eſt *Vicarius*, quemque barbare vocant *Subſtitutum* l. *Adjunctum*, *quem mihi arceſſo, ut partes meas peragat.* v. g. *Hic eſt Optio meus*, *dieſer iſt mein Subſtitutus.* Parei Lex. Crit. 863. Quamlibet hoc vocabulum ſpeciatim in re militari locum habet. &c.

Inſerantur:

LOCVS, *in quo milites excubias acturi colliguntur et ordinantur; Locus, ubi milites ſub armis conveniunt*, Germ. der Parade-Platz. *Diribitorium; Locus, ubi milites recenſentur, iisque ſtipendia numerantur*, der Muſter-Platz. *Locus confluentis exercitus; Locus copiis ad conveniendum edictus, praeſcriptus, praeſtitutus*, das Rendez-vous. *Communis exercitus ſtatio; Communis copiarum congregationis locus; Congregationis communis locus delectus*, das General-Rendez-vous. *Copias contrahi jubere*, die Trouppen auf das Rendez-vous kommen laſſen, Curt.

LOCVS, *in quem perſonati ſaltandi ludendique cauſa conveniunt*, die Redoute.

LONGE ALITER MAIORES NOSTRI ſc. rem ſuam inſtituerunt, Germ. *Unſere Vorfahren ſind ganz anders geartet geweſen*, elegans ellipſis Latinorum.

Ad loc.

LONGIVS *nihil eſt*. v. 4. ſic lege:

V. g. Lib. 12. ep. 12: *Nihil tibi fuit longius, quam* etc.

p. 1556. ad loc.

LOQVI *alicui*. v. 7. adde: Cic. *Te ruſticas res cum villico loquentem.*

Inſeratur:

LOQVITVR *de nare; Vox ejus in receſſu oris naſoque auditur*, Germ. *Er näſelt, ſpricht durch die Naſe.* Item: *Poſtrema ſyllaba auditores defraudat*, Germ. *er verſchluckt die letzten Sylben.*

p. 1557. ad calcem loci:

LORICA *valli inferioris* adde: *Loricae exterioris tecta l. cooperta declivitas*, *Coupures du Glacis*, oder *Sorties.* Acta Erud. Lipſ. 1684. p. 227.

Ad loc.

LVDERE *pilam*. v. 2. adde: *Ludere in pecuniam, um Geld ſpielen*, Paullus in L. 2. Dig. de aleat. Conf. ſupra *Doceo te hanc rem.*

p. 1559. ad loc.

MAGNAM PARTEM. Ad calcem adde: *Et id genus alia* i. e. ejus generis alia. Nimirum id fit more Atticorum, qui in ejusmodi Accuſativis intelligunt Praepoſitionem κατὰ. Itaque *id aetatis, id temporis differunt aliquid*, cet. dicuntur pro *circa id aetatis, circa id temporis, differunt circa aliquid*, cet.

p. 1561.

v. 1. ſeq. deleatur *conſulo.*

v. 9. deleantur *ſupra Aeſtimare magni. it.*

v. 10. ſeqq. ſic lege:

Vnus Cicero obſtat, qui dicit *Multi exiſtimari, ſehr wehrt gehalten werden.* At hoc non trahendum puto ad exemplum eſſe, quum praeſertim Verbum *Exiſtimo* vix venire poſſit in cenſum eorum verborum, de quibus hoc loco ſermo eſt.

p. 1564. Locus MANE ſic proferatur:

MANE non eſſe Adverbium, ſed Subſtantivum, abunde probatum eſt a Perizonio ad Sanct. l. 4. c. 15. n. 5. Hinc recte Praepoſitiones et Adjectiva admittit v. g. *A mane ad veſperam, Multo mane, Summo mane, poſtero mane, clarum mane.*

Ad loc.

MANERE *alicui*. v. 25. adde: Virg. L. 9. Aen. v. 301. ſeq.

Quae

Quae tibi polliceor reduci rebusque ſecundis,
Haec eadem matrique tuae generique manebunt.

p. 1565.

v. 19. adde: Quamquam ſunt, qui *Mane* et *Veſperi* non tam Adverbia, quam Ablativos eſſe exiſtimant.

Ad loc.

MANIFESTVS. v. 4. pro *cap. 35.* lege *cap. 42.*

Ad loc.

MAPPA GEOGRAPHICA. v. 13. adde: *Regiones, regna, provincias colorum varietate diſtinguere*, Germ. *Land-Charten illuminiren.*

p. 1568. inſeratur:

MEDICORVM FILII, Gr. *ἰατρῶν παῖδες*, eleganter ap. Latinos, pro *Medicis*, eo quod hi olim ſervilis plerumque conditionis eſſent et artem ſinguli propagarent per filios: hinc *ἀκυρολόγως* hodie ab non nullis mihi quidem ſcribi videtur *Theologorum filii*, *JCtorum* filii, *Logicorum filii*, cet. pro Theologis, JCtis, Logicis, cet.

p. 1569. ad loc.

MEMINISSE *alicujus*. v. 10. adde: Sic, *Memini Ciceronis*, tantum; non etiam, *Memini Ciceronem*.

v. 28. ſubjice:

† Nec tamen haec modo commemorata Verba conjunguntur cum quibusvis Accuſativis: quippe quae vix aliis, quam his, juncta reperias. *hoc*, *iſtud*, *illud*, *id*, *idem*, *quod*, *quid*, *aliquid*, *nihil*, *non nihil*, *multa*, *pauca*, *unum*, *duo*, *tria*. Ita dixerim cum Fabio, *Grammaticos ſui officii admonemus*; non, *ſuum officium*. Item cum Tullio, *Quum te amicitiae veteris commonefacerem*; non, *amicitiam veterem*. In libro quidem de Orthographia, Bedae tributo, legas, dici utrumque, *Admoneo te caedis et caedem.* Sed egregie fallitur hic auctor.

p. 1570. in loco hujus pag. ultimo pro:

MEPHISTICVS lege MEPHITICVS.

p. 1571. ad loc.

METVO. v. 41. ſeq. lege:

Pro, *Metuo tibi*, *Timeo tibi*, veteres etiam habent *Metuo pro te*, *Timeo pro te*. Vid. Ovid. l. 9. Metam. v. 241. Curt. l. 6. c. 10. v. 27. Plin. l. 3. ep. 17. extr. Petron. c. 123. Corn. Celſ. l. 3. c. 11. Lactant. l. 2. c. 4. v. 6.

p. 1572. ad loc.

MIHI Dativus commodi. v. 6. ſubjice:

† Quin et *κατὰ χρηστικῶς* *Sibi* ſic *πλεονάζει* ap. Terent. Adelph. A. 5. ſc. 8: *Suo ſibi gladio hunc jugulo.*

Ad loc.

MIHI CREDE. v. 12. ſic lege: verborum negligentiores *Servius Sulpitius* L. 4. ep. 5. *M. Caelius* &c.

p. 1573. Locos:

MILES *levis armaturae*; MILES *ſtationum immunis*; MILLIA *vocum*; ſic locupletabis ac leges:

MILES *levis armaturae*, Ciceronis: VELES, Plur. *velites*, Salluſtii et Livii: FERENTARIVS *et expeditus*, Salluſtii unius eſt. Germ. *ein Kriegsknecht mit geringer oder leichter Rüſtung.*

Huic contrarius erat apud veteres *Miles armatus*, *ein Kerl mit voller und ſchwehrer Rüſtung.*

MILES *ſtationum immunis*, *ſtationibus exemtus*, ein Gefreieter.

* *Milites ad motus concurſusque leviores* l. *expeditiores*, *ad quaevis converſionum, conglobationum et adgreſſionum genera promtos habere et paratos*, wolgeübte und gewandte Soldaten haben. *Militem veteranum ad equum reſcribere*, einen alten braven Kerl zu Fuſs zum Reuter machen. *Delecti milites*, ein Detachement. *Milites claſſiarii*, Schiff-Soldaten. *Emiſſarii milites* i. e. ſubornati ad excurſiones ſubitas, quacumque occaſione oblata; Huſaren, Parteygänger. *Manus emiſſariae Dux*, ein Partiſan. *Triarii* i. e. milites veterani et exercitatiſſimi. *Miles ſubitus* i. e. ſubito collectus, zuſammen geraftes Volk, Tacitus 4. Hiſt. c. 66. *Milites Fabiani*, *Iphicratenſes*, apud Corn. Nep. 11. c. 2. n. 4. pro *praeſtantibus*, vortreffliche Leute, auserleſen Volk, eine Kern-Mannſchaft. *Dimachae, arum*, apud Curtium Lib. 5. cap. 13. ſunt equites, qui, prout res ac locus poſtulat, pedibus etiam pugnare debent: quales ſunt, quos noſtrates vocant *die Dragoner*: nuncupantur etiam *equites deſultorii*, quia ex equis ſuis ſubinde deſilire debent ac pedibus proeliari. *Milites acceniſi*, *ſupplementa novorum*

vorum militum, *novi delectus militum*, Recrouten. *Supplementum exercitus* l. *exercitui legere* l. *ſcribere*; *in ſupplementa distribuere milites*; *reficere exercitum*; *copias imminutas ſupplere*; *copias diminutas redintegrare*; *Incremento novare exercitum*; *milites in ſupplementum legere*, Caeſar, Recroutiren. *Mittere aliquem ad inquiſitionem novorum militum*, einen wegſchicken Recrouten zu werben. *Volo*, *onis*, l. *honorarius miles*; *qui ſponte et ſine ſtipendiis militat*; *ſuis ſumtibus caſtra ſequens*; *qui ex ſuo arbitrio militiae munera obit*; *miles voluntarius*; *qui, nullo ſacramento addictus, ultro militatum abit*, *ut fortitudinis ſuae bellicoſae que mentis ſpecimina edat*, *nomenque ac famam ſibi quaerat*, ein Volontaire. *Milites ſtationarii*, Vorwachten.

MILLE Adjectivum indeclinabile eſt, Plurale tantum, ut: *Mille viri*, *mille mulieres*, *mille poma*. MILLE Subſtantivum Singulari quidem numero indeclinabile eſt Generis Neutrius v. g. *Mille hominum occidit in proelio*; *Non niſi unum mille militum amiſimus*; at Plurali numero declinatur. *Mille Adjectivum* idem eſt, quod apud Graecos χίλιοι, αι, α. *Mille Subſtantivum* idem notat, quod Graecorum χιλιάς, άδος.

Hinc *Mille Adjectivum* augetur Adverbiis *bis*, *ter*, *quater*, cet. v. g. *Ter mille milites*. *Mille* autem *Subſtantivum* augetur Numeralibus Cardinalibus vel Diſtributivis. v. g. *Tria millia* vel *Terna millia militum*.

Dicimus ergo recte *Millia equitum* et *mille equites*; *Duo millia* ſ. *bina millia equitum* et *bis mille equites*; *Viginti millia* ſ. *vicena millia hoſtium*, et *vicies mille hoſtes*. Perperam autem dicitur *Viginti mille hoſtes* et *Viginti mille hoſtium*.

p. 1577.
Locus: MODVS POTENTIALIS; ſic mutetur et augeatur:

MODVS POTENTIALIS in prima perſona Futuri ſequitur non formam Futuri Conjunctivi, ſed Perfecti Conjunctivi. V. g. *Haud tibi negaverim*; non, *negavero*, Germ. *das werde ich dir nicht leugnen können*. *De eo ipſo viderim*, Germ. *deshalb werde ich ſelbſt zuzuſehen haben*. *Non facile dixerim*, Germ. *ich werde nicht leicht ſagen können*. *Pace tua dixerim*, Germ. *mit deiner Erlaubnis werde ich ſagen können*. *Nec vero reprehenderim*, Germ. *doch werde ich nicht tadeln können*, Cic. *Injuſſu tuo numquam pugnaverim*, Germ. *ohne deine Ordre werde ich niemals fechten mögen*, Livius. *Aufugerim potius*, *quam redeam*, Germ. *ich werde lieber gehen mögen*, *ſo weit mich die Füſſe tragen wollen*, *als daſs ich wieder komme*, Terent. *Vbivis facilius paſſus ſim*, *quam in hac re me deludi*, Germ. *ich werde mich lieber bey aller andern Gelegenheit*, *als in dieſer Sache*, *bey der Naſe herum führen laſſen können*.

At MODVS CONCESSIVVS ibidem formam Futuri Conjunctivi retinet. Cic. *Age*, *reſtitero Peripateticis*, *ſuſtinuero Epicureos*, Germ. *wohlan! laſs es ſeyn*, *daſs ich den Peripateticis mich widerſetzen würde*.

* *Modus Potentialis* eſt, qui potentiam ſeu facultatem, debitum aut voluntatem adſignificat, et per Verba, *Poſſum*, *Volo*, *Debeo*, exponi poteſt. Eſtque magnae elegantiae, et non immerito Latinae linguae lumen appellatur.

Modus Conceſſivus, qui et *Permiſſivus* vocatur, eſt, qui conceſſionem ſeu permiſſionem ſignificat, cujus uſus potiſſimum eſt in ſecundis et tertiis perſonis, excepto Futuro, quod heic etiam primam perſonam ſubinde admittit.

p. 1578. ad loc.
MONERE *aliquem*. Exeunti loco huic ſubjice:

Moneo cum compoſitis ſuis, etiam in Paſſivo retinet Accuſativum rei. Cic. 2. de Nat. Deor. *Multa extis admonemur*.

Loco:
MONETA *adulterina*; adde: *Monetae pretium imminuere*, eine Münze devalviren. *Rei monetariae Praefecti*, Münzohmen. *Conventus rei monetariae ordinandae* vel *emendandae cauſa inſtituti*, Münz-Probations-Täge. *Explorator monetalis*, it. *argyrognomon*, Münzwardein. *Monetam adulterinam intercipere*, Münze verſchlagen.

Loco:
MORA *quadragenaria*; adde:

Quadraginta diebus moram facere ſ. *Quadragenariam moram agere in finibus regionis ſalubris*, *ob adventum e regione lue contagioſa*

tagioſa infecta; Quadragenarium ſtationem ſervare ad probandam ſuam a morbo contagioſo integritatem; Per quadraginta dies, ſejunctum ab aliis, vitam degere, ſive peſtilenti morbo re ipſa contaminati, ſive de eo tantum ſuſpecti ſimus, Quarantaine halten.

p. 1579. inſerantur:

MORE, *In morem, De more, Ex more* et *Pro more.* At hoc diſcriminis obſervandum: *More* notat et exemplar et conſuetudinem. v. g. *Hoc eo more faciendum tibi eſt;* Germ. *das muſst du eben ſo machen.* It. *Sic more fit,* Germ. *es iſt ſo die Gewohnheit. In morem* reſpicit non niſi exemplar, ad quod aliquid formari debet. *De more, ex more, Pro more,* reſpiciunt non niſi conſuetudinem.

MOVERE *in Transalpinos,* Germ. *mit ſeinem Heer gegen die Völker, ſo jenſeit der Alpen wohnen, aufbrechen,* locutio caſtrenſis eſt, ubi Verbum intranſitive capitur, notatque *motum facere, diſcedere, abire.* Sic *Graviter movet terra,* Germ. *es iſt ein ſtarkes Erdbeben.*

p. 1580. ad calcem loci:

MVLTVS *eſt;* adde: Sall. B. Jug. c. 96: *in operibus, in agmine, atque ad vigilias multus adeſſe.*

Locus: MVNIMENTA *exteriora;* ſic augeatur:

MVNIMENTA *exteriora: Opera exteriora; Opera munitioni praeſtructa,* Auſſenwerke. *Foſſa oppidi exterior,* der äuſere Graben. Vid. Act. Erudit. Lipſ. A. 1684. pag. 227. *Angulus munimenti exterior, prominens, eminens, exſtans,* vorſpringender Winkel, Angle-Saillant. *Angulus munimenti interior, ad interiora vergens l. retractus,* Angle-rentrant. *Angulus, quem ala et cortina l. chorda faciunt l. includunt,* Angle du Flanc et de la Courtine. *Angulus propugnaculi exterior,* Angle de l'epaule, Schulter-Winkel. *Angulus defenſionis major, minor,* Angle flanquant, Streich-Winkel. *Angulus polygoni,* Angle du Polygone ou de la Gorge, Kehl-Winkel. *Munimenta finium, Clauſtra imperii,* die Barriere. *Pactum de finibus tuendis initum; Pactio de ſecuritate et finibus tuendis,* der Barriere-Tractat. *Scabella l. ſcamna, quibus milites e lorica valli l. muri pugnantes, pectore ſublimiores, inſiſtunt,* Banquetten, an der Bruſtwehre des Walles. *Baſis valli, ſpiſſitudo inferior, pes ſ. inferior latitudo valli,* Baſe du Rempart. *Collis, prominentia, agger editior propugnaculi; collis moenibus ſuperſtructus,* der Catz, Cavalier. *Via propugnaculi, quae foſſam ſpectat,* Chemin de Ronde. *Ambitus aggeris l. foſſae caementicius; Murus, quo terreni aggeres aut foſſae margines inveſtiuntur l. loricantur,* Chemiſe, Verkleidung des Walls oder Fütterung des Grabens. *Initium facere foſſarum obſidionalium,* die Trencheen eröffnen. *Acclivitas foſſarum interior,* Eſcarpe. *Spatium, quod eſt inter aedificia urbis et ipſas munitiones* l. *pomoerium,* Eſplanade. *Frons operis, facies propugnaculi,* die Face am Bollwerke. *Opus ſemilunare; opus, quod dimidiatae lunae nomen habet; propugnaculum exterius in cubitum curvatum,* halber Mond. *Propugnaculum pentagonum,* eine Pfaffenmütze. *Delineatio Geometrica vallorum foſſarumque altitudinem et latitudinem, una cum interna conſtructionis forma, ope linearum vel diverſorum colorum, exhibens;* it. *Conſpectus aedificii interni ope ſectionis in tabula repraeſentatus,* der Profil. *Munimentum caeſpiticium tetragonum; Munitio frequentiſſime quadrata, raro oblonga vel quinquangula et ſemper propugnaculis deſtituta; Receptacula; Reductus; Receptus,* Redouten. *Per cuniculos munimenta hoſtium ſubire,* Sappiren. *Concava valli; fornices et cellae ſub vallis, ſervandi militaris proventus, pulveris pyrii ac praecipue ſupellectilis cauſa exſtructae,* Souterrains. *Munimentum ſtellatum, cujus ſingula latera introrſum quaſi fracta, angulosque intrantes formantia, ſimul ſumta figuram ſtellae quodammodo referunt,* eine Stern-Schanze. *Viae obſidionales, foſſae obſidionales, valli obſidionales,* Trencheen.

p. 1581.

v. 10. adde: Florus: *Modulatus tibiarum et fidium cantus.*

Convivalia nervorum fidiumque oblectamenta, Tafelmuſique. *Praecentio; Proluſio Muſica; Modulationis Muſicae initia* l. pri-

l. *primordia*, die Ouverture, womit der Anfang zur nachfolgenden Muſik gemacht wird. *Notae litterarum Muſicae*; *Signa ſonorum, litteris expreſſa*, die Tabulatur. *Ad litterarum notas Muſicam tractare aut fidibus canere*, nach der Tabulatur ſpielen.

Ad loc,

MVTARE *aliquid*. v. 2. ſeqq. dele verba: *Nota ----- debere*; et verbis *ex aliquā re* adde *res quasdam inter ſe*.

v. 5. poſt verba *Mutat quadrata rotundis*, inſere: Sall. B. Cat. c. 58: *Nemo, niſi victor, pace bellum mutavit.*

v. 16. adde: *Mutare res inter ſe* i. e. mercaturam exercere, Id. B. Jug. c. 21.

v. 22. adde: Conf. ſupra *Commutare vitam cum morte*.

p. 1583.

Locus: NAVARE *operam*; ſic exprimatur:

NAVARE *operam alicui*, tam perſonae, quam rei: *ad aliquam rem*, Curt. 7. 4. 27; *in aliqua re*, Liv. l. 7. c. 16.

Ad calcem loci:

NAVES *deductae*; ſubjiciatur:

† Confundit iſta *Caſtellio*, latinitatis ceteroquin obſervantiſſimus, in Bibliis ab ſe Latine translatis.

Locus: NAVIS *triremis*; ſic amplietur:

NAVIS *triremis*, eine Galeere. Triremes autem duobus velis atque ut plurimum ſex et triginta remis reguntur. Earum uſus praeſertim eſt in mari mediterraneo, quod vaſtas naves, quales ſunt Anglorum et Belgarum, non fert; has autem triremes navigationi peridoneas ſuſtinet. Ex quo colligitur, mare Balticum, quod navibus ſecatur vaſtiſſimis, profundius eſſe, quam mare mediterraneum.

Navis actuaria minor, eine Galiote. *Navis flammeos globos ejiciens*, eine Bombardier-Galiote. *Navis velox*; *Navis, quae maturare curſum poteſt*; *Navis bellica ſtructurae levioris*; *Navis velocitate inter ceteras eminens*, Curt. L. 4. c. 4; *Levis et fugax myoparo*, Flor. L. 3. c. 6. n. 4; eine Fregatte, eine Tartane. *Navis annotina ſeu frumentaria*, ein Proviantſchiff, Caeſ. L. 5. B. G. c. 8. et L. 3. B. C. c. 96. *Navis bellica, claſſica, praeſidiaria, longa*, ein Kriegs- oder Orlogs-Schiff, Nep. Them. c. 2. Caeſ. Lib. 4. B. G. c. 15. *Navis bellica Turcarum*, eine Sultane. *Navis bitumine et ſulphure illita*, Curt. Lib. 4. c. 3; *Navis ad incendium praeparata*, Caeſ. Lib. 3. B. C. c. 10; it. *Navigium incendendis hoſtium navibus comparatum*, ein Brander. *Navis capta*; *Navis hoſti erepta*, eine Priſe, Liv. L. 21. c. 20. *Navis conſtrata*, ein bedecktes Schiff, Cic. Verr. 10. c. 32. Caeſ. Lib. 3. B. C. c. 101. *Navis Liburnica*, eine Pelotte, ein klein Rennſchiff, Plin. L. 6. cp. 16. *Navis mercatorum*, Plaut. Bacch. 2. 3; *Corbita, ae*, id. Poen. Prologo; *Navis oneraria*, Liv. Lib. 25. c. 27. et Lib. 32. cap. 18; *Navis mercatoria*; it. *Navis actuaria*, ita vocata, quia velo potius, quam remis agatur, ein Kauffardey- oder Laſtſchiff. *Navis oraria et vectoria*, eine Treckſchyte, Sueton. Caeſ. c. 43. Plin. Lib. 10. cap. 26. *Navigium parvum*; *myoparo, majori navi adhaerens*; it. *lembus*; it. *navicula* l. *ſcapha, qua navi deſcendentes utuntur*, Curt. L. 4. c. 3. Ein Boot, eine Barque, eine Chaloupe, ein Schiff, das an ein ander gröſſers angehengt iſt. *Navis piratica*; *lembus piraticus*, eine Brigandine, ein Caperſchiff, ein Raubſchiff, Quintil. Lib. 2. c. 14. Curt. Lib. 4. c. 5. *Navis imperatoria*, Plin. L. 19. p. 157. Tom. 2. Ed. Harduineae; it. *Navis Praetoria*, Liv. Lib. 29. c. 25. ein Admiralſchiff. *Navis ſtationaria*, *Navis vigil*, *Navis ad prohibendum tranſitum conſtituta*, Ausläger. *Ponto*, it. *navigii genus, quo amnes trajiciuntur loco pontis*, eine Fähre. *Machina aditum portûs intercludens*, der Baum. *Navis capiendis halecibus deſtinata*; *Navis piſcantium haleces*, eine Buyſe, eine Herings-Buyſe. *Navis vicaria* l. *Propraetoria*, ein Contra-Admiral- oder Vice-Admiral-Schiff. *Signum navis Praetoriae*, eine Admirals-Flagge. *Naves minores, quae praeſto ſunt ad alteram onere levandam, quae neceſſitate exigente majoribus exonerandis inſerviunt*, Alleges, Ligter. *Navis roſtrata, cujus carina puppisque plana eſt*, eine Arke. *Lembus piſcatorius*, ein Fiſcherkahn. *Navis roſtrata, cujus carina puppisque plana eſt*, eine Arke. *Navis ſeptentrionalium, cui puppis rotunda eſt*, ein Chat. *Navigium armamentis navium repletum*, eine Chaſe. *Navis exiguae magnitudinis mercibus onerata*, eine Junke. *Navis clauda et mutilata* Liv. Lib. 37. c. 24; *Navis lacera et concuſſa*; *Ratis quaſſa, quaſſata, tempeſtate laeſa*, leckgewordenes, ſchadhaftes Schiff. *Navis, ex qua pilis incendiariis urbes infeſtantur*,

ſtantur, ein Balander. *Navis tabellaria Venetorum*, eine Peotta. *Navis piſcatoria*, it. *Navis oneraria aſellos piſcantium*, eine Pinke. *Rates junctae et ad tranſeundum aptatae*; it. *Naves junctae, antennis earum ſic colligatis, ut aſſeres utrimque ſuſtineant, qui exercitui flumen trajecturo pontis vicem praeſtent*, Ponton, Pont-volant, Schiff-brücke, fliegende Brücke. *Navis primae, ſecundae, tertiae magnitudinis*, ein Schiff vom erſten, andern, dritten Range. *Navis ex India redux*, Retour-Schiff. *Lembus piſcatorius*, ein Fiſcherkahn, Plin. Lib. 3. ep. 16. *Navis ſervata ex tempeſtate*, ein geborgen Schiff, Nep. Att. c. 10. *Navis ſpeculatoria* l. *exploratoria*, ein Späh-Schiff, Caeſ. L. 4. B G. cap. 26. *Navis tabellaria*, Seneca ep. 77; it. *celox*, Liv. Lib. 21. cap. 17, ein Pacquetbood, ein Advisjagd. Hic l. haec *Phaſelus* l. *Faſelus*, eine Gondel. *Navis tabulata ſumma*; *Tabulatum navis aquis proximum*, das Verdeck, der Schiffsboden, Curt. L. 4. c. 3. *Navis vectoria*, eine Fehre, Sueton. Caeſ. c. 63. *Navis ſocia* l. *adjutrix*, ein Matelot, ein Schiff, welches ein anders ſecundiren muſs. *Naves vectoriae* ſeu *navigia, quibus in ulteriora transportari poteſt exercitus*, Transportſchiffe, Curt. Lib. 8. cap. 10. *Navis conſidit*; *Navis in vadum illiditur*, das Schiff wird an eine Sandbank getrieben. *Navis in vadum illiſa eſt*, das Schiff iſt geſtrandet, Curt. Lib. 9. cap. 4. *Naves vigiles et ſtationariae*, die Brandwache, Liv. Lib. 37. c. 24. *Naves deprimere*, Schiffe in den Grund bohren, Caeſar, Cornelius, alii. *Naves in vadis adflictantur*, die Schiffe leiden Not, wegen der Sandbänke, Curt. Lib. 8. cap. 4. *Naviculae cujusmodi generis*, Fahrzeug, Hiſt. B. Afr. c. 23. *Ancoras jacere*, *claſſem conſtituere alicubi*, ſich mit der Flotte vor Anker legen, Liv. *Navem tenere in ancoris*, Corn. *In ancoris exſpectare*, *conſiſtere*, vor Anker liegen. *Rudentes ſuccidere*, *ancoras praecidere*, Cic. *Ancoralia incidere*, Liv. die Anker abkappen. *Ancoram ſolvere*, Cic. *Ancoras moliri*; *tollere*, *levare*, *allevare*, *vellere*, Corn. den Anker heben, lichten. *Piraticam facere* ſc. artem, Cic. poſt Red. in Senat. c. 5; *Piraticam exercere*, Juſtin. Lib. 9. cap. 3. ein Seeräuber ſeyn: conf. Part. Etymol. Sect. 2. voc. *Pirata*. *Navem remulco trahere*, vermittelſt eines Zieh-Seils das Schiff fortbringen. Liv. Lib. 25. cap. 30. *Nudam navem omnibus exportatis relinquere*; *navem exarmare* ſ. *armis exuere*, ein Schiff abtackeln, Sen. Conſol. ad Helv. cap. ult. *Hiemandi cauſa portum ingredi*; *Subducere navim*: ein Schiff auflegen. *Deducere navem*, auslaufen: Conf. locum proxime praecedentem. *Dolia vacua vadoſis marium locis pro ſigno ſuperimpoſita*, leere empor ſchwimmende Fäſſer oder Tonnen, auf einen gefährlichen Ort des Meers gelegt. *Pharus*; *ignes in turribus* vel *ſpeculis*, *ad maris litus exſtructis*; *ignes praenuntiativi*, Warnungs-Feuer, Plin. *Nocturno navium curſu ignes oſtendere ad praenuntianda vada portusque introitum*, id. *Ex turri noctibus ad regendos navium curſus ignes emicant*, Sueton. *Reparare navem*; *quaſſatas naves reficere*; *biantes navis partes et rimas carinae ſtupa et pice explere*, Calfatern. *Refectio navis lacerae*, Calfaterung. *Curator navis reficiendae*, Calfateur. *Adgredi et occupare navim*; *in latera navis invehi*, Entern. *Lectus nauticus*; *lectus in navi penſilis*, eine Hangmatte. *Fabrica navium*, *Officina navium*, der Holm. *Brevia ac Syrtes*; *pulvinus* it. *dorſum maris*, eine Sandbank. *Vela ſubmittere* l. *demittere*; it. *vexillum navis honoris cauſa ſubmittere*, Segel ſtreichen. *Paratum eſſe ad navigandum*, Segelfertig liegen, Caeſ.

p. 1585.

v. 4. ſeqq. ſic lege:

Eraſmus paſſim in Moria et alibi, dicit *Nauſeare ad aliquam rem* v. g. *Ad mentionem hujus rei nauſeo*. Sic etiam *Voſſius* de vit. Praefat. p. m. antepenult. *Ut non ſaepius ad iſtiusmodi argumentum nauſearet*: it. *Busbequius* ep. 4. p. m. 344: *Alii, lautioribus menſis adſueti, ad atri panis, ejusdemque ſicci, quotidianum eſum nauſeabant*: *Id.* de re milit. contra Turc. inſtit. Conſ. p. m. 482: *Ad medicinae mentionem nauſeant*. At hujus ſtructurae nullam huc dum invenire potui apud veteres auctoritatem.

p. 1587. ad loc.

NECESSE *habere*. v. 20. adde: nempe in poſteriori loquendi modo *Neceſſe eſſe*, quum prior loquendi modus *Neceſſe habere* tertia hac conſtruendi forma vix usquam omnino inveniatur, vel, ſicubi inveniatur, *Ut* per ellipſin haud omittere ſoleat.

v. 26. poſt verba *nihil eſt neceſſe*, inſere Id. pro P. Quinctio: *Verum his de rebus non neceſſe habeo dicere ea, quae me P. Quinctius cupit commemorare*. Petron. *Doctores neceſſe habent cum inſanientibus furere*.

Inſeratur:

NEC QVIDEM etſi ſaepe apud optimos ſcriptores reperitur, nec in Cicerone rarum eſt: librariis tamen, quam ipſis auctoribus, tribuere malunt viri in veterum lectione verſatiſſimi, Gronovius, Graevius ad Sueton. Tib. c. 15. Bentlejus ad Horatii l. 2. ſat. 3. v. 265. Dukerus ad Flori l. 2. c. 7. Cort. ad Salluſt. B. Jug. c. 3. v. 3: quibus nuper et Facciolatus in recenſendis Ciceronis officiis adſenſit, qui multa eorum loca, praeeuntibus libris, emendavit. *Heuſ.* obſ. antib. 474.

p. 1588. ad loc.

NEDVM. v. 8. ſic lege: V. g. Cic. *Non numerarem* etc.

v. 12. poſt verba *ut creditum abjuret*, inſere: Sall. B. Catil. *Secundae res ſapientium animos fatigant: ne dum illi, corruptis moribus, victoriae temperarent.*

Inſeratur:

NEGARE *alicui aliquid* et *de aliqua re.*

* Sall. B. Jug. c. 81: *Neque illi Senatus, quamquam adverſus erat, de ulla negotio negare audebat.*

p. 1591.

Locum NI, NISI, ſic amplificabis:

NI, NISI, SI, SIN, SIQVIDEM, QVOD, QVIA adhaerent magis Indicativis, in oratione directa, unde incipimus plurimum, et quando res facta ſignificatur. Cic. *Si illuſtrantur, ſi erumpunt omnia.* Id. *Si vales, bene eſt.* Terent. *Mirum, ni domi eſt.* Adhaerent magis Conjunctivis, in oratione obliqua, et quando potentialem, conditionalem et incertum ſermonem efficere volumus. v. g. *Si facias,* wenn du es thun wolleſt; *Si faceres,* wenn du es thun würdeſt; *Si feciſſes,* wenn du es würdeſt gethan haben. Cic. *Id te ſcire volui, ſi quid forte ea res ad te pertineret.*

Nota: *Niſi*, quatenus corrigendi particula eſt, ſemper fere Indicativo, rariſſime Conjunctivo jungitur. Cic. pro Mur. *Nemo ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit.*

Inſeratur:

NIHIL uſitate et eleganter pro *Nemo* et *Nullus.* v. g. *Nihil hoc viro elegantius, nihilque doctius eſt l. fingi dicique poteſt,* pro *Nemo hoc viro elegantior, nemoque doctior eſt l. fingi dicique poteſt.* Petronius: *Nihil eſt hominum inepta perſuaſione falſius, nec ficta ſeveritate ineptius,* pro *Nulla res eſt hominum inepta perſuaſione falſior, nec ficta ſeveritate ineptior.*

Nolt. Suppl.

p. 1592. ad loc.

NIHILOMINVS. v. 3. pro *uſitatum non eſt,* lege, *admodum infrequens eſt.*

Loc. NIHILO SEGNIVS legatur ſic:

NIHILO SEGNIVS pro *Nihilo ſecius,* ſunt, qui interdum apud veteres poni arbitrantur. V. g. ap. Salluſtium B. Jug. cap. 75. Cornelium Dat. c. 2. Curt. l. 4. c. 6. Liv. l. 7. c. 18. Sed multum vereor, ne in eo falſi ſint, depravatas codicum ſcripturas ſecuti. Apud Salluſtium enim *nihilo ſecius* legendum eſſe docet Cortius: quod et in Cornelio Nepote fieri debere, oſtendit Cl. Heuſingerus ad Datam c. 2. v. 5. Apud Curtium l. c. v. 25. occurrit *nec tamen ſegnius,* ibidemque et in Liviano loco id propriam ſignificationem retinet, nec pro *nihilo ſecius* poſitum eſt. Vide Drakenb. ad Liv. L. 6. c. 38. n. 8.

Ad loc.

NIMIVS *eſt imperii.* v. 3. adde: *Nimius eſt in utrumque partem,* Germ. er thut der Sache entweder zu viel oder zu wenig.

v. 4. deleantur verba: *Elegans loquendi modus.*

p. 1594.

v. 5. ſubjice:

* Eodem modo etiam *Clarus* conſtruitur.

Ad loc.

NOCTESQVE DIESQVE. v. 4. poſt verba *Diebus et noctibus;* inſere: *Noctes et dies,* Cic. pro Arch. c. 11. *Die ac nocte,* Jul. Caeſ. B. C. L. 3. c. 56. n. 8. *Die noctuque,* Sall. Jug. c. 38. it. c. 70. *Noctes dieſque,* Hirt. B. Afr. c. 28. n. 5.

p. 1595.

Locum: NOMINA *mala;* ſic locupletabis:

NOMINA *mala,* Schulden, die mit

vielem

vielem Mahnen eingebracht werden. *Nomina bona*, l. *idonea*, gewiſſe Schulden. *Nomina ancipitia*, ungewiſſe Schulden. *Nomina expedita*, *explicata*, Liquide Schulden. *Nomina impedita*, alte, verlegene, illiquide Schulden. *Nomina facere*, den Debitoribus borgen: at *Nomen locare*, ſich den Creditoribus verſchreiben.

Ad calcem hujus loci adde: Ita enim Columella L. 1. c. 7: Optima nomina non appellando ſunt mala.

Inſeratur:

NOMINATIVVS interdum per Enallagen pro Vocativo occurrit, praeſertim apud Poëtas. Lucanus: *Degener o populus*, pro *popule*. Virgil. 1. Aen. *Adſis laetitiae Bacchus dator*, pro *Bacche*.

Sic et Graeci. Matth. 1, 20: Ἰωσὴφ, υἱὸς Δαβὶδ, Joſeph, filius David, h. e. fili Matth. 27, 29: χαῖρε, ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, Salve, Rex Judaeorum, h. e. ὁ Rex. Homer. Iliad. 3. Ζεῦ πάτερ, ἠέλιος θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις, Juppiter pater, et ſol, qui omnia vides et omnia audis: pro ἠέλιε.

p. 1596.

NON AVDEO DICERE elegans formula, ſi quid in medio orationis curſu, dolore praepediti, obticemus. v. g. *Cum totius orientis viribus in nos ingruat, quam paratos non audeo dicere.*

v. 46. lege: Cornelius, ipſe Cicero filius aliique Infinitivum ſubſtituunt.

p. 1597.

v. 22. ſeqq. ſic lege: nec interrogativa, vel, ſi *dubito* idem ſignificat, quod *non audeo*; ſequitur *An*, *Num*, *Vtrum*; numquam autem Infinitivus. v. g. Recte dixeris, *Dubito*, *an*, *num*, *utrum*, *haec res ita ſeſe habeant*: perperam autem dixeris, *Dubito*, *hanc rem ita ſe habere*.

p. 1598. inſeratur:

NON LONGE ABIERIS i. e. *non longe petantur exempla*, *exempla tibi in promtu ſunt*, *exemplis domeſticis uti potes*, Germ. *Exempel darfſt du nicht weit ſuchen*, *die tägliche Erfahrung giebt ſie dir an die Hand*, locutio elegans ap. Cic. L. 12. ep. 18.

p. 1599.

v. 37. poſt verba *devinctum putarem*, inſere: Id. L. 14. ep. 15: *O hominem ſemper illum quidem mihi aptum, nunc vero etiam ſuavem: vultus mehercule tuos mihi expreſſit omnes; non ſolum animum ac verba protulit.*

p. 1602. ad loc.

NOVVM *annum optare*. v. 1. pro NOVVM *annum optare alicui*, lege NOVVM *annum optare l. precari alicui*.

v. 6. adde: Veteres heic dixiſſent: *Proſperae tibi ſint Kalendae Januariae*; it. *Deus tibi proſperet*, *fortunet*, *fortunatas eſſe jubeat*, *bene evenire jubeat Kalendas Januarias*.

p. 1603. inſerantur:

NVCES *inanes et ſine medulla ventoſae*, Germ. *taube Nüſſe*. His opponuntur *Nuces graves et plenae integro fructu*, Germ. *Nüſſe mit ſchönen und vollen Kernen*. Hae bina locutiones in Arbitro occurrunt.

NVMERALIA CARDINALIA, cum definita, ut *duo*, *tres*, *quattuor*, *quinque*, *ſex*, *ſeptem*, *octo*, *novem*, *decem*, *undecim*, *duodecim*, cet. it. *centum* et *mille* Adjectivum; tum indefinita, ut *aliquot*, *quot?* *tot*, *totidem*, Adjectiva ſunt, et quidem, exceptis binis prioribus, indeclinabilia, quae numerant, non numerantur, nec per ſuam ipſorum naturam numerari poſſunt, niſi quum degerant in entia ſ. Subſtantiva, certum aliquem numerum determinantia: qualia ſunt *biga*, *triga*, *quaternio*, *pentas*, *hexas*, *heptas*, *ogdoas*, *enneas*, *decas*, *hendecas*, *dodecas*, cet. it. *centuria* ſ. *hecatontas*, et *mille* ſubſtantive poſitum ſ. *chilias*. Ergo non dicendum eſt v. g. *ſex octo*, *ſex decem*, *ſex centum*, *ſex mille*; ſed *ſex ogdoades*, *ſex decades*, *ſex centuriae* ſ. *chiliades*: nec dicendum eſt *aliquot octo*, *aliquot decem*, *aliquot centum*, *aliquot mille*; ſed *aliquot ogdoades*, *aliquot decades*, *aliquot centuriae* ſ. *hecatontades*, *aliquot millia* ſ. *chiliades*.

Conjunguntur quidem Numeralia Cardinalia, ſed non niſi per modum additionis, ita, ut fieri debeat modo per copulam, modo ſine copula. v. g. *Decem novem*

vem l. *Decem et novem*; it. *Viginti quinque* l. *Viginti* et *quinque*. Atque hinc fit, ut *viginti decem*, quod tamen vix in uſu eſt, idem ſit, quod *triginta*, non autem idem, quod *vicies decem* ſ. *viginti decades*; et ut recte dicas *mille et aliquot*, non *aliquot mille*; ſed *aliquoties mille* l. *aliquot millia*.

Dixi: *Vicies decem*, *aliquoties mille*. Quodſi enim Numeralia Cardinalia augenda ſunt, id ſane per eorum naturam non niſi per modum multiplicandi fieri poteſt, atque ſic Adverbiis utendum dicendumque eſt, non *ſex octo*, ſed *ſexies octo*; non *ſex decem*, ſed *ſexies decem*; non *ſex centum*, ſed *ſexies centum*; non *ſex mille*, ſed *ſexies mille*: it. non *aliquot octo*, ſed *aliquoties octo*; non *aliquot decem*, ſed *aliquoties decem*; non *aliquot centum*, ſed *aliquoties centum*; non *aliquot mille*, ſed *aliquoties mille*.

Quemadmodum autem Numeralia Cardinalia, ita etiam Numeralia Diſtributiva non aliter augeri poſſunt, niſi per modum multiplicandi, qui fit per Adverbia. Quare non dicendum eſt *Aliquot viceni*; *Aliquot centena millia*: ſed *Aliquoties viceni*; *Aliquoties centena millia*: non *tres viceni*; *tria centena millia*: ſed *ter viceni*; *ter centena millia*.

Ponuntur autem haec Numeralia Diſtributiva loco Cardinalium, quoties Nomina illa Subſtantiva, quibus numerum addimus, ſunt non niſi Pluralis Numeri. v. g. *Binae litterae*, non *duae*; *Trinae nundinae*, non *tres*, cet. Conf. Part. Etym. Sect. 2. voc. *Bini*. A Poëtis ponuntur, quoties metri neceſſitas id exigit: immo etiam interdum Multiplicativa.

p. 1604.

v. 1. verba *vicies bis*, tolle.

v. 19. ſeqq. ſic lege:

* Veteres non ſemper *primum et ſecundum*, ſed et frequentius *primum et alterum*: non ſemper *viceſimo primo die*, ſed etiam *uno et viceſimo die*. Dicunt etiam v. g. *pro trigeſimus ſecundus*, vel uſitate *trigeſimus et alter*, vel interdum etiam *alter trigeſimus*.

4. Supra *Centum* minor numerus poſtponitur, ſive accedat, ſive omittatur copula.

* V. g. *Centum et novem annos vixit*. *Vt victimae majores immolarentur centum viginti*, Liv. Lib. 30. c. 21. *Anni quadringenti et ſeptuaginta Mille et quadringenti*. *Imperium Aſſyrii, qui poſtea Syri dicti ſunt, mille trecentis annis tenuere*, Juſtin. L. 1. c. 2. n. 13. *Centies vicies*; it. *Centies et vicies*.

† Et ſane ita plerumque eſt, et his regulis propterea inhaerendum puto. Neque tamen iſtae omni exceptione carent. Dantur enim exempla, ubi infra viginti etiam minor numerus praeponitur et major ſubſequitur, cum et ſine copula. v. g. *Tres et decem*, quod interdum reperitur. Plin. L. 8. ep. 18: *Ante octo et decem annos*. Dantur etiam exempla, ubi infra centum et ſupra viginti major numerus praeponitur, minorque ſequitur. ſequente nimirum copula. V. g. *Viginti et quinque naves Praetor ſcribere juſſus eſt* Liv. L. 2?. c. 27. *Triginta omnino et duo ex peditibus deſiderati ſunt*, Curt. L. 3. c. 11. extr. Quin etiam ſupra centum major numerus poſtponitur apud Curtium: *Quattuor et quingenti ſancii fuere*.

5. *Mille* Subſtantivum, in Plur. *Millia*, augetur Numeris Cardinalibus vel Diſtributivis.

* V. g. *Duo millia virûm*, *Centum millia*, *Trecenta millia*, *Centena millia*, *Millena millia*.

At *Mille* Adjectivum augetur per Adverbia. V. g. *Bis mille*, *Decies mille*. Similiter, ut *Centum* v. g. *Bis centum*, *Ter centum* et reliqua Numeralia Cardinalia et Diſtributiva. Confer locum proxime praecedentem.

Numerus, qui ultra *Centum millia* ſ. *Centena millia*, aut *Millena millia*, eſt, Adverbiis ſimiliter augetur.

* V. g. *Decies centena millia*; *Ter millena millia*, *Tricies centum millia*. Plin. L. 2. c. 108: *Octuagies quinquies centena ſeptuaginta octo millia paſſuum*, 8578000.

Hinc perperam dicitur v. g. *Duodecim centena millia*: quum dicendum ſit *Duodecies centena millia*.

Nota: *Mille* Adjectivum Plurale et indeclinabile eſt: *Mille* Subſtantivum in Singulari ἄκλιτον eſt, idem notans, quod Graecorum χιλιάς, et in Plurali habet *Millia*, *ium*, cet. Hinc dicunt *mille milites*, *unum mille militum*, *duo* l. *bina millia militum*. *Millena millia* vix apud Latinos occurrerit: pro eo *decies centena millia* ſemper dixerunt.

Hinc quoties *Mille* Subſtantive ſumitur, in Singulari augeri nequit. Neque enim dicere poſſum *Duo mille militum*, quod

ἄτοπον foret, ſed *Duo millia militum* l. *bina millia militum* l. *bis mille milites.*

p. 1606. Locus:

NVMERALIA *Diſtributiva*; totus expungatur.

p. 1609. inſeratur:

NVMISMA SVMBOLICVM, *Numiſma memoriale*, *Nummus in memoriam ſingularis rei* l. *facti cuſus*, eine Medaille. *Numiſma ſymbolicum majoris modi* l. *formae*, ein Medaillon. *Facies nummi adverſa*, *capite ſignata*, die Seite einer Munze, worauf das Bildniſs ſteht. *Facies nummi averſa*, der Revers.

Locus: NVMMI *vacui*; ſic augeatur:

NVMMI *vacui*, vel *Pecunia otioſa*, ein todtes Capital, Plin. L. 10. ep. 62. *Nummi cauti*, Geld, worüber man eine Verſicherung hat, Horat. L. 2. ep. 1. *Acceſſio nummorum ad ſortem* l. *ſummam*, Vermehrung des Capitals, Cic. Verr. 5. c. 39. *Nummi omnis notae, ſed minoris duntaxat*, allerhand kleine Münze. *Nummi omnis notae*, groſs und klein Geld, Sueton. Aug. c. 75. *Nummi leviores et acciſi*, Geld, das zu leicht und beſchnitten iſt, Busbeq. 204. *Nummi Sterlingicorum libra*, ein Pfund Sterling. *Nummi, qui ab octonario numero nomen habent, et Imperialem valore aequant*, ein Stück von Achten. *Solidus aureus Gallorum quinque Imperiales valens*; *Aureus Ludovicianus* *l. Ludovici Regis imagine inſignitus*; *Nummus aureus de Ludovico nomen habens*, Louis d'or. *Nummus, qui Imperialem tertia parte ſuperat*, Scudi. *Leviorem uſuram conſtituere*, Plin. L. 10. ep. 62; *Quantitatem uſurarum minuere*, Id. L. 10. ep. 63, die Zinſe vermindern. *Fenus agitare et in uſuras extendere*, Tacit. Germ. *Summam pecuniae fenori dare* l. *in fenus ponere*, ein Capital auf Zinſe austhun. *Pecuniae trapeziticae fenus, quod nunc in uſu eſt*, Geld-Cours. *Occupare pecuniam*, Geld auf Zinſe thun, Geld auslegen. *Gratuito proponere alicui pecuniam*, einem Geld ohne Zinſe anbieten, Suetonius Tib. c. 48. *Dare alicui pecuniam gratuitam*, einem Geld ohne Zinſe leihen, Plin. L. 3. ep. 11. *Numiſmatis materiam mixtura quadam vitiare*, Geld fälſchen. *Numiſmatis pretium circumcidendo minuere*, Geld beſchneiden. *Commutare nummum argenteum craſſiorem minutulis nummis*, ein Stück Geld verwechſeln, auswechſeln. *Commutare minutulos nummos numiſmate majoris pretii*, ein Stück Geld einwechſeln.

p. 1610. inſeratur:

NVNTIVS APOSTOLICVS in expeditione negotiorum publicorum utique retinendum eſt; in eloquentiae foro et in elegantiori ſermonis *συναφείᾳ* pro eo interdum Latine dixeris, *Legatus* l. *Orator Romani Pontificis.*

Ad loc.

O, exclamandi particula.

v. 11. adde: Id. *Huc ades, ó Galatea.*

p. 1611.

Locum: OBLIVISCOR *tui*; ſic auge:

OBLIVISCOR *tui* et *te*; *nominis tui* et *nomen tuum*; *Oblivisci nominis ſui* et *nomen ſuum.*

p. 1612. Loco:

OBSATVRARI *alicujus*; adde: Ceteroquin etiam dicimus, *Obſaturari aliqua re.*

Loco:

OBSECRO *hunc rem te*; ſubjice:

* Cic. *Itaque te hoc obſecro.* Plaut. *Si me fas eſt obſecrare abs te, pater.*

p. 1613. Loco:

OBTRECTARE *alicui*, haec ad finem ſubjice:

* *Obtrectare* autem plus eſt, quam *de fama alicujus detrahere*, *laudem imminuere*, *male exiſtimare*, *criminari*. *Obtrectat*, qui non modo alteri invidet, ſed in rebus agendis etiam adverſatur, et contrariae partis eſt, dictis factisque ejus voluntatem, dignitatem famamque oppugnat, quod Gallis dicitur *contrecarrer*. Cic. l. 4. Tuſc. Quaeſt. c. 8: *Obtrectatio eſt ea, quam intelligi Zelotypiam volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ille ipſe concupiverit.*

p. 1614.

OCCALLVIT *corpus plagis* et *ad plagas*. Sed prior modus reſpicit cauſam

ſam efficientem; poſterior illud ipſum, quod inde effectum eſt.

p. 1617.

v. 17. pro ὁμοιοτέλευτα lege ὁμοιόπτωτα haec.

v. 46. vocabulo *hilari* apponatur colon.

v. 50. ſeqq. lege ſic: In ſermone autem familiari ὁμοιοτέλευτα non minus, quam ὁμοιόπτωτα e. g. in epiſtolis ad familiares, praeſertim jocoſis, non inſuavia ſunt. Ita ipſe Cicero ad Coelium ſuum L. 2. ep. 12: *Quicquid erit, tibi erit.* Et ep. 18: *Si quid offenderit, ſibi totum, nihil tibi offenderit.* Et L. 13. ep. 10: *Quae mea ſententia in ſenatu facile valuiſſet, niſi Panſa vehementer obſtitiſſet.*

p. 1618.

v. 30. lege: per incuriam hujusmodi ὁμοιοτέλευτα et ὁμοιόπτωτα exciderunt.

Locus: OMNIA EST; ſic efferatur:

OMNIA EST, i. e. *principatum obtinet, apud Regem plurimum valet, omnia poteſt apud Principem, auctoritate ſua omnia efficere poteſt*, Germ. *er iſt alles, er iſt das fac totum*, bene. Livius etc.

Inſeratur:

OMNIS Pronomini Subſtantivo *Sui, Sibi, Si*, rarius; uſitatius autem et venuſtius QVISQVE jungitur. v. g. Pro *Omnes ſe diligunt*, elegantius dixeris *Quisque ſui amans eſt.*

* Cic. de Amic. c. 21: *Ipſe ſe quisque diligit, non ut aliquam a ſe ipſo mercedem exigat caritatis ſuae, ſed quod per ſe ſibi quisque carus eſt*

p. 1620. inſerantur:

OPERARI pro *Operam dare alicui rei, Operam ponere in aliqua re*, Dativo jungitur. v. g. *Operari ſacris, liberalibus ſtudiis, rebus Veneris.*

Operari pro *Efficere*, Accuſativo jungitur v. g. *Operari ſacra* Germ. *Opfern*; *Luna operatur noctem.* Sed hac notione et conſtructione rariſſime, nec niſi fere apud Poëtas occurrit.

OPITVLARI *alicui aliqua re, in aliqua re* et *ad aliquam rem.*

p. 1622. ad loc.

OPPORTVNITATES CORRVMPIMVS; adde ſub finem: Salluſtiana locutio eſt, B. Catil. c. 44.

Inſeratur:

OPVS *fervet*, Germ. *die Arbeit geht hitzig fort*: cui contraria ſunt, *Opus pendet, Opus friget, Me, quantum heic operis fiat, poenitet.*

p. 1624.

v. 7. adde: Conf. *P. Manutii* Comment. ad Lib. 11. Cic. ep. 11.

v. 10. ſeq. ſic lege:

Apud Comicos cum Accuſativo, licet rarius, conſtruitur.

Inſerantur:

ORATIO DEVOTA duplici nomine perperam dicitur: primo quidem, quod *oratio* non uſurpatur de *precibus*, ſed de ſermone tantum; deinde quod *devotus*, abſolute poſitum, non ſignificat id, quod *pius*. Dic ergo pro eo, *preces ſanctae; preces piae, curatae et religioſae.*

Eamdem ob cauſam *Oratio Dominica*, quod tamen in ſtilo Theologico et Eccleſiaſtico jus ſuum teneat, in elegantiori Latio exprimatur per *ſollemne illud precationis carmen, quod Chriſtus ſuis ſectatoribus ac diſcipulis praeivit.*

ORATIO METRICA i. e. *oratio vorſa, ligata*, improbatur ab H. Stephano de abuſu L. G. c. 9, quod ne Graeci quidem μετρικὸν λόγον dicere ſoleant. *Heuſ.* obſ. 415.

ORBIS LITTERATVS in rerum natura nullus eſt. Vnum tantum orbem terrarum novimus, litterarum rudibus cum eruditis communem. Itaque *quantum eſt hominum eruditorum* potius dices, quoties univerſam eorum multitudinem intelligi voles. Sic *Heuſingerus* obſ. antib. 477. exiſtimat, cenſor linguae Latinae paullo heic rigidior, ut mihi quidem videtur. Quum enim olim *Reſp. Romana* et aliae mundi partes *orbis* nomine veniant, et *orbis Romanus, orbis Carthaginienſis* idem ſit, ac *pars mundi ea, ubi Romani, Carthaginienſes ſedem ac domicilium habent;* quidni dicamus *orbem litteratum* pro patentiſſimis illis orbis terrarum regioni-

gionibus, ubi litterati potiſſimum degunt vel exſplendeſcunt?

p. 1625. ad loc.

ORDINES *ſervare*. v. 16. pro *Manipulos laxare*, lege *Manipulos* l. *ordines laxare*.

p. 1626. inſerantur:

OSCITARE, et auctore Pauto deponentaliter *Oſcitari*, *heſterna potatione*, Quintil. et *heſternam crapulam*, Auguſtinus. In poſteriori conſtruendi modo *ob*, *propter* vel ſimile aliquid intelligi videtur.

PALAM Adverbium eſt. v. g. *Eripere aliquid ab aliquo palam; Divulgare aliquid palam; Aperte ac palam aliquid facere; Aperte palamque dicere; Palam facere aliquid alicui; Palam beatus*, cet. Sed degenerat etiam interdum in Praepoſitionem, et hunc adſciſcit Ablativum. Liv. Lib. 6: *Inde rem creditori palam populo perſolvit.*

PALLIARE ERRORES: vide ſupra *Incruſtare errores.*

p. 1627. ad loc.

PANIS *ater*. v. 23. poſt verba *Seneca Ep. 119*, inſere: *Panis triticeus*, Weitzen-Brodt. *Autopyros* i. e. panis ex farina triticea factus ſine excretione: quem Cicero 5. Tuſc. c. 34. *panem cibarium* vocat: Germ. Weitzen-Brodt, da das Grobe mit dem Kern vermenget worden. *Panis ſpongioſus*, Los Brodt. *Panis denſus*, dicht Brodt. *Panis aquaticus*, Brodt mit einer Waſſer-Rinde. *Purgare panem cultello, ſi quid haeret vel cineris vel carbonum in cruſta*, Brodt ſäubern.

p. 1628. ad loc.

PAR conſtruitur. v. 23. adde: Corn. *In eo magiſtratu pari diligentia ſe Hannibal praebuit, ac fuerat in bello.*

p. 1631.

v. 10. ſubjice:

e. *Participare aliquid alicui*: ut Lactantius l. 5. c. 6. pr. et Paulinus ep. 12. ad Severum loquitur.

f. *Participare aliqua re*; qua conſtructione utitur Sulp. Sev. l. 2. Hiſt. S. c. 1. n. 3. c. 12. n. 6.

Inſeratur:

PARTICIPIA, quum in Nomina degenerant, et pro Caſu Verbi Genitivum adſciſcunt; mutatur ſignificatio et tempus amittunt. Ita dicitur *fugitans lites*; qui jam fugit; ſed *fugitans litium*, qui fugere ſolet: *patiens inediam*, qui jam patitur; *patiens inediae*, qui pati adſuevit.

p. 1633. Inſeratur:

PASSIVA pro Ablativo agente, qui cum Praepoſitione *A* vel *Ab* conjungitur, interdum etiam habent Dativum: et id quidem in proſa non niſi fere Dativus hic jungitur Praeterito Participii v. g. Cic. L. 13. Attic. ep. 24: *Ego audita tibi putaram.* In verſa autem hic Dativus ubique Paſſivo jungi poteſt. v. g. Ovid. L. 5. Triſt. Eleg. 11.

Barbarus heic ego ſum, quia non intelligor ulli, pro *ab ullo*.

In proſa quidem ſimiliter hic Dativus Paſſivo ubique jungi poteſt; ſed eo modo, et ea notione, qua omnia Verba adquiſitiva Dativum adſciſcunt. Nam, ut *non probas hoc mihi*; ſic dicitur, *non probatur hoc mihi*. Nec tamen poſſis ſemper exponere per Ablativum cum Praepoſitione. Vt, quum dico: *Mihi peccatur, mihi dormitur.* Vbi non liceat dicere, *A me peccatur* vel *dormitur*: quae longe aliud notant.

At *videor* in ſignificatione illa, qua pro Graeco *δοκῶ* ponitur, ſemper Dativum adſciſcit. v. g. Cic. L. 14. ep. 2: *Mihi videbor reſtitutus.* Sic, *Hic juvenis videtur mihi diligens.* Nec enim, *videtur mihi* recte heic expoſueris, *videtur a me*.

p. 1636. inſeratur:

PAVLLO POST uſitate: interdum ordine inverſo *Poſt paullo*. v. g. ap. Sall. B. Cat. cap. 18. et B. Jug. c. 78 et 106.

Locum: PECCARE *aliquid*; ſic locupletabis:

PECCARE *aliquid*, *alicui*, *in aliquem* l. *in aliquam rem*, *aliqua re* et *in aliqua re*.

Dicunt etiam Paſſive *Peccari*. Cic. *In patris vita violanda multa peccantur.*

Peccare contra aliquem, timide uſurpem: nec enim me id legiſſe memini apud idoneum ſcriptorem.

p. 1638.

Locus: PECVNIA *numerata*; ſic exprimatur:

PECVNIA *numerata*, *praeſens*; Cicero;

cero: *Pecunia parata, expedita, prompta*, alii bonae notae ſcriptores: *Argentum praeſentarium*, Plautus: ἀϱιθμητὰ χϱήματα, Graeci: Germ. *baar Geld*.

Inſerantur:

PEGMA FERALE, it. *Tabulatum ſolubile, quo in ſuppliciis quorumdam utuntur*, ein Chavot, Echaffaut.

Palus infamis, der Kahk, Pranger.

p. 1639.

v. 15. adde: Item: *Illius promiſſis non admodum pendendum.*

v. 21. ſeqq. ſic lege:

Quando *Dubium, ſollicitum, anxium eſſe* ſignificat, et in Singulari ponitur; non niſi cum Genitivum Singulari *Animi*: quando autem in Plurali ponitur; non niſi cum Ablativo Plurali *Animis* conjungitur: quamvis hac ipſa notione etiam ponitur abſolute.

v. 29. 30 et 31. deleantur, et loco eorum apponantur haec ſubſequentia:

Perperam ergo dicas: *Pendeo animo*, quum dicendum ſit *Pendeo animi*; et *Pendemus animorum*, quum dicendum ſit *Pendemus animis*.

p. 1640.

Locus: PER et PERQVAM ſic efferatur:

PER et PERQVAM ne ſuperlativis temere jungas. Neque enim dicimus *Perquam optimus*, ſed *Quam optimus*; nec *Peroptime, Perbreviſſimus*, ſed *Perbene, Perbrevis*.

Interdum tamen Superlativo apud veteres junctum reperimus: ut apud Columellam, qui habet *Perpauciſſimi agricolae*.

Loco:

PER ACCIDENS; adjungatur: *Hoc fortuitum, hoc adventicium eſt; fortuita atomorum concurſio; concurſus rerum fortuitarum; hoc fortuito accidit; hoc caſu et fortuito factum eſt; hoc ita fortuito; hoc in caſu ſitum eſt; hoc repentino aliquo motu accidit.* Sic Cicero pro *Hoc fit per accidens*.

Inſeratur:

PER MAIORA vulgo et perperam: dic, *per plura ſuffragia, majori parte ſuffragiorum, plurimorum ſententiâ*.

Ad calcem loci:

PER QVINQVE *dies*; adde: Confer infra *Verbum omne regit Accuſativum*.

p. 1641. inſeratur:

PERAGRARE *ſaltus* et *circa ſaltus*, tranſitive et intranſitive. Intranſitiva tamen notio non adeo frequens apud bonae notae ſcriptores: apud LIVIUM certe non numquam occurrit v. g. h. l. c. 4: *Venando peragrare circa ſaltus.*

Locum: PERCONTARI *aliquem*; ſic exprime:

PERCONTARI *aliquem, quid factum ſit*: it. *Percontari ex aliquo, aliquid* et *de aliqua re*.

* Curt. &c.

p. 1642.

v. 25. ſubjice:

Objectum ſeu id, quod a periculo afficitur, non modo cum Ablativo ſimpliciter, ſed etiam addita Praepoſitione *De* conſtruitur. v. g. *Periclitari ſalute* et *de ſalute*.

p. 1643.

v. 5. ſeqq. ſic lege:

Dicunt etiam veteres *Periculum facere alicujus rei*. Quod tamen aliquando idem eſſe, quod *adire diſcrimen*, ex Salluſtio, ejusque aemulo Tacito doceri poteſt. Dicunt enim: *Periculum facere fortunae, gloriae, pecuniae, libertatis* i. e. objicere periculo fortunam, gloriam, pecuniam, libertatem ſuam.

Tandem etiam effertur haec locutio cum Dativo perſonae, ſed alia prorſus notione; ita, ut *periculum facere alicui* idem ſit, quod *periculum alicui intendere, inferre*. Vid. Salluſt. B. Cat. c. 33.

p. 1644. inſeratur:

PERMVTARE *aliquid aliqua re* et *cum aliqua re*.

Ad loc.

PERSONARVM ACCEPTIO v. 7. adde: ita vertit: quamlibet hae locutiones jam deprehendantur apud Tertullianum Exhortat. ad caſtitatem c. 7. et Cyprianum Epiſt. 15. fin. it. 74.

Exeunti loco huic adde: *Khunius* ad Voſſ. p. 18.

p. 1645 Loco:

PERSVADERI *ſe patitur;* adjice, deleto ad calcem: *et 167.*

Et verbo ſimplici *Suadeo* ad eumdem modum uſus Apulejus Metamorph L. 9. p. 360: *Vxorem ejus tacite ſuaſi, ac denique perſuaſi* Et paucis interjectis: *Suadebat maritum, temporius quieti decedere.* Et Tertullianus de Habitu muliebri c. 1: *Tu es, quae eum ſuaſiſti, quem diabolus adgredi non valuit. Kbnnius* l. c. p. 18. §. 33. Conf. ſupra *Diſſuadere aliquem ab aliqua re;* it. Part. Part. Etymol. Sect. I. *Suadeor.*

p. 1646.

v. 4. ſeq. ſic lege:

Dicunt porro veteres: *Pertaeſus ſum,* et Impersonaliter *Me pertaeſum eſt hujus rei et hanc rem.*

Inſeratur:

PERTINERE *ad aliquem,* et ATTINERE *ad aliquem* a Cicerone diſtinguuntur; apud quem non legitur *Quod ad me pertinet,* ſed *Quod ad me attinet:* quod jam olim Schoner in Phraſ. ad voc. *Attinet* obſervavit. *Quod ad me attinet,* non *Quod ad me pertinet,* ap. Cic. ipſam perſonam reſpicit. Sed apud Curtium et alios *Quod ad me pertinet* ſimiliter, ut *Quod ad me attinet,* reſpicit perſonam.

Ad calcem loci:

PERTINERE pro *Pertingere usque eo:* adde: Sall. B. Jug. c. 53: *Collis in immenſum pertinens, veſtitus oleaſtro ac myrtetis, aliisque generibus arborum, quae humo arida atque arenoſa gignuntur.*

Inſerantur:

PERVADERE *aliquem, ad aliquem, per aliquem locum,* it. ἀπλῶς.

* Tacit. 4. Annali c. 51: *Hoſtes pervaſere.* Liv. L. 2. c. 23: *Fama ea forum atque urbem pervaſit.* Id. L. 26. c. 15: *Murmur a tribunali totam pervaſit concionem.* Id. L. 7. c. 36: *Cuſtodibus caeſis ad caſtra pervadit.* Cic. 3. Verr. c. 26: *Per agros quantum incendium pervaſerit, cernitis.* Id. Leg. Man. c. 9: *Pervaſit opinio per animos hominum.* Id. pro Sylla c. 19: *Pervaſit mentes.*

PERVENIRE *ad locum* et *in locum;* ſed diverſa notione. *Ad* reſpicit vicinitatem; *In* reſpicit locum ipſum.

Locus: PERVENIRE *facillime ad ſuum;* ſic efferatur:

PERVENIRE *facillime ad ſuum, ad nummos ſuos,* zu ſeinem Gelde kommen. *Pervenire in Senatum,* ein Rathsherr werden, Sall. B. Jug. c. 4. *Pervenit ad aures meas* etc.

p. 1647. inſerantur:

PICEA *ſulphureaque ſerta, Pechkränze,* nove dicitur: veteres et nominatim Cicero ac Caeſar pro eo, *malleolos ad incendendam urbem facesque comparare.*

PILA *major, ſolo inflata aëre, conſtans folle ex corio confecta,* ein Ballon. *Pila ordinaria, quae inſtrumento quodam ligneo in aërem vibratur,* ein gemeiner Ball. *Pila pennata, quae inſtrumento chordis tenſis inſtructo vibratur,* ein Volante.

PILAM *in ſe conjectam baculo ſcite excipere, longeque repercutere,* Germ. *den Ball mit dem Ballholze auffangen, und zurück ſchlagen.*

PINGERE *opus encauſto, emailliren oder amuliren,* Plin. Avunc.

Encauſtum notat *materiam ignem ad pingendum aptam,* Germ. *Schmelzwerk, Glaſur.*

p. 1650.

A v. 4. *Sed Schurzfleiſchius,* usque ad v. 18. *ad panes fuiſſe,* ſic lege: Duplex autem piſtorum erat officium: unum, pinſere frumentum, i. e. tundere in piſtrino, unde nomen factum; alterum conficere panes, eosque coquere, etſi id a nomine antiquitus impoſito alienum eſt.

p. 1651.

v. 16. ſeq. ſic lege:

* *Ningit* autem ut plurimum una cum antecedente Nominativo etiam ſuppoſitum reſpuit &c.

Ad loc.

PLVRALI Numero. v. 21. pro *videamus* lege *videamur.*

p. 1652.

v. 5. verba: *Conf. ſupra Numeralia diſtributiva;* deleantur.

Ad loc.

PLVS MINVS DECEM; adde: Sic,

Sic, *Anni ſunt plus minus quadraginta*, *es ſind ungefähr vierzig Jahre.*

Locus: PLVS QVAM; ſic efferatur:

PLVS QVAM, *Plus quam ſatis*, *Vltra quam ſatis eſt*, *Plus quam dici poteſt*, eleganter pro *nimis*. Cic. *Iſta; quae exiſtimas plus, quam ipſam artem poſſe prodeſſe*. Item: *Ne mores adferant adoleſcentes noſtri liberos plus qua ſatis et ad vivendi licentiam ſolutiores.* Item: *Procurrere ultra quam amicus ſentire poſſit.* Item: *Liberalem ſe praeſtat ultra quam ſatis eſt.* Item: *Capitalis ille et plus quam dici poteſt ſocietati civili noxius error.*

Loco:

POCVLA *minuta et rorantia;* ſubjunge:

Poculis minutis iisque vitreis, vino repletis, hilaritatis et fauſtae comprecationis cauſa colliſis laetum tinnitum edere, Choquiren.

p. 1653. ad loc.

POENITET *me hujus rei.* v. 17. ſubjunge:

Poenitet inſuper eleganti latiniſmo ſubſervit hoc modo: *Me, quantum heic operis fiat, poenitet* i. e. mihi heic non ſatisfit.

p. 1654.

v. 9. ſeq. ſic lege: quum inter alia etiam *eventum dubium et ancipitem* denotet.

Ad loc.

PONERE *modum.* v. 9. ſic lege: *aliquem apud alterum* l. *cum altero in gratiam;*

p. 1656.

Locus PORRIGERE *manum*, ſic legatur:

PORRIGERE *manum*, *ad aliquam rem*, pro *Appetere aliquid*, *Appetere manibus aliquid*, Germ. *die Hand wornach ausſtrecken*, perperam. *Porrigere* enim numquam, quod quidem ſciam, animum avidum vel iniquiorem innuit; ſed benevolum.

Dicimus autem, *Porrigere manus alicui, ad* et *in aliquid.* Sic Cicero, Cornel. Nepos, Seneca, Curtius, Lactantius, alii. Conf. *Heuſing.* ad Corn. Nep. Dion. c. 7. n. 2. Equidem addiderim Juſtinum l. 12. c. 15. *Porrigere alicui dextram oſculandam*, *einen zum Handkuſs laſſen.* Et ap. Arbitrum occurrit, *porrigere ad humanitatem invitantis invictam manum.*

Inſeratur:

PORTARE SE *aliquo*, *ſich wohin verfügen*, bene. Cicero: *Mihi placebat, ſi firmior eſſes, ut te Leucadem portares, ut ibi te plane confirmares.*

Ad loc.

POSCO *hoc a te.*

Fini adde: Poëtarum videtur eſſe; apud quos etiam hic Accuſativus rei in voce Paſſiva apparet. Ovid. 1. Metam.

Nec tantum ſegetes alimentaque debita dives
Poſcebatur humus.

Par ratio in Compoſito *Repoſco.* v. g. *Repoſco te et a te hanc rem.*

p. 1658.

v. 15. pro *Nicius Erythraeus*, lege *Nicolaus Erythraeus.*

p. 1659. ad loc.

POST ſuo Caſui non ſerviens. v. 3. ſic lege: *Paucis poſt diebus*, vel *Paucis diebus poſt:* it. *Longo poſt tempore* vel *Longo tempore poſt.* In hac enim etc.

Ad loc.

POSTRIDIE. v. 7. ſubjunge:

* Pro *Poſtridie quam*, etiam dicimus *Poſtero die quam* l. *Altero die quam.* Ac ſimiliter dicimus, *Vndecimo poſt die quam*; vel ſubaudita Praepoſitione, *Vndecimo die, quam profectus erat.* Liv. *Octavo menſe, quam coeptum eſt appugnari Saguntum, captum eſt.*

p. 1660.

v. 2. ſubjice:

† Nec tantum in *Pridie* intelligitur *ante*; ſed etiam quum dico *Tertio Nonas Januarias*, *Septimo Kalendas Septembres.* Quod integre ſit, *in die tertio ante Nonas: in die ſeptimo ante Kalendas.*

Locus: POSTVLARE *aliquem lege;* ſic locupletetur atque efferatur:

POSTVLARE pro *poſcere*, conſtruitur bifariam. v. g. *Poſtulo te hanc rem et de hac re.*

* Cic. *Nihil decrevi; niſi quod principes civitatum me poſtulaſſent.* Id. *Illud a vobis poſtulo.*

Sed quando ſumitur pro *accuſare*, ſic debet efferri: *Poſtulare aliquem lege*, Germ. *einen anklagen*; Item, *Poſtulare aliquem repetundarum* et *de repetundis*. Conf. ſupra *Accuſare aliquem crimine*.

Inſerantur:

POSTVLARE *Epiſcopum*, pro *communi* l. *unanimi petitione* l. *decreto*. *Epiſcopum* l. *Praeſulem eligere*, notionis Eccleſiaſticae eſt.

Hinc *communi petitione electus Praeſul*, notet *einen poſtulirten Adminiſtratorem*.

Ad calcem hujus paginae adde:

POTVS *calidus*, *decoctus ex herba illa Indica*, *quam vocant* Theam.

POTVS *calidus ex fabis illis Indicis* l. *Americanis*, *lento igne toſtis*, *decoctus*, *quem vocant* Cofféam.

POTVS *calidus*, *ex nucibus Americanis*, *ſaccharo et aromatibus ſubactis*, *decoctus*, *quem vocant* Chocoladam.

p. 1661. inſerantur:

PRAECEPS *agit*, *abit*, *fertur*, *defertur*, *ejicitur*, *cadit*; it. *Decidere in praeceps*, *Dare aliquem praecipitem*, *Agere aliquem praecipitem*, *Dare aliquem praecipitem in terram*. Haec fere verba, hi fere modi ſunt, quibuscum Adjectivum hoc apud veteres congruit.

* Quare onus probandi illis incumbit, qui aliter loquuntur. v. g. *In praecipitia fertur*; *Agere aliquem in praecipitia*.

PRAEDAM *agere*, bene et eleganter et uſitate: interdum pro eo veteres, *Praedam facere* v. g. Corn. Chabr. c. 2. n. 3. it. Plaut. Poen.

Milites ſine Ducis juſſu praedatum exeuntes, Maraudeurs.

p. 1662. inſeratur:

PRAEOCCVPARE *aliquid* et *alicujus animum*, Germ. *das Praevenire ſpielen*, *einen praeoccupiren*, Cicero, Livius, alii.

* Cic. Phil. 10. c. 1: *Quas partes ipſe mihi ſumſerum*, *eas praeoccupavit Antonius*. Caeſ. L. 6. c. 40: *Praeoccupavit animos timor*, Liv. L. 21. c. 20: *Praeoccupati jam ab Hannibale Gallorum animi erant*.

Pro *Praeoccupare alicujus animum*, alioquin dixeris *in ſuam ſententiam aliquem ante deducere*, *alicujus animum integrum adhuc aliqua opinione imbuere*: et pro *Animus ejus jam praeoccupatus eſt*, dixeris etiam *hunc hominem aliquis alia jam opinione imbuit*; *nihil impetrabis*; *hanc ille opinionem ſic animo imbibet*, *ut ad aliam amplectendam traduci eum poſſe*, *non putem*; *ea ſuperſtitio mentem illius occupavit*.

p. 1663. inſeratur:

PRAESENS Conjunctivi apud Latinos fere ponitur, quum ex vernaculae noſtrae genio oratio per Imperfectum ejusdem modi Potentialis effertur. v. g. Cic. L. 11. ep. 26: *Ea* (ſcil. praedia) *ſi dicam non eſſe e rep. dividi*, *docere te videar*, *non rogare*. Germ. *wenn ich etwa ſagte*, *es wäre für den gegenwärtigen Zuſtand des gemeinen Weſens nicht zuträglich*, *daſs die Landgüter zerriſſen und die Äcker derſelben unter mehrere Leute vertheilet würden*; *ſo möchte ich leicht das Anſehen gewinnen*, *als ob ich dir in der Sache ein Informat ertheilen*, *wornach du dich zu achten*, *nicht aber eben ſonderlich gute Worte darum geben wollte*.

p. 1664.

v. 9. ſic lege: *Praecurro te* uſitatius, quam *tibi*: quamvis conſtructionem hanc cum Dativo nec ipſe Cicero reſpuit. v. g. *Cognitioni et perceptioni adſenſio approbatioque praecurrit*.

v. 16. ſeqq. ſic lege: *Einem die Worte vorſagen*, *damit ſie von demſelben nachgeſprochen werden*. De Accuſativo perſonae exemplum non occurrit, niſi apud Ovidium, qui dicit: *Ver praeit aeſtatem*.

Dicimus etiam: *Praeſtare inter aliquos* etc.

p. 1668. ad loc.

PRO Interjectio. Sub finem ſubjice:

† *Pro* jungitur et Genitivo, ſed ἐλλειπτικῶς, quia intelligitur *fidem*. Ter. Andr. *Pro Deum atque hominum!* Et Phorm. *Pro Deum immortalium!*

p. 1669. inſeratur:

PRO FORMA, *zum Schein*, barbare: Lat. *Obtentu*, *ſub obtentu*, *ſub ſpecie*, *per ſpeciem*, *in ſpeciem*. *Certo quodam obtentu ſic agit*, Germ. *er thut es nur pro forma*.

p. 1670. ad loc.

PRO POSSE. v. 4. ſic lege: *Pro facultate ſua agere*; *Agam*, *ut poſſum*.

p. 1671. ad loc.

PRO TEMPORE. v. 6. adde: v. g. quum Sall. B. Cat. c. 30. dicit: *Hisque permiſſam, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent.* Et B. Jug. c. 11: *Ad ea Jugurtha, tametſi Regem ficta locutum intelligebat, et ipſe longe aliter animo agitabat; tamen pro tempore benigne reſpondit.* Et c. 64: *Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumvenit.*

p. 1672. inſerantur:

PROCVL adſciſcit.

1. Vſitate Ablativum. Liv. *Procul mari.* Poëta vetus ap. Cic. *Patriâ procul.* Plaut. et Suet. *Procul vero, procul dubio.*

* Cicero et Ovidius ſaepe addunt Praepoſitionem, ut: *Procul a nobis; Non procul a Roma; Non procul ab urbe.*

† Vnde colligunt non nulli, quando haud addatur Praepoſitio, intelligi per Ellipſin: et quia naturâ ſuâ non requirat Caſum; potius Adverbium, eſſe, quam Praepoſitionem.

2. Interdum quoque Accuſativum. Liv. *Procul muros.* Curt. *Procul urbem.*

PROCVL HABERE *aliquid* i. e. *Abhorrere ab aliqua re*, eleganter dicitur. v. g. *Ago ſine odio et invidia, cujus cauſam procul habeo.*

p. 1673. inſeratur:

PROFICISCI *ad Perſas*, fit animo amico et exterae gentis cognoſcendae cupido: PROFICISCI *in Perſas*, fit animo hoſtili et vindictae cupido. Corn. Ageſil. c. 4. n. 1.

Ad loc.

PROFVNDE DOCTVS. v. 7. ſubjice: Forte aliquid momenti adferat, quod Sidonius Apollinaris in Excuſatorio ad Felicem dicit *Meſſallam ingenii ſatis profundi.*

Ad loc.

PROHIBERE *alicui domum.* v. 4. ſic lege: *Prohibere aliquem injuriâ et ab injuriâ.*

v. 7. ſic lege: *Prohibere a ſe vim: Prohibere aliquem uſu urbis, ab inſula: Prohibere aliquem opere, einen an dem Werke hindern*, Jul. Caeſ. L. 3. B. C. cap. 45. n. 3.

v. 10. ſubjice: *Prohibere aliquem injuria et ab injuria* notat 1. *defendere aliquem ab injuria aliorum.* 2. *coërcere aliquem*, ne injuriam aliis inferat.

p. 1675. ad loc.

PROMOVERE *aliquem.* v. 4. poſt verba *ordinem promoveret*, haec interſere: Idem: *Poſtea promotus ad ampliſſimas procurationes, nulla occaſione corruptus ab inſito abſtinentiae amore deflexit, numquam ſecundis rebus intumuit, numquam officiorum varietate continuam humanitatis laudem infregit.*

p. 1677. inſeratur:

PROPE EST, VT; PROPIVS EST, VT; eleganter pro *Propemodum.* v. g. *Propius erat, ut ſuſpicaretur*, pro *Suſpicabatur propemodum.* Conf. ſupra Part. Etym. Sect. 2. ſub voc. *Prope.*

Ad loc.

PROPIOR et PROXIMVS. v. 8. adde: Liv. L. 35: *Laconicus ager proximus finem Megalopolitarum eſt.* Etiam *Linacer* et in Teſauro *Robertus Stephanus*, atque alii, e Cicerone ipſo adducunt; *Proximus Pompejum ſedebam.* Sed in melioribus libris eſt *Proxime Pompejum:* quomodo et Priſcianus legit.

p. 1678. inſeratur:

PROPONERE *aliquid apud animum* i. e. *animo ſecum volvere, recta animi lance aliquid ponderare*, quae eſt infrequens, nec ea propter temere in ſtilo adſciſcenda. Habet eam Servius Sulpitius ad Ciceronem L. 4. Fam. ep. 5: *Nec imitare malos Medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere Medicinae ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt; ſed potius, quae aliis tute praecipere ſoles, ea tibi ſubjice atque apud animum propone.*

p. 1679.

Locus: PROPRIVS Genitivo; ſic efferatur:

PROPRIVS Genitivo et Dativo jungitur.

* Cic. *Libertas propria Romani generis.* Id. *Tempus agendi fuit mihi magis proprium, quam ceteris.* Terentius in Andriâ: *Ego vitam Deorum propterea ſempiternam eſſe arbitror, quod voluptates eorum propriae ſunt.*

p. 1681.

p. 1681. Locus:

PTE Adjectio Syllabica; totus expungatur.

Ad loc.

PVGNARE *cum aliquo.* v. 7. ſic lege; *pro ſacris, pro gloria, pro ultione, pro vita.*

v. 11. pro *quibus Livius et Tacitus*, lege *quibus Livius, Salluſtius et Tacitus.*

p. 1682.

v. 3. ſubjice:

† Per Helleniſmum etiam dicitur apud Catullum et alios v. g. *Noli pugnare duobus*, pro *cum duobus.*

Ad loc.

PVGNARE PROELIVM. v. 18. poſt verba *Pugnare pugnam*, adde: *Servire ſervitutem, facere facinus, furere furorem.*

v. 26. ſic lege: Jungunt etiam Latini Verbis Ablativum cognatae ſignificationis, v. g. etc.

v. 40. adde: Vide *Vechneri* Hellenolexiam L. 1. p. 135. ſeqq.

Inſeratur:

PVLVIS *Cyprius, odoratus, capillis ornandis inſerviens*, Poudre.

p. 1685. Loco:

QVAERERE *aliquid*; ſubjice: *Quaeritur in eos* i. e. inquiſitio inſtituitur.

Inſeratur:

QVAERO ABS TE; QVAERO EX TE; *Quaeres a nobis; Quaerat aliquis; Quaeret fortaſſe quiſpiam*, Germ. *es möchte hier jemand fragen*, ſunt Prolepſeos formulae apud Ciceronem.

* Cic. Arch. c. 6: *Quaeres a nobis, Gracche, cur hoc homine tantopere delectemur? Quia ſuppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur*, et *aures convicio defeſſae conquieſcant.*

Ad loc.

QVAESTIONEM HABERE. v. 4. ſic lege: *Torquere aliquem*; et Sueton. Caeſ. *Tormentis exprimere confeſſionem cogitati facinoris*; et alii, *Tormentis veritatem exprimere*, it. *Tormenta alicui admovere*, it. *Equuleo aliquem imponere.*

p. 1686. ad loc.

QVAM particulam eleganter. v. 4. ſic lege:

* V. g. *Plus ſemel contigit.* Terent. *Plus millies audivi.* Id. *Accede ad ignem hunc, jam caleſces plus ſatis.* Id. Adelph. A. 2. Sc. 1: *Homini miſero* &c.

p. 1687. inſeratur hic locus:

QVAM pro *Quantum* Superlativis junctum, v. g. *Quam pulcherrimo corpore eſt?* pro *Quam pulchro corpore eſt?* Latinis auribus penitus inauditum eſt. Recte autem jungitur, ſi ſequitur verbum *Poſſum.* v. g. *Quam breviſſime potero, paucis abſolvam.*

p. 1689. ad loc.

QVAM PRIMVM. v. 12 -- 19. lege ſic: Locum Ciceronis pro Milone c. 34, in quo ſolo ſuſpecto huic loquendi modo aliqui praeſidii eſſe poterat, emendavit Kohlius, et poſt eum Heumannus, qui ita reſtituerunt: *Quam primam* (non *primum*, ut vulgo) *tetigero bene moratam et liberam civitatem, in ea conquieſcam.* Ego putem, amanuenſium incuria *Quam primum* facillime tranſiri potuiſſe in *Quam primum*, una litterula paululum inflexa tuam, meam emendandi rationem cur B. *Heumannus* obſ. antib. 226. priori ille valde poſtponendam putet, equidem exputare ſatis non poſſum.

Ad loc.

QVAM PRO eleganter. v. 6. adde: Item: *Filii paterna fortuna prope corrumpuntur, ut licentius vivant, quam pro litterarum ſtudiis, quae ſobrios, abſtinentes et induſtrios cultores ſibi poſtulant.*

Ad loc.

QVAMVIS v. 6. adde: Plura hujusmodi exempla ſuppeditat Turſellinus Schwarzii cap. 206. n. 1.

v. 7 et 8. deleantur.

Inſeratur:

QVANDO cauſale, ſeu quoties pro *Quia* uſurpatur, Indicativum; quum autem tempus notat, etiam ſubjunctivum adſciſcit.

* Ter. Adelph. 5, 3: *Quando ego non curo tuum, ne tu cura meum.* Cic. L. 12. Fam. ep. 20: *Quando acta omnia mitti ad te*

te arbitrabar, nihil erat, quod ſingulis de rebus ſcriberem. Id. Div. *Vident ex conſtantiſſimo motu lunae, quando illa e regione ſolis facta occurrit in umbram terrae, ut eam obſcurari neceſſe ſit, quandoque eamdem lunam.* Id. Offic. *Vtinam, inquit, tunc eſſem natus, quando Romani dona ſuſcepiſſent.*

p. 1691. inſeratur:

QVANTVS QVOT pro *Quantus et Quot*; TOT TAM pro *Tot* et *Tam*; *Tantus Tam* pro *Tantus* et *Tam*, per aſyndeton interdum exſtat. Cic Milt. c. 14: *Quantae quot occaſiones fuerunt.* Ibid. c. 23: *Quum res ipſa tot tam claris argumentis ſignisque luceat.* Ibid. c. 31: *Tanto naturae tam praeclaro motu.*

Locum:

QVARE *non venis?* ſic legito: QVIN VENIS? et QVARE NON VENIS? non ſunt idem. Si enim cauſam quaeras, cur ad te non veniam; quid velis, non intelligam, niſi dixeris, *cur* l. *quare non venis?* tametſi ceteroquin *Quin venis?* verti Germanice et explicari poſſit per *cur non venis?* Alterum *Quin venis?* non niſi excitantis eſt et ad veniendum hortantis.

p. 1692. ad calcem loci:

QVASI, CEV. *Ceu vero* pro *Quaſi vero*, crebrum eſt Plinio Majori. v. g. Praef. Operis ejus: *Ceu vero neſciam, adverſus Theophraſtum ſcripſiſſe etiam feminam.*

Ad calcem loci:

QVATTVOR VOCIBVS CANERE.

Canere fidibus lente l. *tarde*, Adagio ſpielen. *Concentus Muſicus veſpertinus*, eine Serenade.

p. 1695. ad loc.

QVID? QVID ENIM? v. 24. poſt verba *haberi nullum placet?* interſere: Id. Orat. 1. Catil. c. 6: *Quid vero? nuper quum morte ſuperioris uxoris, novis nuptiis domum vacuefeciſſes, nonne etiam alio incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulaſti?*

p. 1697. ad loc.

QVID QVAERIS? v. 12. ſic lege: *Verbo. Quid diutius moror?* Arb. p. m. 96. *In ſumma.* etc.

Locus: QVID TVM POSTEA? ſic exprimatur:

QVID TVM? QVID VERO? QVID ERGO? QVID IGITVR? QVID TVM POSTEA? *Was iſt es denn mehr? Ey! habe ich all mein Tage; in aller Welt! was ſageſt du?* vel pro re nata, *ey! was habe ich dann mit dir zu ſchaffen?* it. QVIS NEGAT? *Ey! wenns ſonſt nichts iſt? daſs wiſſen wir wohl.* Formulae ſunt, quibus utuntur Latini, ſi cum indignatione loquuntur aut Occupationi reſpondent.

* Cic. Dejot. c. 7. fin. *Horum, inquit, eram conſcius. Quid tum? ita demens ille erat, ut eum, quem conſcium tanti ſceleris habebat, a ſe dimitteret.* Id. ibid. *Negaviſti tum, te inſpicere velle. Quid poſtea? An Dejotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimiſit exercitum? nullus erat alius inſidiandi locus? At eodem te, quum coena viſſes, rediturum dixeras: itaque feciſti.* Terent. Hecyra a. 4. ſc 1: *Audiſti ex aliquo fortaſſe, qui vidiſſe eum diceret exeuntem, aut introëuntem ad amicam: quid tum poſtea? ſi modeſte ac raro hoc fecit.* Cic. L. 9. Fam. ep. 6: *At in perturbata republica vivimus: quis negat? Sed hoc viderint ii, qui nulla ſibi ſubſidia ad omnes vitae ſtatus paraverunt.* Item: *Poterant magis Latine et elegantius ſcribi. Quis negat? Sed quid, ſi ego non potui? ingenii iſta culpa eſt; non voluntatis.*

p. 1698. ad calcem loci:

QVIDAM nominibus propriis; adde: Germ. *ein Kerl, mit Namen Argilius, Callias*, etc.

Ad loc.

QVIDQVID SIT. v. 20. ſeq. ſic lege: quam Latine ſic effert Cicero pro Lig. c. 7. extr. *Sed quoquo modo ſe illud habet.* Et L. 13. ep. 37: *Vtrumque tamen ſe res habet.* Et L. 2. Verr. n. 70: *Quoquo modo ſe in ea quaeſtione praebebat.* Livius Praefat. *Vtrumque eſt.* Id. L. 37. c. 54: *Vt ſe res habet.* Plin. L. 6. ep. 2: *Sed utcumque ſe habent iſta.* Sall. B. Cat. c. 51: *Sed, haec cujuscumque modi videntur.* Curtius 7, 1, 37: *Vtcumque ceſſura res eſt.* Seneca ep. 19. etc.

p. 1699, ad loc.

QVIN pro *Vt non* v. 6. pro *intermittere non poſſum*, lege. *Nullum diem inter-*

intermitto In fine ſubjice: Non dicitur Latine, *Intermittere non poſſum, quin tibi litteras mittam;* etſi Ciceronianum eſt hoc, *Nullum diem intermitto, quin aliquid ad te litterarum dem.* Aliud eſt *intermittere*, ſi idem ſignificet, quod *praetermittere*, et Accuſativum adſciſcat; tunc ſequitur *Quin:* aliud eſt *Intermittere*, ſi intranſitive ſumitur; tunc non ſequitur *Quin.*

p. 1700. inſeratur:

QVIPPE Indicativum; ſed QVIPPE QVI, VTPOTE QVI, VT QVI, utrumque modum adſciſcit.

* Cic. Attic. *Non me aliquid juvare poſſis, quippe res eſt in manibus, tu autem abes longe gentium.* Columella L. II. c. 3: *Quippe quae res etiam in deſertis agris citra ruſtici operam convaleſcit.* Cic. pro Roſc. Amer. *Convivia cum patre non inibas: quippe qui ne in oppidum quidem, niſi perraro, veniret.* Id. Attic. L. 2. ep. 24: *Ea nos, utpote qui nihil contemnere ſolemus, non pertimeſcebamus.* Quintil. *Non damno, ut qui dixerim, eſſe in omnibus utilitatis aliquid.*

p. 1701. ad loc.

QVO-EO. v. 22. adde: Sall. B. Jug. c. 93: *Vti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem renuntiavere.*

p. 1702. ad loc.

QVO FACTVM EST. v. 3. ſubjice:

* *Quo* heic ponitur pro *Quocirca*, *Quamobrem.* Quod quidem etiam in aliis formulis, praeſertim Salluſtii, fit v. g. B. Cat. c. 1: *Quo mihi rectius videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quaerere.*

Ad loc.

QVOAD pro *Secundum.* v. 5. ſeq. ſic lege: *Quod attinet ad corpus et animam; Quantum ad corpus et ad animam pertinet,* Plin. Panegyrico; *Quantum ad corpus* etc.

v. 22. adde: Id. L. 5. Att. ep. 6: *Commodiſſimum duxi, dies eos, quoad ille veniret, cum Pompejo conſumere.*

p. 1704. ad loc.

QVOD interdum. v. 12. ſic lege: Cicero L. 10. Attic. ep. 4: *Adfirmat, quum ſcripſiſſet,* etc.

Ad loc.

QVOD ſequente *Si.* v. 10. poſt verba *librum compoſuiſſet*, haec interſere: Caſſius ad Cic. L. 14. ep. 9: *Quod niſi milites, invito eo, legatos ad me miſiſſent; clauſam Apameam tenuiſſet, quoad vi eſſet expugnata.*

p. 1705. ad loc.

QVOD pro *Quatenus.* v. 13. ſeqq. ſic lege:

Huic ſimile eſt et Ciceronis Offic. 3, 14: *Numquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem ſenſerim.* Item et hoc Corn. Nep. Ariſt. 1, 2: *Quod quidem nos audierimus, ſo viel wir gehöret haben.* Et hoc Livii 5, 34: *Alpes nulla dum via, quod quidem continens memoria ſit, ſo viel man weiſs, ſo viel aus der Hiſtorie bekannt iſt.* Quamquam mendoſus hic locus Heumanno Poeciles T. II. p. 182. videatur, et reponi velit *Quod quidem proditum memoriae ſit.* Et hoc Taciti Hiſt. 3, 75, 3: *Quod inter omnes conſtiterit, ſo viel man überall weiſt.* Et hoc Curtii 8, 12, 9: *Coivere, quod ex utriusque vultu poſſet intelligi, amicis animis, ſo viel man ihnen an dem Geſichte anſehen konte.* Minoris eſt elegantiae, quum in Singulari Plinius L. 25. c. 2, profert: *Antea condiderat ſolus apud nos, quod equidem inveni, Pompejus Lenaeus, ſo viel ich in der Hiſtorie habe finden können.* Sequioris notae et aetatis ſcriptores etiam pro *Quod ſciam*, dicunt *Quod ſcio.* Tertull. de Praeſcript. cap. 26. de Apoſtolis: *Neminem, quod ſcio, verebantur, non Judaeorum vim, non ethnicorum.* Et hoc Camerarii: etc.

p. 1706. ad loc.

QVOD *magnorum tumultuum cauſa.* v. 16. lege:

† Quod *Scioppii* judicium ſatis quoque recte ſeſe habere videtur: etc.

p. 1707.

v. 16. lege: Virgilium tamen Lib. 3. Aen. v. 173. obſervo ſcripſiſſe: etc.

v. 20. ſubjice:

Quamlibet igitur Voſſianae et Scioppianae huic ſententiae inhaerendum tutiſſime eſſe exiſtimem; ille tamen loquendi modus, quem tantopere accuſant, non omni idoneorum veterum ſcriptorum auctoritate deſtituitur. Eodem enim modo dixit Florus L. 1. c. 12. v. 11: *Hoc tunc Vejentes fuere.* Similiter Ovidius Lib. 5. Triſt. eleg. 15. v. 28:

Quum Deus intonuit, non ſe ſubducere nimbo;
Id demum pietas, id ſocialis amor.

Vbi

Vbi non propter metrum ſic locutus Poëta eſt, quum haud repugnante metri ordine dicere potuiſſet:

Haec demum pietas, hic ſocialis amor.

Et Ep. Heroid. 2. v. 56:

Debuit hoc meriti ſumma fuiſſe mei.

Et Ep. 3. v. 8:

Quamvis hoc quoque culpa tua eſt.

Et Statius Lib. 1. Silv. 4. v. 52:

Non illud culpa ſenectae.

Ipſe *Vorſtius* obſervat, Virgilium ſcripſiſſe etiam:

Nec ſopor illud erat, ſed coram agnoſcere vultus
- - - - - - - - - - - - videbar.

Sed id propter metrum feciſſe conjicit; quod mihi tamen non videtur: dicere enim pro eo poterat *Nec ſopor ille fuit.*

Inſerantur:

QVONIAM plerumque Indicativum; rariſſime Conjunctivum admittit.

* Vrſinus quidem Inſtitut. L. L. pleniſſ. Sect. 8. cap. 19. p. 464. hujus conſtructionis exemplum ſibi adnotaſſe viſus eſt in Plin. l. 2. c. 10: *Quoniam nullum aliud ſidus eodem modo obſcuretur.* Sed non animadvertit, orationem ibi eſſe obliquam, quae, ipſius judicio, cuivis Conjunctioni hunc modum aptari patitur. Sunt tamen exempla, ubi Conjunctivus apparet etiam in recta oratione. Cic. Tuſc. *Quoniam ipſe venire non poſſet, fratrem miſit.* Corn. Milt. c. 7. v. 5: *Itaque, quoniam ipſe pro ſe dicere non poſſet, verba* fecit frater ejus Tiſagoras. Id. Eum. c. 9. v. 6: *Mutat conſilium, et quoniam imprudentes adoriri non poſſet, flectit iter ſuum.*

QVOTVSQVISQVE eleganter divellitur interdum in Oratione.

* Cic. L. 3. Offic. c. 19: *Multa ſunt, quae propter depravationem conſuetudinis neque more turpia haberi, neque aut lege ſanciri, aut jure civili videas, quae naturae tamen lege ſancita ſunt: ex quo illa innumerabilia naſcuntur, ut utilia cum honeſtis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate et ignoratione omnium propoſita, abſtinere poſſit injuriâ?* Id. pro Ligario cap. 9: *Quotus enim iſtud quisque feciſſet, ut, a quibus in diſſenſione civili non eſſet receptus, eſſetque etiam cum crudelitate rejectus, ad eas ipſus partes rediret?*

p. 1712. ad loc.

QVVM IS ESSET CONSVL. v. 3. ſubjice:

Pari ratione minus eleganter dixeris *Quum adhuc domi eſſem*, pro *Non dum egreſſus domo paterna.*

Inſeratur:

QVVM MAXIME notat

1. *Hoc ipſo tempore, in praeſenti.* Seneca ep. 12: *Dentes illi quum maxime cadunt.* Loquitur de puero ejus aetatis, qua dentes ſolent excidere. Idem ep. 55: *A geſtatione quum maxime venio* i. e. hoc ipſo temporis puncto venio.

2. *Quam maxime ſtudio, et ardentiſſime,* Germ. *ſo ſehr, als jemals.* Curt. l. 5. c. 7. n. 2: *Hoſte et aemulo regni reparante tum quum maxime bellum.* Seneca ep. 13: *Occurrent tibi ſenes, qui ſe quum maxime ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent.* Plura utriusque notionis exempla cumulat *Heumannus* Poeciles T. II. p. 180. ſeqq. Videtur autem Heumanno hic particularum nexus et ſignificatus fuiſſe latinitatis non eruditae, ſed plebejae. Non enim, inquit, habet ea in Latina lingua ſui ſimilem. Quis enim dixit veterum *Quum optime, Quum doctiſſime?* Atque haec haud dubie cauſa eſt, cur ea particula in ſcriptis aureae aetatis tam raro, in ſequentis aevi libris tam crebro ſit obvia. Suſpicor autem, plebejam illam dictionem ortam fuiſſe ex illa perelegant formula: *Vt quum maxime* Cic. ep. ad Frat: *Domus celebratur, ut quum maxime.* Ter. Hec. 1, 2, 40: *Hanc Bacchidem amabat, ut quum maxime, tum Pamphilus.* Deinceps vulgus τὸ *ut* omiſit, et pro *ut quum maxime* dixit *quum maxime.* Poſtremo ipſa notione mutata, particularum harum plebejus nexus uſurpari coeptus eſt pro *hoc ipſo tempore, eben jetzund.*

p. 1713.

RATIO CORRVPTA, *caeca, ſibi relicta;* it. RATIO *ſana*, perperam. *Ratio* enim numquam poteſt eſſe *corrupta*, aut *inſana*, niſi ubi *ratio* viam agendi ſignificat. *Mens* eſt *humana*, in quam haec omnia cadunt. *Heuſing.* obſ. antib. 427.

p. 1714. inſeratur:

RECEDERE *vitâ* et *ex vitâ.*

Ad loc.

RECIPERE *aliquem.* Adde: *Recipere aliquem hoſpitio et in hoſpitium.*

p. 1716.

p. 1716.

v. 3. ſubjice:

Atque hinc nemini inſolens videri magnopere debet, ſi in Pandectis *Relativum* pro *Reciproco* ſubinde occurrat: quo de vid. *Dukerus* de latinitate JCtorum veterum p. 323. Conf. *Sanctius*, Minervâ l. 2. c. 12. p. 114. edit. Amſtelod. ubi contra Quintilianum, Vallam, Budaeum, aliosque Grammaticos oſtenditur, *Ejus* pro *Suus* poni ſaepiſſime.

p. 1717.

v. 53. L. *in gratiam cum aliquo*, at non numquam *in gratiam alicuis*.

p. 1718. ad loc.

REFERO TIBI. v. 7. adde: *Valla* L. 3. c. 38.

p. 1719. ad loc.

REGIONVM Nomina. v. 8. adde: Sall. B. Jug. c. 25: *Legati Africam maturantes veniunt.*

Ad loc.

REGNARE *in otio*. v. 11. ſubjice:

Active, quod ſciam, vel tranſitive numquam uſurpatur: quamvis Tacitus Hiſt. 1, 16, 7. it. Germ. 25, 4. et Tertullianus Apolog. c. 25. p. 253. Paſſivum hinc formet. v. g. *Gentes regnantur* pro *reguntur*; et *regnatur* v. g. *regnata terra, arva, rura*, cet. ap. Poëtas praeſertim in uſu ſit.

p. 1719. inſeratur:

REGNVM, non dicitur *Imperium Romanum*, nec *Imperatores regnare*, qui reipubl. praeſunt. Romanis enim *regni* et *Regis* nomen adeo inviſum erat, ut facilius tyrannos, quam illud ferrent. Graeci vero ſaepe et Imperatores *βασιλεῖς*, et Imperium *βασιλείαν* nominarunt: quod quidem medio aevo ſaepe ſcriptores imitati ſunt in Occidente. *Heuſing.* obſ. antib. 427.

p. 1720.

v. 1. ſeq. deleantur haec verba: *Plin. l. 2.* ep. 17: *Quem, tu nimis urbanus es; niſi concupiſcis.*

v. 9. adde: Cic. l. 1. ep. 9. v. 24: *Magnus animorum motus eſt factus, cum eorum, quorum* (quos) *oportuit, tum illorum* (quos) *numquam putaram.* Lucceius ad Cic l. 5. ep. 14. v. 3: *Quum ſcribas, et aliquid agas eorum, quorum conſueſti* (pro *quae*). Horat. l. 1. ſat. 6. v. 15: *Judice, quo* (quem) *noſti, populo.* Vid. Bentlej. ad h. l. Perizon. ad Sanctii Min. pag. 227. *Bunemann.* ad Lactant. l. 2. c. 10. v. 6. Sunt etiam, qui haec fere per Ellipſin dicta putant.

v. 21. ſic lege:

* Salluſt. B. Cat. cap. 55: *Eſt in carcere locus*, * *quod Tullianum appellatur.* Idem: *Et nunc domicilia conjuncta, quas urbes dicimus.* Cic. de Leg. l. 2. c. 17: *Animal, quem vocamus hominem.* Liv. &c.

v. 28. ſubjice:

Similiter Participia Paſſiva Verborum, quae nominandi vel exiſtimandi ſignificationem habent, interdum cum ſequenti Subſtantivo conveniunt.

* Cic. *Non omnis error ſtultitia dicenda eſt.* Ter. *Paupertas mihi onus viſum eſt miſerum et grave.* Liv. *Gens univerſa Veneti appellati.*

Si in appoſitione prius Subſtantivum ſit hominis aut animalis; conſentiet Adjectivum aut Verbum cum Subſtantivo eo, quod in ordine Grammatico praecedit.

* Cic. *Quum duo fulmina noſtri imperii, Cn. et P. Scipiones, exſtincti occidiſſent.* Id. *Tulliola, deliciae noſtrae, tuum munuſculum flagitat.*

Sin prius eſt nomen rei inanimae, cum eo, quod in conſecutione Grammatica poſterius eſt, conveniet.

* Plin. *Oppidum Latinorum, Apiolae, captum a Tarquinio Rege.* Id. *Tungri, civitas Galliae, fontem habet inſignem.*

p. 1721. ad loc.

REMITTERE ſumitur tranſitive. v. 8. poſt verb. *nachlaſſen*, interſere: *Dolor remittit ſe. Morbus remittit ſe.*

p. 1723.

Locum: REPARARE CLADEM; ſic lege:

REPARARE CLADEM, *jacturam*, *damnum*, non dicitur; ſed *ſarcire* l. *reſarcire.*

Cladem enim; *jacturam*, *damnum*, nec parat ſibi quiſquam, nec *reparat*. *Sciopp.* in Strad. 106 Sed *quae ſunt vetuſtate ſublapſa, reparentur in melius*: ut Plinius loquitur l. 10. ep. 75.

Similis

Similis *ἀκυρολογία* eſt, quam eruditi creberrime uſurpant, quum dicunt *reſtituere cladem, jacturam, damnum.* Quae enim per naturam ſuam non poſſunt ſtatui, eadem etiam non poſſunt reſtitui. Poteſt autem *clades*, *jactura* et *damnum* *ſarciri* vel *reſarciri*. Talia, ut in Logicis eſt, debent eſſe praedicata, qualia permittuntur a ſuis ſubjectis.

Inſeratur:

REPVLSAM *ferre, accipere, pati.* His tribus modis Cicero. Germ. *den Korb kriegen.*

Loco:

REPVTARE *aliquid*; ſubjice:

Sall. B. Jug. c. 12: *In otio facinus ſuum cum animo reputans.*

p. 1724.

v. 2. ſic lege: *a labore, a turbâ; Requieſcere ex multis miſeriis atque periculis*, Salluſt. B. Cat. p. m. 14.

p. 1726. ad loc.

RESPONDERE. v. 9. ſic lege: *wohl einſchlagen wird.* Sueton. *Villa non tota ei ad animum reſponderat.* Dicunt etiam *Reſpondere contra contumeliam.*

Inſeratur:

RESPVBLICA LITTERARIA nulla Latinis nota: noſtrae aetatis nomen hoc commentum eſt. Quae vero reſp. eſſe poteſt, in qua nullum eſt imperium, nulla parendi neceſſitas? in qua a cive diſcerni non facile poteſt peregrinus?

Sic judicat Cl. Heuſingerus obſ. antib. p. 484, cenſor in eo nimis rigidus, quum ii, qui ſtudiorum ſocietate quadam continentur et communibus bonarum litterarum vinculis adſtringuntur, formam ſaltem reip. prae ſe ferant, ſive eam ſub democratiae, ſive ſub ariſtocratiae, ſive ſub corporis foederatorum id ea tibi concipias; et inter eruditos omnino aliquod exiſtat imperium, et qualiscunque parendi neceſſitas, quum principes horum adſint, vel praevalentes, vel veritatis ſtudio quam plurimis longe praeſtantes, et ad intelligendum id, quod altioris indaginis videtur eſſe, acutiſſimi. Et cur in civitate erudita abeo, qui ſe pro cive gerat, diſcerni non facile poſſit peregrinus, id eſt, barbarus, ab optimarum rerum cognitione remotus, vervecum in patria craſſoque ſub aëre natus?

p. 1728. ad loc.

REVOCARE *alicui aliquid.* v. 8. adde: *revocatur;* et Petr. *Rurſus in memoriam revocatus injuriae.*

p. 1729.

REX *ſibi videtur;* it. *Suis ipſius ſuffragiis tantum non deus eſt*, eleganter dicitur de homine *φιλαύτῳ* et inani tumente faſtu.

RIDERE *aliquam rem, ſecum* et *apud ſe.* Plaut. *Quid eſt bonae rei, quod tecum rides tam ſuaviter, quaſi theſaurum nactus ſis.* Id. *Quid eſt novae rei, quod ſic apud te rides, ac paene in cachinnos ſolveris?* Quamvis, quod bene notandum, utramque hanc ſtructuram, quae ſit per *ſecum* et *apud ſe*, Oratores fere neſciunt.

Ceterum *Ridere aliquid*, duplicem notionem habet. Notat

1. *Laetari de aliqua re.*
2. *Illudere alicui.*

Prior notione ſumitur fere apud Poëtas et Comicos: poſteriori apud Oratores.

Locum: ROGARE *aliquem aliquid;* ſic lege:

ROGARE *aliquem aliquid* et *de aliqua re.* Retinet etiam cum compoſitis ſuis, etiam in Paſſivo, Accuſativum rei. Cic. *Rogantur ſententiam.* Id. *Neges, illa hominem poſſe exorari.* Similiter in Participiis. Sall. *Cato rogatus ſententiam.*

* Interdum etiam etc.

v. 10. hujus loci adde: Juſt. L. 4. c. 3: *Rogare aliquem ad nuptias.*

v. 18. poſt verba: *Tantum pro vita rogant*, interſere: it. ap. Petron. p. 19.

p. 1730.

v. 10. ſubjice:

Nota: *Rus* habet in Ablativo *ruri* et *rure.* Quando ſit interrogatio per ubi? in metro Ablativus, qui ſit per E; ſed in proſa Ablativus, qui ſit per I, uſitatior eſt. Quando ſit interrogatio per *Vnde?* non niſi Ablativus, qui ſit per E, omnino retinendus eſt. v. g. *Ruri eſſe*, *Ruri ſe continere;* it. *Rure venire*, *Rure redire.* Nugas Servii et Grammaticorum aliorum, quas videlis ap. Voſſium de Conſtructione p. 168. ſeq., heic operoſius confutare nihil attinet.

Ad loc.

SACRISTA *antipendia*. Exeunti huic loco adde: veterum prorſus caret, ſignificat autem *velamentum altaris anterius*.

Inſeratur:

SALTATOR, cognomen Ludovici, Thuringiae Landgrafii, Sae. XI. qui Iſenacum condidit, non id, quod volumus, ſignificat. Non enim a *ſaltatione*, ſed a felici *ſaltu* dicendus eſt, quo ſe e cuſtodia Giebigenſteinenſi liberavit. Neque tamen melius aliud occurrit, quo appellari poſſit, qui praecipiti ſaltu ex arce in ſubjectum flumen ſe dejiciens, effugit. Alud enim *deſultor* ſignificat, et *ſalius* nomen eſt nove confictum. *Heuſ*. obſ. 428.

p. 1731. ad loc.

SALVVM CONDVCTVM DARE. v. 11. adde: *Formulam commeatus alicui dare; Dimittere aliquem cum quibusdam veluti publicae fidei obſidibus litteris.*

Fide publica l. *publico commeatu proficiſci, venire, rediire*, Germ. *ein ſicher Geleite haben.*

p. 1733. ad loc.

SATIS HABERE v. 3. pro *Cornelianiſmis eſt* lege *eſt Cornelii, Caeſaris, Hirtii, Curtii, Taciti, Juſtini.*

p. 1734. ad loc.

SCATERE *vitiis*. v. 6. ſic lege: Gell. L. 1. c. 1: *Xantippe irarum et moleſtiarum ſcatebat.*

p. 1735.

v. 5. pro *expenſarum* lege *expenſorum.*

Inſeratur:

SE IPSE INDICAVIT, cet. bene: elegantius, *ſe ipſum indicavit.*

Locus SE IPSVM OCCIDERE ſic legatur:

SE IPSVM OCCIDERE *interficere, necare* aut *interimere*, apud optimos auctores occurrit. v. g. Cic. L. 1. Offic. c. 31. l. 2. Fin. c. 20. Hirt. B. Afric. c. 88. Curt. l. 5. c. 12. n. 14. Lactant. l. 3. c. 18. n. 6. 8. Aurel. Vict. de vir. illuſtr. c. 9 et 70. Vſitatius etc.

p. 1736. ad loc.

SECARE VENAM. v. 20. poſt verba *Emittere ſanguinem venis*: it. *levare* ſ. *exonerare venas ſanguine.*

p. 1737.

v. 32. ſeqq. ita lege:

9. *Secundum tuam dignitatem, Secundum noſtram familiaritatem, Secundum meam conſuetudinem id facies*; pro quo Lat. *Pro tua dignitate id adminiſtres, pro familiaritate noſtra, pro conſuetudine mea id facias.*

p. 1738. ad loc.

SECVRE *agit*. v. 5. pro *Securius* lege *Securus.*

Locum SECVS ſic leges:

SECVS poſt ſe admittit *Quam, Ac, Atque*; ac praeponuntur ei fere *Non* et *Haud*, interdum etiam *Longe* et *Paullo*.

* Cic. Attic. 6. ep. 2: *Mihi erat maximae curae, ne quid fiat ſecus, quam volumus.* Id. pro Muraena c 4: *Non ſecus, ac ſi meus frater eſſet.* Id. Orat. 3. c. 30: *Paullo ſecus a me, atque ab illo partita ac diſtributa ſunt.*

Ac ponitur ſequente conſona; *Atque* ſequente vocali.

Ponitur etiam abſolute cum vi negandi. v. g. Cic. in Piſon. c. 28: *Recte, an ſecus, nihil ad nos.*

Inſeratur:

SED ENIM notat

1. Apud poëtas idem, quod *Sed.* Virg. Aen. 1, 23 Ovid. Metam 2, 164.

2. Apud Ciceronem pro Archia c. 3. idem, quod *Sed profecto*: *Sed enim* (i. e. Sed profecto) *hoc non ſolum ingenii ac litterarum, verum etiam naturae ac virtutis fuit.* Sic enim legendum videtur eſſe, ut vulgo exhibetur, invito quamvis Grutero, membranis ſuis nimis religioſe, ut ſolet, addicto.

Ad loc.

SEDERE *ad dextram*. v. 12. poſt verba *familiares tui*, inſere: Petron. p. m. 37: *Eum, qui ſupra me accumbebat.*

p. 1739.

v. 5. adde: it. *Adſidere aliquam dextra, bey einem zur rechten Seite ſitzen*, Sall. B. Jug. c. 11.

Inſerantur:

SEDILIA *ad theatrum honoratioribus deſignata*; it. *Clauſtra, quae certis gradibus circa theatrum diſtincta ſunt*, et

et matronis atque optimatibus ſervantur; it. *Loci honoratiores ludos ſpectatum euntium*, Germ. *die Logen.*

SELLA *amplior, peripetasmate* ſ. *periſtromate aliquo ornata* ein Fauteuil. *Sella reclinando corpori aptata*; *Sella a tergo loricata*, ein Seſſel, Lehnſtuhl. *Sella minor, nulla lorica inſtructa*, ein Stuhl ohne Lehne, Tabouret.

SEMINARE *triticum*, et *agrum tritico.*

Locum: SENATOR *in curia*;
ſic lege:

SENATOR *in curia ſuprema Anglicana*; it. *Nobilis primi ordinis in Anglia*, ein Lord, ein Mylord in England. *Praetor civitatis Londinenſis*; *Supremus urbis Londinenſis Praetor Regius*, Lord-Mayor.

p. 1741. inſeratur:

SENIORES l. *Primores ordinum civicorum*; *Curiales*; *Qui Curiis tribubusve ſunt praefecti*; it. *Viri ordinis Senatorii*; *Senatores urbani*; *Cives primarii*, Aldermänner in England.

p. 1742. inſerantur:

SEQVI *aliquem* et *poſt aliquem.* Poſterior modus tamen rarior eſt.

* Sall. B. Jug. c. 62: *Poſt gloriam invidia ſequitur.*

SERVARE *navem ex hieme, marique ſcopuloſo.*

v. 46. verba.

SERVIRE *alicui.* Vide ſupra *Inſervire alicui*; deleantur: ſubſtituantur autem ſubſequentia:

SERVIRE pro *ſervum alicujus eſſe*, quoties occurrit, quod tamen rarius fit, conſtruitur

1. Abſolute et ſine caſu. v. g. Plaut. Menaech. 21, 12: *Propterea heri imperium exſequor bene, et ſedulo ſervio.*

2. Cum Dativo perſonae. v. g. Plaut. Trucul. 4, 24: *Tibi ſervio, atque audiens ſum imperii.* Catull. de Septimio 5, 3. *Uni domino ſervire.*

3. Cum Accuſativo perſonae et Praepoſitione. *Apud.* v. g. Plaut. Aulul. 4, 12: *Servio apud te.*

4. Cum Adverbiis. v. g. *Servire alicui aeternum, fideliter* etc.

5. Cum Accuſativo originis ſuae v. g. *Servire ſervitutem.*

Pro *alicujus cauſa multa facere*, *alicujus in agendo rationem habere*, *alicujus ſaluti conſulere*, *ad alicujus rationes ſe adjungere*, quoties occurrit, quod ſaepe, quod identidem fit, quum hac notione hoc Verbum elegantioris latinitatis aevo prorſus proprium ſit ac ſollemne, conſtruitur

1. Rarius cum Dativo perſonae. v. g. Sueton. c. 29: *Dixi et nunc et ſaepe alias, P. C., bonum et ſalutarem Principem, quem vos tanta et tam libera poteſtate inſtruxiſtis, Senatui ſervire, et univerſis civibus ſaepe, et plerumque etiam ſingulis.*

2. Frequentiſſime cum Dativo rei. v. g. *Servire amori, auribus, commodis, cupiditatibus, defenſioni patriae, exiſtimationi, famae, gloriae, laudi, poſteritati, rei familiari, dignitati, tranquillitati, magnitudini virium, velocitati, ſcenae ſervire* i. e. obſequi et inſervire tempori. Atque huic Dativo et notioni ſubſervit etiam Compoſitum *Inſervire*: antecedentibus, quod ſcio, non item.

SI AVTEM rarius: rectius dixeris pro eo et uſitatius, *Quodſi*, *Quodſi vero.*

* Cic. L. 12. Fam. ep. 22: *Quemadmodum coram qui ad nos intempeſtive adeunt, moleſti ſaepe ſunt: ſic epiſtolae offendunt, non loco redditae. Si autem, ut ſpero, nihil te perturbat, nihil impedit; et ille, cui mandavi ſatis ſcite et commode tempus ad te cepit adeundi: confido, me, quod velim, a te facile impetraturum.*

p. 1743.

v. 3. adde: Ad hunc modum *Joh. Miltonus* in Ep. 16. Parlamenti nomine ſcripta p. m. 27: *Si eſt igitur, ut noſtrorum hominum apud vos mercaturam facientium tutelam ſuſcipere velitis,* --- *eam operam dabimus, ut, gratiſſimum id eſſe nobis, omni tempore ſentiatis.*

Ad loc.

SI IN *tuo ſim loco.* v. 2. pro *Terentius* lege *Plautus.*

v. 3. adde: Terentius ait: *Si iſtic eſſem.* Cic. Epp. Fam. *Si eſſem, qui tu es.*

p. 1744. inſeratur:

SI QVISQVAM; it. SI QVISQVAM ALIVS per Comma parentheticum eleganter pro *Valde* v. g. *Homo ſum a litibus, ſi quisquam, alienus.* It. *Ab ignava ſapientia, quae ipſa vitae actu deſtituitur, qua ratione nobis*

havere poſſimus, egregie, ſi quisquam alius, oſtendit Maximus Tyrius aurea Diſſertatione, qua docet, ſolos ſermones, qui operibus reſpondent, eſſe optimos.

Locus:

SI, SIN, SIQVIDEM: totus deleatur.

p. 1745. inſerantur:

SIC-AC SI l. VT SI. v. g. *Sic in fratris negotio agas, ac ſi mea res ſit.* Cic. *Ejus negotium ſic velim ſuſcipias, ut ſi eſſet res mea.*

SICVT EGO EXISTIMO Salluſtius B. Cat. c. 7: nitidius cum Cicerone, *meo quidem judicio, ut equidem opinor, meâ quidem ſententiâ.*

p. 1746. ad calcem loci:

SIMILIS *alicujus.* Sall. B. Jug. c. 9: *Rex* (Micipſa) —— *Jugurtham adoptavit, et teſtamento pariter cum filiis heredem inſtituit.*

p. 1749. ad loc.

SINE OMNI. v. 5. poſt voc. *Plautus*, inſere: v. g. Trin. 3, 1, 20: *Dormias ſine omni cura.*

v. 11. ſubjice:

Quodſi negatio praecedit, neceſſario et ex ipſa rationis lege ſequitur *Omnis* l. *Aliquis*, non *Vllus.* v. g. *Hoc non ſine omni moleſtia efficitur.* Item: *Non ſine omni bile haec dixit.* Item: *Nulla ars ſine litteris, ſine interprete et ſine aliqua exercitatione percipi poteſt.* Ineptum foret, ſi diceretur: *Non ſine ulla bile haec dixit; Nulla ars ſine ulla exercitatione percipi poteſt.*

p. 1750. inſeratur:

SISTERE ſumitur tranſitive et intranſitive: tranſitive tamen multo uſitatius. Virg. *Siſte gradum.* Plin. *Profluvium ſanguinis ſiſtere.* Id. *Alvum ſiſtere.* i. e. reprimere, morari. Tacit. *Equorum fugam ſiſtere.* Item ap. Ciceronem: *Reſpublica ſiſtere non poteſt*, Germ. *das gemeine Weſen kann nicht beſtehen.* Id. *Siſte paulliſper*, Germ. *bleib ein bisgen ſtehen:* quod ceteroquin tranſitive effertur, *Siſte gradum pauliſper!*

p. 1752. inſerantur:

SOLVERE *obſidionem* notat 1. *Vrbem obſidione liberare*, Entſetzen. 2. *Deſiſtere ab obſidione*, die Belagerung aufgeben, Abziehen.

SOMNIO *te* et *de te.*

Locus: SONANT ITA VERBA; ſic legatur:

SONANT ITA VERBA pro *verba ſe ita habent, ſo lauten die Worte*, Solinus in Polyh. c. 8. p. m. 280, et Juvencus Hiſt. Ev. L. 1. ad Luc. c. 1: ſed caſtae Latinitatis ſcriptores non ita dicunt.

* Latine quidem etc.

Loco:

SORTIRI *cum aliquo;* ſubice:

Sortitio, quae fit per ſchedulas, ſollemnis ac publica, die Lotterie. *Sortitionem hujusmodi inſtituere*, eine ſolche Lotterie aufrichten. *In ſortitione hujusmodi lucrum omnium maximum nanciſci*, in der Lotterie das beſte bekommen.

p. 1753. Loco:

SPECIES FACTI; adde: *Rei caput* cum Plauto; *Rei geſtae narratio, ſimplex et dilucida facti expoſitio, vera cum omnibus circumſtantiis narratio facti alicujus.*

Locus: SPECTACVLA COMMENTICIA; ſic efferatur:

SPECTACVLA COMMENTICIA; it. *Spectacula larvata; Sollemnitas larvata; Larvatorum* ſ. *perſonatorum ludicra ſaltatio*, Masqueraden, Aufzüge, Wirthſchaften.

Larvis ludere, Maſquerade halten. *Mutato et inſolito veſtitu in BaccLanaliis* l. *Bacchanalibus incedere*, vel *Larvam induere*, in Maſquerade - Kleidern erſcheinen.

Sueton. Claud. c. 21. etc.

p. 1753.

v. 50. adde: Caeſ. l. 1. B. G. c. 2. n. 6: *Belgae ſpectant in ſeptemtriones et orientem ſolem.* It. n. 7: *Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes, et eam partem oceani, quae ad Hiſpaniam pertinet, ſpectat inter occaſum ſolis et ſeptemtriones.*

p. 1574.

v. 4. poſt verba *Analect. 53*, inſere: *Kuhn.* ad Vorſt. p. 11.

Inſeran-

Inferantur:

SPONSIONEM FACIO, ich wette. *Sponſionem accipio*, ich laſſe mir die Wette gefallen. *Sponſionem vici*, ich habe die Wette gewonnen.

SPONSOREM *eſſe rei alicujus*, Bürge in einer gewiſſen Sache ſeyn. *Sponſorem eſſe pro aliquo*, Bürge für jemand ſeyn.

* Corn. Attic. c. 9. n. 4: *Tanta diligentia officium ſuum praeſtitit, ut nullum illa ſtiterit vadimonium ſine Attico; hic ſponſos omnium rerum fuerit.* Cic. ad Leptam L. 6. ep. 19: *Quod ſponſor es pro Pompejo.*

p. 1756. ad loc.

STATVS IMPERII. v. 7. ſic lege: Lat. pro eo, *Ordines provinciales*, *illuſtres* etc.

p. 1757.

v. 9. ſubjice:

Senatus ordinum Provincialium interior, Ausſchuſs der Land-Stände. *Ex Senatu interiori ordinum provincialium in aliquod conſilium delecti*, der engere Ausſchuſs, Cic. *Delegati provinciales ad comitia regni Polonici ſollemnia*, die Land-Boten.

Ad loc.

STERILIS. v. 3. ſic lege: V. g. Plinius Panegyrico: *Nullum temporis* etc.

Ad loc.

STERNVTATORIVS PVLVIS. v. 7. adde: *Pulvis, qui, naribus admotus, ſternutamenta movet.*

v. 8. ſeq. ſic lege:

* Nota: *Sternutamentum* ſignificat non modo *actum ſternutandi*, et *ipſam ſternutationem*, etc.

Exeunti huic loco ſubjice:

Arbiter actum ſternutandi ſic deſcribit: *Collectione ſpiritus plenus continuo ita ſternutavit, ut grabatum concuteret.*

Vaſculum, *theca* l. *capſula*, *quae ſternutamenta continet*, Schnupftabacks-Doſe, Tabatiere.

p. 1758.

v. 13. ſeq. ſic lege: *Weiſſius* de Stilo Rom. p. 255. ſeqq.

Stilum etiam certo quodam modo tumidum et inflatum reddit, quando verba ordine haud naturali ſe invicem excipiunt, ſed mirabilem in modum tranſjiciuntur et tranſponuntur: quale verborum chaos Franci *un Galimathias* vel *un Jargon* vocant.

p. 1759. Loco:

SVADERE *alicui pacem*; ſubjice:

Barbare dicitur: *Suadeo ad pacem.* Nimirum Germaniſmus putidus eſt. Dicendum erat, *Suadeo pacem*, omiſſa Praepoſitione; it. *Mea conſilia ſemper ſpectant ad pacem*, *Conſilia mea pacis ſemper ac togae fuere ſocia.*

Ad loc.

SVB Accuſativo ſervit. v. 11. ſubjice:

† Nec id tamen perpetuum eſt. Plinius enim inquit, *Sub ipſa die.*

p. 1760.

v. 3. ſubjice:

4. *Juxta*, *prope.*

* Tacit. Hiſt. L. 5. c. 11. n. 1: *Judaei ſub ipſos muros ſtruxere aciem.*

v. 30. ſubjice:

6. *Subter.*

* Virg. *Sub pedibus Styx atra videt.* Horat. *Adhuc ſub judice lis eſt.*

7. Quum valere videtur *Intra.*

* Lucill. *Conſilium naſci ſub dio debet. Hoc quoque tardum eſt nimis.* Sub manu quoque, quod agunt, *conſilium naſcatur.*

p. 1761. Loco:

SVBDVCERE *alicui*; adde: Petron. *Subduxiſti te a praeceptoris colloquio.* It. *Subducere ſe e circulo*; *heimlich aus der Geſellſchaft ſcheiden.*

p. 1763. Loco:

SVBSTANTIVA duo vel plura; ſubjice:

† Poëtae etiam, quando alterum ſingularium in Ablativo ponitur cum Praepoſitione, addunt interdum Adjectivum aut Verbum Plurale. Ovid. *Fors eadem Iſmarios Hebrum cum Strymone ſiccat.* Vbi *cum* ponitur pro *et*: nam ſententia eſt *et Strymonem.* Virgil. *Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.* Pro, *Quirinus et frater Remus jura dabunt.*

Ad loc.

SVBSTANTIVVM, quod alias per Nominativum explicatur ſeu declaratur.

v. 18. ſubjice:

* Palladius L. 3. c. 25. de moro: *Feracem altioremque arborem mori fieri, aliqui credi-*

crediderunt. Tacit. Annal. 2. c. 32. ſ. 3: *Iduum Septembrium dies, dies feſtus habetur.* Liv. L. 40. c. 34: *Ligurum gens.* Cic. 5. Att. ep. 18: *Caſſius eſt in oppido Antiochiae.* Id. L. 3. fam. ep. 11: *In epiſtolarum altera dies erat adſcripta Nonarum Aprilium.* Id. pro Font. 16: *Maſſilienſium cuncta civitas.* Plinius L. 19. c. 3: *Ante oppidum Cyrenarum.* Id. L. 17. c. 20: *Perfringi ſolum debet ſupra ex Novembris menſe in Februarium.* Id. L. 31. c. 2: *Marſyae fons in Phrygia ad Celaenarum oppidum ſaxa egerit.* Liv. L. 9. c. 20: *Samnitium populi.* Vellejus L. 2. c. 57. ſ. 2: *Aruſpices monuerant, ut diligentiſſime Iduum Martiarum caveret diem.* Cic. Cat. 2. c. 11: *Vrbes coloniarum et municipiorum.* Sueton. Grammat. illuſtr. p. 485: *In podagrae morbum incidit.* Haec Genitivi Antiptoſis etiam apud Graecos obtinet. v. *Glaſſii* Philol. ſ. p. m. 387.

p. 1765.

Locus: SVBTER Relativum; ſic exprimatur:

SVBTER Relativum habet *Super*, ac ſervit Accuſativo et Ablativo, ſive quies fuerit, ſive motus. Scriptores tamen proſaici ita heic Accuſativum amant, ut vix Ablativus apud eos inveniatur: Poëtae autem Ablativum magis tuentur, quamvis nec Accuſativum prorſus contemnant; quum apud eos legamus, *Subter pineta Galeſi:* item, *Et ſubter raptos arma ſedere Duces.*

* Liv. L. 9. Dec. 4: *Vbi circa muros, ſuper ſubterque terra per dies quindecim pugnatum.* Virg. *Quum tamen omnes Ferre libet ſubter denſa teſtudine caſus.* Cic. Somn. Scip. c. 4: *Subter mediam fere regionem ſol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum.* Id. 1. Tuſcul. *Plato iram in pectore, cupiditatem ſubter praecordia locavit.* Arb. p. m. 69: *Raptam cauponi arundinem ſubter lectum mittit.*

Inſerantur:

SVCCEDERE *alicui* et *in locum alicujus.*

SVCCENTVRIARE *novos diſcos et patinas*, Germ. *wieder andere Teller und Gerichte aufſetzen.*

p. 1767.

v. 32. adde: *Sumere bellum*, ap. Sall. B. Jug. c. 23; et *Sumere bellum de integro*, ibid. c. 69.

14. *Sumere alium diem, coenam, prandium, argentum ſenori et fenore, exordium, aliud dicendi initium, ſibi judicium de aliqua re, jus ſibi de aliquo et in aliquem, laboris plurimum alterius cauſa, legationes liberas, nomen ex rebus geſtis, occaſionem, operam fruſtra, perſonam magiſtri, ſpatium ad cogitandum, ſpeciem alicujus, teſtimonium ab aliquo, e puteo aquam. Sumere aliquid pro conceſſo*, Cic. 5. Tuſcul.

* Sed *Sumere ſuſpicionem* etc.

p. 1768.

v. 1. ſeqq. ſic lege:

Accuſativum

1. Quando adverſatur Praepoſitioni *Subter.*

* Virg. 1. Aen. v. 77: *Famâ ſuper aethera notus.* Petron. p. m. 7. *Conſidere ſuper lectum.* Id. *Quod non exſpectas, ex tranſverſo fit, et ſuper nos fortuna negotium curat.* Id. *Ponere amabiliter vultum ſuper cervicem alicujus.* Cic. Lib 2. Fin. n. 59: *Imprudens ſuper aſpidem adſidet.* Sall. B. Jug. c. 83: *Super vineas aggerem jacere.*

v. 21. poſt verba *copiis coonerant*, interſere: Sueton. Claud. *Super cetera flagitia.* Liv. L. 28: *Super morbum etiam fame adflixit.*

v. 33. poſt verba *Super coenam*, interſere: Sueton. Caeſ. *Pridie quam occideretur, in ſermone nato ſuper coenam apud M. Lepidum, quisnam eſſet finis vitae commodiſſimus, repentinum inopinatumque praetulerat.*

v. 55. adde: Salluſt. B. Jug. c. 78: *Ne ſuper tali ſcelere ſuſpectum ſeſe haberet.*

p. 1769.

v. 14. ſubjice:

* Qua tamen ſignificatione, quamvis rariſſime, Accuſativo etiam junctum invenitur. Virg. *Saeva ſedens ſuper arva.*

v. 19. ſubjice:

4. Item quum eſt *cauſale.*

* Virg. *His accenſa ſuper* i. e. ob haec. Idem: *Nec ſuper ipſa ſua molitur laude laborem.*

v. 26. poſt verba *dorſo eminens*, interſere: Salluſtius B. Jug. c. 22: *Super Numidiam Gaetulos accepimus, partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare.*

p. 1770. inſeratur:

SVPER OMNIA EST, *es geht über alles, es iſt allen andern Dingen vor-*

vorzuziehen, bene. Plin. Paneg. *Super omnia eſt tamen, quod talis es, ut ſub te liberos tollere libeat et expediat.*

Ad loc.

SVPERIVS *dixi.* v. 7. poſt verba *Fab. 24.* ſubjice: Et ap. incertum auctorem B. Hiſp. c. 34. n. 5: *Quos communitos ſuperius demonſtravimus.* Et apud Lactant. l. 1. c. 13. n. 13. it. l. 4. c. 29. n. 10.

p. 1771. Locum:

SVPERLATIVVS partitionis; prorſus deleatur.

Ad loc.

SVPERLATIVVS varie exprimi poteſt.

v. 21. ſeqq. ſic lege: Si quiſquam, Si ullus, cui *Is certe, Is profecto,* reſpondet.

V. g. *Si quis hujus rei vehementer cupidus eſt, is certe ego ſum. Si quiſquam praeter alios paullo timidior eſt, is certe frater tuus eſt. Si ulla regio amoena eſt, ea certe eſt Campania. Si quiſquam fuit unquam remotus et naturâ, et magis etiam, ut mihi quidem ſentire videor, ratione atque doctrina, ab inani laude et ſermonibus vulgi, ego profecto is ſum.*

p. 1772.

v. 3. ſubjice:

† De omnibus modis Superlativum variandi diſciplinam inculcat *Eraſmus* Cop. Verb. L. 1. cap. 46. 47. Nos hoc loco non niſi ea attingere voluimus, quae majorem habent gratiam ac ſua quadam ſe venuſtate commendant: reliqua uſus rectius docebit.

Inſerantur:

SVPERLATIVVS Adjectivorum et Adverbiorum cum elegantia et emphaſi ſibi jungere ſolet voculas *Vt* l. *Quam* cum Verbo *Poſſe.* v. g. *Expediam, ut poſſum diligentiſſime. Narra, quam potes breviſſime. Dicam, quam poſſum maxima voce. Quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi.*

SVPERLATIVVS partitive poſitus ſaepius convenit cum Subſtantivo, de quo eſt ſermo. v. g. Cicer. *Indus fluminum maximus.* Plinius: *Villoſiſſimum animalium lepus.* Interdum etiam cum Genitivo Plurali. Plin. *Moly herbarum laudatiſſima, et florum pulcherrimus.* Item: *Thales Mileſius; Velociſſimum, inquit, omnium, quae ſunt, eſt mens.* Heic *velociſſimum* refertur ad *omnium*; non ad *mens.*

SVPERLATIVVS cum Praepoſ. *Inter* v. g. *inter Germanos doctiſſimus,* rarius legi, ait Horat. Turſellinus de Partic. c. 27. §. 8. Nec ideo tamen ſuſpectus talis loquendi modus eſſe debet: occurrit enim ap. Cic. Ovid. Curt. Juſtin. Vid. *Heuſ.* obſ. Antib. 472.

SVPINA priora ante ſe habent verbum ſignificans motum ad locum. Ovid. *Spectatum veniunt, veniunt, ſpectentur ut ipſae.*

Poſt ſe Verborum ſuorum Caſus regunt. Virgil. *Aut Grajis ſervitum matribus ibo.*

* Interdum pro Supino ponitur Infinitivus. Ter. *Vultiſne, eamus viſere?* h. e. viſum. Liv. *Se miſſos rogare Annibalem* h. e. rogatum.

† Sunt Supina haec nihil aliud, quam Nomina Accuſativi Caſûs, qui regitur a Praepoſitione intellecta *Ad* l. *Propter.* Vt, *veniunt ſpectatum* pro *ad ſpectatum* l. *propter conſpectum.*

SVPINA poſteriora ante ſe habent Nomen Adjectivum; vel tria haec Subſtantiva *Fas, Nefas, Opus;* vel verbum ſignificans motum de loco. Ovid. *Turpe dictu.* Plaut. Men. 2, 2: *Obſonatu redeo.* Cato R. R. *Primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitum eat.* It. *Fas dictu, Viſu nefas, Opus ſcitu, Opus factu.*

* Etiam pro Supino poſteriori utimur interdum Infinitivo. Mela: *Adſpici cognoſcique digniſſimus,* pro *adſpectu cognituque.* Fabius: *Lyricorum Horatius fere ſolus legi dignus,* pro *lectu.*

* Vtcumque Supina haec ſoleant praeponi in ſermone; tamen naturâ ſequuntur. Nam revera Nomina ſunt Ablativi Caſûs, et reguntur ab Adjectivo vel Verbo addito.

p. 1773. ad loc.

SVPRA notetur. v. 15. adde: It. *Inverecundus eſt et ſupra modum audax.*

v. 21. ſic lege: Salluſt. B. Cat c. 5: *Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae, ſupra quam cuiquam credibile eſt.*

v. 24. ſubjice:

8. *Supra caput eſt*, Germ. *er ſteht uns ſchon über dem Kopfe* i. e. quàm proxime nobis imminet. Sall. B. Cat. c. 52: *Dux hoſtium cum exercitu ſupra caput eſt.*

Ad loc.

SVPREMAM *manum.* v. 15. ſubjice:

Virgilius heic ἀκυρόλογος videtur, L. 7. v. 572. ſeq. dicens *Extremam bello imponere manum.*

Inſeratur:

SVRDAE HERBAE dicuntur veteri Latio, quarum nulla ſunt nomina.

Locus: SVRGERE *lecto;* ſic efferatur:

SVRGERE *lecto* et *e lecto; Surgere ſella*, *a ſella* et *de ſella; ad dicendum.*

p. 1774.

v. 5. ſubjice:

SVSCIPERE *bellum*, *odium*, cet. *in*, *adverſus* et *contra aliquem.*

Ad loc.

SVSPENDERE ACTIONEM. v. 15. ſi lege: *Continere ſe ab adſentiendo*, *Suſtinere ſe ab judicio*, *Suſtinere ſe a reſpondendo.*

Locus: SVSPENSVS AB OFFICIO; ſic legatur:

SVSPENSVS AB OFFICIO, it. SVSPENDERE AB OFFICIO ALIQVEM, loquendi modi ſunt omni veterum ſuffragio deſtituti: Lat. *Magiſtratu ſummotus ad annum; Officio ad tempus abſtinere juſſus; Senatu abſtinere juſſus:* it. *Muneris exercitio alicui ad tempus interdicere; Aliquem ab adminiſtratione ſui muneris removere; Alicui ſui muneris adminiſtrationem interdicere.*

* Recte autem dicitur &c.

Inſeratur:

SVSPICERE ſumitur tranſitive et intranſitive v. g. *Suſpicere coelum* et *in coelum.*

Locus: SVSPICERE *aliquem;* ſic exprimatur:

SVSPICERE *aliquem*, pro *Suſpectum habere aliquem*, *einen verdächtig halten*, habet Salluſtius B. Jug. c. 67.

* Ceteroquin Latinis *Suſpicere* ſignificat non niſi *oculos attollere*, vel *venerari.*

p. 1775.

v. 5. ſic lege; proba locutio apud Caeſ. L. 2. B. G. c. 6. et apud Cic. ad Attic. Lib. 10. ep. 2. Vſurpatur etiam hac notione intranſitive. v. g. Cic. L. 13. ep. 20: *Brutus Mutinae vix jam ſuſtinebat.*

Ad loc.

SVVS Pronomen poſſeſſivum. v. 28. adde: Ne quid dicamus de Seneca et Tertulliano, qui ſimiliter ſic locuti ſunt, et quorum loca adfert *Khunius* ad Vorſt. p. 8. 9.

p. 1776. inſeratur:

TABERNAE *publicae*, *in quibus potio e fabis Arabicis parata divenditur*, *et ad ſaluberrimum corporis motum globuli eburnei impelluntur.* Sic *Busbequius* in Epp. nuncupat id, quod noſtrates vocant, *die Caffé-Schenken*, *wo man einen Billard haben kann.*

p. 1777.

v. 22. ſic lege: Salluſt. B. Jug. c. 35: *Quam quisque* etc.

v. 27. poſt verba; *nec illud facere;* adde: Quamquam etiam in talibus vocula *Tam* cum ſuo Superlativo indum ex ſubſequenti ſubaudiri debet. v. g. Cic. Lib. 12. ep. 18; *Eum librum tibi miſi Rhegio*, *ſcriptum*, *quam planiſſime res illa ſcribi potuit.*

Locus: TANTI, QVANTI; ſic efferatur:

TANTI, QVANTI, TANTIDEM, *Quantilibet*, *Quanticumque*, *Quantivis*, *Parvi*, *Magni*, *Permagni*, *Nihili*, *Plurimi*, *Pluris*, *Minoris*, *Maximi* et *Minimi*, ſemper in Genitivo junguntur, numquam in Ablativo, his verbis: *Emo*, *Vendo*, *Venumdo*, *Veneo*, *Mereor*, *Comparo*, *Redimo*, *Diſtraho*, *Do*, *Liceor*, *Addico*, *Metior*, *Conſtat*, *Conduco*, *Loco*, *Feneror*, *Paciſcor*, *Pango*, *Valeo*, *Condemno*, *Poſtulo*, et ſimilibus aeſtimandi verbis.

* Dicitur autem non modo ſecundum hanc regulam *Nihili putare*, *ducere*, *habere*, *videri;* ſed etiam *Pro nihilo putare*, *ducere*, *habere*, *videri.*

* *Aeſtimo* etiam recipit hos Ablativos *Magno*, *Permagno*, *Parvo*, *Nihilo.* Sen. *Data*

Data magno aeſtimas; accepta parvo: Sed et alias Ablativum regit ejus rei, qua pretium indicatur, ut: *Aeſtimare talento, tribus aſſibus.*

* *Conſtat* apud Lucanum L. 9. jungitur ſemel cum Ablativo *Magno.* - - *Gaudet patientia duris: Laetius eſt, quoties magno ſibi conſtat, honeſtum.*

Cetera omnia Nomina menſurarum, ſive ſint certae, ſive incertae, junguntur in Ablativo, et numquam in Genitivo.

Si interrogetur etiam per *Quanti*, itidem reſpondebitur in Ablativo. v. g. *Quanti emiſti hunc librum?* Reſp. *Tribus Joachimicis. Quanti emtus eſt codex.* Reſp. *Magno* l. *parvo. Quanti ergo?* Reſp. *Tribus nummis. An pluris?* Reſp. *Non pluris, immo minoris.*

Si tamen *Tanti* et *Quanti*, *Pluris* et *Minoris*, *Maximi* et *Minimi*, jungantur Subſtantivis, ponenda ſunt in Ablativo, non Genitivo. V. g. *Tanto pretio emi, quanto tu;* non *Tanti pretii.* Item, *Maximo pretio emi;* non *Maximi pretii. Valla* L. 3. c. 1. Conf. ſupra *Majoris* et *Multi facere.*

p. 1779. inſeratur:

TANTO MELIOR formula applaudendi laudandique. Phaedr. 3, 5, 3: *Tanto, inquit, melior. Aſſem deinde illi dedit. Du biſt ein braver Kerl! Da haſt du ein Trinkgeld dafür.* Ad iſtum locum interpretes ſimilia plura loca congeſſerunt. Etiam *Vavaſſar* de vi quorumdam Verborum Opp. 126. de hoc verborum nexu diſſerit, itemque *Lipſius* ad Senecae Ep. 71. Vnum e Seneca adjungere libet locum, et quidem ex Ep. 51: *Ad honeſta nitentes, quanto magis incubuerint, — — admirabor et clamabo: Tanto melior. Ey, das iſt ein braver Kerl.*

Ad loc.

TANTVM NON. v. 12. ſic lege: Pro *Tantum non*, apud Comicos et Poëtas occurrit etiam *Modo non.*

p. 1780.

v. 2. adde: Virg. L. 9. Aeneid. 140. ſeq. *Sed periiſſe ſemel ſatis eſt: peccare fuiſſet Ante ſatis, penitus modo non genus omne peroſos.*

Inſerantur:

TEGVMENTA *equorum, Schabaracken*, Sueton. Calig. c. 55. *Dorſualia* vocantur a Trebellio Pollione in Gallienis cap. 8: *Dorſualibus equum inſternere, dem Pferde die Schabaracken auflegen.*

p. 1780. inſeratur:

TEMERE apud Grammatiſtas producitur reſpectu ultimae Syllabae: at falſo. Vid. *Heuſingerus* Obſerv. Antib. 366.

p. 1781.

TENERE. v. 10. ſubjice:

Cl. Heuſingerus obſ. antib. 486. in Juſtinianeis Inſtitutionibus cum Vorſtio nihil tale reperit, ſaepe vero *teneri de re, de damno*, §. 2. 3. 4. quibus modis re contr. oblig. §. 5. de locat. et conduct. §. 2. de ſocietate: *teneri furti* §. 11. de obligat. quae ex delicto naſc. *depoſiti* §. 17. eod. tit. *rei recipiendae* §. 14. de actionibus. *lege* §. 3. de lege Aquil. Apud Ambroſium quoque lib. 1. de offic. cap. 16. reperio, *Non tenentur ad laborem certaminis*, et in l. 7. pr. π. de adminiſtr. et peric. tit. *teneri in quid:* ſed Infinitivi ſequentis exemplum deſidero.

v. 10. lege: *Tenere ſilentium, ſe intra ſilentium*, et *ſe in ſilentio.*

v. 12. ſic lege: *Tenendum eſt, quod promiſeris*, pro *Servandum eſt,*

v. 17. poſt verba *Plin. L. 6. ep. 33:* interſere: *Tenere legem* pro *obtemperare legi* Plaut. Merc. *Vorſt.* etc.

Inſeratur:

TENERE SILENTIVM notat:

1. *Silentium durare* v. g. Liv. l. 3. c. 47. v. 6.

2. *Silere*, v. g. Ovid. l. 1. Metam. v. 205. Sulpic. Sever. l. 2. vita Mart. c. 23. v. 5.

p. 1782.

v. 2. ſubjice:

Tenor notat etiam aliquando συνάφειαν, *continuationem, diuturnitatem.* Sic *tenorem felicitatis* eſſe *continuationem ejus*, docet ipſe Livius l. 41. c. 15: *Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipſa efficaciſſima eſſet, minime convenit.* Et in pandectis occurrit *aetatis tenor:* de quo diſſerit *Cujacius Obſervat.* L. 26. cap. 27.

Locus: TESSERAM *dare;* ſic efferatur:

TESSERAM *dare; Teſſeram militum Praefectis excubituris diſtribuere, die Parole ausgeben. Teſſeram vigiliarum petere, die Parole holen*, Liv. L. 7. cap.

cap. 35. Hirt. B. Hiſp. cap. 36. Veget. Lib. 2. cap. 19. *Ad ſonitum notae vocis, ut ſignum, coire, mit Hülfe der Parole zuſammen kommen*, Curt. Lib. 4. cap. 15. *Signum dare*, Corn. *Ignibus ſignificationem facere*, Caeſar. *Loſung geben.*

p. 1783. ad loc.

THECA *calamaria.* v. 7. ſeqq. ſic lege: Phil Melanchth. Lib. alt. Epp. p. 139. *Theca pulveraria* l. *arenaria*, *e qua pulviſculus ſcriptis adſpergitur*, Junius in Nomenclatore.

Inſeratur:

TIBIALIA *bilicia*, zweydrätige Strümpfe. *Tibilia trilicia*, dreydrätige Strümpfe. *Tibialia coacta* l. *ſubcoacta*, gewalkte Strümpfe. Vid. Cellar. ad Jul. Caeſ. B. C. L. 3. c. 44. n. 7.

p. 1786.

Locus; TORMENTVM *bellicum*; ſic amplificetur:

TORMENTVM *bellicum ignia-rium*, eine Canone; Schurzfl. Nomencl. Strateg. p. 22. *Tormentum campeſtre*, ein Feld-Stück, id. Ep. 261. *Tormentum colubrinum*, *Colubrina*, *Tormenti genus*, *quod colubrinam vocant*, eine Feld-Schlange, Heinſ. Silv. Duc. p. 68. *Tormentum colubrinum minus*, Serpentinel, ein Schmirgel. *Tormentorum vibratores*, die Canoniers; Boxhorn. Hiſt. Bred. p. 64. *Tormentorum jaculatores*, die Conſtables. *Tormentariae rei ad imperium pertinentis Praefectus*, der General-Feld-Zeugmeiſter; Schurzfl. Ep. 261. *Tormenta adactis clavis corrumpere*, die Stücke vernageln. *Tormentorum, quae ſequiori aevo excogitavit hominum ingenioſa crudelitas, fragores*, das Canoniren, das Donnern der Carthaunen. *Jucundo tormentorum fragore rei alicujus ſollemnia peragere*, bey einer gewiſſen Solennität die Geſtucke löſen. *Diſpoſitorum opportunis locis tormentorum praeſidio tegi*, auf gelegene Anhöhen Geſtücke gepflanzet haben, und ſich derſelben zu ſeinem Schutze bedienen. *Diameter oris tormenti; amplitudo l. modus oris tormenti aenei*, Caliber, *index magnitudinis globorum tormenti*, Caliber-Stock. *Tormentum caſtrenſe minoris moduli*, Falconet. *Mortarium grandiores globos igne ac ſulphure gravidos* l. *fervidos ejaculans*, ein Feuer-Mörſel, Mortier. *Fragores laetitiae publicae cauſa tormentis* l. *ſclopetis editi*, Freuden-Schüſſe. *Cavum terrae, in quo mortaria bellica collocantur*, der Keſſel. *Globi tormentorum catenati*, Ketten-Kugeln. *Globi plumbei filo ferreo conſtricti*, Drat-Kugeln. *Glandem adigere, ſclopeto indere* l. *infercire*, die Kugeln einſtoſſen. *Glandem radio cogere*, mit dem Lade-Stocke die Kugel einſtoſſen. *Os tormenti*, die Mündung. *Exploſis ſclopetis ſigna laetitiae edere; Laetitiam publicam teſtari tormentorum fragore*, Salve geben, Stücke löſen zum Willkomm. *Exonerare tormenta; E vallis tormenta magno fragore excutere*, die Stücke los brennen. *Tormentum conflare*, ein Stück gieſſen. *Verberare l. converberare muros tormentis; Pulſare vallum tormentis*, eine Stadt oder Wall beſchieſſen. *Tormenta in vallo diſponere; inſtruere moenia tormentis*, Stücke auf den Wall führen, pflanzen.

* Sunt autem proprie *tormenta*, quae torquentur intendendo et remittendo, ideoque majores illae aeneae fiſtulae, quibus hodie in bellis utimur, improprie ſic vocantur. Interim de his videatur *Lipſius* in Poliorceticis.

p. 1787. ad loc.

TRADVCERE *aliquid*, v. 11. pro *verſione*, lege *methaphraſi*.

v. 19. pro *Verſio*, *Translatio*, lege *Interpretatio*, *Metaphraſis*.

v. 23. adde: It. *Invidioſis nominibus aliquem traducere.* Significat etiam *Agere* etc.

p. 1788. ad loc.

TRAHERE *omnia ad ſe.* v. 9. adde: *Trahere aliquid animo* l. *animis* l. *cum animo ſuo* i. e. ponderare aliquid animo, penſitare, agitare animo, Sall. B. Jug. c. 81. it. c. 93. *Trahere conſilium* ex copia rerum, id. B. Jug. c. 98.

Inſeratur:

TRANSGREDI *mare* l. *fretum*, falſo ſuſpectum. Ita enim *Chriſtianus Henricus Eckhard* in Diſſ. de C. Aſinio Pollione, iniquo optimorum latinitatis auctorum cenſore, p. ult. *Transgreſſos* dixerat Salluſtius eos, qui fre-

tum

tum transſierant, et *transgreſſum* maris tranſitum. Negabat Pollio, apud ullum idoneum auctorem hoc reperiri, et tamquam minus proprie dictum notabat, quod vox *transgredi* illis tantum conveniat, qui pedibus ambulant aut gradiuntur, non navigantibus. En criticum acumen! At ſi Terentius, proprietatis in dicendo ſtudioſiſſimus, Hecyra 3, 4, 4, recte dixit *mare ingredi*; quidni quoque valeat, *transgredi mare?* Nec auctoritate illud carere, variis exemplis ex Livio, Tacito, Suetonio aliisque oſtendit *Gottlieb Cortius* in Salluſtium p. 955. Quapropter recte Salluſtium ab obtrectationibus Pollionis vindicavit A. Gellius L. 10. c. 26, qui inde etiam formulam hanc defendit, quod apud Catonem *ambulare mare* occurrat. Quod cave confirmes illo Ciceronis de fin. bon. L. 2. c. 34: *Si Xerxes maria ambulaviſſet, terramque navigaſſet.* Valde enim figurate heic dicitur, quodque adeo transferri alio non debet, niſi in re ſimillima, ut obſervat *Franc. Vavaſſor* in Antibarb. pag. 481.

p. 1789. ad loc.

TRIVIALIS SCHOLA. v. 17. ſeq. ſic lege: Quintilianus Lib. 1. cap. 4. *paedagogia* nuncupat *Scholas triviales:* id quod jam tum ſuo tempore obſervavit *Andreas Wilkius*, Scholae Gothanae Rector quondam meritiſſimus, tum in Epiſtola ad *Georgium Kilium* exarata, hujusque *Epitomae Dictionarii Erphordiae 1630. 8.* editae ad inſtar commentationis praefixa, tum etiam in Praefat. ad lectorem etc.

p. 1790.

Locus: TVERI ſe; ſic efferatur:

TVERI *ſe contra* et *adverſus aliquem;* et elegantius *ab aliquo.*

Inſeratur:

TVNC VERO ILLVD NESCIO QVID cet. eleganter in apodoſi periodi conditionalis. v. g. *Juris naturae intelligentiam ſi quis cum ſolida legum interpretatione et uſu conjungit; tunc vero neſcio quid praeclarum et ſingulare in juris prudentia ſolet efloreſcere.*

p. 1792. ad loc.

VALERE *ab oculis.* v. 1. ſeq. ſic legatur:

VALERE *ab oculis.* i. e. ab aegritudine oculorum liberum eſſe, Gell. L. 13. c. 30.

v. 8. ſeq. ſic lege:

Valere ad aliquid, in aliquid i. e. utile eſſe. Cic. *Hoc valet in omnes partes.*

Valere in vulgus i. e apud vulgus aliquo loco eſſe. Cic. *Valet in vulgus inſipientium opinio.* Vſurpandus hic loquendi modus, non ubi de perſona, ſed ubi de re quadam vili et contemta ſermo eſt.

Valere parum animo i. e. non ſatis eſſe mentis compotem. Sall. B. Jug. c. 11.

Inſeratur:

VALLVM *jacere, Opus facere, Aggeres ſtruere*, ein Retranchement aufwerfen; *Vallo ſe circumdare*, ſich verſchanzen, Curt. L. 4. c. 12. Caeſ. L. 8. B. G. c. 41. *Crates*, Schanzkörbe; *Contextae viminibus vineae*, geflochtene Schanzkörbe, Caeſ. L. 8. B. G. c. 41.

Ad loc.

VAPVLAT *omnibus.* v. 5. ſeq. ſic lege:

* *Vapulare* eſt Neutrale Paſſivum, vel intranſitive ſignificat; ut *Conflagrare, Deflagrare, Venire* pro *Vendi*: qualia Paſſivorum conſtructionem ſequuntur. v. g. *Conflagrat, Deflagrat ab incendio, Venit a domino; Vapulabis a praeceptore.* Immo imitantur hanc ſtructuram etiam Verba quaedam abſoluta, habentia vim patiendi, ut: *Pati a ſuis, Caleſcere a ſpiritu, Interire ab aliquo, Salvebis a Cicerone*, et ſimilia.

p. 1793. inſeratur:

VASA *fictilia Chinenſia* l. *Japonenſia*, Porcellaine. *Vaſa fictilia Dresdenſia, quae quam proxime abſunt a praeſtantia Chinenſium*, Dresdener Porcellain. *Vaſa fictilia externam Chinenſium ſpeciem praeferentia, ſed materiae vulgaris, nec pellucidae*, unächt Porcellain.

Locus: VASA *pretioſa;* ſic legatur:

VASA *pretioſa, quibus menſa extruitur in cubiculo mundi muliebris;* it. *Menſa venuſtiori tegumento et mundo muliebri ornata*, eine Toilette.

p. 1794.

v. 5. adde: Gell. L. 18. c. 10; *Explorare pulſum arteriae;* it. *Carpo manum admo-*

admovere, Celſ. L. 3. c. 6; an den Puls fühlen.

v. 15. ſeq. ſic lege:

Venae ſaliunt, Ovid. *Vena micat*, Cic. de Nat. Deor. die Ader pucket. *Vena vehementer agitatur*, der Puls geht geſchwind.

Ad loc.

VENDERE *publice*. v. 3. adde: *auctionem facere.*

Ad loc.

VENIRE multas peperit locutiones.

v. 12. ſic lege: *Venire ad maximas pecunias; Venire in maximarum occupationum concurſum*, *viel zu thun finden*; Cicero.

p. 1795.

v. 15. poſt verba *optimi ſcriptores*, interſere: *Majus commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis reip. venit*, Sall. B. Jug. c. 4. *Si qui in manus venerant, obtruncabant*, id. l. d. c. 101.

Locus: VENIO *in opinionem*;
ſic legatur:

VENIO *in opinionem*, VENIO *in dubium*, VENIO *in ſermonem*, Active ſumuntur et Paſſive. Sed VENIO *in ſuſpicionem* ſ. *in crimen*, VENIO *in oblivionem*, VENIO *in taedium*, VENIO *in vituperationem*, ſemper Paſſive ſumitur.

Venio in opinionem i. e. certam quamdam opinionem habeo, et Venio in opinionem, quae de me habetur ab aliis, non quam habeo de altero. Germ. *Ich verfalle auf eine gewiſſe Meynung*, oder *andere Leute bekommen eine gewiſſe Meynung von meiner Perſon.*

Venio in dubium i. e. dubitare incipio, et de me alii dubitant. Germ. *Ich gerathe auf einen gewiſſen Zweifel*, oder *andere Leute bekommen einen Zweifel*, *von meiner Perſon.*

Venio in ſermonem i. e. incido in ſermonem, et alii de me ſermocinari incipiunt. Germ. *Ich komme auf einen Diſcours*, oder *andere Leute fangen an von mir zu ſprechen.*

Venio in ſuſpicionem ſ. *in crimen*, Germ. *ich komme bey andern in Argwohn.*

Venio in oblivionem, Germ. *man vergißt meiner.*

Venio in taedium, Germ. *man wird meiner überdrüßig.*

Venio in vituperationem, Germ. *man ſchilt auf mich.*

p. 1796. ad calcem loci:

VENTVS *deſiit flare*; adde: *venti reſederunt, conciderunt, ſopiti ſunt: Ventus paullo mitior factus eſt.*

Locus: VENTVS *fit major*;
ſic legatur:

VENTVS *fit major*, ſuſpectum: Lat. *Ventus increbeſcit*, *Venti invaleſcunt*. Schor. Phraſ. ad voc. *Increbeſco*.

Notabis heic locutiones ſequentes: *Ventus urens*, ein ſpröder Wind. *Ventus mutavit ſtationem*, der Wind hat ſich umgeſetzet.

p. 1797.

Sub finem hujus paginae adde:

VERBALIA in *io* antique regunt caſum verbi, unde derivantur. Plaut. Amphitr. *Quid tibi hanc curatio eſt rem?* Id. Aulul. *Quid tibi nos mendice homo, tactio eſt?* Immo Ciceronis quoque eſt L. 1. de leg. *Juſtitia eſt obtemperatio ſcriptis legibus.* Item Caeſaris L. 1. B. G. *Domum reditionis ſpe ſublata.* Par ratio Verbalium aliter exeuntium. Nam Ciceronis eſt Philipp. 4: *Quum peſtiferum Brunduſio Antonii reditum timeremus.* Interdum idem fit in Verbalibus Adjectivis. Juſtin. l. 9: *Rex armorum, quam conviviorum apparatibus ſtudioſior.* Sic etiam Verbalia in bundus. v. g. *Populabundus agros. Vitabundus caſtra hoſtium.* Supina item priora poſt ſe ſimiliter verborum ſuorum caſus regunt. Virg. l. 2. *Graiis ſervitum matribus ibo.*

Inſerantur:

VERBA Subſtantiva, vocativa et ſimilem vim habentia, quando utrimque Nominativum habent, ſed diverſi numeri, uſitatius quidem cum priori, rarius autem cum poſteriori conveniunt. V. g. *Nuptiae ſunt res honeſta.* Ovid. *Gaudia principium noſtri ſunt, Phoce, doloris.* Terent. *Amantium irae amoris redintegratio eſt.*

Cum poſteriori conveniunt, quum Particula *Niſi*, vel ſimilis, intercedit. Virg. *Nihil heic, niſi carmina, deſunt.* Ovid. *Quid enim, niſi vota, ſuperſunt.*

VERBVM omne regit Accuſativum vel Ablativum, ſignificantem ſpatium temporis: ut, *Potavit totam noctem* l.

tota

tota nocte. Accuſativus tamen uſitatior eſt: cui etiam interdum additur Praepoſitio. Virg. Li. 1. Aen.

At pius Aeneas per noctem plurima volvens.

Caeſar Lib. 1. de B. G. *Intra annos quatuordecim tectum non ſubierunt.*

At ſi non ſpatium, h. e. duratio ac continuatio, ſed ſpecies, h. e. pars temporis ſignificetur; Ablativus tantum Verbis apponitur, ut: *Nocte vigilas; Aeſtate paenulam deteris*, Prov. *Feſto die ſi quid prodegeris, profeſto egere liceat, niſi peperceris*, Plaut. Aul. A. 2. Sc. 5.

* Significatur autem ſpatium, quum interrogatio fit per *Quam diu?* ut: *Quamdiu potavit?* R. *totam noctem*, l. *tota nocte.*

* Significatur ſpecies, quum interrogatio fit per *Quando?* ut: *Quando venies?* R. *horâ tertiâ.*

* Interdum Ablativo huic additur Praepoſitio. Ter. *In tempore ad eam veni.* Catull. *Convivia facere de die.* Cic. *De nocte vigilare.*

Omne etiam Verbum regit Accuſativum vel Ablativum, ſignificantem ſpatium loci, ut: *Brunſviga abeſt hinc iter* l. *itinere unius diei.* Accuſativus tamen etiam heic uſitatior eſt.

* Significatur autem ſpatium loci, quando de intervallo, diſtantia vel extenſione ſermo eſt: ut, quum quaeritur, quam procul abſit, vel quam late pateat. Porro in Accuſativo intelligi videtur *ad*, *per* aut *circa*: in Ablativo autem *a* l. *ab*.

p. 1798.

VERBUM DEI Ebraiſmus eſt, a linguae Latinae genio alienus, ab iis vero Latina civitate donatus, quibus dandi jus non fuit. De ſingulis Dei dictis ſi uſurpetur, paullo aliter ſentio. *Heuſ.* obſ. antib. 487.

p. 1799.

Locus VERSURAM FACERE legatur ſic:

VERSURAM FACERE eſt *mutuam pecuniam ſumere, quae cum fenore poſtea reddatur.* VERSURA SOLVERE, eſt, *mutare creditorem, et alieno aere id, quod antea contractum eſt, diſſolvere.* Vid. Salmaſ. de uſur. c. 1. p. 15. c. 17. p. 519. de modo uſur. c. 7. Gronov. de centeſ. et unc. uſur. p. 535. Bunemann. ad Lactant. l. 2. c. 8. n. 24. *Heuſ.* obſ. 434 et 487.

p. 1800.

Locus: VERSUS Praepoſitio; ſic efferatur:

VERSUS Praepoſitio regit Accuſativum, ſed ſemper poſtponitur ſuo Caſui. v. g. *Romam verſus;* Item: *Ego portum verſus pergam.* Sin autem accedat Praepoſitio *Ad;* tunc *verſus* Adverbium eſt. v. g. *Ad occidentem verſus; Ad Alpes verſus; In forum verſus. Valla* L. 2. c. 8. Etiam aliud Adverbium ſibi praeponi patitur v. g. *Surſum verſus, Deorſum verſus.*

v. 30. pro *inproviſos* l. *improviſos.*

p. 1803.

v. 2. ſeq. pro *qui a pigmento et figmento dependet Poëtico*, lege *qui ex pigmento et figmento pendet Poëtico:*

p. 1804.

Locus: VESCOR; ſic efferatur:

VESCOR uſitate et rectiſſime Ablativum adſciſcit. v. g. *Veſci caſeo.* Interim non tantum antique, ſed etiam apud optimos ſcriptores, praeſertim ap. Plinium Avunculum, quoque Accuſativum habet. Plin. L. 9. c. 50: *Veſci ova.* Id. Lib. 11. c. 27: *Veſci abſinthium.* Phaedr. Lib. 1. Fab. 31. v. 11: *Veſci columbas ſingulas.* Tibul. L. 2. el. 2: *Veſci lauros.*

* Ita etiam reliqua illa Verba &c.

Inſeratur:

VESTIARIUM *Regium* l. *Principis; Conclave, in quo veſtes Principis adſervantur*, die Garde-Robe.

p. 1805. inſeratur:

VIA *obice clauſa, ein Weg, der durch den Schlagbaum geſperret iſt*, Livius.

Hujusmodi *obex* vocari etiam poſſit *repagulum;* it. *vectis transverſus, ſurſum ac deorſum mobilis, aditu ulteriori equites et vehicula arcens.*

Ad loc.

VICE. v. 34. poſt verba *Par pari referam*, adde: et ap. eundem in Paneg. *Habet has vices* (i. e. has viciſſitudines) *conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur.*

v. 15. pro *Sed, quod* --- *Vice verſa fungi*, ſic lege:

Occurrit quidem apud Plinium Paneg. cap. 80. *vice verſa fungi*: ſed hoc unius editoris mala fide, invitoque auctore, in paucis exemplaribus reperitur.

v. 17. ſubjice:

† Cl. *Heuſingerus* ad h. l. ita obſ. antib. 434. ſeq. monet: *Vice prima, altera, tertia*, Palladii quidem auctoritate, ſi quae eſt, ſe tueri poteſt: Horatium vero ita loquentibus praeiiſſe, minime adſentior. Non hoc ille voluit, quum lib. 4. od. 14. v. 13. dixit *plus vice ſimplici*. Nam *vice* heic eſt, *ultio*, *poena*. Sic lib. 1. od. 28: *Viceſque ſuperbae te maneant ipſum*, quod eſt *ſuperbiae poenae*. Druſus ex Poëtae mente, *Genaunos, Breunos, arces Alpibus impoſitas tremendas, dejcit acer plus vice ſimplici*: non id quidem *ſemel* (nam hoc ſatis erat) ſed non contentus, tantumdem cladis inferre hoſtibus, quantum ab iis ante Romani acceperant. Nihil novae interpretationis a me excogitari, apparebit facile, ſi quis Acronem leget, cujus ad h. l. verba ſunt: *Plus vice ſimplici, aut in ſimplicem vicem, quia* dupla, *quam dederant*, clade *perculſi ſunt; aut quia dixit* acer *non* ſimplici vice. Nec aliter Cruquii Scholiaſtes: *Quia plures hoſtium proſtraverat, quam perdiderat* (ex ſuis.) *Druſus enim laeſus prius placari non poterat, niſi* duplicem *inferret injuriam*. Cruquius etiam: *Non unâ pugnâ aut uno congreſſu; hoc enim majoribus erat vice à vi dictum*. Habuit ſcilicet ante oculos illud Virgilii l. 2. Aen. v. 431: *Nec tela nec ullas Vitaviſſe vices*, ubi Servius *pugnas* intelligit. Illud quoque novo Theſauro Fabriano et Geſneriano mecum convenit, *vice ſimplici* non eſſe *ſemel*. Haec nova potius Lambini eſt opinio, quae ideo tantum, quod vulgaribus linguis proprior eſt, a pleriſque probatur. *Trinis vicibus* a Plinio quidem libro 36 cap. 19 extr. dictum eſt, ſed ita, ut *ternae viciſſitudines* ſignificentur. En ipſa verba. *Phrygius lapis gentis nomen habet. Eſt autem gleba pumicoſa. Vritur, ante vino perfuſus, flaturque follibus, donec rubeſcat, ac rurſus dulci vino exſtinguitur*, et *hoc* trinis vicibus. Ter ſcilicet lapis primum vino perfundebatur, ter igni perurebatur, ter iterum vino exſtinguebatur. Plus ergo eſt, quam *ter*.

Vice verſa nolenti ac repugnanti Plinio tribuitur Paneg. cap. 80. n. 6. ubi Hackiana exemplaria, quae hoc nomine reprehendit Arnzenius, pro conſtanti librorum ſcriptura *vice ſua*, inepte repoſitum habent *vice verſa*.

p. 1806.

Locus VICES *alicujus ſuſtinere*, ſic legatur:

VICES *alicujus ſuſtinere*, non damnare auſim, partim quia haec locutio exſtat ap. Paullum I. C. l. 9. D. de pactis, partim quia apud veteres occurrunt ſimilia.

v. 8. lege: Malim tamen cum.

p. 1807.

v. 3. ſubjice:

† Sed contra hanc ἀκρίβειαν peccavit Lucanus L. 7. v. 669. ſeqq. de Pompejo poſt cladem Pharſalicam ita loquens:

- - - *Nec deërat robur in enſes*
Ire duci, juguloque pati vel pectore letum,
Sed timuit ſtrato miles ne corpore Magni
Non fugeret, ſupraque ducem procumberet orbis.

Legitur quidem et ſic *ne non* hodie apud Senecam Suaſor. 1. p. 10. in epiſtola Caſſii ad Ciceronem: *Nos quidem illum deridemus; ſed* timeo, ne *ille* non *gladio ἀντιμυκτηρίσῃ*. Sed juſta ſuſpicio eſt, corruptum eſſe hunc Senecae locum, quum locus Caſſii in Epiſt. ad Ciceronem L. 15. ep. 19. ſic habent: *Scis, quam ſe ſemper a nobis deriſum Cn. Pompejus putet. Vereor, ne nos* ruſtice gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι.

Inſeratur:

VIDEAS FIERI pro *Videamus* l. *Videatur*, elegantia eſt Cornelo Nepoti propria.

Ad loc.

VIDERE elegantem formulam dat,

v. 10. adde: *Ipſe viderit Homerus: ego in his nihil veri, nihil divini video.* Germ. *ich leiſte keine Guarantie für den Homerum; ich laſſe es den Homerum verantworten; denn ich kann nichts gegründes und beſonders darinn antreffen.*

p. 1808. ad loc.

VINDICARE *injuriam*. v. 4. ſeq. lege: *Vindicare ſe aliqua re ab interitu, ab oblivione;* it. *Vindicare ſe ex ſuſpicione tanti ſceleris*, quod apud Cic. contra Syll. occurrit;

Ad loc.

VINVM CRASSESCENS. v. 6. ſic lege: *Vinum exoleſcens;* Graeci, ὁ οἶνος ἐξεστηκώς.

Inſera-

Inſeratur:

VINVM ADVSTVM abſone et incongrue: dic, *vinum igne vaporatum et ſtillatum.*

Liquor acer et ſpirituoſus, ex faecibus uvarum Francicarum l. *Rhenanarum igne vaporatus et ſtillatus*, Germ. *Franz-Brandwein, Rheinſcher-Brandwein.*

p. 1809. ad loc.

VIVERE *vitam.* v. 3. ſeq. ſic lege:

Vivere pane et de pane; de lucro; rapto et ex rapto; caede et ex caede; labore et ex labore ſuo.

p. 1810. inſeratur:

VIX ME CONTINEO, QVIN, Terentius: VIX TENEOR, QVIN, Cicero.

* Ter. *Vix me contineo, quin tibi in capillos involem.* Cic. *Ego vix teneor, quin accurram.*

p. 1812.

v. 2. adde: Sall. B. Jug. c. 69: *More majorum, ex conſilii decreto, per legatos Jugurthae imperat argenti pondo ducenta millia.*

Ad loc.

VNVS, *inquit Schorus*, v. 5. adde: Sic ap. Terent. *Ex unis* (ſcil. nuptiis) *geminas mihi conficies nuptias.* Et ap. Sall. B. Cat. p. 21: *Hi poſtquam in una moenia convenere.* Et B. Jug. cap. 67: *Vbi unae atque alterae ſcalae comminutae; qui ſuperſteterunt, adflicti ſunt.*

p. 1814. ad calcem loci:

VOX TENVIS; adde: Item: *Vocem jucunda modulatione vibrare*, feine Triller ſchlagen. *Acuta voce canere*, den Diſcant ſingen. *Subacuta voce canere; Ea voce canere, quae eſt ab acuta proxima*, den Alt ſingen. *Voce media voce juvenili canere*, den Tenor ſingen. *Voce gravi canere*, den Baſs ſingen.

v. penult. hujus pag. pro VOX, VIVA, lege VOX VIVA.

p. 1816.

v. 6. ſic lege: *Vsque ex* vel *e*, *Vsque extra*, *Vsque in*, *Vsque ſub*, *Inde usque*, *Vsque adeo* abſolute.

Inſeratur:

VT apud Latinos Infinitivum recipere, ut apud Graecos ὥστε, temere ab non multis adfirmatur. Nam Horatii locum, quo decipiuntur l. 1. od. 11. v. 3. ita legendum eſſe apparet:

Vt melius, quicquid erit, pati!

Id eſt, quanto melius eſt, quantum praeſtat, pati, quicquid erit! Vlpiani vero verba, quae ex l. 62. D. ad leg. Falcid. adferuntur, ſine dubio, ut alia in Pandectarum libris, corrupta ſunt. Ita enim vulgo legitur: *In lege Falcidia hoc eſſe ſervandum, Julianus ait, ut, ſi duo rei promittendi fuerint, vel duo rei ſtipulandi, ſi quidem ſocii ſint, in ea re dividi inter eos debere obligationem.* Nam aut *ut* omittendum, aut legendum eſt *debeat obligatio.* Tribonianus certe facilius errare potuit, quam leges Grammaticas mutare. *Heuſing.* obſ. antib. 488.

p. 1817.

Locus: VT; NE; ſic efferatur:

VT cauſale, item NE, QVO, QVIN, et quae ſimilem vim habent, cujuſmodi ſunt *Vti*, *Quo*, *Dummodo* et alia, Conjunctivum adſciſcunt, etc.

p. 1818.

Ad calcem proxime praecedentis loci ſubjice:

VT pro *Poſtquam*, Indicativum adſciſcit. Ovid. L. 5. Triſt. el. 11:

Vt ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter.

Ad loc.

VT NON; et quidem in fine, ſubjice:

Haec ſane ἀκρίβεια recto ſtat talo; quamvis, quod contra Scioppium notandum eſt, veteres non ſemper eam ſatis cuſtodierint.

Inſeratur:

VT POSSVM eleganter notat idem, quod *Pro virili.* v. g. *Eum, ut potui, per litteras cohortatus ſum.* Cic. *Huic ego locum in proximo conduxi, et, ut poſſum ex meis anguſtiis illius ſuſtento tenuitatem.*

p. 1820.

Locus: VTER VTRVM *prior laceſſivit?* ſic efferatur:

VTER VTRVM *prior laceſſivit?* non ſatis accurate dicitur; ſed *Vter alterum prior laceſſivit?* Nec ſatis accurate reſondetur *Vterque* etc.

Fini

Fini hujus loci ſubjice:

* Pro *Vterque alterum laceſſivit*, recte etiam dici poteſt *Alter alterum laceſſivit*; *Laceſſiverunt alter alterum*; *Mutuum laceſſiverunt*; *Laceſſiverunt ſe mutuo*; *Laceſſiverunt invicem* l. *ſe invicem*; *Laceſſiverunt inter ſe*; *Mutua inter illos fuit provocatio*; *Alter alterum viciſſim laceſſivit.*

Exeunti loco:

VTERQVE FRATER; adde: Sall. B. Jug. c. 14: *Die conſtituto Senatus utrisque datur*, Germ. *Am beſtimmten Tage wird ihnen beyderſeits zu gefallen ein gerichtlich Verhör angeſtellet.* Ibid. c. 21: *Vtrique alteris freti.*

p. 1822.

v. 5. ſeqq. ſic lege: 11. *Odio dignus ſit, nec ne.* 12. *Vtrum odio dignus ſit, nec ne.* 13. *Vtrum odio dignus ſit, annon amore.* etc.

p. 1824.

Subjungatur atque in fine addatur:

X.

XYSTVS *conciſus in plurimus ſpecies, diſtinctusque buxo*, Germ. *ein Luſt- und Blumen-Beet*, ap. Plin. Juniorem.

p. 1829.

v. 1. ſeq. ſic lege:

Vt eo certius de ſingulorum vocabulorum et locutionum hactenus recenſitarum pretio judicium ferre poſſis, &c.

p. 1834.

Col. 2. v. 10. lege: *Lucius* ATTIVS l. *Accius*, ut perperam recentiores ſcribunt, Tragicus.

p. 1835.

v. 4. ſubjice:

Neque tamen ſua laude propterea hi auctores antiquiores fraudandi ſunt. Primi fuerunt, qui cultum latinitati adhiberent, vel tentarent potius. Eminet tamen inter illos praeſertim Ennius, a quo optimi hujus aetatis aureae ſcriptores non nulli, nominatim et quidem ante alios ipſe Cicero et Virgilius ſumſerunt quaedam, et ſua imitando fecerunt.

p. 1837.

v. 54. pro *Duckerus* lege *Dukerus.*

p. 1838.

v. 8. ſubjice:

* *Cellarius* de fatis L. L. p. 14: *Ex Catonianis ſolus liber de Re Ruſtica ſupereſt, non quidem contemnendus, neque vero comparandus ornatiſſimis libris Moderati Columellae, qui in eodem argumento, ſed felicius et faventiore Muſa atque applaudente verſatus eſt.*

v. 50. ſeqq. ſic lege: quae recuſa eſt Francof. 1583. 8. Sua etiam ſe commendat accuratione, doctrina et elegantia, quae cum emendatioribus et notulis perpetuis *Tanaquilli Fabri* exiit Salmurii 1662. 4. Peſſima editio eſt *I. Nardii*, Florentiae 1699. 4.

v. 3. ſubjice:

Ennium, ait Quintilianus l. 10. c. 1, *ſicut ſacros vetuſtate lucos, adoremus; in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem.*

p. 1839.

v. 53. ſic lege: *Multa enim apud eum parum decore* etc.

p. 1840.

v. 4. ſubjice:

Cellarius de fatis L. L. p. 9. ſeq. *Plautus — purae pro tempore latinitatis amans, iccirco maxime commendandus, niſi moribus impurus eſſet, et protervos ac laſcivos ſales cunctis fabulis ſuis immiſceret, plures etiam de induſtria ex inſalubri et obſcena materia componeret. Quae cauſa eſt, ut adoleſcentes a lectione illius revocandos exiſtimemus.*

v. 37. ſubjice:

Cellarius de fatis L. L. p. 10: *P. Terentius belli Punici III. tempore, et poſt paulo clarus fuit, Afer genere et Carthaginienſis, tanto ingenio, ut Romam inter captivos adductus, quum Terentio Lucano ſerviſſet, Latinam linguam non didicerit modo; ſed etiam excoluerit, ut nec inter Romanos haberet, qui cum ipſo conferri elegantia poſſet. Quae enim in Plautinis adhuc horrida erant et aſpera, magis magisque perpolivit: ſed quod vitium illorum temporum erat, quamvis pudicior Plauto eſſet, tamen in ſingulis, quas reliquit, elegantiſſimis fabulis ejusmodi argumentum pertractavit, quod conſultius eſſet, adoleſcentes neque legere, neque audire. Non itaque morem ſcholarum probamus, quae initia latinitatis a Terentio petunt, quo non poſſunt morum ſanctitati non officere. Attamen dicunt Terentiani, genuinam ex illo linguae indolem hauriri. Eſto. Sed hauriuntur ſimul vitia morum, quorum gravius damnum eſt, quam ut vel ampliſſimo latinitatis fructu poſſit repenſari. Excuſent alii, quantum volunt, vel etiam poſſunt: nobis id verum et certum eſt, quod Minucius Felix. cap. 37. dixit: Hiſtrio amores*

dum

dum fingit, infligit. *Hoc de Terentii comoediis ſatis ſit: de impurioribus Plauti ex iisdem facile judicabitur. Conſuli et moribus et ſtudiis una opera poſſit, ſi excerpta Plauti et Terentii, non integras fabulas, juventuti proponamus, ut, quae bona in iis ſunt, perdiſcantur: quae noxia morum ſalubritati, ignorentur. Tentatum id ab aliis eſt, et litteris publicis excerpta illa propoſita: ſed, ut mores ſunt ſaeculi atque Scholarum, pauci admodum approbaverunt aut imitati ſunt.*

p. 1843.

v. 10. ſubjice:

Quemlibet igitur haec elogia, quae a tantis viris Tullio noſtro tribuuntur, veriſſima exiſtimamus eſſe; notum tamen eſt, non pauca rariora vocabula Poëticasque formulas ab hoc Romanae eloquentiae parente, in Philoſophicas praecipue diſputationes relatas, eſſe e priſcis illis Poëtis, Attio, Naevio, Ennio et Pacuvio; quas quidem imperiti e Nizolii Sylloge pro Ciceronianis falſo venditant. Certe ſejungi illa, ut aliena, et peculiari nota diſtingui oportuit, ne lectores inducerentur ad amplectenda haec ut talia, quae optimae notae ſint, et ipſum Ciceronem parentem agnoſcant.

Quamvis etiam communi velut doctorum conſenſu &c.

p. 1845.

v. 23. ſic lege: 6. Lipſienſis, quae prodiit curâ *Joh. Aug. Erneſti* 1737-1739. 6. Voll. 8 maj. ex recenſione *Jac. Gronovii*: accedit varietas lectionis Pearcianae, Graevianae, Daviſianae, cum ſingulorum librorum argumentis et Indice rerum Hiſtorico verborumque Philologico-Critico. 7. Genevenſis, quae 1746. 4 maj. in IX Tomos diſtributa prodiit, cum delectu Commentariorum, in uſum Delphini, curâ *Joſephi Oliveti*, editio ſecunda emendatiſſima.

v. 50. adde: *Jacobus Maſenius* Caeſaris ſtilum ſtrigoſum vocat; et *Juſt. Lipſius* T. 3. Opp. lib. 1. Poliorcet. Dial. 9. edit. Plantin. Antwerp. 1637. editae p. 281. *Quam frigida*, inquit, *aut hians et ſupina ſaepe tota ſcriptio* (Caeſaris ſcil.) *eſt? quam conatur potius aliquid dicere, quam dicit? itaque obſcuritas et intricatio: denique nomen Caeſaris niſi eſſet, in tanto pretio fortaſſe liber non eſſet.* Et paullo poſt: *Proprium in eo ſcriptore vitium, dicere multis, nec multa.* Vtrique vero Caeſaris obtrectatori os facile obſtrui poteſt teſtimonio *Quintiliani*, peritiſſimi dicendi magiſtri, qui l. 10. c. 1. Inſtitut. Orat. de ſtilo Caeſaris ita judicat: *C. Caeſar, ſi foro tantum vacaſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur; tanta in eo vis eſt, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira ſermonis, cui proprie ſtudioſus fuit, elegantia.*

Nolt. Suppl.

p. 1846.

v. 42. ſubjice:

Lectionis Cornelianae non puduit magnos viros. Sic quod ſcimus, Vrbanus Dietericus a Luedeke, Primus in aula Guelpherbytana noſtra Status Adminiſter et Cancellarius, auctoris hujus lectioni ſaepe immoratus eſt; et B. Gerh. Titium, Theologum in vicina nobis Academia patria, clariſſimum conſtat quotidie aliquid temporis gravioribus, quibus diſtinebatur, negotiis ſubtrahendo Nepoti huic impendiſſe: cujus ſubſecivae operae hoc etiam pretium tulit, ut Cornelianam ſuavitatem atque perſpicuitatem, ſicut ipſius ſcripta teſtantur, mira exſcriberet ſimilitudine.

In nullum ſcriptorem claſſicum alium amanuenſium incuria magis temere graſſata eſt: unde tot mendae, tot lectiones variantes, quarum mole quaſi laborat.

p. 1847.

v. 30. ſeqq. ſic lege: *Pariſienſis* 1675. et ſecundis curis 1692. 4. curâ *Caroli Ruei*, in uſum Delphini: recuſa Londini 1686. 1695. 8. it. Amſterd. 1690. 4. *Rueus* autem perinde, ut in aliis Poëtis ac ſcriptoribus Galli fecerunt, praeter notas et Indicem omnium verborum, utiliſſimo inſtituto *interpretationem paraphraſticam* adjecit, qualem expoſitionem in omnia Virgilii opera ſuo tempore confecit *Nicod. Friſchlinus*, et in tres primos totidemque ultimos Aeneidos libros *Jacobus Pontanus*.

p. 1848.

v. 29. ſic lege: prodiit Pariſ. 1691. 4 maj. et Hagae 1708. 8.

p. 1849.

v. 30. ſic lege: cum eximio et ab ipſo Scioppio magni aeſtimato *Johann. Paſſeratii* Commentario.

v. 51. ſic lege:

* *Quintilianus* ei *lacteam ubertatem* i. e. ſermonis copiam et ſuavitatem tribuit.

p. 1850.

v. 16. adde: Fuit autem Aſinius Pollio ſumma-dignitate, rebus praeclare bello ac pace geſtis, etiam ingenio pollens et induſtria: ſed, quod ſummis non numquam hominibus adhaeret vitium, ſui amore invidus aliis, iis maxime, quos ſuae gloriae credebat poſſe obſiſtere. Nam, quod M. Seneca Suaſoria VI dicit, *infeſtiſſimus famae Ciceronis permanſit*: et iniquo animo tulit, ut Suaſoria inſequenti eſt proditum, Ciceronem jam occiſum, laudatum eſſe a Cornelio Severo Poëta: ſed quam vere, quam aequae ita adfectus fuerit, mille teſtes ſunt, qui obloquantur. Sugillavit idem Pollio Julii Caeſaris de Bello Gallico et civili commentarios, ut Suetonius refert in ejus vita c. 56, *quaſi parum diligenter, parumque integra veritate compoſiti ſint, quum Caeſar de iis, quae per alios geſta erant, temere crediderit; quae per ſe, vel conſulto, vel memoria lapſus, perperam ediderit.* Quis vero non deprehendit malignitatem hujus cenſurae? quanto rectius et candidius Cicero, ceteroquin parum favens Caeſari, et Aulus Hirtius apud eumdem Suetonium de iisdem Commentariis judicaverunt? Qui ergo iniquus fuit in laudatiſſimos viros, Ciceronem atque Caeſarem, quid mirum, ſi non aequior etiam in T. Livium, his maxime aequalem, fuerit? Quid? quod neque ingenio, neque moribus par iis, quibus invidebat, videtur exſtitiſſe. Auctor Dialogi de Oratoribus cap. 21. de eo dicit, *videri ſibi inter Menenios et Appios ſtuduiſſe expreſſiſſeque Pacuvium et Attium: durum et ſiccum eſſe.* Et Tacitus Annal. 1. c. 12. *ferociam* in ipſo notavit.

v. 36. ſeq. ſic lege: et certis dicendi luminibus ornati, aemulus Thucydidis, ut Vellejus Paterculus l. 2. c. 36. eum vocat.

v. 41. haec ſubjiee:

Aſinius Pollio Salluſtii ſcripta, ut Suetonius de ill. Gramm. c. 10. teſtatur, reprehendit, ut nimia priſcorum verborum affectatione oblita.

p. 1851.

v. 35. ſubjice:

Ex argumenti analogia traxit ab hoc Vitruvio noſtro κατ' ἀντονομασίαν titulum ſuum liber egregie ſplendidus, qui 1731 fol. prodiit Londini, inſcriptus: *Vitruvius Britannicus, ou Architecture Britannique, contenant les Plans, Elevations et Sections des Batimens reguliers, tant particuliers, que publics de la Grande-Bretagne, compris en taille douce par les meilleurs Maitres, et tous deſſinez des Batimens mêmes, ou ſur la copie des Deſſeins originaux des Architectes, par Campbel, Angl. et Franç.*

p. 1854.

v. 31. adde: *Joh. Bodini* Method. Hiſtor. c. 10. *Dan. Guil. Mülleri* Diſſ. de Curtio, Altorfii 1683. habita, cui aliam oppoſuit *Magnus Daniel Omeis*, Curtium ſcriptoribus iterum Latinis adſerens.

v. 32. pro *ut ut facile largiamur* lege *ut ut facile largimur.*

v. 37. pro *vindicaco* lege *vindicato.*

p. 1855.

v. 43. ſic lege:

† Meliores editiones ſunt, tum quae prodiit cum Commentario *Oliverii* et *Aſcenſii* familiar. interpretam. Mediolani 1513. fol. tum etiam editio *Ant. Thyſii* Lugd. Bat. 1670. 8. et *Petri Joſephi Cantelii* &c.

v. 51. ſubjunge: Cuncta ex Hippocrate ſuo hauſit, ſed, quod ex praeclaro Medico didici, majori ἀκριβείᾳ inſtruxit et ubertate.

p. 1856.

v. 15. adde: Sunt, qui non Auguſti, ſed Tiberii libertum putant, quum id nomen et artes Sejani, quas leviter perſtringit, facile perſuadeant: at potuit tamen, niſi quidem me fallit animus, Octavii libertus eſſe, et ad Tiberii tempus vitam prorogaſſe ſuam.

v. 26. adde: Has Phaedri fabulas ſuppoſiticias judicavit *Petrus Scriverius* pag. 88. ad Martialem: contra cenſuit *Barthius* multis argumentis L. 36. Adv. c. 21. et Lib. 47. c. 10.

p. 1857.

v. 17. adde: Philoſophiae dedit operam, et praeſertim Stoicorum ſomniorum interpres fuit vaferrimus.

p. 1860.

v. 28. ſeq. ſic lege: praeter ceteros optime de ejus *Satyrico* meruiſſe dicendi

di ſunt, primo quidem *Nicod. Friſchlinus*, qui multam lucem huic auctori accendit in Paraphraſi ſua, cujus recenſionem dat *Carolus Henricus Langius* in vita Friſchlini cap. 3. §. 3. pag. 93. et cap. 1. §. 21. p. 25. not. f. et quae prodiit cum ipſo textu et notis *Volſci*, *Engentini et Foquelini*, Baſil. 1582. 4: deinde etiam *Petrus Pithaeus* etc.

v. 35. ſeq. ſic lege: et auctior Londini 1647. 8. Horum Commentatorum operâ valde uſus videtur eſſe *M. Joh. Samuel Adami* in translatione hujus auctoris Germanicâ, eâque metricâ, quae ſub inſcriptione *des verdeutſchten Perſii* prodiit Dresdae 1674. 8. et eam prae ſe fert lucem, qua nubes hujus Satyrici ita diſſipatae ſunt, ut illitterati etiam eumdem nunc legere queant. Quid ipſe Caſaubonus de ſuo in Perſium Commentario judicavarit, teſtatur *Colomeſius* in ſuis Operibus, ab Joh. Alb. Fabricio junctim editis, pag. 459: *On pretend, que Grotius ait mis tout ſon eſprit en ſon livre* de Jure belli ac pacis; *et qu'il en pouvoit dire ce que Caſaubon dit de ſon Commentaire ſur Perſe dans une lettre à Mr. Perellau ſon parent, qui n'eſt pas imprimée:* In Perſio omnem ingenii conatum effudimus.

p. 1861.

v. 6. adde: Editio, quae cum *Petri Burmanni* Commentario Lugd. 1740. 4. prodiit, omnes antecedentes ſuperat.

p. 1863.

v. 37. ſubjice: Quid fragmentis his Petronianis occaſionem praebuerit, Salmaſius pro ingenii ſui ſagacitate haud infeliciter hariolatus. *Quod ex Petronii Satyrico habemus*, inquit Praef. ad Lucium Ampelium, *mira excerpta ſunt alicujus ſtudioſi, qui, quae ad guſtum ſuum in illo auctore invenerat, eodem, quo opus legebat ordine, adverſariis ſuis commendavit ac commiſit. Qui putant, a monachis ſic eviratum eſſe, vehementer errant. Qualis haec caſtratio foret, quae reſectis a reliquo corpore membris, vel potius ipſo corpore abjecto, ſolas pudendas partes reliquiſſe videatur? Certe quae deſiderantur, vix videri poſſunt ſalaciora ac nequiora fuiſſe his, quae relicta ſunt. Immo iſta nullam procacitatis et protervitatis ὑπερβολὴν vel ipſis lenonibus uſurpandam reliquam faciunt.* Hactenus *Salmaſius*: cui adſentiremur, niſi unus ſcrupulus menti noſtrae inſideret. Neque enim capere ſatis poſſumus, unde complura fragmenta apud eum, quem ſibi Salmaſius fingit, epitomatorem irrepſerint et valde brevia et nullum plane ſenſum prae ſe ferentia; quod mihi ſaltem indicio eſſe videtur, infeliciori quodam caſu haec decurtata et a contextu abſciſſa eſſe. Quod igitur fatum his modo dictis fragmentis obtigit, nonne idem integro Petronio adſcribendum eſſe videntur?

p. 1864.

v. 13. ſubjice:

Tandem id quoque notandum, Eiſenbergae 1701. 12. prodiiſſe Petronium caſtratum ſub hac inſcriptione: *Titi Petronii Arbitri Satyricon puritate donatum, ejectis obſcoenis commentisque clarorum virorum, Gonſalii, Loticbii, Pithoei, utriusque Douſae, Wowerii, Erhardi Goldoſtini, aliorumque, cum Fragmentis Traguriae et Albae Graecae recuperatis, reſtitutum, cum adnotationibus, e MSC. Joh. Andreae Boſii.*

p. 1867.

v. 16. deleatur *Denique*.

v 19. ſubjice:

5. Ex recenſione *Gottl. Cortii* et *P. Dan. Longolii* Amſt. 1734. 4.

p. 1868.

v. 12. adde: et valde luculenta illa et magnifice adornata, quae cum commentario *Chriſt. Gottl. Schwarzii* Brunſvigae 1746. 4. prodiit.

p. 1871.

v. 18. adde: procurata a *Sam Pitiſco*: cujus accedit Commentarius, quo Antiquitates Romanae, tum ab interpretibus doctiſſimis Beroaldo, Sabellico, Egnatio, Vrſino, Grutero, Torrentio, Caſaubono, Marſilio, Boxhornio, Graevio, Babelonio etiam explicatae, tum ab illis neglectae, ex auctoribus idoneis permultis Graecis et Latinis, veteribus et recentioribus perpetuo tenore explicantur.

v. 20. ſubjice:

* Tandem et illud notandum, ad imitationem prodiiſſe *Johannis Troſteri*, *Hyperanhylaci*, *Suetonium Pontificium, das iſt, kurzgefaſste, doch gründliche Beſchreibung*

aller Römiſchen Biſchöfe und Päbſte, ſo von dem erſten bis auf den jetzigen Clementem X incluſive geweſen ſind, darin alle derſelben denkwürdige Stiftungen, Ordnungen, Thaten, Tugenden, Untugenden, und Nachruhm, aus den bewehrteſten Scribenten, Platina, Caranna, Caeſare Baronio und andern treulich und nach Hiſtoriſcher Wahrheit beſchrieben worden, 1671. 12. ſine mentione loci.

p. 1872.

v. 31. ſeq. ſic lege: *Daniel Heinſius* in ſingularis exempli Hiſtoria rerum ad Silvam Ducis atque alibi in Belgio aut a Belgis a. 1629. geſtarum, ed. Lugd. Bat. 1631. fol. min. ſic per omnia ſequendum Tacitum propoſuit, ut, etc.

p. 1873.

v. 16. ſubjice:

Ludovicus Aurelianenſis Gallus, et *Sciſſio Ammiratus* Italus, in linguam quisque vernaculam ſuam, transtulerunt Tacitum tam excellenter, ut inde et linguam, qua loquitur metaephraſtes, et ſenſum auctoris obſcuri, ſine alio commentatore haurire poſſimus.

p. 1874.

v. 21. ſeqq. ſic lege: ut *Petri Berthault Florus Francicus* Pariſ. 1630 et 1634. it. Colon. 1633. 8. *Lamberti Sylvii Florus Anglicus* Lugd. Batav. 1651. *Joachimi Paſtorii de Hirtenberg Florus Polonicus*, Amſterd. 1664. Gedani 1679. *Jo. Nadanyi Florus Hungaricus,* Amſt. 1663. *Viti Beringii Florus Danicus*, Otthingae 1698. it. Hafniae 1709. fol. *Florus Germanicus,* Hamburgi 1641. *Eberhardi Waſſenbergii Florus Teutonicus*, ex Latina lingua in Germanicam translatus 1645. 12. ſine mentione loci: complectitur hiſtoriam belli tricennalis usque ad id ſe extendentis tempus, quo ab Auctore conſcriptus eſt; qui tamen, ut Pontificius, animo partium ſuarum ſtudio abreptus, id eſt, animo Proteſtantibus infeſto, omnem cauſam perorat.

p. 1877. ad loc.

AVLVS GELLIVS. v. 29. adde: Prodierunt etiam admodum nuper *Noctium Joachimicarum* ſ. *Elucubrationum varii argumenti Volumina*, Berolini 1751. 8.

p. 1879.

Exeunti huic paginae ſubjice:

Quod ſpeciatim attinet ad Eccleſiae ſcriptores, qui hac et ſubſequente ferrea aetate occurrunt, valde priſcam Latinae linguae indolem deſeruerunt, Etiam veteres et optimi inter eos, ut in Tertulliano et Cypriano videmus, Scripturae S. verba vel ex Graeco codice Latine exprimebant, vel veterem aliquam translationem Latinam ſequebantur. Vtroque modo non poterant a vocabulis et formulis ſibi temperare, quae, Latio ignota, originem ab Hebraiſmo habebant, vel a Graecis hebraizantibus. Hoc quidem parcius fecerunt, priſcae elegantiae etiam in ſacro argumento obſervantes, ut Minucius, Arnobius, Lactantius, Petrus Chryſologus atque Hieronymus: quidam conſulto fugerunt morem, quem a pueris didicerunt, in eo laudem ſibi paratam exiſtimantes, ſi unice novo illo et ſacro ſtilo uterentur: quo in cenſu Cyprianum, et magis Paullinum Nolanum putamus habendos eſſe.

p. 1885.

v. 4. ſeq. ſic lege:

† Prodiit opera *Eraſmi Roterodami* Baſil. 1540. Oxonii 1682. Bremae 1690. Amſt. 1699. fol.

v. 31. ſeqq. ſic lege:

15. ICTI VETERES: VLPIANVS, IVL. PAVLLVS, POMPONIVS, CELSVS, MODESTINVS, SALVIVS, IVLIANVS, PAPINIANVS, MARCELLVS, cet. quorum verba etc.

Exeunti huic paginae adde: Obiter heic moneo, Jurisprudentiam omnem diſpertiri in *antiquam*, *mediam* et *novam*. *Antiqua* a legibus XII Tabularum usque ad Hadriani Imp. tempora ſe extendit, et propterea non eſt hujus loci, quum heroës noſtri, de quibus nunc ſermo nobis eſt, poſt aevum Hadriani demum floruerunt. *Media* complectitur tempus circiter illud, quod ſaeculo II. et III. continetur; et ad hanc JCti hi noſtri veteres pertinent. *Nova* a Gordianorum vel potius a Conſtantini M. temporibus arceſſenda videtur: et haec partim inſolentibus Graeciſmis, partim dicendi ratione valde a veterum cultu aliena, atque adeo quadam barbarie inquinata eſt. Graeciſmi regnant in Novellis, quum ex Graeco translatae ſint; et quamvis non nullae earum, veluti 9, 11, 23, 62, 143, 150 Latine prodierint; tamen, quum aevo Juſtinianeo et Conſtantinopoli concinnatae ſint, factum eſt, ut ſuis ſimiliter Graeciſmis ſcateant, prout id oſtendit *Joh. Frid. Hornbergk* in Praef. nov. Verſ. Novell. Barbaries et dicendi quaedam novitas apparet non modo in libris

bris Feudorum, qui medio circiter ſaeculo XII. a Gerardo Nigro et Oberto ab Orto, Coſſ. Mediolanenſibus, conſcripti ſunt, ſed etiam in Novellis illis, quae hodie ſub titulo *novem collationum* exſtant, et non multo poſt Juſtiniani tempora et ante Gregorium M. Papam ab homine ſemibarbaro collectae, et κατὰ πόδα quidem, ſed parum pure verſae exſtant: quae ſemibarbara metaphraſis ſola authentica eſt et in foro recepta, rejectis aliis ſtilo cultiore deinceps adornatis.

p. 1892.

v. 19. ſic lege: duobus voluminibus diſtincta in fol.

p. 1894.

v. 7. ſeqq. ſic lege: Atque hanc ipſam diviſionem ſecutus tum antehac magnus *Voſſius Praefatione* auro cedroque digniſſima *Operis*, quod *de vitiis ſermonis et Gloſſematis Latino-barbaris* inſcribitur, tum nuper admodum Vir Clariſſimus, Academiae Rintelenſis hodie decus, *Joh. Nicolaus Funccius* in Libb. de Origine et Pueritia, it. Adoleſcentia, Virili aetate, Senectute tum vegeta, tum etiam decrepita Latinae linguae ed. Marburgi 1720. 1723. 1727. 1735. 1736. 1744. Lemgoviae 1750. 4.

p. 1895.

v. 13. ſeqq. ſic lege:

† Prodiit

1. Apud *Aldum*, cum Sulpicii Severi Hiſtoria, 1502. 4.

2. Brunſvigae, vel, ut editor ſcribit, Brunſvicii ap. Divum Martinum 1516. 4.

3. Apud *Henr. Stephanum* 1578. 12. et Francof. 1541. 8.

4. Occurrit etiam in *Centonibus Virgilianis*, quos edidit poſt alios *Henricus Meibomius* Helmſtadii 1697. 4: et in *Virgilio-Centonibus* aliorum auctorum, Colon. 1601. 8.

5. Prodiit etiam ex recenſione et cum adnotat. *I. H. Kronmayeri*, Halae 1719. 8.

p. 1896.

v. 48. ſic lege: edita ſunt cum Comment. *Conr. Ritterhuſii* et cum *Johann. Weitzii*, *Adami*, *T. Sitzmanni*, *J. Alexandri*, *St. Baluzii* notis integris, impenſis Brawerì, Bremae 1688. 4.

p. 1900.

v. 23. adde: et ibidem denuo cura Benedictinorum 1705.

v. 44. ſic lege:

Fl. Creſconius CORIPPVS.

v. 50. adde: Atque hac ipſa facie denuo prodiit ibid. 1743. 8; ex recenſione *Andreae Goetzii*, qui etiam omnium vocabulorum indicem addidit.

p. 1907.

v. 30. ſubjice:

† Magni hujus viri modo dictos *Hiſtoriae Danicae libros Stephanus* recognovit, notiſque uberioribus illuſtravit cum figg. Sorae 1644. fol.

p. 1910.

v. 38. ſeq. ſic lege: novum quoddam loquendi genus induxerunt, quod otioſa et iners eorum ſubtilitas excogitavit. Nil quicquam tunc ſcholae amplius etc.

p. 1911.

v. 38. ſubjice:

Cui lubet, et tantum otii eſt ab re ſua, conferat heic

1. Valer. Andreae *Catalogum clarorum Hiſpaniae Scriptorum, qui Latine diſciplinas omnes humanitatis, Jurisprudentiae, Philoſophiae, Medicinae ac Theologiae illuſtrando, etiam trans Pyrenaeos evulgati ſunt.* Moguntiae 1607. 4.

2. A. S. Peregrini (h. e. Andreae Schotti) *Hiſpaniae Bibliothecam* ſ. *de Academiis ac Bibliothecis*, item *Elogia et Nomenclatorem clarorum Hiſpaniae Scriptorum, qui Latine diſciplinas omnes illuſtrarunt*, Tomis 3. diſtinctam. Francof. 1608. 4.

3. Nicolai Antonii *Bibliothecam Hiſpanam* ſ. *Hiſpanorum, qui ab anno 1500 usque ad praeſens tempus ſive Latina, ſive populari, ſive alia quavis lingua ſcripto aliquid conſignaverunt, notitiam.* Tomis 2. Romae 1672. fol.

p. 1913.

v. 23. ſubjice:

Hieronymus *Fracaſtorius*, Poëta excellentiſſimus, alter Maro.

v. 25. ſubjice:

Baptiſta *Guarinus*.

p. 1914.

v. 38. ſubjice:

Guilielmus *Grocinius*.

p. 1915.

v. 41. ſubjice:

Heinrichmannus.

v. 50. deleatur *Thomaſius Lanſius*.

p. 1917.

v. 49. ſubjice:

Reſchelius, qui ſcripſit Dictionarium Latino-Bohemicum.

v. 53. ſubjice:

Andreas *Calagius*.

p. 1918.

v. 38. ſubjice:

Thormodus *Torfaeus*, cujus Antiquitates Septemtrionales prodierunt Hafniae 1705. 4.

v. 40. ſubjice:

Plures hujus gentis hoc in genere litteratos dare poteſt Joh. Mölleri *Cimbria litterata*, ſ. *Scriptorum Ducatus utriusque Sleſvicenſis et Holſatici, quibus et alii vicini quidam recenſentur, Hiſtoria litteraria tripartita, Opus magno 40 annorum labore et ſtudio confectum diuque deſideratum*, Tomi 3. Hafniae 1744. fol. maj. et *Albertum Bartholinum de ſcriptis Danorum*; it. *Nicolai Petri Sibberi Bibliothecam Dano-Norvegicam.*

v. 44. ſubjice:

Conferatur Nic. Dal *Specimen biographicum de Antiquariis Sueciae, in qua Jo. Hadorphii, El. Brenneri, et Islandorum curae enarrantur.* Stockholmiae 1724. 4.

v. ultimo add: Oleaus *Hermelin*, cujus *Diſquiſitio de origine Livonorum* 1717. 8. Lipſiae recuſa eſt operâ *M. Georgii Caſpari.*

p. 1919.

v. 8. ſubjice:

Johannes *Meſſenius.*

v. 14. ſubjice:

Andreas Antonius *Stiernmann*, cujus exſtat *Aboa litterata Holmſ. 1719. 4.*

Olaus *Verellius*

Qui plures Suecos Latine doctos noſſe cupit, huic inſervire poteſt

1. Joh. Schefferi *Suecia litterata* ſ. *de ſcriptis et ſcriptoribus gentis Sueticae, hypomnematis Hiſtoricis illuſtrata* a Jo. Möllero. Editio tertia multis modis aucta Hamburgi 1716. 8.

2. Andr. Ant. Stiernmanni *Bibliotheca* Sueo-Gothica, in qua Reges, Heroës, Magnates atque viri ab anno mundi 3362 eruditionis famâ clari atque inſignes enumerantur, eorumque ſcripta edita, inedita, deperdita atque affecta, curate luci reſtituuntur publicae, additis auctorum vitis, epitaphiis, cet. Tomi 2. Holmiae 1731. 4. In Tomo poſteriore exhibentur tempora Caroli IX atque Guſtavi Adolphi ab a. 1600 usque ad a. 1632.

v. 25. ſubjice:

Joh. *Dlugoſſius* ſ. *Longinus*, qui ſcripſit *Hiſtoriae Polonicae libros XII*: quorum ſex poſteriores ex MS. rariſſimo ex bibliotheca et cum Praefatione Henrici L. B. ab Huyſſen in lucem ſunt protracti.

v. 28. ſubjice:

Stanislaus a *Kobierzycko*, qui ſcripſit *Hiſtoriam Vladislai, Poloniae et Sueciae Principis, ejus natales et infantiam, electionem in magnum Moſcoviae Ducem, bella Moſcovitica, Turcica, ceterasque res geſtas. Dantiſci 1655. 4.*

v. 30. ſubjice:

Simon *Okolski.*

Lucas *Opalinski.*

v. 32. ſubjice:

Paulus *Piaſecius.*

Albertus Stanislaus *Radzivilius.*

v. 39. pro *Solicovius* lege *Sulicovius*; eidemque verſiculo ſubjice:

Sim. *Starovolſcius*, cujus exſtat *ſcriptorum Polonicorum* ἑκατοντὰς ſ. *centum illuſtrium Poloniae ſcriptorum elogia et vitae*, Francof. 1625. 4.

v. 41. ſubjice:

Joh. Andr. *Zaluski*, cujus exſtat *Specimen Hiſtoriae Polonae Criticae*, Warſaviae 1735. 4.

v. 42. ſubjice:

Plures eruditos Polonos cognoſcere cupienti inſerviet *J. D. Janotzkius de litterarum in Polonia propagatoribus.* Dantiſci 1746. 4.

v. 43. ſubjice:

David *Czvittingerus*, cujus exſtat *Specimen Hungariae litteratae, virorum eruditione clarorum, natione Hungarorum, Dalmatarum, cet. vitas, ſcripta, elogia et cenſuras exhibens.* Accedit *Bibliotheca ſcriptorum de rebus Hungaricis.* Francof. et Lipſ. 1711. 4.

v. 52. adde: et ſubjunctas videmus Parti 3. *Hiſtoriae Tridentini Concilii* a *Chriſtiano Aug. Saligio*, Scholae Guelpherbytanae Conrectore, concinnati.

p. 1921.

v. 10. ſeqq. ſic lege:

Et primò quidem agamus de Lexicis: quorum potiora dum recenſere adgredior; generatim non nulla de iisdem praemittenda eſſe exiſtimamus:

1. Etiam illis ipſis temporibus, quibus barbaries bonarum litterarum culturae vel prorſus et omnino, vel aliqua ſaltem ex parte adhuc obſtabat, jam Lexica in uſu erant

erant illa, quae *Papias*, (cujus *Vocabularium* a. 1286 abſolutum, et Venetiis a. 1456 impreſſum, et denuo ibidem excuſum a. 1491. exiit): *Dionyſius Neſtor*, (cujus *Dictionarium* Ludovico Sfortiae dicatum, primò Venetiis a. 1488, poſtea Pariſ. 1496, et tandem Argentorati a. 1502, atque ibidem iterum, nempe 1507 fol. excuſum eſt): *Johannes Werdena*, (cujus Lexicon ſub titulo *Gemmae Gemmarum* in publicum prodiit Colon. 1512. 8 maj.): *Johannes de Janua*, (cujus *Catholicon* ſive *Lexicon ex diverſis auctoribus contractum* Aug. Vindel. a. 1456. it. Norimbergae 1483, et emendatum per *M. Petrum Egidium* Lugd. 1506. fol. prodiit): item *Simon Jannenſis*, *Balbus*, *Brito*, *Hugaitio*, et complures hujusmodi alii, e barbarorum temporum ſterquilinio hauſta compilaverant. Haec pro aevi iſtius barbarie ſat belle ſe habebant: at jure contemnebantur illico, quum bonae litterae caput altius extollere occiperent. Nec *Gloſſaria Philoxeni* et *Benedicti* prodeſſe multum poterant in tantis tenebris. Oblitus propemodum eſſem, quod ex hujusmodi Lexicis praeter cetera commendabile putat Daumius de cauſis amiſſ. rad. L. L. c. 22. p. 84, *Johannis Reuchlini Breviloqui* nomine inſcriptum, et miratur, a nullo eruditorum laudatum, quum tamen multo praeſtantius ſit inficetis hujus et ſuperioris aetatis omnibus.

2. Simul ac renatae erant bonae litterae, certatim prodibant *Lexica*, *Vocabularia*, *Theſauri*, *Calligraphiae*, *Silvae*, *Fontes*, *Dictionaria*, *Caſtella*, *Atria*, *Januae*, *Promtuaria*, *Exegetica*, *Onomaſtica*, *Flores*, *Orbes Picti*, *Veſtibula*, *Locutionum probae notae Syllogae* et *Elegantiarum Commentarii*, quos *Baxius*, *Comenius*, *Benzius*, *Cholinus*, *Pictorius*, *Scoppa*, *Portus*, *Heinſius*, *Schoreius*, *Servilianus*, *Seidelius*, *Eraſmus*, *Manutius*, *Schorus*, *Mancinellus*, uterque *Morellus*, *Riccius*, *Calagius*, *Merkius*, *Buſus*, *Liburnicus*, *Tympius*, *Wendelinus*, *Weinrichius*, *Duſtlaeus*, *Montanus*, *Tachartus*, *Bul*, *Emmelius*, *Barbaroſſa*, *Helling*, *Gambarella*, *Parens*, *Serranus*, *Jolius*, *Prateolus*, *Zanchius*, *Toſſanus*, *Figulus*, *Nunneſius*, *Suevus*, *Wulſtorpius*, *Scotus*, *Vlnerus*, *Raviſius*, *Vladeraccus*, *Wilſius*, *Nebriſſenſis*, *Fabricius*, *Tuſcanella*, alii, litterato orbi impertiverant: quorum labores tamen non ſunt aequali in pretio; quum alii fere ignorentur ſortisque tenuioris ſint; alii praepoſteris utantur conſiliis, multumque ſordis trahant; alii autem quam proxime abſint a perfectione illa, quam litterati in hujusmodi libellis ſubſidiariis requirunt, et propterea hodieque a multis celebrentur colanturque.

3. Progreſſu temporis ad Lexica concinnanda magis magisque litterati incumbebant, ut horum alia aliis prodirent cultiora. Inter *Enchiridia* hujusmodi eminent, quae *Nenbauero*, *Cnapio*, *Hulſio*, *Daſypodio*, *Pomai*, *Lindnero*, *Tacharto*, *Gürtlero*, *Denzlero*, *Corvino*, *Friſio*, *Calviſio*, *Konigio* debemus.

v. 41. poſt *Lydius*, inſere *Dominicus Macer*.

p. 1923.

v. 47. ſubjice: A. 1718. Patavia Calepinum Facciolatus denuo prodire fecit, et A. 1726. locupletiorem Tomis 2.

p. 1925.

v. 56. ſubjice:

Prodiit etiam *Theſaurus linguae Latinae bipartitus*, conſtans Tomis II. Baſil. 1613. fol. Sed hic *Theſaurus* ipſum *Forum Romanum* eſt, transformatum dumtaxat reſpectu ordinis vocabulorum bipartiti. Priori enim Tomo continentur vocabula, quae auctoritate Ciceronis conſtant; Poſteriori Tomo exhibentur reliqua bonae notae vocabula, etiamſi haud apud Ciceronem occurrant.

v. 58. lege: Argentor. 1526. et 1570. 8.

p. 1926.

v. 5. praemitte: Prodierat jam Tomis II. Francof. 1596. 8. ſub titulo *Silvae Quinquelinguis*.

p. 1929.

v. 12. lege ſic: Ratisbonae 1739. it. 1741. 8 maj.

p. 1930.

v. 8. ſubjice:

Aelii Antonii NEBRISSENSIS *Dictionarium Latinae linguae*. Hiſpali 1612. fol.

Inter potiora hujus aevi Lexica referendum eſt, quum auctor ejus in primis Grammaticae artis reformatoribus habendus ſit. Scripſit etiam *Grammaticam*, quae prodiit Compluti 1541. et recuſa eſt Lugd. 1542; item *Dictionarium propriorum nominum*, quod prodiit Madriti 1612. fol. Verum et genuinum auctoris nomen eſt *Antonius de Lebrixia*, et obiit diem ſupremum 1552. Ipſe ſibi nomen *Aelii* adſcivit atque hinc vulgo *Aelius Antonius Nebriſſenſis* vocatur. De hoc ejus *Dictionario* et reliquis operibus copioſe tractat *Morhofius de pura dictione* c. 15. §. 6. p. 265.

v. 31.

v. 31. adde: Prodiit etiam 1734 Patavii nova editio ſub titulo: *Marii Nizolii Lexicon Ciceronianum, ex recenſione* Alex. Scoti, *nunc crebris locis refectum et locupletatum:* acc. *Phraſes et Formulae L. L. ex comment.* Steph. Doleti,

v. 31. ſubjice: et nuper omnium optime *Facciolatus* Patavii 1734. fol.

p. 1931.

v. 59. ſubjice:

Franciſci POMAI *Dictionarium tripartitum: 1. Gallico - Latino - Germanicum, 2. Latino - Germanico - Gallicum, 3. Germanico - Gallico - Latinum.* Francof. 1700. Colon. 1715. Colon. et Francof. 1733. Lipſiae 1743. 4 maj.

Multas rerum novarum appellationes Latine reddidit. Scripſit etiam auctor bina opuſcula, latinitati itidem apprime inſervientia: 1. *Fontem latinitatis*, ed. Dillingae 1691. 1707. Colon. 1717. 12. 2. *Indiculum univerſalem rerum fere omnium, quae in mundo ſunt, ſcientiarum item artiumque nomina apte breviterque colligentem,* Gall. et Lat. Lugd. Gall. 1688. 12.

p. 1932.

v. 21. ſubjice: Germanico potiſſimum Lexico adornando operam ſuam dicarat Auctor. At, quum exterorum in gratiam non commodiori lingua voces et formulas Germanorum interpretari, quam Latina, poſſet; fecit id ea ratione, qua et multum prodeſſe *poſſit ornando ſermone Latino. Ediderat autem jam antehac Lexicon Latino-Germanicum, ſecundum methodum Grammaticae ſuae elaboratum, Vratisl. 1725. 8 maj.*

v. 49 - 54. ſic lege: Prodiit etiam ut ſpes reip. litterariae a. 1736. et 1737. facta fuit, in IV. Tomos rurſus dividendus, Lipſiae ſumtibus Caſpari Fritſchii, novis inſtructus copiis ab *Joh. Matthia Geſnero*, Academiae Göttingenſis Varrone. Tomus I. anno proxime praeterito 1747 prodiit ſub titulo: *Joh. Matthiae Geſneri Novus linguae et eruditionis Romanae Theſaurus;* et 1748. d. 1 Aug. Regi Georgio II. devota animi pietate Göttingae integer oblatus eſt.

p. 1933.

v. 27. ſubjice:

Johannis STVRMII *Lexicon trilingue.* Argentorati 1586, 1590, 1609, 1611. fol.

* Collectum et concinnatum eſt ex *Roberti Stephani Theſauro* et *Joh. Friſii Dictionario* a. diſcipulis Sturmii, ſub auſpiciis ac moderatione praeceptoris hujus ac magni Latinae linguae vindicis et adſertoris: cujus inſtitutis ac conſiliis utinam obſequeremur in hunc usque diem. Luculentam *Sturmius* operi huic *Praefationem* praemiſit.

v. 55. ſic lege: ex *Roberti Stephani Theſauro*, vel, prout ipſe hoc in Praefatione ſua teſtatur, ex *Curionis Foro Romano*, addito etc.

p. 1934.

v. 24. adjice: Nos addimus, vehementer poſſe utilem eſſe hanc Wendelini Medullam, ſi eam ita uſurpes, ut inde recognoſcas, an Adjectiva et Adverbia, quae ſe tibi inter ſcribendum offerunt, Verbo illi vel Nomini Subſtantivo, quo malis potiſſimum uti, ſatis atque ex auctoritate veterum congruant.

v. 25. ſeqq. usque ad verba, *in calce notantur*, prorſus deleantur.

p. 1935.

v. 33. ſeqq. verba *Joh. Caſp. Khunii Animadverſiones ad Vorſtii librum de Latin. Mer. Suſp.* itidem deleantur.

In Indice III. vocabulorum.

Sub littera E: pro EVS *terminatio mox producitur, mox corripitur,* lege EVS *terminatio modo producitur, modo corripitur.*

Sub littera H: pro H *mox adſcitum, mox omiſſum*, lege H *modo adſcitum, modo omiſſum.*

BIBIO-

BIBLIOTHECAE
LATINITATIS RESTITVTAE
CONSPECTVS GENERALIS,

eorum

Auctorum ac librorum, qui deinceps in Conſpectu Speciali ad ordinem Alphabeticum cum uberiori quadam recenſione proponuntur, certas quasdam conſtituens claſſes. Occurrunt nimirum in modo dicto Speciali hujus Bibliothecæ Conſpectu ſcriptores:

I. ORTHOGRAPHICI.

I.

Inter hos primo loco ponendum eſſe exiſtimamus *Claudium Dausquium in Orthographia antiqui novique Latii,* opere valde ſplendido & exaſciato. Vicit omnium eorum, qui ante ipſum aliquid hoc in genere ſcriptis mandarunt, induſtriam atque in ipſo delectu habendo acrioris judicii vim ac recte ſentiendi facultatem, ſi unum *Aldum Manutium* excipias, qui etſi valde brevitati in hac diſciplina ſtuduit, reſpectu tamen judicii diacritici eundem, quem Dausquius, literatæ civitatis plauſum tuliſſe exiſtimandus eſt. Illi autem, qui præter hos duumviros rectæ vocabulorum ſcripturæ operam dederunt, fere ſunt ſequentes: *Marcus Antonius Bonciarius, Marius Victorinus, Velius Longus,*

Marcus Aurelius Caſſiodorus, *Beda*, *Johannes Marius Mattius*, *Joh. Tortellius*, *Georgius Valla*, *Joh. Daneſius*, *Joh. Thomas Freigius*, *Joh. Nemius*, *Jodocus Willichius*, *Juſtus Lipſius*, *Caſpar Rothius*, *Henricus Bebelius*, et *Hieronymus Cardanus*. Noſtra hac aetate diſciplinae hujus dedere compendiola *Chriſtophorus Cellarius* et *Conradus Samuel Schurzfleiſchius*: illum tamen huic non uno nomine praeferendum puto. His accenſere poſſumus multos alios ſcriptores, qui, quamvis non ex inſtituto, tamen pro re nata Orthographiae rationes non nullas explicuerunt tum probabiles, tum veras ac ſine controverſia legitimas: ut *Noriſius*, *Freinshemius*, *Boeclerus*, *Boſius*, alii.

II. Sunt etiam, qui, *quae Orthographiae valde adfinia ſunt*, vel *certas quasdam hujus doctrinae particulas explicuerunt*, ut: *Johannes Petrus Ericus de vocum, ſignorum, punctorum, litterarum maxime ac numerorum origine*; *Aldus Manutius de veterum notarum explanatione*; *Valerius Probus de notis Romanorum interpretandis*; *Sertorius Urſatus de notis Romanorum* et in *Explicatione notarum et litterarum, quae frequentius in antiquis lapidibus, marmoribus et auctoribus occurrunt*; *Erycius Puteanus* et *Juſtus Lipſius de diſtinctionibus*; *Johannes Nicolai de ſiglis veterum*; *Johannes Fabricius* in *Reſponſionibus ad non neminis de Orthographia Latina dubia*, et *Chriſtophorus Anguſtus Heumannus* in *Meditatione orthographica ad Reſponſiones modo dictas Fabricianas*; *P. du Molinet Hiſtoire de lettres Romains*, quo libello de litterarum figura agitur; *Hermannus Hugo*, *Petrus Holmius* et *Balthaſar Fridericus Salzmannus* de prima ſcribendi origine diverſoque veterum ſcribendi modo.

III. Potiſſimos Orthographiae fontes aperiunt

1. *Faſti Capitolini* ſ. reliquiae monumentorum marmoreorum Romae 1547 repertae, & Alex. Farneſii Cardinalis auſpiciis in palatio Capitolino repoſitae, quibus magiſtratuum, bellorum, triumphorum aliarumque rerum memorabilium tempora ab anno urbis conditae 120 ad annum 765 indicantur. Vbi autem, et quoties huc usque prodierint, de eo lege ſis Fabricium T. I. Bibl. Lat. p. 764.

2. *Leges XII Tabularum*, admodum nuper poſt tot aliorum doctiſſimorum virorum interpretationes a Cl. Funccio editae et illuſtratae.

3. *Monumentum Ancyranum* de rebus geſtis Imp. Auguſti, quod tum apud Gruterum in Inſcriptionum ſyntagmate, tum apud Rutgerſium

gerſium in Variis Lectionibus occurrit: quo de vide Fabricii T. I. Bibl. Lat. p. 747.

4. *Fragmentum Duilianum:* de cujus diverſis editionibus vide infra Conſpectu Speciali.

5. *Cenotaphia Piſana Caji et Lucii Caeſarum:* de quibus vide infra Conſpectu Speciali ad Noriſium.

6. Generatim *Omnes Inſcriptiones antiquae*, quarum praeſtantiſſimi collectores fere ſunt *Janus Gruterus*, *Thomas Reineſius*, *Raphael Fabrettus* et *Marquardus Gudius*. Minoris notae hoc quidem in genere ſunt ſcriptores *Jacobus Mazochius*, *Bartholomaeus Amantius*, *Petrus Apianus*, *Martinus Smetius*, *Juſtus Lipſius*, *Aldus Manutius*, *Onuphrius Panvinius*, *Hubertus Golzius*, *Fulvius Vrſinus*, *Joh. Jacobus Boiſſardus*; de quibus vide infra Conſpectu Speciali ea, quae ad *Gruteri Inſcriptiones* dicuntur: item *Octavius Roſſus*, collector *Memoriarum Brixianarum*, *Laurentius Pignorius*, *Georgius Gualterus*, *Octavius Falconerius*, *Sertorius Vrſatus*, *Fortunatus Vinaccefius*, *Carolus Caeſar Malveſia*, *Joſephus Malateſta Gariſſius*, *Philippus a Turre*, *Petrus Lambeccius*, *Jacobus Salmonius*, *Bernhardus de Montfauçon*, *Jacobus Sponius*, *Guilielmus Fleetwood* et *Ludovicus Antonius Muratorius*; de quibus vide infra Conſpectu Speciali ad *Reineſium*. His accedunt *Antonii Franciſci Gorii* et *Baptiſtae Donii Inſcriptiones*, *Laurentii Schraderi Monumenta Italiae*, *Joh. Vignolii Diſſertationes*, *Antonii van Dale Diſſertationes antiquitatibus et marmoribus inſervientes*, *Joh. Baptiſtae Ferretii Muſae lapidariae*, *Joh. Michaelis Reineſii Interpretatio Marmoris Patavini*, *Marmora Oxonienſia*, *Marmora Piſaurenſia* et *Marmora Felſinea*. *Andr. Goetzius* ex Grutero, Reineſio, Sponio, Fabretto faſciculum inſcriptionum dedit.

7. *Codices MSS. vetuſtiores* illi, qui in cauſa Orthographica vim habere legis videntur: quales ſunt *Virgilius Romanus*, *Virgilius Carpenſis* ſeu *Mediceus*, it. *Pandectas Florentini*: quamvis, quod ad Pandectas hos Florentinos attinet, nondum ſatis liquet, hunc codicem eſſe unicum illum, et ſolius fontis inſtar, ex quo manarint omnes reliqui Pandectarum, qui ſuperſint, codices, atque ſic ejus textum omnibus reliquis anteferendum eſſe, quum a viris doctiſſimis non nulla, quae haud de nihilo videantur eſſe, heic objici ſoleant; quos inter ſuo quodam merito eminet, quem honoris cauſa nomino, *Schwarzius* ille Altorfinus, in *Diſſertatione: An omnia Pandectarum*

 exem-

exemplaria, quae adhuc exſtant, ex Florentinis manarint. Conf: *Thom. Bartholini* Diſſ. 7. de legendis libris p. m. 191. ad libelli calcem, ed. Francof. 1711. 8. *Maſcovii* Comm. de rebus ſub Lothario geſtis l. 2. cap. 16.

8. *Specimina veterum ſcripturarum*, ex Codicibus MSS. per varias aetates mirabili induſtria collecta et tabulis LX digeſta a *Mabillonio.*

9. *Nummi Romanorum veteres:* ubi conſiderandi veniunt

a. *Scriptores, qui de vario notitiae numismaticae uſu egerint et viam nobis praeiuere ad hanc rei nummariae ejusque ſcriptorum notitiam uberiorem conſequendam:* qui fere ſunt *Ezechiel Spanhemius, Ludovicus Jobertus, Carolus Patinus, Burcardus Gotthelf Struvius, Ludov. Debiel, Anſelmus Bandurus, Philippus Labbéus, Rudolphus Capellus, Adamus Rechenbergius, Juſtus Joſephus Scaliger, Polycarpus Tenzelius, Antonius Auguſtinus, Carolus Caeſar Baudelotius, Joachimus Camerarius, Hanthalerius, Matthias Hoſtus, Paulus Petavius, Willebrordus Snellius, Johannes Chriſtophorus Olearius, Joſephus Maria Suareſius, Johannes Evelynus, Antonius Piſo, Gaillardus Giranus, Georgius Vionettus, Hubertus Golzius, Antonius Savotus, Claudius Chifletius.*

b. *Ipſi nummorum veterum collectores et interpretes:* quorum quidem praecipui videntur eſſe *Anſelmus Bandurus, Laurentius Begerus, Johannes Harduinus, Chriſtianus Sigismundus Liebius, Conſt. Landus, Chriſtianus Fridericus Ruhe, Joh. Petrus Bellorius, Franciſcus Mediobarbus Biragius, Gisbertus Cuperus, Hubertus Golzius, Antonius Franciſcus Gorius, Carolus Heidanus, Laevinus Hulſius, Nicolaus Kederus, Andreas Morellus, Henricus Noriſius, Jacobus Oyſelius, Carolus Patinus, Paulus Petavius, Adolphus Occo, Johannes Sambucus, Gaſpar Schoppius, Georgius Schroeterus, Petrus Seguinus, Polycarpus Tenzelius, Johannes Vaillant, Aeneas Vicus, Johannes Vignolus, Fulvius Urſinus, Jacobus de Wilde.*

II. PROSODICI.

I. Proſodicorum nomine complectimur non modo ſcriptores, qui ad artem Poëticam et verſus faciendos manu quaſi ducunt, ſed etiam eos, qui de pronuntiatione vera rectaque certas praeceptiones dederunt.

II. *Claſſis*

II. *Claſſes* heic facimus *quattuor:*

1. *Eorum, qui docent, quid in pronuntiatione linguae Latinae vel veteres olim Romani obſervaverint atque in uſu habuerint, vel hodiesque obſervandum eſſe videatur*, ut: *Joh. Cajus de Pronuntiatione linguae Graecae et Latinae; Eraſmus de recta Latini Graecique ſermonis pronuntiatione; Lipſius* Dialogo *de recta pronuntiatione Latinae linguae; Aldus Manutius de vitiata vocabulorum ac diphthongorum prolatione; Joh. Baptiſta Ricciolus de recta diphthongorum pronuntiatione; Joh. Jovianus Pontanus* libris *de adſpiratione; Johannes Caſelius de vitanda inſulſitate multiplici inter pronuntiandum; Henr. Stephanus de linguae Gr. ac Lat. vera pronuntiatione; Jodocus Willichius* Quaeſtione *de pronuntiatione.*

2. *Eorum, qui artis Poëticae vel canones inculcant, vel naturalem pulchritudinem oſtendunt*, ut: *Caſparus Finkius, Chriſtophorus Helvicus* et *Conradus Bachmannus*, tamquam Poëticae Gieſſenae auctores; *Johannes Clapis, Herzbergenſis*, libris tribus *de cognoſcenda ſyllabarum quantitate et carminum ratione apud Latinos, Graecos et Hebraeos; Petrus Danetius* in *Paralipomenis Proſodiae; Joh. Dekenus* in *Obſervationibus Poëticis per exempla illuſtratis; Leonhardus Frizon* libris 3. *de Poëmate; Samuel Glonerus* in *Proſodia; Vincentius Gravina de natura et conſtitutione Poëticae; Nicolaus Erythraeus de licentia et diligentia carminis Virgiliani; Johannes Hemingius* in *Artificio componendi verſus Latinos; Terentianus Maurus de litteris, ſyllabis, pedibus et metris; Bernhardus Parthenius Spilimbergius de imitatione Poëtica; Andreas Reyherus Manuductione Poëtica; Georgius Fabricius* libris 7. *de re Poëtica;* et, qui inſtar omnium eſt, *Jacobus Maſenius* in *Palaeſtra Eloquentiae ligatae.*

3. *Eorum, qui ſyllabarum quantitates, Poëtarum veterum teſtimoniis, corroborant ac confirmant;* et quidem

a. *Ex inſtituto et ſingularibus libris*, ut: *Smetius, Coelemannus, Kirchnerus* Smetium in Latinis, et Coelemannum in Graecis, multis paraſangis poſt ſe relinquens, *Ludovicus Cavallus, Joh. Baptiſta Ricciolus, Philippus Labbéus* in *Catholicis Indicibus, Samuel Glonerus* in *auctoritatum ſyllabo, Maturinus Corderius* libro *de quantitate ſyllabarum, Olaus Borrichius Parnaſſo in nuce.*

b. *Obiter et quaſi in transcurſu*, ut: *Robertus Stephanus, Raviſius Textor, Juſtus Lipſius, Eraſmus Roterodamus, M. Antonius*

Sabellicus, in *Dictionariis*, et paſſim in aliis eorum ſcriptis; it. *Jul. Caeſar Scaliger de cauſis L. L. Caſpar Schoppius* in *Grammatica Philoſophica* et *Paradoxis litterariis*; *Fridericus Taubmannus* in *Epiſodiis*.

4. *Eorum, qui ſingularia verſuum faciendorum adminicula ſuppeditant*, ut: *Johannes Bucellinus* in *Officina Epithetorum et nominum propriorum*; *Bohuslaus Aloyſius Balbinus* in *Auxiliis Poëticis*; et, qui utrique hoc ipſo in genere facem praetulit, *Joſias Webbe* in *Vſu et Auctoritate*.

5. *Eorum, qui quantitatem vocabulorum dubiam et contumacem tractant*, ut: *Chriſtianus Becmannus* ad calcem *Schediasmatis Philologici*; *Olaus Borrichius* in *Lingua Pharmacopoeorum*; *Thomas Jacchaeus* in *Onomaſtico Poëtico*; *Joh. Petrus Titius* in Commentatione *de Stator et cognatis*, adjuncta *Ejusdem Manuductioni ad excerpendum*; *Henricus Bebelius* in *Commentariis linguae Latinae*; *Henningus Broſenius* in *Appendice*, *locis communibus a Murmelio collectis* ſubjuncta.

III. ETYMOLOGICI.

I. Etymologici ſcriptores ſunt, qui primos vocabulorum fontes atque Latinae linguae origines perſcrutantur. Atque hoc quidem in genere famam ſui captarunt inter veteres *Varro*, *Feſtus*, *Flaccus*, et horum multorumque aliorum antiquiorum huc ſpectantium commentationum compilator ille *Iſidorus*; inter recentiores autem *Juſtus Joſephus Scaliger* in ſuis *Conjectaneis in M. Terentium Varronem de lingua Latina*, et *Henricus Stephani* in *Appendice ad M. Terentii Varronis adſertiones analogiae ſermonis Latini*; quorum tamen rationes longius ſubinde videntur petitae eſſe, quam ut ſubacti judicii viris faciant ſatis. Poteſt, judice *Morhoſio* Polyh. Tomo I. p. 816, veteribus ſuo modo adnumerari Nomenclatura variorum utenſilium, alioquin ignota, quae in *Inſtrumento plenae ſecuritatis*, a *Naudaeo* e Bibliotheca Pariſienſi Regia Romae in 4to edito, continentur.

II. Multo felicius et laetante cum plebe Senatu hanc aleam in republica litteraria tentavit *Gerhardus Johannes Voſſius* in *Etymologico* ſuo. Praeſtat nimirum, ut in aliis, ita et in hac litteraturae parte omnibus, quotquot eum vel aetate antegreſſi, vel deinde ſubſecuti ſunt. Juxta Voſſium *Martinius* ac *Fungerus* in *Etymologicis*, *Sylburgius* in *magno Grammaticae Penu*, et *Becmannus* in *Originibus* heic venire in numerum poſſunt, haud quidem ſua laude defraudandi;

[Lau]dandi; quum praeſertim ipſe *Voſſius* his quattuorviris, ac praecipue praeceptori ſuo *Martinio* multum in hoc litteratae eruditionis genere debeat, et quam plurima ex eorum curis in opus ſuum, quamvis cum magno, quo polluit, judicii robore derivaverit.

III. *Chriſtianus Daumius* libro *de cauſis amiſſarum quarumdam L. L. radicum, ut et multarum vocum derivatarum*, contineri fundamenta quaedam voluit magni Operis Etymologici, quod ſane edidiſſet, niſi mors illum una cum ingenti conatu intercepiſſet. *Johannes Daneſius* in *Paralipomenis Etymologiae* ea adfert ſubinde, quae haud de nihilo videntur eſſe; ſed infra mediocritatem tamen reſpectu hujus doctrinae ſubſiſtit. Quae *Aegidius Menagius cap. 39.* ſuarum *Juris Civilis Amoenitatum* de Etymologiis JCtorum adfert, parum habent momenti, et ῥαψῳδίας inſtar breviſſimae ſunt. Habemus etiam *Reineri Neuhuſii origines Latinae linguae* i. e. compendium ex Voſſio conflatum, atque ſic comparatum, ut non niſi tironibus uſui eſſe queat, vivam magiſtri vocem in ſubſidium vocantibus. *Nicolaus Oelſchlegelius* ſcripſit *Centuriam controverſiarum Grammaticarum et Lexicarum:* per has autem *Lexicas* intelligit *Etymologicas* ſ. *Exegeticas:* ſed protrita fere ac vulgaria ſunt, quae habet, nec multum opis aut bonae frugis homini, harum deliciarum cupido, adferre poſſunt. *Carolus Stephani* in *Latinae linguae cum Graeca collatione ex Priſciano et probatiſſimis quibusque auctoribus* eruditum ſe praeſtat, niſi quod parca ſuggerat manu, quae ſtudio Etymologico ornando apta eſſe videantur.

IV. Nihil hoc loco dicam de *Gellii Noctibus Atticis*, *Nicolai Perotti Cornu Copiae*, et *Jul. Caeſ. Scaligeri Cauſis L. L.* itemque de *Cyrilli*, *Philoxeni* aliorumque *Gloſſariis*; quum haud alio jure invenire locum heic poſſint, quam quo omnes fere Critici gaudent, eo quod in eorum libris Animadverſionum, Variarum lectionum, Opinionum et Emendationum multa admixta videmus eſſe, quae ſubſervire vocum originibus explicandis & interpretandis queant.

V. Nec ſilentio tandem prætereundi ſunt, quorum in hac cauſa veluti ex obliquo eniteſcit diligentia, quum inveſtigarint non tam natales proximos, quam remotiores illos & vix omnibus ſatis probabiles, & diverſas cognationes & adfinitates & propagines & uniformem denique aliquam indolem Latinæ linguæ; quales ſunt: *Bertolus Canutus Aquilonius de miſtione LL. Gr. & Lat. cum Danica*; *M. Z. Boxhornii de Graecorum, Romanorum & Germanorum linguis earumque ſymphonia;*

phonia; *Quintus Marius Corradus* in *libris quinque de Copia Latini ſermonis*, ubi de analogia verborum agit; *Sebaſtianus Corradus libris duodecim de L. L.* ubi multa occurrunt de mutationibus LL. *Georg. Cruciger* in *Harmonia linguarum quatuor cardinalium*; *Joh. Ludov. Praſchius* de *origine Germanica LL. Sebaſtianus Maffejus* in *Originibus Etruſcæ & Latinæ linguæ*; *Abrah. Mylius de communitate linguæ Belgicæ cum Latina, & Græca*; *Chriſt. Nirmuntanus* in *Dictionario harmonico de harmonia linguæ Latinæ cum Græca, Gallica &, Italica*; *Jacobus Operarius* in *Analogiis LL.*; *Abrahamus van der Millii* in *Lingua Belgica*, qua inter alia agitur etiam de communitate illa, quam Belgica lingua habeat cum Latina; *Georg. Henr. Sappuhnius* de *linguæ Carthedonicæ reliquiis ap. Plautum.*

IV. NOMENCLATORES.

I. Nomenclatores hoc loco appellantur libri, quorum auctores id dedita opera egerunt, partim ut linguæ Latinae vocabulorum in uſu quotidiano poſitorum primarii potiſſimum ſignificatus pueritiae innoteſcant, partim ut viris etiam notiones vocabulorum explicentur, quae artibus ac diſciplinis propriae atque omnino abſtruſioris uſus videntur eſſe.

II. Atque hinc diſpeſcuntur bifariam, in *Nomenclatores paedagogicos* & *eruditos*.

1. *Nomenclatores paedagogici.*

Hi rurſus triplicem partitionem admittunt. Dividi namque poſſunt a. in *primarios*; b. in *mediocres*; c. in *leviſſimos* & *infimae notae*.

A. *Primo loco* ponendi ſunt

a. *Cellarius*, cujus *Liber Memorialis* hodie fere ſolus in ſcholis Germaniae regnat, idque ſuo quodam merito, partim ob egregium ſelectum, quem reſpectu latinitatis probatae & exercitae inſtituit, partim ob ordinem illum maxime naturalem, quo cuncta digeſſit.

b. *Heidmannus* & *Caſelius*; a quibus duumviris profectae ſunt *Radices Nominum plerorumque Latinorum & Particularum indeclinabilium*, ſubjuncto *Promtuario omnium paene verborum quattuor Conjugationum*: qui libellus etiam ſingularem laudem habet & gratiam, ſi ex inſtituto & ſcopo auctorum recte aeſtimetur & ad uſum deducatur; praecipue autem in uſum ſcholarum terrarum noſtrarum Brunſvico-Luneburgenſium publica auctoritate concinnatus ſuo tempore eſt.

c. Ja-

c. *Jacobus Engelbrecht*, cujus ſane inſtitutum, quod in *Complemento Latinae linguae* prae ſe fert ac declarat, ita comparatum eſt, ut ſuo quodam merito eruditorum oculos & animos in ſe convertat: valde enim mihi quidem videtur eſſe praeclarum & eximium.

d. *Georgii Kilii Epitome Dictionarii & Vocabulariolus pro tenellis puerulis.*

e. *Joh. Matthias Geſneri Vocabularium*, ejus *Lat. Grammaticae* ſubjunctum.

f. *Joh. Car. Daehneri Liber Memorialis Germanico-Latino-Suecicus.*

B. *Ad alteram claſſem* pertinent

a. *Joh. Joachimus Beccherus*, qui Cellario circa methodum viam praeiviſſe videtur in *Praxi ſua*, quam ſpeciminis loco edidit, ut, quo conſilia ejus hoc in genere ſpectent, ſub certo aliquo ſchemate & figura omnes rei litterariae amantes intelligant.

b. *Henricus Schaevius*, cujus *Nomenclatorem Mnemonicum* propter διάκρισιν illam, quam in diſtinguendo ſubſtantivorum genere obſervat, ſingulari gratia ac laude dignum eſſe exiſtimamus.

C. *Ultimae ſortis* tandem ſunt, quae

a. *Henricus Decimator, Helfricus Emmelius, Henricus Bebelius, Guil. Morellus, & Baſilius Zanchius* dederunt hoc quidem in genere opuſcula.

b. Ne quid dicam de *H. F. Vocabulario, Nomenclatore Latino-Germanico Hamburgenſi, Vocabulario Lubecenſi pro ſexta & ſeptima claſſe*, aliisque hujusmodi libellis, qui pro tenella aetate conſcripti ſunt.

2. *Nomenclatores Eruditi.*

A. *Eruditi κατ' ἐξοχὴν dicti.*

a. Atque his Nomenclatoribus, ut ita dicam, ſcholaſticis ſeu ſcholis inferioribus ſubſervientibus, jungendus adhuc videtur eſſe alius quidam Nomenclator eruditus ſeu qui viris potiſſimum doctis uſui eſſe poſſit, profectus quondam ab *Hadriano Junio*, quo omnium rerum propria nomina incredibili propemodum ſtudio ac diligentia congeſta ſunt, & ſeptem diverſis linguis explicantur.

b. Tales Nomenclatores emiſerunt etiam, ſed minori cum gratia & applauſu *Nathanael Chytraeus, Theophilus Golius, Joh. Kirchmannus, Fridericus Beurhuſius, Sebaſt. Meierus, & Nicodemus Friſchlinus.*

c. Huc etiam magno ſuo merito referendus eſt, quamvis diverſum inſtitutum ſequatur, *Johannes Auguſtus Erneſti* in *Clave Ciceroniana* ſ. *Indicibus rerum & verborum Philologico-Criticis in Opera Ciceronis*. Fabricata haec Clavis a viro doctiſſimo, perſpicaci omnisque elegantioris litteraturae callentiſſimo, eſt ad aperiendas fores, quae ad ipſa ducunt Operis Tulliani penetralia intimosque notionum Philoſophicarum apud Ciceronem occurrentium receſſus.

B. *Nomenclatores Antiquarii.*

Sunt etiam, qui vocabula & verba antiquata & obſoleta, & quae proxime ad ea vel raritate ſua vel abſtruſiori quadam notione accedunt, tanquam priſcae & agreſtis aut inſolentioris latinitatis rudera collegerunt, ut: *Janus Guil. Laurenbergius* & *Eilhardus Lubinus*: quorum hic quidem ſimplici quadam explicatione; ille autem paullo uberiori illuſtratione utitur.

V. LEXICOGRAPHI.

1. Apud veteres Lexicis non magnopere opus erat, quoad quidem lingua Latina non dum emortua fuit. Spectant tamen quodammodo ad Lexica *Varronis libri de L. L.* it. *Verrii Flacci* & *Pompeji Feſti de verborum veterum ſignificatione libri XIX.* it. *Titulus in Pandectis de verborum ſignificationibus. Carolus du Freſne* ſcripſit *Praefationem* Gloſſario ejusdem adnexam, in qua primorum L. L. Lexicographorum molimina recenſet.

2. Poſtquam vero omnis Latinae linguae elegantia ab erudito orbe exſularat; tametſi barbara dictio ubique ſtrepitum ſuum ederet; illuſtrare tamen etiam hunc conabantur ſuis Lexicis viri diligentes & pro iſto tempore eruditi. Atque hujus generis Lexicographi fere hi ſunt potiores:

a. *Papias*, cujus *Vocabularium* ſ. *Erudimentum Elementarium* a. 1286 abſolutum, & Venetiis 1446, 1456, 1485, 1487, 1491 & 1496 impreſſum, & denuo Mediol. 1676 excuſum eſt.

b. *Dionyſius Neſtor*, in his L. L. tenebris non nihil prae reliquis emicans, cujus *Dictionarium*, Ludovico Sfortiae dicatum, primo Venetiis 1488. poſtea Pariſ. 1496. & tandem Argentorati 1502. it. 1507. fol. eſt impreſſum.

c. *Johannes Werdena*, cujus *Dictionarium*, quod *Gemmam Gemmarum* vocant, Coloniae 1512. 8 maj. prodiit.

d. *Johannes de Janua*, cujus *Catholicon* ſive *Lexicon ex diverſis auctoribus contractum* primum editum eſt 1460. dein Auguſtae Vin. del. 1496. & Norib. 1483. emendatum autem per M. Petrum Egidium Lugd. 1506. fol. lucem adſpexit publicam.

e. Sic *auctor Gemmae Gemmarum*, *Simon Januenſis*, *Simon Portius*, *Balbus*, *Brito*, *Huguitio*, *Vincentius Bellovacenſis*, *Joh. de Garlandia*, *Dionyſius Novarienſis* & complures hujusmodi alii, ea dederunt Lexica, quae non niſi ipſorum temporibus apta videntur eſſe. Nec tamen, judice Daumio de cauſis amiſſ. rad. L. L. c. 23. p. 84, propter aevi iſtius barbariem, qua inquinantur, abjicienda prorſus ſunt; quum multa inibi exſtent, quae ex auctoribus vel adhuc ineditis vel plane amiſſis conſervata hoc modo remanſerint, quorum memoria curioſis verborum ſcrutatoribus & doctis librorum interpretibus jucunda admodum atque utilis eſſe poſſit.

f. Oblitus propemodum eſſem, quod ex hujus generis Lexicis praeter cetera Daumius l. c. commendabile putat, *Johannis Reuchlini*, nomine *Breviloqui* inſcriptum, quod quidem a nullo eruditorum unquam laudatum eſſe miratur, quum tamen multo praeſtantius ſit inficetis iſtius & ſuperioris aetatis omnibus aliis.

3. Depulſa barbarie ad Lexica puriori latinitati inſervientia concinnanda magno conatu litterati homines tantopere incumbebant, ut horum alia aliis prodirent cultiora. Inter Enchiridia hujusmodi eminent, quae *Daſypodio*, *Neubauero*, *Merkio*, *Pomey*, *Hulſio*, *Lindnero*, *Tacharto*, *Gürtlero*, *Denzlero*, *Corvino*, *Spieſero*, *Friſio*, *Calviſio*, *Koenigio* debemus. *Corvinus*, ſi quid judico, & *Koenigius* ſic inter hos excellunt, ut vel praeſtantiſſimis minorum Lexicorum concinnatoribus etiam noſtrae aetatis aequiparandos eſſe exiſtimem.

4. Haec quamlibet ſcholaſticae pubi ſatis accommodata videntur eſſe; ſuperantur tamen tum vocabulorum copioſiori illuſtratione, tum etiam colligendi induſtria ab iis, quae his noſtris temporibus & vel nuper adeo cum omnium applauſu in uſum praecipue tironum emiſſa ſunt a *Weismanno*, *Steinbachio*, *Hedericho*, *Kirſchio*, *Webero*, *Georgio Matthiae*.

5. Magnae etiam molis voluminibus, inde a renatis litteris usque ad haec noſtra tempora, omnem purioris latinitatis campum emetiri conati ſunt *Perottus*, *Calepinus*, *Nizolius*, *Lucius*, *Sturmius*, *Curio*, *Doletus*, *Trebellius*, *Friſius*, *Reyherus*, *Robertus Stephani*, & qui in Germaniae ſcholis principatum hodie tenet, *Baſilius Faber*: quibus quidem nunc accedit *Joh. Matthias Geſnerus*, Academiae Goettingen-

tingenſis decus, cujus Novus LL. Theſaurus, ejusque Tomus I. Lipſ. 1747. fol. maj. primam lucem adſpexit.

6. Addendi heic auctores ejusmodi ſunt, qui certo cuidam auctori rectius intelligendo Lexicon aliquod ſingulare concinnarunt: qualia ſunt *Johannis Philippi Parei Lexicon Plautinum* & *Symmachianum; Danielis Parei Lexicon Lucretianum; Chriſtoph. Kelleri Lexicon Phaedrianum; Bernardini Balbi Lexicon Vitruvianum; Joh. Rhodii Lexicon Scribonianum; Joh. Knollii* it. *Joh. Wilh. Roliefii* it. *Joh. Jac. Schatzii Lexicon Cornelianum; Henrici Stephani Lexicon Ciceronianum Graeco-Latinum:* quibus tandem accenſendi ſunt *Indices ſingulis auctoribus ſubjecti copioſiores ac praeſtantiores;* quos quidem infra Conſpectu Speciali ſingulari loco expoſui.

7. Sunt etiam Lexica, quibus obſoletorum ratio praecipua habetur, ut: *Philippi Parei Lexicon Criticum;* item *Laurenbergii* & *Lubini Antiquarii,* quos binos poſteriores jam paullo ante ad claſſem proxime antecedentem Nomenclatorum numero habuimus.

8. Nec ſilentio praetereunda ſunt, quae in aliarum ac peregrinarum nationum gratiam contexta apud nos innotuerunt, & nominis ſui amplitudinem aliquam nacta ſunt; ut: *Franciſci Blanchini Dictionarium Latino-Epiroticum,* in gratiam Slavorum; *Caeſaris Calderini Dictionariolum,* in gratiam Italorum; *Dictionarium Latino-Belgicum,* ed. Dordraci & Roterod. 1699. 4. in gratiam Batavorum; *Georgii Tacharti Dictionarium Latino-Gallicum,* it. *Anonymi* cujusdam *Dictionarium Latino-Gallicum* ed. Amſtelod. 1731. 8. in gratiam Gallorum; *Sam. Pitiſci* Lex. Lat. Belgicum, it. *P. Guil. Tachardi Lexicon Latino-Belgicum* ed. Dordr. & Amſt. 1725. 4. in gratiam Batavorum; *Adami Littletoni Liber Dictionarius L. L. quadripartitus,* in gratiam Anglorum; *Antonii Nebriſſenſis Dictionarium,* in gratiam Hiſpanorum; *Georgii Cnapii Theſaurus L. L. Daſypodius Catholicus* & *Balth. Andreae Fontani Lexicon,* in gratiam Polonorum; *Hieronymi Megiſeri Dictionarium,* in gratiam Illyricorum; *Reſchelii Dictionarium Latino-Bohemicum,* in gratiam Bohemorum; *Erici Schroderi Lexicon Latino-Scandicum,* in gratiam Norvagorum ac Suecorum; *Petri Schenbergii Lexicon,* & *Jonae Petraei Dictionarium,* in gratiam Suecorum.

9. Sequuntur *Onomaſtica,* id eſt, libri, qui nomina propria virorum, mulierum, regionum, urbium, oppidorum, inſularum, montium, populorum, & id genus aliorum exponunt.

a. In-

a. Inter hos familiam ducunt *Sethi Calviſii Onomaſticum*, *Thomae Jacchaei Onomaſticum Poeticum*, *Conradi Geſneri Onomaſticum*, *Joh. Henr. Ottii Onomatologia*, *Antonii Nebriſſenſis Dictionarium propriorum nominum*, *Abrahami Ortelii Theſaurus Geographicus*, *Roberti Stephani Dictionarium nominum propriorum*, *Ejusdem Hebraea, Chaldaea, Graeca & Latina nomina virorum, mulierum, populorum, idolorum, urbium, fluviorum, montium, ceterorumque locorum, quae in Bibliis leguntur, reſtituta a Latina interpretatione*; *Caroli Stephani Dictionarium Hiſtoricum, Geographicum & Poeticum.*

b. Minoris pretii, perfectionis & ἀκριβείας ſunt: *Hermanni Torrentini Elucidarius Poeticus*; *Eilhardi Lubini Fax Poetica*; *Helfrici Emmelii Nomenclator Latinus propriorum vocabulorum, ut regionum, inſularum, cet.*

10. Porro Lexicographis noſtris accenſendi ſunt tot excellentes JCti, qui verborum, quae ad jus Romanum pertinent, explicationes ordine elementario dederunt. Ante alios hoc nomine celebrantur *Briſſonius*, *Calvinus*, *Schardius* & *Spigelius*: quibus tandem addi meretur *Jacobi Cujacii Commentarius ad titulum de verborum ſignificationibus.*

11. Nec deſunt viri eruditiſſimi, qui in explicatione mediae & infimae latinitatis multum operae poſuerunt, ut facilior pateret cuivis aditus ad intelligendos ſcriptores illos, qui barbaris ſaeculis ſcripſerunt, quorum tamen res & argumenta jucunda interdum, ſaepe etiam ſcitu neceſſaria videntur eſſe. Hi fere ſunt *Spelmannus*, *Lindebrogius*, *Wendelinus*, *Labbaeus*, *Meurſius*, *Lydius*, *Somnerus*, *Dominicus Macer*, *Volſius*, &, qui inter hos omnes valde eminet, vir quondam apud Gallos illuſtris, *Carolus du Freſne.*

12. Agmen tandem claudunt *Gloſſaria*, quae quidem tale conſtituunt Lexicorum genus, in quibus peregrinae aut inſolitae voces notioribus redduntur. Talia ſunt *Iſidori Hiſpalenſis*, *Philoxeni* & aliorum, edita ab *Henrico Stephani*, *Bonaventura Vulcanio* & omnium optime praeſtantiſſimeque a *Carolo Labbeo*. Ne quid dicam de illorum Dictionariis, qui partim aevi ſui barbara, partim etiam caſtioris latinitatis rudera, aliaque, quorum fere uſus eſt novus vel infrequens, paullo ſollicitius explicuerunt, ac proinde ad hujusmodi Gloſſariorum naturam quam proxime accedunt, & a me indicantur infra Conſp. Speciali ad *Joſephi Laurentii Amaltheam.*

VI. PHAR-

VI. PHRASEOLOGICI.

I. Phraſeologici Lexicorum ſcriptoribus fere adnumerantur: at nobis quidem hoc loco placet, ſingularem eorum dare notitiam.

II. Diſpeſcuntur

1. In eos, qui *orationi proſae ſuam accommodarunt operam:* quorum

a. Alii *inſignem locutionum ex probatiſſimis auctoribus ſelectum in genere fecerunt*, ut: *Wolfgangus Schoensléderus*, qui in *Apparatu Eloquentiae* ſub communibus vocibus locutiones Synonymicas ex optimis ſcriptoribus ſelegit, & in *Promtuario Germanico-Latino* inexercitatis tironibus, quoties Latine vertere aliquid volunt, potiſſimum conſulit; *Sethus Calviſius*, cujus *Theſaurus* in locos communes ſecundum naturalem rerum ſeriem digeſtus eſt; *Stephanus Doletus* in *Phraſibus & formulis L. L.*; nam reſpectu ejus Commentariorum referri etiam poteſt, & reapſe a nobis relatus eſt ad Lexicographos; *Joh. Philippus Pareus* in *Calligraphia Romana*; *Bartholomaeus Riccius* in *Apparatu Latinae locutionis*; *Theodoſius Trebellius* in *linguae Latinae univerſae Promtuario*; *Petrus Artopoeus* in *Latinae Phraſis Elegantiis*; *Henricus Decimator* in *Silva vocabulorum & locutionum*; *Andreas Julius Dornmeierus* in *Lexico elegantioris latinitatis ex Nepote, Caeſare, Cicerone & Curtio*; *Johannes Godeſcalcus*, cujus *Latinae obſervationes* incredibilem uſum juveni purioris latinitatis cupido praeſtare poſſunt; *Samuel Groſſerus* in *bipartito ſuo linguae Latinae Promtuario*, libello itidem ſcholis accommodatiſſimo; *Joachimus Langius* in *Anthologia* ſua, qua Latinae linguae floſculi, e claſſicis auctoribus, ſecundum ſeriem ſelectiorum quorundam verborum collecti & ita diſpoſiti ſunt, ut ſeptem circiter plagulis ſeptem ſelectarum locutionum millia exhibeantur; *Aldus Manutius* in *ſuis Phraſibus*; *Petrus Apherdianus* in ſuo *Tirocinio L. L.* item in ſua *Methodo diſcendi formulas L. L.*; *Joh. Alb. Gebhardi* in *Sylloge Phraſeologica*; *Michael Neander* in *Sylloge locutionum & formularum Latino-Germanica*; *Georgius Wilhelmus Pouatus* in *Excerptis formularum loquendi*; *Franciſcus Serra* in *Phraſium Apparatu*; *Hermannus Ulnerus* in *ſupellectile elegantiſſimarum Phraſium*; *Franciſcus Wagnerus* in *univerſae Phraſeologiae Latinae Corpore*; *Marcus Fridericus Wendelinus*, cujus *Medulla* in primis ad conſequendam L. L. ubertatem & copiam facere non nullis exiſtimatur, quum ipſemet auctor admodum magnifice de hoc inſtituto ſuo ſentiat.

b. Alii

b. Alii *unum modo auctorem prae manibus habuerunt*, ut ſolam ejus phraſin uno aliquo libello lectori ſuo ſiſtant: quales ſunt, *Chriſtophorus Barbaroſſa, M. Johannes Benzius, Georgius Fabricius, Severinus Hellinx, P. Jacubc, Michael Meiſnerus, Otto Antonius Reyherus, Joh. Jac. Schatz, Antonius Schorus* & *Carolus Stephani*, qui non niſi Ciceronem; *Baſilius Faber, Georgius Fabricius* & *Bartholdus Feind*, qui non niſi Plautum & Terentium; *Fridericus Haberſack, Joh. Jac. Schatz* & *Paulus Toſſanus*, qui non niſi Terentium; *Koecher* & *Caſparus Suevus*, qui non niſi Julium Caeſarem; *Michael Fetterus, Henricus Goebelius, Koecher* & *Joachimus Kriegius*, qui non niſi Curtium; *Auctor Anonymus Clavis Cornelianae, Chriſtophorus Clauſius, Johannes Knollius, Joh. Wilh. Rolief, Joh. Jac. Schatz*, it. *Koecher* & *Godofredus Wegnerus*, qui non niſi Cornelium Nepotem; *Joh. Philippus Pareus*, qui non niſi Symmachum; iterum *Otto Antonius Reyherus*, qui non niſi Vellejum Paterculum excerpſit.

2. In eos, qui *orationi verſae ſuam accommodarunt operam*: quorum

a. Alii ex probatiſſimis veterum Poetis generatim ſuas ſyllogas exhibent, ut: *Auctores Magni Apparatus Poetici Pariſienſis; Paulus Alerus* in *Gradu ad Parnaſſum; Johannes Baccherius* in *Flaviſſis* ſuis *Poeticis; Johannes Buchlerus* in *Theſauro Phraſium Poeticarum; Georgius Fabricius* in *Elegantiis Poeticis ex Ovidio, Tibullo, Propertio; Nicolaus Nomeſius* in *Parnaſſo Poetico bicipite; Alexander Roſſaeus* in *Enchiridio Oratorio & Poetico; Melchior Weinrichius*; cujus *Aerarium Poeticum* valde quidem locuples ac dives eſt, ſed auro tamen & argento aes, ferrum & neſcio, quas? ſcorias ubique admiſcet; quum recentiorum quisquiliae cum antiquae & probatae veterum Poetarum dictione conſocientur.

b. Alii unius tantum Poetae locutiones ſub certos titulos redegerunt; ut: *Georgius Berſmannus* in *Calligraphia* ſua *Ovidiana*.

3. In eos, *qui plane ſingularia circa veterum locutiones obſervarunt*, ut: *Rudolphus Goclenius* in *Collatione Latinarum & Graecarum locutionum*.

4. Phraſeologorum nomine etiam venire utcumque poſſunt, qui elegantiores loquendi formulas periodicas, ſuis quibusdam certis claſſibus diſtinctas, in aliquod compegerunt corpuſculum.

Diſpeſcuntur hi *biſariam*:

a. Primo quidem in eos, qui *tranſitionum & connexionum elegantio-*

gantiores nobis ac praecipuas dedere formulas: quod quidem praeſtiterunt

α. Ratione membrorum orationis *Henricus Arningus* in *Medulla variarum in orationibus connexionum*; *Thomas Farnabius* in *Indice Rhetorico*; *Jacobus Hugues* vel *Hugius* in ſuo *Artificio tranſitionum*, libello, hoc quidem in genere, praeſtantiſſimo; *Georgius Caſparus Kirchmaierus* in *Artificio tranſitionum.*

β. Ratione certarum Particularum, quibus orationis membra, veluti quibusdam artuum ligaminibus, quam aptiſſime colligantur; id, quod fecit *Elias Major* in libro *de varianda Oratione.*

b. Secundo in eos, qui *integras formulas periodicas, ſed elegantes, ſed venuſtas & inopiae litterariae juventutis ad ſcribendum opem aliquam ferentes, coacervarunt:* quod fecit *Ivarus Petri Adolphi* in *Medulla* ſua *Oratoria*; *Nicaſius Baxius* in *Medulla eloquentiae*; *Johannes Buchlerus* in *Theſauro conſcribendarum epiſtolarum*, ubi ſingulis epiſtolarum formis ad Ciceronianam imitationem propoſitis ſubjiciuntur ex Cicerone atque aliis etiam bonae notae ſcriptoribus decerptae loquendi formulae, quae inſervire poſſint tironibus, ulteriorem imitationem tentantibus; *Auguſtinus Campianus de formularum & orationum elegantia*; *Johannes Clark* in *Formulis Oratoriis*; *Eraſmus* in *Floribus* a *Partlicio* ex illius epiſtolarum volumine collectis; *Fridericus Hildebrandus* in *Sylloge Latinas quasdam loquendi formulas & vocabula complexa*; *Michael Neander* in *Formulis Epiſtolarum familiarium*; *Georgius Wilhelmus Ponatus* in *Excerptis formularum loquendi*; *Gabriel Prateolus* in *Floribus ex Cic. Epiſtolis*; *Johannes Starkius* in *Theſauro Epiſtolari locorum & formularum*; *Chriſtophorus Vladeraccus* in *Formulis Epiſtolicis.*

c. Tertio in eos, qui *locos communes & ſententiarum lumina collegerunt:*

α. Ex certis quibusdam ſcriptoribus proſaicis, ut: *Adamus Burſius* in *Ciceronis Dialectica*; *Antonius Buſcherus* in *Ciceronis Ethica*; *Eraſmus Roterodamus* in *Apophthegmatibus*; *Joh. Thomas Freigius* in *Ciceroniano, ex Cicerone*; *Joh. Matthias Geſnerus* in *Chreſtomathia Ciceroniana*; *Joachimus Langius* in *Parte tertia Hodegi Latini ſermonis tripartiti*; *Petrus Languerius* in *Ciceronis inſignioribus ſententiis collectis*; *Magnus Daniel Omeiſius* in *Horto Ciceroniano*; *Georgius Schoebelius* in *Floribus ex Tacito*; *Joh. Chriſtophorus Storkan* in *Romanae dictionis floſculis.*

β Ex

β. Ex Comicis, ut: *Fridericus Haberſack* in *Nucleo Terentiano*; *Martinus Haineccius* in *Fructibus Terentianis*.

γ. Ex Poetis, ut: *Georgius Major* in *Sententiis veterum Poetarum*; *Antonius Mancinellus* in *illuſtrium Poetarum floribus*; *Octavianus Mirandula* in *Poetarum floribus*; *Johannes Murmelius* in *Locis communibus aurearum et elegantiſſimarum ſententiarum ex elegiis Tibulli, Propertii, et Ovidii collectis*; *Proclus* in *Chreſtomathia Poetica*; *Henricus Stephani* in *virtutum encomiis* ſive *Gnomis ex Poetis et Philoſophis utriusque linguae*.

III. Quod ad proſaicos attinet, hos inter *Schoensledrus* primas tenet; *Schorus* ſecundas; *Aldus* et *Ulnerus* tertias; *Pareus* quartas. Cuncti hi praeferendi reliquis eo nomine omnibus ſunt, quod locutiones ex auctoribus decerptas in ſuo nobis exhibuere nexu: quod qui facere ſuperſederunt, haud eam utilitatem ad ſtili recte formandi rationes adferunt, ex qua potiſſimum pendet verborum ille numerus, atque adeo praecipuum aliquod ac nativum linguae decus.

VII. PARTICVLARVM INTERPRETES.

I. Quantum momenti in recta Particularum collocatione ac notitia ſitum ſit, nemo temere ignorat, qui ſacris noſtris litterariis aliquantulum imbutus eſt. Ipſo *Sturmio* lib. de Lat. ling. reſolvendae ratione cap. 12. p. 73 et p. 83. edit. Joch. judice, *in Particularum obſervatione et uſu conſiſtit magna ex parte puritas et elegantia ſermonis Latini.*

II. Eos, qui curatiorem earum nobis dedere explicationem, ad *quinque* referre poſſumus *claſſes*.

1. *Primo* quidem in cenſum nobis veniunt, qui omni mentis conatu hanc tentant aleam; ut ſunt: *Turſellinus*, *Stewechius*, *Dürrerus*, *Johannes Hawkins*, Anglus, et *Phil. Pareus*. Etiam *Wagenſeilius* in *Pera librorum juvenilium*, ejusque *Loculamento Primo*, ſtatim ab initio, de Particulis Latini ſermonis dedit ex Turſellino excerpta, vel eo nomine aeſtimanda, quod et potiora inde in epitomen contraxit, et ſingulari quadam Turſellini editione ad hanc epitomen concinnandam uſus eſt, utpote quae editio valde infrequens et rarior et longe auctior fuerit, atque illae editiones ſunt, quae vulgo apud nos in Germania exſtant. Turſellino Thomaſiano vel Schwarziano qui inſtructus eſt, is vero haud magnopere in hac Particularum cauſa amplius aliquid deſideraverit: continentur enim ibi omnes obſervationes, quae ceteroquin apud Stewechium, Dürrerum

et Pareum ex inſtituto, et apud Hadrianum Cardinalem, Vallam, Linacrum, Silvium et Sehorum ſparſim occurrunt. Aut me omnia fallunt, aut Turſellinus ex *Octaviani Vulpelli Syntagmate de Praepoſitionum, Adverbiorum et Conjunctionum ſignificatione* ſua rigavit arva.

2. *Deinde* ſequuntur, qui legitimum Particularum uſum ſic inculcarunt, ut potiſſimum inexercitatis Latinae linguae tironibus, aliquid Latine vertentibus, conſulerent: id, quod fecit molli quidem brachio, ſed eleganti tamen cum brevitate *D. Trigny* vel quicumque auctor eſt Compendii illius Grammatici, in uſum Gallicanae gentis conſcripti, cujus titulus eſt: *Abregé de la nouvelle methode pour apprendre facilement la langue Latine;* item *Jeſuita ille anonymus*, qui ſcripſit *Exſilium barbariſmi e Latino ſermone:* utriusque tamen hujus induſtriam longe vicit *Georgius Dieterîcus Bohmius* in *Commentario de Particulis.*

3. *Tum* ſuccedunt, qui hanc cauſam leviter tractant, et tamquam aliud agendo. Sic *Goclenius* in *Analectis* a p. m. 93 — 239. multa vocum et Phraſium quarumdam ſelectiorum explicationi inſeruit, quae ad doctrinam, quae de Particularum uſu et vario ſignificatu agit, pertinent. Sic etiam *Ringelbergius* libello *de uſu vocum, quae non flectuntur*, quem Ejus *Operibus* inſertum videmus; *Joh. Chriſtophorus Loſius* in *Apparatu ſtili liberioris* a p. 51 — 76; et *Joh. Chriſtoph. Storkau* de *Particularum uſu*, ſimiliter non niſi perfunctorie in hoc negotio verſantur.

4. *Quarti ordinis* videntur eſſe, qui elegantem Particularum uſum ex uno quodam veteri auctore demonſtratum iverunt. Hanc viam ingreſſi ſunt *Georgius Meywaldus* in *uſu Praepoſitionum ex toto Ovidio excerpto;* it. *Joachimus Henricus Erneſti in Latinitate a Curtio in Particulis uſurpata.* Minus recte autem Particularum diſciplina a Curtio arceſſitur: neque enim Curtius is eſt, qui proprietatem Latinae linguae ſic cuſtodierit in omnibus, ut provocare ad ejus auctoritatem ſatis tuto poſſimus. Tullius, Caeſar, Cornelius, Terentius viam heic monſtrent, qua itur in Latium.

5. *Tandem* nec illos ab ſcena hac noſtra remotos volumus, qui particularum Juris uſum docent atque ſollicitius quodammodo inculcant: neque enim foro tantum ſic ſerviunt, ſed etiam ipſis litteris noſtris elegantioribus, ex quarum penetralibus omnis veterum Juris legumque notitia fluit. Huc pertinent *Johannis Strauchii Lexicon Particularum Juris*, *Alberti* de *Pergamo* Tractatus de *Praepoſitionibus,*

bus, et *Christophori Philippi Richteri* liber *de ſignificatione Adverbiorum in Jure uſitatorum*.

VIII. ELEGANTIARVM SCRVTATORES.

I. Dantur in foro noſtro litterario ſcriptores, qui elegantiores verborum vel notiones, vel ſtructuras, vel collocationes curate et diligenter explicant, et ſubinde ſingulari cum ingenii acumine interpretantur: quamvis interdum hujusmodi collectores ea in orcheſtram producant, quae non magnopere hoc elegantiarum cenſu venire videntur. Ex his notandi veniunt:

1. Qui *generatim hujusmodi elegantias collegerunt*; & quidem

a. Ex pluribus aureae et argenteae aetatis ſcriptoribus, ut: *Anonymus auctor* quidam, qui ſcripſit *Obſervationes ſingulares circa Latinam linguam*; *Chriſtophorus Arnoldus* in *linguae Latinae ornatu*; *Thomas Bangius libro II. Obſervationum Philologicarum*; *Auguſtinus Dathus* in *Iſagoge* et in *Elegantiis*; *Joh. Jacobus Denzlerus* in *Compendio de Elegantiis Latini Sermonis*, quod ſubjectum Ejus *Clavi linguae Latinae* conſpicimus; *A. Erdmannus* in *Elegantiis Latinitatis*; *Obertus Giſanius* in *Obſervationibus Latinae linguae*; *Rudolphus Goclenius* in *Obſervationum L. L. Analectis*, et quidem *Parte eorum prima* a p. m. 1 — 91. *Thomas Linacer* de *emendata ſtructura Latini ſermonis*; *Eilhardus Lubinus* in *Obſervationibus de elegantia Latini ſermonis*; *Antonius Mancinellus* paſſim in *Operibus* ſuis *Grammaticis*; *Aldus Manutius* in *Theſauro Elegantiarum*; *Guilielmus Inſulanus Menapius* in *Silva Obſervationum ſingularium Latinae linguae*; *Adamus Erdmannus Mirus* in *Elegantiis Latinitatis tam verbalis*, *quam realis*; *Joh. Philippus Pareus* in *Obſervationibus linguae Latinae*; *Juſtus Gotthardus Rabenerus* in *Stili elegantioris ratione*; *Joachimus Fortius Ringelbergius* in *Elegantiis*; *Angelus Rocca-Camerinus* in *Obſervationibus in ſex libros Elegantiarum Laur. Vallae*; it. in *Obſervationibus L. L. de locis ejusdem occultis*; *Joh. Seiſing* in *Obſervationibus Latinae linguae*; *Laurentius Valla* in *libris Elegantiarum*; *Franciſcus Vavaſſor* de *vi et uſu quorundam verborum Latinorum*, *cum ſimplicium, tum conjunctorum*; *Georgius Vogelmannus* in *Elegantiis Latini Sermonis*; *Joh. Vorſtius de Latinitate ſelecta et vulgo fere neglecta*. Inter hos elegantiarum venatores primas tenet *Valla*; juxta hunc ponendi *Bangius*, *Linacer*, *Mancinellus* et *Vorſtius*: tertium locum occupant *Arnoldus*, *Manutius*, *Menapius*, *Rocca-Cameri-*

merinis: reliqui fere epitomatores et ῥαψῳδοὶ ſunt, Vallam praecipue et Linacrum ſecuti.

b. Ex uno Cicerone, ut: *Johannes Buchlerus* in *Elegantiarum regulis*, quae Ciceronis exemplis ſingulae illuſtrantur; *Hadrianus Cardinalis* de *Sermone Latino*; *Joh. Philippus Pareus* in *Regulis elegantiarum*, *Calligraphiae ejus Romanae* adnexis; *Andreas Reyherus* in *Tabulis Sermonis Latini elegantioris*; *Gaſpar Schoppius* in *Obſervationibus linguae Latinae*; *Antonius Schorus* in *Phraſibus linguae Latinae*; *Franciſcus Silvius* in *Ciceroniana Elegantia Latina*. In his *Hadrianus* et *Schorus* eminent: reliqui ex his duumviris et *Valla* mutuati propemodum ſunt, quicquid habent; ipſe etiam *Schoppius* a *Schoro* ſua ſumſit.

2. Qui *ſpeciatim hujusmodi Elegantias ita inculcarunt*, ut referrent eas

a. Ad Synonyma, ut: *Johannes Martinus Biſchoffius* in *Theſauro*; *Johannes Buchlerus* in *Synonymis Virgilianis*; *Andreas Calagius* in *Vocum Phraſiumque Latinis Synonymis*; *Matthaeus Cerdo* in *Synonymis*, quae *ſub ipſius Ciceronis nomine* prodire juſſit; *Hieronymus Cingularius* in *terſiſſimis Synonymorum Collectaneis*; *Baſilius Faber* libello *de Synonymia Terentii*; *Stephanus Ubelius* et *Stephanus Fliſcus* in *Synonymis Ciceronianis*; *Simon Pelegrovius* in *Silva Synonymorum*; *Johannes Raviſius* in *Synonymis*; *Joachimus Fortius Ringelbergius* in *Synonymis*; *Antonius Schorus* in *Theſauro ſuo et Synonymis Poeticis*; *Franciſcus Serra* in *Synonymorum Apparatu*; *Johannes Serranus* in *Synonymorum libello*.

b. Ad Epitheta, ut: *Petrus Apherdianus* in *Tirocinio Latinae linguae*; *Joh. Mart. Biſchoffius* in *Theſauro*; *Johannes Bucellinus* in *Officina Epithetorum appellativorum et nominum propriorum*; *Andreas Calagius* in *duobus Epithetorum Tomis*, in folio editis, qui quidem ſcriptor heic inſtar omnium poteſt eſſe, quia ex omnibus probatiſſimis veteris Latii ſcriptoribus mirabili prorſus induſtria Epitheta ſingulis nominibus convenientia collegit; *Joſephus Caſtalio* in *Epithetorum farragine*; *Jacobus Cellarius*, Chriſtophori proavus, in *Epithetis Ciceronianis*; *Helfricus Emmelius* in *Epithetis e Cicerone collectis*; *Sebaſtianus Figulus* in *Epithetorum oratoriorum farragine*; *Rudolphus Goclenius* in *Analectis Epithetorum Ciceronis nominalium*; *Antonius Jolius* in *Epithetis Ciceronianis*; *Petrus Johannes Nunneſius* in *Epithetis M. T. Ciceronis*, omnes reliquos, ſi unum Calagium exci-

excipias, qui hoc ipſo in genere magnus eſt, colligendi accuratione longe ſuperans; *Joh. Raviſius* in *Epithetorum opere; Andreas Reyherus* in *Compendio Epithetorum; Nicolaus le Roux* in *Selectu Epithetorum Latinae Poeſeos; Antonius Schorus* in *Epithetis Poeticis; Franciſcus Serra* in *Epithetorum Apparatu; Horatius Tuſcanella* in *Epithetis Ciceronianis; Chriſtophorus Vladeraccus* in *Polyonymis Ciceronianis; Georgius Vogelmannus* in *Analectis Epithetorum Ciceronianorum*, editioni Elegantiarum ejus ſubjunctis, quae prodiit Magdeburgi 1609.

c. Ad Antitheta, ut: *Helfricus Emmelius* in *Antithetis e Cicerone collectis; Adamus Fuſius* in *Verborum et Phraſium pugnis; Auguſtinus Gambarella* in *Antithetorum amica ſimultate, arbitris Plauto, Terentio, Caeſare et Cicerone; Rudolphus Goclenius* in *Antithetis Ciceronis*, quae modo ad calcem *Obſervationum ejus*, modo *Admonitionibus ejus de Latini ſermonis ratione generalibus* inſerta ſecundum ordinem alphabeticum occurrunt; *Antonius Schorus* in *Theſauro Ciceroniano*; *Horatius Tuſcanella* in *Antithetis Ciceronianis; Georgius Vogelmannus* in *Antithetis*, editioni Elegantiarum ejus, quae prodiit Magdeburgi 1609. 8. ſubjunctis.

d. Ad Adjuncta, ut: *Franciſcus Clemens in Ciceronis* ἐπιῤῥηματικῷ Ὀργάνῳ h. e. *Latinae Elegantiae Inſtrumento Adverbiali; Helfricus Emmelius* in *Adjunctis e Cicerone collectis; Johannes Godeſcalcus* in *Latini ſermonis obſervationibus; Rudolphus Goclenius* in *Analectis praecipuorum adjunctorum Adverbiorum Ciceronianorum; Andreas Reyherus* in *Compendio Adverbiorum; Hubertus Suſannaeus* in *Connubio Adverbiorum; Horatius Tuſcanella* in *Adjunctis* ſive *Adverbiis Ciceronianis; Octavianus Vulpellus de Praepoſitionum, Adverbiorum et Conjunctionum ſignificatione.*

e. Ad numerum Oratorium, ut: *Johannes Pollicarius Cygnaeus* de *recta et ordinata vocum compoſitione; Jovita Rapicius* de *numero Oratorio; Joh. Ludov. Strebaeus* de *verborum electione et collocatione Oratoria.*

IX. ADAGIORVM COLLECTORES.

1. Quem ſollicitior adagiorum notitia uſum praebeat tum in ſcribendo, tum in interpretandis veterum ſcriptis; id vero neminem temere fugere arbitramur. Quae autem in ipſo adagiorum uſu cau-

telae adhibendae ſint; de eo, ſi placet, vide, quae diximus in *Lexico* noſtro *Antibarbaro* Parte Syntactica ad *Adagia*.

II. Pro duplici adagiorum genere *bifariam* horum Collectores dividuntur.

1. *Unum* adagiorum *genus* eſt, quorum uſus vel in vita communi vel apud politiores increbuit. Atque horum collectorum ſex conſtituimus claſſes:

a. *Primani* ſunt, qui magnum eorum fecere corpus, idque cum ſingulari ἀκριβείᾳ et ſtupendo cum labore: id, quod unus fecit *Eraſmus*; quamvis *Rhodiginus*, *Verdierius* et *Clericus* hunc ſummi viri laborem vel ſugillent, vel deprimere conentur. Nemo unus in hoc colligendi ſtudio inventus Eraſmo par eſt in hunc usque diem.

b. *Secundani* ſunt, qui mediocre eorum fecere corpus, idque non ſine judicio ac ſelectu. Horum in numero eſt *Joh. Antonius Berlucius* in *Adagiis ſelectis*; *Joſephus Langius* in ſua *Adagiorum collectione*; *Paullus Manutius* in *Adagiis optimorum ſcriptorum omnibus*.

c. *Tertiani* ſunt, quorum quidem in colligendis his verborum deliciis magna enituit induſtria, qui tamen haud eo ſelectu et ordine rem adgreſſi ſunt, ut ſagaciorum judicio usque quaque faciant ſatis. Tales ſunt *Philippus Brietius*; hic enim veroſimiliter ſub *Anonymi* larva heic latet: in *acute dictis omnium veterum Poetarum*; et *Johannes Georgius Seiboldus* in *Adagiis Latino-Germanicis*.

d. *Quartani* ſunt, qui ante vel poſt magnam Eraſmianam meſſem ſpicilegiis non nullis operam dederunt cum haud exigua ſui laude. Tales ſunt *Henricus Stephanus*, *Hadrianus Junius*, *Johannes Alexander Braſſicanus*, *M. Grunnius Corocotta Porcellus*, *Johannes Ulpius*, *Gilbertus Cognatus*, *L. Coelius Rhodiginus*, *Polydorus Virgilius*, *Petrus Gothofredus*, *Carolus Bovillus*, *M. Antonius Muretus*, *Guil. Gentius*, *Junius*, *Cantherus*, *Giſelinus*, *Melchior Nepeus*, quorum omnium ſpicilegia magno *Operi Eraſmiano* ſubjuncta videmus eſſe.

e. *Quintani* ſunt Eraſmi Epitomatores: quales eſſe arbitramur, non tantum *Johannem Bruchierium*, vel quicumque demum ille ſit, qui Eraſmi Adagiorum Chiliadas primitus in Compendium redegit, tot repetitis vicibus in Gallia, Belgio et Germania typis excuſum; ſed etiam *Johannem Sartorium* in *Adagiorum Chiliadibus III*.

f. *Sextani* ſunt, qui florum hujusmodi corpuſcula fecerunt, atque ita adornarunt, ut L. L. tironibus potiſſimum inſervirent. In

hunc

hunc cenſum cooptamur *Johannem Buchlerum* in *Theſauro proverbialium ſententiarum*; *Johannem Jacobum Denzlerum* ad calcem *Clavis ſuae*; *Bartholdum Fendium* in *Florilegio ſententiarum proverbialium*; *Johannem Fuigerum* in *Proverbiorum farragine*; *Joh. Gotbofr. Hauptmannum* in *Collectione proverbiorum*; *Ottonem Wilhelmum Schoenheimium* in *Proverbiis illuſtratis et applicatis*; *Johannem Chriſtophorum Storkan* in *Paroemiis Graecis, Latinis et Germanicis*: item *Valentinum Rotmarum*, *Hadrianum Barlandum*, *Hieronymum Cloccium* et *Johannem Hemingium*, qui poſteriores quattuorviri arceſſere adagia ſua non niſi e Virgilio voluerunt.

2. *Alterum* adagiorum *genus* eſt, quod fori Romani, quod templorum, quod rei ſacrae ac civilis ſollemnia comitatur. Atque in horum colligendorum atque illuſtrandorum ſtudio unus *Barnabas Briſſonius* de republica litteraria immortaliter meritus eſt in ſuo grandi Opere *de Formulis et ſollemnibus populi Romani verbis*.

X. DIACRITICI,

ſive

Scriptores, qui differentias vocabulorum explicuerunt.

I. Quantum momenti ad caſtitatem dictionis ubique tuendam adferre poſſit, ſi ſermonis proprietati diligenter ſtudeas, et ante oculos ſemper habeas differentiam vocabulorum ſynonymicam; id nimirum tunc demum rectius intelligere nobis videmur, quoties incidimus in ſcriptionem aliquam ſcabram et hoc in genere negligentius exaratam. Rectius quidem dictionis proprietas, et, quae huic perpetuo innititur, verborum differentia ex uſu et crebra veterum lectione diſcitur; interim tamen eorum labor et induſtria nequaquam ſpernenda videtur eſſe, qui multa nobis circa hanc curatiorem verborum notitiam in mentem revocant, ad quae ceteroquin non ſatis attendiſſemus, atque id omnino in ſcriptis ſuis agunt, ut vel leviſſima differentiarum hujusmodi momenta propi..s nobis innoteſcant.

II. Hujusmodi ſcriptores dividuntur *bifariam*.

1. In eos, qui *verborum differentias ſtricte ſic dictas inculcarunt*: quales iterum ſunt

a. Qui hanc diſciplinam primitus, et propterea Minerva paullo craſſiore tractarunt, ut: *Cornelius Fronto, Fl. Clarus, Agroetius, Fl. Soſipater. Chariſius, Servius Honoratus, Ael. Donatus, Sext. Pompejus Feſtus, Nonius Marcellus, Ammonius*, Grammatici veteres, quorum tamen diligentia nec ad amuſſim omnia ſatis exegit, nec cuncta, quae omnino debuiſſet, complexa eſt. Horum hoc in genere meletemata *Popmae* ad calcem adjuncta, ſed ab *Joh. Adamo Richtero*, noviſſimo Popmae editore, eidem ſuis quaeque locis inſerta videmus eſſe.

b. Qui poſt depulſam barbariem aliquanto exactius et copioſius hanc purioris latinitatis diſciplinam pertractarunt, ut: *Laurentius Valla* in *Elegantiarum libris*, et alibi. Omnes reliqui, qui in eodem ſtadio ſe exercuerunt, Vallae hujus legerunt veſtigia; ſed ſic tamen, ut non nulli de ſuo et aliunde fortaſſis non ſine ſelectu et ingenii acumine aliquid addidiſſe videantur, ut: *Henricus Bebelius* in *Commentariis de Abuſione Latinae linguae; Hieronymus Cingularius* in *Tractatu de vocum proprietatibus ſive terminorum differentiis; Michaël Schneiderus* in *Differentiis vocum; Simon Verepaeus* in *libro III. Exercitationum, quo explicantur dictionum aliquot differentiae ex Grammaticorum libris; Bernhardus Wiedemannus* de *proprietate et differentiis Latini ſermonis.*

c. Qui omnium exactiſſime in differentias has inquiſivit, *Auſonius Popma* in *libris ſuis IV. de differentiis verborum.* Quamlibet enim nondum omnibus numeris perfecta videntur eſſe, quae commentatus eſt; tamen omnium aliorum, qui vel ante vel poſt illum in eodem negotio ſunt verſati, multis paraſangis poſt ſe reliquit induſtriam. *Hieronymus Thomas* et *Joh. Chriſtophorus Strodtmann* haud ſpernendis obſervationibus huc usque Popmam hunc noſtrum locupletatum eunt.

d. Qui tum ex Valla, tum praeſertim ex Popma, quicquid in hoc ſtudio diacritico habent, mutuati ſunt, et tamquam per lancem ſaturam lectori exhibent, meri rhapſodi proinde et epitomatores, ut: *Jeſuita Anonymus Colonienſis* in *altera Parte libelli*, qui inſcribitur *Exſilium barbariſmi e Latino ſermone; Johannes Jacobus Denzlerus* in *Sylloge* illa *de differentiis verborum*, quam *Clavi ſuae L. L.* ſubjecit; *Rudolphus Goclenius* in *vocum cognatarum, quae ſignificatione diſtinguuntur, ſilvula*, quae in *Obſervationum L. L. ſ. Puri ſermonis Analectis p. 236. ſeqq.* occurrit.

2. In

2. In eos, qui *notionum, in ſingulis ſaepenumero vocabulis et locutionibus ambiguarum, differentias interpretantur et extricant.* Non nulla quidem hoc in genere jam ſuis temporibus attulerunt *Auctor ad Herennium, Cicero lib. 2. de Oratore, Macrobius, Salvius Julianus, Caper Grammaticus, Herennius Philo* et quidam interiorum litterarum cognitione politiſſimi JCti: ſed non niſi in generalioribus ſubſiſtunt, nec ex inſtituto fere, ſed quaſi aliud agendo ſparſimque hos collegere flores. Nemo omnium litteratorum huc usque ad hoc commentandi genus mentem prorſus animumque appulit, niſi unus Belga ille litteratiſſimus *Joh. Fredericus Reizius*, qui ante hos decem retro annos cum haud exigua nominis ſui gloria foras dedit juſtae magnitudinis librum *de Ambiguis, Mediis et Contrariis* ſ. *de ſignificatione verborum ac phraſium ambigua.*

XI. GRAMMATICI.

I. Per Grammaticos hoc loco non intelligimus quoscumque bonarum litterarum Doctores ac Profeſſores, ſed eos modo, qui Grammaticae artis praecepta certis diatribis et commentationibus umquam tradiderunt, quos quidem a veteribus nuncupatos fuiſſe ſcimus τεχνικὲς.

II. Hujusmodi Grammatici apud antiquos fuerunt *M. Terentius Varro, Fl. Soſipater Cariſius, Diomedes, Priſcianus, Verrius Flaccus, Sex. Pompejus Feſtus, Nonius Marcellus, M. Valerius Probus, Q. Rhemnius Fannius Palaemon, Magno, Phocas, Paulus Diaconus, Aſper Junior, Ael. Donatus, Servius Maximus Honoratus, Sergius, Cledonius, Maximus Victorinus, Auguſtinus* Epiſcopus Hipponenſis, *P. Conſentius, Flaccus Alcuinus, Eutyches, Cornelius Fronto, Velius Longus, Flavius Caper, Terentius Scaurus, Agroecius, Caſſiodorus, Beda, Terentianus Maurus, Marius Victorinus, Marius Plotius, Caeſius Baſſus, Attilius Fortunatianus, Rufinus, Cenſorinus, Ambroſius Macrobius Theodoſius* et *Papyrius:* quorum integros Tractatus et reliquias collegerunt maximam partem *Elias Putſchius;* magnam partem *Dionyſius Gothofredus* et *Johannes Theodorus Bellovacus;* aliquam partem *Anonymus quidam* Baſileae 1527. 8. Varro de L. L. et de Analogia inter omnes hos eminet. De reliquis notandum, quod cum ipſo Varrone maximam partem tractent Etymologiam potius, quam artis Grammaticae regulas, et proinde heic propter artis profeſſionem magis compareant, ac ne divellantur a reliquis ſtudio-

rum ipſorum ſociis, quam quod ſenſu hoc ſtrictiori Grammaticorum nomen tueri queant.

III. In ipſis litterarum tenebris ſaec. X. *Ratherius* cum *Sparadorſo* ſuo: et poſt medii aevi barbariem tempore ſcholaſticorum inclaruit *Johannes de Gar*, *Henricus de Colonia*, *Johannes Synthes*, alii, praeſertim *Alexander* in *Doctrinali* ſive *Grammatica cum Gloſſa*, et *Hieronymus Cingulatorinus* in *Opere* ſuo *Grammaticae*: qui tamen libri multum adhuc ſcoriae et quisquiliarum ducunt.

IV. Exorta litterarum luce Grammatices ſtudium primus illuſtravit *Mancinellus* Italus; quem ſecuti ſunt ex conterraneis *Aldus Manutius* et *Jul. Caeſ. Scaliger*; ex Hiſpanis *Ael. Antonius Nebriſſenſis*, *Ludovicus de la Cerda*, *Franciſcus Sanchez*, et ex Luſitania *Emanuel Alvarez*; ex Gallis *Deſpauterius* et *Maturinus Corderius*; ex Anglis *Linacer*; ex Danis *Bangius*; ex Belgis *Verrepaeus*, *Voſſius* et doctiſſima femina *Margareta Adelgondis* in *Diſſertatione* quadam Antwerpiae olim habita; ex Germanis *Melanchthon*, *Friſchlinus* et *Scioppius*.

V. Brevem Grammaticae Methodicae L. L. hiſtoriam dedit *Dan. Frid. Janus* in *Pretio, quod Grammaticae Latinae a doctis ſtatuitur*, ſubjuncto *Ejus Notitiae vocum L. L. olim honeſtarum, nunc inhoneſtarum*. Conf. idem Janus lib. dicto p. 68. Ejusdem Grammaticae hiſtoriam longe copioſius perſequitur *Wowerius* in ſuo *de Polymathia* opere.

VI. Diſpeſcuntur autem hujusmodi Grammatici

1. In *majores* notaeque excellentioris: qualis eſt *Eman. Alvarus* vel *Alvarez* in *Grammatica* et *Inſtitutionis Grammaticae libris tribus*; *Guil. Batteus* in *Janua linguarum*; *Curius Lancilottus* in *libris octo Artis Grammaticae*; *Franciſcus Sanctius* in *Minerva cum adnotationibus Perizonii*; *Jul. Caeſ. Scaliger* de *cauſis L. L.*; *Caſpar Scioppius* in *Grammatica Philoſophica* et *Minerva Sanctiana impugnata ab A. Maria de Monte cum Ejusdem Grammaticorum Apologia*; *Gerhardus Voſſius* in *Ariſtarcho*.

2. In eos, qui eruditionis ſuae auctoritate et *ἀκριβείας* gloria ad horum famam vel proxime, vel utcumque ſaltem accedunt. Tales ſunt *Thomas Bangius* in *Obſervationibus Philologicis*; *Johannes Daneſius* in *Paralipomenis Orthographiae, Etymologiae et Proſodiae*; *Johannes Deſpauterius Ninivita* in *Commentariis Grammaticis et Opuſculis Grammaticis*; *Richardus Johnſonius* in *Commentariis*

Gram-

Grammaticis; *Antonius Mancinellus* in *Operibus Grammaticis*; *Aldus Manutius Inſtitutionum Grammaticarum libris IV*; *Dionyſius Neſtor Novarenſis* in *Opere Grammatico*; *Johannes Rivius Grammaticae libris VIII*; *Cornelius Valerius* in *Inſtitutionibus Grammaticis*; *Georgius Henricus Urſinus* in *Inſtitutionibus pleniſſimis*; *Johannes Zehnerus* in *Tractatibus Grammaticis*.

3. In *minores*, ſeu Compendiorum concinnatores: quos rurſus dividimus

a. In tales, quorum compendia plurimum laudis habent ac valde celebrantur; ut ſunt: *Michael Aytai Grammatica*; *Joh. Valer. Braune* in *Grundſätzen der lateiniſchen Sprache*; *Georgius Buſchius*, auctor *Grammaticae Lat. Hamburgenſis*; *Joh. Erneſtus Bythnerus*, qui ſcripſit *Compendiariam latinitatis viam*; *Chriſtophorus Cellarius*, cujus *Grammaticae compendium* nemo temere ignorat; *Ludovicus de la Cerda* ad *Grammaticam Ael. Antonii Nebriſſenſis*, *Henricus Decimator*, qui ſcripſit *Adnotationes in Melanchthonis Grammaticam*; *J. J. Fichtelius*, *Hodegi Grammatici auctor*; *Caſparus Finkius* et *Chriſtophorus Helvicus*, qui unitis viribus *egregium Grammatices compendium* emiſerunt; *Nicodemus Friſchlinus* in *Grammatica*, in *Diſputatione Grammatica*, in *Strigili et Poppyſmo*; *Joh. Matthias Geſnerus* in *Grammatica*; *Chriſtianus Grünenbergius* in *emendato Donato*; *Jacobus Henrichmannus* in *Grammaticis Inſtitutionibus*; *Gothofredus Hofmannus* in *Atrio L. L. Introductione in L. L.* et *via ad compoſitionem L. L.*; *Chriſtianus Keimmannus* in *Enchiridio*; *Auguſtinus Saturnius Lazaronéus* in *Mercurio Majore* ſ. *Grammaticis Inſtitutionibus*; *Lucas Loſſius* in *Erotematibus Grammaticae Latinae* et *Adnotationibus in Grammaticam Phil. Melanchthonis*; *Thomas Lundius* in *Grammatica Metrica*; *Sigismundus Lupulus* in *Rudimentis primis Latinae Grammaticæ*; *Philippus Melanchthon* in *Grammatica Latina*; *Ael. Anton. Nebriſſenſis* in *Grammatica*; *Joh. Norwegus* in *Promtuario Grammatico*; *Nouvelle Methode pour apprendre la langue Latine*, cujus *auctor* mihi ſaltem ignotus eſt; *Franc. Pomay* in *Regulis Fundamentalibus L. L.*; *Andreas Reyherus* in *Grammatica Latina*; *Edmundus Richerius* in *Grammatica obſtetricia ad Delphinum*; *Andreas Stübelius Latiniſmo in nuce*; *Lambertus Thomas Schenkelius* in *Grammaticae Latinis praeceptionibus*, et in libello *de Latina lingua intra ſex menſes docenda*; *Joh. Georgius Seyboldus* in *Grammatica*; *Joh. Conrad. Schwarzius* in *Grammatica Latina*; *Joh. Eraſmus Scomagerus*

in

in *Brevi Introductione ad addiſcendam L. L.*; *Carolus Stephani* in *Principiis* ſive *Primis L. L. Elementis* et *dans la Maniere d'exercer les enfans à decliner les noms et les verbes Latins*; *Trocedorfius* et *Strophius*, Epitomatores *Melanchthonis*; *Chriſtianus Vinholdus* in *Elementis Grammaticae Latinae Methodo Euclidea conſcriptis*; *Joh. Gottlob Vorſatzens Initiis Encyclicis*.

b. In tales, quorum Compendia vel ſub graviorem cenſuram vocata, vel pretii non optimi videntur eſſe, ut: *Johannes Comenius*, qui ſcripſit *Grammaticam elegantem*; *Johannes Matthiae*, auctor *Grammaticae Regiae*, *Johannes Rhenius*, *Petrus Ramus* et *Joh. Thomas Freigius*.

c. In tales, quorum Compendia certis regnis ac provinciis propria vel aliquando fuerunt, vel hodieque ſunt. Sic uſu recepta ſunt *Marci Antonii Bonciarii Grammatica* et *Nicolai Perotti Rudimenta L. L.* apud Italos; *Dionyſii Gaultierii praecepta L. L. Anonymi* et *des Meſſieurs de Port-Royal Nouvelle Methode pour apprendre la langue Latine*, et *Maturini Corderii Grammatica Latina* apud Gallos; *Thomae Linacri Rudimenta Grammatices L. L.* et *Richardi Johnſoni Commentarii Grammatici* apud Anglos; *Simonis Verepaei*, *Ludolphi Lithocomi* et *Gerhardi Joh. Voſſii* Compendia apud Batavos et Saxones Inferiores; *Langii*, *Rhenii* et *Schmidii Compendia* apud Germanos in genere: quae quum in τρόπῳ παιδείας valde differant, fieri non potuit, quin triplex didacticorum haereſis oriretur, Rhenianorum, Schmidianorum et Langianorum; *Jani Dionyſii Jerſini* et *Thomae Bangii Praecepta* apud Danos; *Auctores Grammaticae Marchicae* apud Brandenburgenſes; *Nathan. Chytraei Compendium*, apud Friſios Orientales; *Grammatica Latina* apud Naſſovio-Idſtonienſes.

d. In tales, qui certam quamdam Grammaticae Methodicae partem, praeſertim Syntacticam, illuſtrarunt. Huc pertinent *Joh. Phil. Bendeleri Syntaxis*; *Georgii Dieterici Bohmii Latina Syntaxis*, it. *Praxis Syntaxeos Gerundiorum et Participiorum*; *Joh. Jacobi à Brinken Nucleus Latinae Syntaxeos*; *Jon. Clarke Introduction à la Syntaxe Latine*; *Henrici Decimatoris Scholia in Syntaxin Phil. Melanchthonis*; *Eraſmus* de *Octo partium orationis Conſtructione*; *Valentinus Erythraeus* de *figuris Grammaticorum*; *Claudii Fockii Synopſis critica Syntaxeos Tideriana et Stioppianae*; *Johannes Fridericus Grimm* de *Ellipſibus Latinis*; *Sthenonis Kierulf Syntaxis Latinorum decem regulis comprehenſa*; *Guil. Lilius* de *Octo orationis partium conſtructione*;

ſtructione; Thomae Linacri de *emendata ſtructura Latini ſermonis; Sigismundus Lupulus* in *Syntaxi; Johannis Nemii Adnotationes in Syntaxin Eraſmi; Friderici Rombergii Exercitationes ſyntacticae; Auſon. Popma de uſu antiquae locutionis; Chriſtoph. Speccii Praxis Declinationum; Caſpari Erneſti Trilleri Compendium hodegiae ad latinitatem ſyntacticae; Danielis Vechneri Hellenolexia, Illuſtres Grammaticorum canones* et *Obſervationes linguae Romanae et Graecae*, it. *Δεῖγμα Syntaxeos formandae pro tironibus Latinae linguae; Franciſcus Vavaſſor de vi et uſu quorumdam verborum, cum ſimplicium, tum compoſitorum.*

XII. ANTIBARBARI.

I. Per ſcriptores Antibarbaros intelligimus non modo eos, qui Latini Sermonis barbariem ex inſtituto perſecuti ſunt, ſed etiam tales, qui ſimul linguae hujus elegantiam ac nativum decus omni conatu adſertum ivere.

II. Ex inſtituto Latinae linguae barbariem inſectati ſunt:

1. Qui fere circa ſolam barbariem occupantur, ut: *Olaus Borrichius* in *Cogitationibus de L. L. aetatibus*, it. *in Analectis ad has Cogitationes; Andreas Borrichius* in *Appendice ad Cellarii Curas poſteriores*, it. *in Vindiciis Latinitatis purioris; Chriſtophorus Cellarius* in *Antibarbaro, Curis poſterioribus, Diſcuſſione Appendicis Danicae* et *Judicio de Vindiciis Lat. linguae Borrichianis; Johannes Crocus* in *Farragine ſordidorum vocabulorum; Erasmus Roterodamus* in *Antibarbaris; Caſpar Scioppius* in *Infamia Famiani* et *Scaligero Hypobolimaeo; Gerhardus Joh. Voſſius* de *Vitiis Sermonis et Gloſſematis Latino-barbaris.*

2. Qui linguae Latinae non modo barbariem, ſed etiam accurationem et elegantiam explicatam dederunt. Horum autem ſubſequentes fere ſunt praecipui: *Thomas Bangius* in *Obſervationibus Philologicis* a p. 1389—1431; *Hadrianus Barlandus* in *Dialogis XLII ad profligandam e ſcholis barbariem utiliſſimis; Henricus Bebelius* in *Commentariis de abuſu L. L. apud Germanos et de proprietate ejusdem, optimarumque dictionum Vocabulario; Johannes Buchlerus* in *Catalogo vocum ſingularum et phraſium, quae vel barbare vel minus eleganter vulgo paſſim efferuntur, cum Tulliana eorundem reſtitutione; Johannes Ludolphus Bunemannus* in *Indice latinitatis ſelectae, vulgo neglectae, merito et falſo ſuſpectae; Maturinus Corderius* in *libro de corrupti*

rupti ſermonis apud Gallos emendatione et latine loquendi exactiſſima ratione; *Rudolphus Goclenius* in *Silva minus probatorum, inſolentium, ſoloecorum et ὑποσολοικίων, barbarorum et ſemibarbarorum commutatorum in Latinā,* it. in *Obſervationum linguae Latinae* ſive *puri ſermonis Analectis;* *Johannes Caſparus Khunius* in *Animadverſionibus ad Vorſtii librum de latinitate merito ſuſpecta;* *Georgius Caſparus Kirchmaierus* in *Latinitate legali praeter meritum ſuſpecta ex Pandectis Juris eruta et vindicata,* it. in *Amoenitatibus latinitatis in dictionibus et formulis ex Pandectarum juris voluminibus,* it. in *Latinitate vel praeter meritum vel merito ſuſpecta e Pandectis juris eruta et recognita,* it. in *Amoenitatibus et Vindiciis ad Inſtitutionum Juſtinianearum titulos non nullos;* *Sebaſtianus Kortholtus* de *latinitate pura;* *Cornelius Looſa* in *Scopis Latinis ad purgandam linguam a barbarie;* *Johannes Murmelius* in *Scopario in barbariei propugnatores et oſores humanitatis;* *Johannes Nieſs* de *ortu et occaſu Lat. linguae,* cum ejusdem inſtaurandae modo; *Joachimus Perionius* in *Obſervationibus in Porphyrii Inſtitutiones;* *Plexiacus,* auctor quidam perſonatus, in *Lexico Philoſophico;* *Jacobus Rollius,* qui ſcripſit *Vademecum Scholaſticum formularum ſelectiſſimarum Latino-Germanicarum ad devitandos Germaniſmos;* *Caſpar Schoppius* in *Animadverſionibus in Voſſium;* *Henricus Stephani* de *latinitate falſo ſuſpecta;* *Franciſcus Vavaſſor* in *Antibarbaro* ſ. *Obſervationibus de vi et uſu quorumdam verborum Latinorum;* *Simon Verepaeus Exercitationum ſtudiorum libro,* quo continetur panoplia quaedam litteraria ad barbariem e ſcholis puerorum profligandam accurate inſtructa; *Johannes Vorſtius* in libris *de latinitate merito et falſo ſuſpecta,* item *ſelecta et vulgo fere neglecta.*

III. Atque hi Antibarbarorum ſcriptorum praecipui mihi quidem videntur eſſe. Quibus nunc ſubjungo alios, qui meri rhapſodi ſunt, atque ex his, quamvis non ſine ſelectu ac judicio, ſua collegerunt ac mutuati ſunt.

1. Horum tamen *primi ordinis* facile eſſe exiſtimabuntur *Cyriacus Guntherus* in *Latinitatis Reſtitutae utraque Parte;* *Daniel Fridericus Janus* in *Lexico Philologico purioris et elegantioris latinitatis;* *Johannes Ker* in *Selectarum de L. L. obſervationum binis libris.*

2. *Secundi ordinis* ſunt *Sigismundus Jacobus Apinus* in *Grammaticali Lexico;* *Auctor Anonymus,* Jeſuita Colonienſis, in *Exſilio barbariſmi e Latino Sermone;* *Conradus Dunkelbergius* in *Ariadnes filo ad comtioris latinitatis ſtilum;* *Johannes Jenſius* in *Collectaneis purae et impurae*

impurae latinitatis; *Patricius Macrotheriſter* in *Pretioſo a vili*; *Joh. Ludovicus Praſchius* in *Commentariolo de latiniſmis et barbariſmis*; *Johannes Georgius Seyboldus* in *Antibarbaro Latino*; *Johannes Petrus Titius* in *Manuductione ad excerpendum* a p. 164 — 384; *Gothofredus Voigtius* in *ſex Latinitatis corruptae ac incorruptae Indicibus*; *Chriſtianus Weiſſenbornius* in *Statera Latinitatis dubiae et variatae*.

3. *Tertii ordinis* ſunt, qui vel coinpluribus adhuc naevis ſcatent, vel valde leviter hanc operam ſuſceperunt, ut: *Fridericus Hildebrandus* in *libello, quo loquendi genera et vocabula partim illatina et barbara, partim dubia et ſuſpecta continentur*; *Johannes Chriſtophorus Loſius* in *Parte quarta Apparatus ſtili liberioris*; *Samuel Schmidius* in *Hodego Epiſtolico* a p. 690 — 715; *Joh. Chriſtophorus Storkau* in *Latinitatis ſcopulis*.

IV. Sunt etiam, quibus impotentia animi eorum, qui barbara ſua dictione ſibi mirum quantum placuerunt, occaſionem dedit more Satyrico vel mimico iſtam verborum barbariem perſtringendi et exagitandi: quorum quidem in numero eſt *Auctor Epiſtolarum obſcurorum virorum* et *Harmannus Buſchius* in *Vallo humanitatis*.

V. Proſtant etiam libri, quorum auctores ut barbariei, quae circa rerum novarum nomina ſubinde introducitur, ſtrenue occurrerent, ex elegantiori Latio adferre conati ſunt ea, quae barbarae eorum formae quadamtenus mitigandae apta eſſe videantur.

1. Atque hanc vocabulorum elegantiorem metamorphoſin ex inſtituto tentavit vir ſuo merito quondam clariſſimus *Sigismundus Jacobus Apinus* in *Gloſſario novo ad aevi hujus ſtatum adornato*; *Joa. Theodorus Jablonski* in *Lexico Univerſali artium ac ſcientiarum*; *Conradus Samuel Schurzfleiſchius* in *Nomenclatore Strategico*; *Franciſcus Pomay* dans ſon *Grand Dictionaire Royal*; *Rudolphus* item *Goclenius* et *Stephanus Chauvin* in *Lexicis Philoſophicis*. Eamdem quoque viam, ſed non eodem ſucceſſu ingreſſus eſt *Michaël Pexenfelder* in *Apparatu eruditionis tam rerum, quam verborum*.

2. Idem ſaxum, ſed quaſi aliud agendo, nec niſi pro re nata, volutavit *Marcus Zuerius Boxhornius* in *Hiſtoria obſidionis Bredae*; et *Daniel Heinſius* in *Hiſtoria rerum ad Silvam Ducis atque alibi in Belgio aut a Belgis a. 1629 geſtarum*.

VI. Tandem etiam heic in cenſum veniunt, qui purius ſcribendi genus mirifice commendarunt, et ab omni dictionis ſtribligine vehemen-

hementer omnes, qui eruditioni operam dare cogitant, dehortati ſunt; et quidem

1. Oblique, ut: *Caſparus Barthius Commentariorum Lib. 16. cap. 3; Jacobus Burkardus* Oratione *de Latinae linguae a majoribus diligenter excultae et adamatae, hodie ex adverſo neglectae atque contemtae cauſis; Chriſtophorus a Carlewitz* Commentatione, *cur tam pauci apud ſingulas L. L. cultrices nationes ad illud usque tempus reperti ſint, qui vel cum mediocribus ex veterum memoria oratoribus in comparationem venire potuerint; Sigismundus Evenius* Oratione *de ſcriptis Ethnicorum, an et quatenus in ſcholis Chriſtianorum ſint proponenda et toleranda; Hubertus Folieta* de *Latinae linguae uſu et praeſtantia; Caſparus Hofmannus* in *Silvula orationis de barbarie imminente; P. Fridericus Mindanus de L. L.; Joh. Laur. Moshemius* de *linguae Latinae cultura et neceſſitate*, et *Praefatione*, Lexico meo Antibarbaro praemiſſa; *Angelus Rocca - Camerinus* de *venuſtate Latini ſermonis*.

2. Directe, ut: *Johannes Chriſtophorus Otto* de *latini ſermonis uſu maturius exercendo; Nicolaus Plahn* de *jaciendis in latinitate fundamentis; Daniel Wülferus* de *emendata Latine loquendi conſuetudine et uſu*.

XIII. HISTORICI,

id eſt,

Scriptores, qui fata et temporum viciſſitudines, quibus Latina lingua obnoxia umquam fuit, percenſuerunt.

I. Quemadmodum omnium rerum ſunt viciſſitudines, nec, quae mortalium uſui ſubjacent, eodem ſtare gradu ſemper ſolent, ut quae modo, ab exiguis profecta initiis, incrementa capiunt, modo in ſummo collocantur apice, modo decreſcunt, modo ad exitium et vaſtitatem vocantur, modo ex ruinis praecipua non nullorum opera emergunt priſtino ſuo reſtituta ſplendori; ita etiam Latinae linguae ratio ſe habet, quae nec eumdem ſemper tenuit dignitatis locum, nec eodem, quo decuit, frequentata uſu eſt. Hanc linguae noſtrae fatorum ſeriem, quemadmodum nempe ea enata ſit, et rudiora habuerit principia; qua ratione pedetentim paullatim emerſerit, et ad ſuam ἀκμὴν pervenerit; ut in pejus data ſit et peregrina verba et inſolentiores verborum nexus in Latium vel Romam irrepſerint;

ſint; et quomodo tandem ſeptemtrionales aliique barbari populi, poſtquam fatalis illa gentium migratio florentiſſimas Europae terras quaſi inundaſſet, nitidiorem Latinae linguae cultum non minus apud Italos, quam reliquas gentes, quae tunc temporis ejusdem linguae ſocietate cum illis, ſuis quondam victoribus, continebantur, ſua in Romanas provincias ac praeſertim in urbem ipſam infuſa peregrinitate prorſus ſuſtulerint: id vero complures viri litteratiſſimi ita nobis ediſſeruerunt, ut ſingulas linguae mutationes certis temporum ſuorum intervallis diſtinguerent.

II. Hujusmodi ſcriptores in *quattuor cohortes* poſſunt diſpeſci.

1. *Prima* cohors ſit eorum, qui hiſtoriam Latinae linguae dedere univerſalem, vel per compendia, vel non ſatis ex inſtituto, ſed modo obiter et quaſi aliud agendo. Hoc in numero ſunt *Leo Allatius* Tractatu *de erroribus magnorum virorum in dicendo*; *Anonymus* in *Notitia auctorum veterum*; *Lexicon meum L. L. Antibarbarum* in *Appendice*; *Caſpar Barthius* in *Recenſione auctorum Latinorum, eorumque editionum*, quam ſedecennis adhuc adoleſcentulus ediderat, ſed cujus ſenem adeo non poenituit, ut in *Adverſariorum opus Lib. 50. Cap. 9.* omnem transſcriberet; *Johannes Henricus Boeclerus* in libello *de ſcriptoribus Graecis et Latinis*, et in *Diſſertatione de Eloquentia civili*; *Chriſtianus Becmannus*, qui in *Manuductione ad L. L.* et in *libro de originibus L. L.* multa huc ſpectantia ſuggerit; *Balthaſar Bonifacius* in *Hiſtoria ludicra Lib. 15. Cap. 2—8*, ubi diligenter varia de auctoribus Latinis collegit: quamquam jam antea quoque 1627. Venetiis *de Romanae Hiſtoriae ſcriptoribus* Excerpta dediſſet, Helmſtadii 1674. curante *Joh. Eberhardo Busmanno*, iterum in 4to publicata; *Olaus Borrichius* in *Cogitationibus de variis Lat. linguae aetatibus*; *Andreas Borrichius* in *Vindiciis Latinitatis purioris*; *Balthaſar Caſtalioneus* Parte I. *Aulici ſui*, Venetiis 1587. Italico ſermone excuſi; *Chriſtophorus Cellarius* in *Diſſertatione de fatis L. L.* et in *Prolegomenis Curarum Poſteriorum de barbariſmis*; *David Chytraeus* libro *de ratione diſcendi et ordine ſtudiorum in ſingulis diſciplinis inſtituendo*; *Johannes Clericus* in *Arte Critica Tomo I. Parte 1. cap. 2*; *Sebaſtianus Corradus* in *ſuo de L. L. Commentario*, de mutationibus linguae noſtrae multa erudite proferens; *Johannes Daniel Cramerus* in Orat. *de fato L. L.*; *Chriſtianus Daumius* de *amiſſis radicibus L. L.*; *Jacobus Facciolatus* in *Appendice Orationis de Latina lingua non ex Grammaticorum libris comparanda*; *Chriſtianus Falſterus* in *Quaeſtionibus*

nibus Romanis; Joh. Henr. Florinus in Oratione *de quattuor L. L. ſaeculis; Carolus du Freſne* in *Praefatione Gloſſarii Latini; Obertus Giſanius*, cujus *Obſervationibus in L. L.* ſubjuncta *M. Antonii Sabellici* eſt *Diſſertatio de quinque aetatibus Romanae linguae*, it. *de Periodis L. L.; Andreas Goepelius* in *Cenſura de auctoribus eloquentiae Romanae; Johannes Vincentius Gravina* in *Dialogo de L. L.; Cyriacus Güntherus* in *Appendice Partis I. Latinitatis Reſtitutæ; Hadrianus Cardinalis*, ſecuto poſt tempore *ejus nominis VI. Pontifex*, in elegantiſſimo *de Latino ſermone Commentariolo*, quem ſuo *de modis latine loquendi libro* præfixit; *Martinus Hankius* libris duobus *de rerum Romanarum ſcriptoribus; Benjamin Hederich* ab exordio *Notitiae auctorum antiquae et mediae aetatis; Chriſtophorus Henricus Lauterbachius* in decem Programmatibus *de claſſicorum auctorum aetatibus; Daniel Georgius Morhofius Polyhiſtore Litterario T. I. Lib. 4. c. 11. 12. 13. et 14; Franciſcus Mottaeus Vayerus* in peculiari quodam opuſculo *de Hiſtoricis Latinis; Gabriel Naudaeus* in Epiſtola quadam *de ſtudio humanitatis; Johannes Nieſſus* libello *de ortu et occaſu L. L.; Arnoldus Redeker* cap. 12. *Statuae Mercurialis; Marcus Antonius Sabellicus* Dialogo *de L. L. reparatione; Henr. Jul. Scheurlius* in *Statua Mercuriali; Caſpar Schoppius* in *Conſultationibus; Joh. Chriſtoph. Storkau*, qui *L. L. auctores in aciem ordinemque pro dignitate digeſtos* exhibet; *Joh. Stübner* de *auctoribus ad cultum ſtili neceſſariis; Frid. Taubmannus* in Diſſ. *de L. L.; Franciſcus Vavaſſor* libris *de dictione ludicra*, de *Epigrammate* atque alibi; *Ludovicus Vives* Tr. *de diſciplinis; Valentinus Henr. Voglerus* in *Introductione in notitiam ſcriptorum; Gerhardus Joh. Voſſius Praefatione operis de vitiis ſermonis Latini; Joh. Georg. Walchius* in *Hiſtoria Critica L. L.* et quidem ſtatim *Cap. 1.* quod agit *de origine et fatis L. L.; Degoreus Whear* in *Relectionibus hiemalibus de ratione et methodo legendi utrasque hiſtorias, Civiles et Eccleſiaſticas*, Oxonii 1625 et 1635 editis, et in Germania Noribergae 1660. 12. curante Chriſtophoro Arnoldo recuſis; *Olaus Wormius de L. L. ejusque auctoribus; Martinus Zeilerus* in *Indice Hiſtoricorum.*

2. *Secunda* cohorte continentur ii, qui Hiſtoriam L. L. univerſalem dedita opera et magis ex inſtituto, atque adeo ſingulari quadam cum ubertate rerumque copia perſecuti ſunt.. Quam quidem ingreſſi viam ſunt *Thomas Bangius de ortu et progreſſu litterarum; Joh. Alb. Fabricius* in *Bibliotheca Latina; Joh. Nicolaus Funccius* in operoſiſſimis hoc in argumento laboribus ſuis, quibus Funccius functus quidem

dem huc uſque cum magna ſui nominis exiſtimatione, ſed non dum prorſus defunctus eſt; *Gerhardus Joh. Voſſius de Arte Hiſtorica*, it. *de Hiſtoricis et Poëtis Latinis*; *Johannes Adamus Weberus* in *Introductione in Hiſtoriam L. L.*

3. *Tertiae* cohortis ſunt, qui hiſtoriam L. L. exponunt aliquam ſpecialem: quod fecit ex noſtratibus vir illuſtris *Jacobus Burkardus* in *Commentariis de L. L. in Germania per XVII ſaecula, amplius, fatis*. Vtinam hujus exemplo excitentur apud exteras etiam gentes, qui ſimile aliquid tentent, ut habeamus aliquando de L. L. fatis apud Luſitanos, Hiſpanos, Gallos, Britannos, Hungaros, Danos, Suecos, Polonos, alios, uberiorem quamdam notitiam, ſcitu non minus jucundam, quam utilem. Nam, quod quidem ſciam, nemo exterorum ſuae genti adhuc idem operae præſtitit.

4. *Quartae* cohorti adſcribendi ſunt, qui hiſtoriam L. L. exponunt aliquam ſingularem, ita, ut

a. Vel particularem quamdam L. L. conditionem ad certas temporum periodos revocent; id, quod fecerunt tum *Georgius Wilhelmus Overkampfius* in *Commentatione Hiſtorico-Theologica de ratione ſtatus Curiae Romanae circa uſum L. L. in ſacris cultuque publico*; tum *Henricus Vagedes* in Commentatione *de propagatione linguae Romanae, profanae ſacraeque dominationis arcano.*

b. Vel vocabulorum quamdam hiſtoriam contexere ſtudeant: quorum in numero hodie ſunt *Daniel Fridericus Janus* in *Notitia vocum Latinae linguae olim honeſtarum, nunc inhoneſtarum*; *Jacobus Fridericus Reimmannus* in *Introductione in hiſtoriam vocabulorum L. L.* et *Chriſtianus Gottlieb Schwarzius* in *Exercitatione Philologica de fatis vocum quarumdam.*

XIV. STILOGRAPHI.

I. Eorum, qui ſtili Latini recte et ad imitationem melioris notae ſcriptorum formandi rationem edocuerunt, alii ſunt

1. *Paedagogici* i. e. qui certo quodam παιδείας τρόπῳ, eo potiſſimum, qui per modum epiſtolarum conſcribendarum inſtituitur, puerilem aetatem manu quaſi ducunt, ut formare periodos, ut animi ſenſa ſcite exprimere, ut diverſos verborum ambitus apte connectere, ut datas propoſitiones amplificare et variare, ut veteres imitari, atque ſic omnino contexere orationem diſcant, ut naturali qua-

dam pulchritudine exſurgere aliquando videatur. Hujusmodi fere ſunt *Johannes Buchlerus* in *Theſauro conſcribendarum epiſtolarum*; *Conradus Celtes de conſcribendis epiſtolis*; *Chriſtianus Chemnitius* in *Introductione ad latinitatem*; *Ludovicus Creſollius* in *Theatro Rhetorum*; *A. Diethers* in *Theſauro epiſtolarum contexendarum*; *Eraſmus Roterodamus* de *conſcribendis Epiſtolis*; *Nathanaël Chytraeus* in *Exercitationibus ſtili eruditis*; *Sebaſtianus Foxius* libris duobus *de imitatione* ſive *de formandi ſtili ratione*; *Johannes Nicolaus Funccius* de *ſtilo Latino Exercitationibus Rhetoricis*; *Rudolphus Goclenius* in *Periphraſeos* ſ. *verborum ambitus uſu*; *Chriſtophorus Hegendorphinus* in *Methodo epiſtolas conſcribendi*; *Juſtus Henningius* in *Gymnaſio Stili epiſtolici Ciceroniano*; *Joh. Chriſt. Langius* in *Tirocinio Eloquentiae*; *Juſtus Lipſius* in *Oratoria Inſtitutione*; *Georgius Macropedius* in *Methodo conſcribendi epiſtolas*, et in *Epitome praeceptionum de paranda copia verborum et rerum per Quaeſtiones*; *Elias Major* de *varianda oratione*; *Jacobus Maſenius* in *Palaeſtra Oratoria*; *Jacobus Omphalius* de *Elocutionis Imitatione et Apparatu*; *Niceph. Philomuſus* in *Inſtitutionibus Epiſtolicis*; *Laurentius Reinhardus* in *Inſtitutionibus ſtili Latini*; *Andreas Reyherus* in *Florilegio Epiſtolico*; *Joachimus Fortius Ringelbergius* de *figuris ac vitiis orationis* et *opuſculo de periodis*; *Angelus Rocca-Camerinus* de *ſcribendis epiſtolis*; *Chriſt. Roſa* de *modo variandi ſententias per tropos et figuras*; *Chriſt. Adamus Rupertus* in *Mercurio Epiſtolari*; *Thomas Sagittarius* in *Epiſtolica Inſtitutione*; *Albertus Schaur* in *Methodo conſcribendi epiſtolas*; *Samuel Schmidius* in *Hodego Epiſtolico*; *Johannes Starkius* in *Theſauro Epiſtolari locorum et formularum*, it. in *Iſagoge de ratione et artificio ſcribendi epiſtolas*; *Simon Verepaeus* de *Epiſtolis latine conſcribendis*, it. in *Praeceptionibus de verborum et rerum copia*; *Joh. Ludov. Vives* de *epiſtolis conſcribendis*; *Johannes Voëllus* in *Generali Artificio orationis cujuscumque componendae et de ratione conſcribendi epiſtolas*; *Joh. Henr. Urſinus* in *Progymnaſtices Oratoriae Epitome*; *Zacharias Urſinus*, qui ſcripſit *Scholaſticas in materiis Theologicis Exercitationes*; *Chriſt. Weiſſenbornius* in *ſtatera Latinitatis*, it. in *Artificiis unam eamdemque ſententiam variis variandi modis ad facilitandam emendatioris atque elegantioris ſtili culturam.*

2. *Didactici*, qui de ſtili natura, de vario ejus charactere, et de modo ſcribendi facultatem in omni genere conſequendi, multa egregie inculcant. Hos inter ſunt

a. *Pri-*

a. *Primani*, qui vel cum magna ingenii ubertate, vel ſic ſaltem id praeſtiterunt, ut omnium, qui elegentiorum litterarum qualemcumque ſenſum habent, calculis facile digni eſſe videantur.

α. Generatim heic notandi: *Cunradus Alſacus de dicendi et diſcendi ratione; Joh. Guil. Bergerus de naturali pulchritudine orationis ad excelſam Longini diſciplinam, illuſtri Jul. Caeſaris exemplo exacta; Joh. Henricus Boeclerus* in *Diſſertatione de comparanda Latinae linguae facultate; Octavius Boldonius* in *Epigraphicis*, ubi de inſcriptionum veterum aetate dignoſcenda, et de earumdem ſtilo quaedam adferuntur haud vulgaria; *Auguſtus Buchnerus* de *commutata ratione dicendi; Dominicus Bulhurſius* dans *la Maniere de bien penſer; Johannes Caſelius de charactere Epiſtolico; Nicolaus Cauſſinus de Eloquentia ſacra et humana; Maturinus Corderius de ſermonis Latini varietate; Johannes Dekenis* in *Obſervationibus Poëticis, exemplis illuſtratis*, quibus characterem ſtili Poëtici egregie perſequitur; *Carolus Andreas Dukerus de latinitate veterum JCtorum; Eraſmus Roterodamus de copia verborum et rerum; Valentinus Erythraeus* in *Medulla Rhetorices Tullianae; Johannes Nicolaus Funccius* in *Epiſtolarum et Orationum* ideis; *Fridericus Andreas Halbauerus* in *Introductione in utiliſſimas Exercitationes ſtili Latini; Johannes Gottlieb Heineccius* in *ſtili cultioris fundamentis; Joachimus Langius* in *Inſtitutionibus ſtili Latini*, quae *Parte I. ejus Hodegi Latini ſermonis* continentur; *Carolus Henricus Langius* in *Inſtitutionibus ſtili Romani; Georgius Guilielmus Kirchmaierus* in *Diſſ. de magnifico orationis Panegyricae apparatu; Philippus Kräuterus* in Diſſ. *de eo, quod ſublime eſt in Oratione; Antonius Mancinellus de Poëtica virtute; Jacobus Maſenius* in *Palaeſtra ſtili Romani*, in *Palaeſtra Eloquentiae ligatae*, in *Familiarium Argutiarum Fontibus*, et in *Arte nova argutiarum; Guil. Mechovius* in *Tulliola; Johannes Micraelius* Tractatu *de copia verborum et rerum; P. Fridericus Mindanus de lingua Latina; Erdmannus Mirus* Doctrina *de Inſcriptionibus argutis; Dan. Georg. Morhofius de arguta dictione*, it. *de pura dictione; Petrus Moſellanus* Tabulis *de ſchematibus et tropis in Rhetorica Phil. Melanchthonis et in Des. Eraſmi libellum de duplici copia; Sfortia Pallavicinus de* Stilo *et Dialogo; Joh. Ludov. Praſchius* in *Roſeto* ſ. *Praeceptis ſtili Latini*, et *in Principiis Stili e Rhetoricis ad Herennium; Gothofr. Prenzlovius* de *Copia verborum ac rerum; Juſtus Gottfridus Rabener* in *ſtili elegantioris ratione quinque regulis commonſtrata; Jovita Rapicius de numero Oratorio; Fridericus Redtelius* in *Collegio Stili;*

 Joa-

Joachimus Fortius Ringelbergius libro *de formis dicendi*; *Joh. Rivius Epitome in rerum et verborum Copiam*; *Caſpar Scioppius* de *Stilo* ſ. *de virtutibus et vitiis ſtili Hiſtorici*; *El. Frid. Schmerſalius* in *Miſcellaneis ſtili Poëtici*; *Conradus Samuel Schurzfleiſchius* in *Analectis Stili Romani*; *Joh. Henricus a Seelen de conſervando ſtili puri ſtudio*; *Silvanus* dans *Traité du ſublime*; *Johannes Starkius* in *Inſtitutione Philologica et Rhetorica de Stilo*; *Henricus Stephani de Plauti latinitate*; *Joh. Ludov. Strebaeus de Electione verborum et oratoria collocatione*; *Johannes Sturmius de Imitatione oratoria*, it. *de amiſſa dicendi ratione et quomodo ea recuperanda ſit*, it. *de univerſa ratione elocutionis*; *Emanuel Theſaurus* in *Idea argutae et ingenioſae dictionis*; *Simon Verepaeus* de *verborum et rerum copia*; *Gothofredus Vockerodt* in Diſſ. *de recta et antiqua eloquentiae, maxime Latinae, ratione, corruptelis praecipuis et harum remediis*; *Chriſtianus Weiſius* de *Poëſi hodiernorum Politicorum* ſ. *de argutis Inſcriptionibus*; *Chriſtianus Weiſſius de ſtilo Romano*; *Jodocus Willichius de rerum et verborum copia*; *Daniel Wülfer de emendata latine loquendi conſuetudine et uſu.* His addendi *Emanuel Theſaurus*, Italus, qui *de arguta dictione* omnium ſagaciſſime ſcripſit, et *Gerhardus Joh. Voſſius*, cujus *Oratoriae Inſtitutiones* omnem doctrinam, quae eſt de ſtilo, exhauriunt, et non nulli alii, quos ſub cenſuram vocatos vide apud *Morhofium Polyh. Tom. I. Lib. 6. c. 1. 2. 3. 4. et Lib. 7. cap. 1.*

β. Speciatim Stilographis hujusmodi ſunt adgregandi, qui de Imitatione Ciceroniana recte et cum judicio inſtituenda præceperunt, ut: *Joachimus Camerarius*, *Michaël Dilherrus*, *Henricus Farneſius*, *Chriſtophorus Mylaeus*, *Julius Pogianus*, *Caſpar Sagittarius*, *Johannes Sambucus*, *Andreas Schottus*, *Johannes Sturmius*, *Nicolaus Suſius*, et complures alii.

b. *Secundani*, qui ὡς ἐν παρόδῳ, nec niſi ordine argumenti, quod pertractant, ſic exigente, hanc de ſtilo doctrinam attingunt, ut: *Guil. Mechovius* in *Hermathenes Tractatus 2. Cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18*; *Daniel Georgius Morhofius Polyh. Tomo I. Lib. 2. cap. 13. 14. 15 et 16*; *Johannes Michaël Weinrichius* in *faciliori Methodo humaniora tractandi, quinque prioribus capitibus.*

c. *Tertiani*, qui ea circa ſtilum docent, quae non usquequaque ſtare in foro litterario poſſunt, ut: *Bohuslaus Aloyſius Balbinus* in *Veriſimilibus humaniorum diſciplinarum*, paradoxologias fere vitium incurrens; *Tanaquillus Faber de futilitate Poëtices*; *Erasmus*, *Petrus Ramus*, et alii, qui Ciceronianis bilem moverunt, poſtquam, diverſo

diverſo quamvis ſinguli reſpectu id fecerint, non admodum præclare ſenſiſſent de proprietate et ſimplicitate dictionis Ciceronianae.

3. *Epanorthotici*, i. e. qui eos ſcribendi modos, quibus non nulli ſcriptores perperam inhaeſerunt, graviter inſectantur, et rectiora hoc in genere inculcant. Hi rurſus ad *geminam* vocari poſſunt *claſſem*.

a. *Priore claſſe* continentur ii, qui cum gravitate vitioſa dicendi genera reprehendunt, ut: *Albertus de Albertis* in *Theſauro Eloquentiae ſacrae*, et *Henricus Vavaſſor de ludicra dictione*, it. in *Oratione pro veteri dicendi genere contra novum*: qui duumviri, ille quidem Italos, hic autem Gallos ſuos, vehementer dehortantur a fatuo, quod temporibus iſtis invaluerat, per mera acumina ſententias cumulandi ſtudio; *Andreas Julius Dornmeierus* Diſſ. *de vitioſo Ciceronis imitatore*, ubi ſervile et ineptum Tullii imitandi ſtudium damnatur; *Scipio Gratidianus* in *Pica cum remedio*; *Joh. Chriſtianus Kochius* de *Satyra e re litteraria eliminanda*; *Joh. Georg. Kuntſchkius Quaeſtione: Quid de ſatyris ſentiendum? Henricus Stephani*, qui in *Oratione adverſus Folietam* et in *Pſeudo-Cicerone*, perſtringit litterariam illam ſuperſtitionem hominum, nihil, quod Ciceronianum non eſſet, approbantium; *Fridericus Taubmannus* in Diſſ. *de Latina lingua*, ubi ineptos Melanchthonis, Ciceronis, Lipſii imitatores, et eos, qui archaismis delectantur, caſtigat; *Jacobus Thomaſius* in Diſſ. *de Stili ethnicismo circa jurandi Adverbia fugiendo*; *Gothofredus Vockerodt* in Diſſertationis *de rectae et antiquae eloquentiae, maxime Latinae, ratione, corruptelis praecipuis et harum remediis Capitibus* 10. 11. 12. 13. in quibus Weiſianismum i. e. liberam latinitatem et novam dicendi rationem a Chriſtiano Weiſio, viro ceteroquin ſua laude haud defraudando, inculcatam, magna cum animi contentione oppugnat; *Samuel Werenfels* Diſſertatione *de Meteoris Orationis*, qua ſublimioris ſtili inepta affectatio juſtis ex rationibus damnatur.

b. *Poſteriore claſſe* continentur ii, qui vitioſos oratores per riſum et jocum exagitant, ut: *Auctor* Dialogi feſtivi *de Cicerone relegato et revocato, Vorſtianae latinitati ſelectae, at vulgo neglectae, ſubjuncti*, ubi præpoſtera Ciceronis imitatio perſtringitur; *Auctor* lepidae illius Satyrae, Gallice conſcriptae ſub tit. *Nouvelle Allegorique*, ou *Hiſtoire des dernieres troubles, arrivées au Royaume de l'Eloquence*, qua affectata iſta in dicendo feſtivitas, quae, ab Italis profecta, etiam apud Gallos tunc temporis, auctore *Clemente Marot* et

Paullo Scarron increbuerat, jocoſe admodum exagitatur; *Mariangelus Accurſius* Dialogo *de antiquato et obſoleto ſermone fugiendo*, ubi per μίμησιν riſui exponuntur omnium, qui dedita opera caſcum, vietum, inſolens et caducum dicendi genus ſequuntur, et, ubi occipiunt loqui, ad matrem Evandri illico confugiunt, et nil niſi alebria verba coaxant.

XV. POLEMICI,

Qui varias circa Latinam linguam controverſias agitarunt.

I. Vt nullum diſciplinae genus temere datur, ubi non ſubinde ejus cultores a ſe invicem diſſentiant; ſic mirum videri nemini debet, ſi quoque in tricis illis, quibus Latinae linguae ſtudium continetur, illuſtriores controverſiae aliquando fuerunt agitatae.

II. Verſantur autem hae controverſiae

1. Circa *Grammaticam:* et ſpeciatim quidem

a. Circa *Orthographiam.* Vbi notetur placida illa *Disquiſitio, qua Max. Rev. Heumannus Diſſertationem Fabricianam, qua non nemini de Orthographia Latina ſcrupuli eximuntur, ſub cenſuram vocat.* Acrior autem illa fuit controverſia, quae inter *Janum Camptonum*, ſcriptorem perſonatum, et *Jacobum Fridericum Reimmannum* de verbo *Collimare* ejusque rectiori ſcriptura exarſit.

b. Circa *Proſodiam.* Sic ſerram hujusmodi altercationis duxit *Olaus Borrichius* cum *Georgio Heinrico Vrſino de quantitate penultimae denominativorum in inus deſinentium*, et *verbalium*, *reſpectu Genitivi*, *in icis deſinentium.*

c. Circa *Etymologiam.* Huc pertinet concertatio illa amica inter *Olaum Borrichium* et *Chriſtophorum Cellarium*, ſed quae vehementiori animo continuata, et paullo acerbius contra eundem *Cellarium* agitata deinceps fuit ab *Andrea Borrichio*, reſpectu multorum vocabulorum et locutionum, quas *Cellarius* pro ſuſpectis vel barbaris haberet.

d. Circa *Syntaxin.* Ita quidem lis aliquando coorta eſt inter *Nicodemum Friſchlinum* et *Martinum Cruſium*, *de vulgaribus compluribus regulis Syntacticis*; inter *Johannem Rhenium* et *Eraſmum Schmidium*, *de falſitatibus in Grammatica arte Rhenio imputatis*; inter *Caſparem Scioppium* et *Juſtum Joſephum Scaligerum*, *de variis huic*

ab

ab illo exprobratis barbariſmis et ſoloeciſmis. Accedunt huc *Vallae* controverſiae cum *Poggio Florentino, quibus multa Latinae linguae interiora ventilantur.* Etiam admodum nuper inter ſe commiſſi ſunt *Johannes Conradus Schwarzius*, noſtras, occaſione Turſellini ab ipſo locupletati et paullo aliter ordinati, et *Jacobus Facciolatus*, Italus, *de quacumque vocularum ſocietate, quam ſingulae Particulae habeant, ex veteribus auctoribus non ita, ut Schwarzius fecerit, operoſe adſtruenda.* Item *Joh. Erh. Kappius* et *Sigiſm. Frid. Dreſigius* ab una, et *Chriſtianus Sigiſm. Georgius* ab altera parte de quaeſtione, an Latiniſmi in N. T. Graeco exſtent, nec ne? quod illi affirmant; hic negat.

2. Circa *uſum Latinae linguae* et praeſtantiam ſcriptorum veterum prae recentioribus. Huc pertinet controverſia illa illuſtris, quae in Italia magnos motus concitavit, inter *Paulum Benium, Franciſcum Alunnum, Arioſtum, Taſſum* alioſque, et inter *Muretum, Manutium, Romulum Amaſaeum* et *Hubertum Folietam, num Latina potius, an Etruſca lingua in libris, aetatem laturis, utendum ſit;* de qua pluribus infra Conſpectu ſpeciali ad *Amaſaeum* et *Folietam*. Ejusdem notae lis eſt, quam *Nicolaus Boileau, Anna Daceria*, aliique Galli, utriusque adſeclae, cum *Perralto* ejusque ſequacibus *de veterum auctorum praeſtantia prae recentioribus* agitarunt. Tandem *de ſtilo Ciceroniano* ab *Eraſmo*, paullo iniquius de ejus elegantia ac venuſtate ſentiente, et a *Scaligero, Camerario, Sturmio*, aliis, multa in utramque partem diſputata ſunt.

3. Circa *hiſtoriam Latinae linguae* occurrit certamen illud litterarium, quo paradoxam ſententiam *Polycarpi Lyſeri*, fictam medii aevi barbariem adſerentis, oppugnare hac aetate noſtra ſtuduerunt *Jacobus Fridericus Burkhardus* et *Johannes Fridericus Bertramus.*

4. Circa *Critica Latinae linguae.* Sic infeſtis ſignis concurrerunt *Philippus Pareus* et *Janus Gruterus ratione eorum, quae ille ad Plautum obſervarat ac digeſſerat in Analectis et Electis Plautinis.* Sic *Johannes Mabillon* ejusque hyperaſpiſtae *Fontaninus, Ruinartus* et *Petrus Couſtant* inſurrexerunt contra *Bartholomaeum Germonium*, alioſque hujus farinae eruditos, *qui ad labefactandam veterum diplomatum fidem ingenioſe argutantur.*

III. Dantur etiam controverſiae Philologicae de auctoritate Phaedri *Scriverium* inter et *Barthium*, de auctoritate Curtii *Moellerum* inter et *Omeiſium*, et complures aliae; quas quo minus hoc loco tangam, facit *Chriſtianus Falſterus*, qui in *Parte III. Cogitationum ſua-*

rum variarum Philologicarum, tamquam Irenicus, eas conſopire ſtudet, ne latius poſſint ſerpere. Laudo equidem hominem pacificum: at multum vereor, ne idem ipſi uſu veniat, quod ſolet iis, qui pacis conditiones ferunt, quae non usque quaque aequitatis fundamento nituntur, et neutri diſſidentium parti placere propterea magnopere poſſunt.

XVI. APOLOGETICI.

I. Quum inter eruditos ſaepenumero exſtiterint, qui, ſufficienti Latinae linguae notitia haud imbuti, eo proceſſerunt, ut vel ex rerum praeſtantiſſimarum imperitia non nulla in Latio perperam damnarent, vel callido quodam conſilio aut ſtudio praepoſtero mox veterum auctorum praeſtantiam diverſimode et ex diverſis ſcopis ſugillarent, mox omni latinitatis ſtudio, veluti inani otioſorum hominum oblectamento, conviciuin facerent; alii, qui rem curatius ponderarunt, horum intempeſtivam argutandi libidinem refrenando et idoneis rationibus eosdem retundendo, orbem eruditum ſibi valde devinxerunt.

II. Egerunt autem latinitatis noſtrae cauſam

1. *In genere Hermannus Buſchius*, qui in *vallo humanitatis* quaſi Apologeticum pro veteri loquendi ſcribendique norma ſcripſit, quod opponeret Monachis ſui temporis, inſulſum dicendi genus conſectantibus. Hac autem noſtra tempeſtate magnum hoc in genere apologetam egit Reverendiſſimus et Illuſtris *Moshemius* in Diſſertatione *de Latinae linguae cultura et neceſſitate*, quam *Huberti Folietae libris de L. L. uſu et praeſtantia* praemiſſam videmus; et in aurea illa *Praefatione*, quam *Lexico* meo *Antibarbaro* praefigi voluit, contra eos renovatores, qui enixius Latinae linguae ſtudium hac aetate noſtra ſpecioſe admodum contemnunt. Pertinet huc etiam *Joh. Oldewelt*, eos redarguens, qui L. Latinam vocabulorum inopiae accuſant, et L. Graecam fecundiorem eſſe opinantur.

2. *Defendendo Poeticen*: quod fecit *Fridericus Guilielmus Schütz* in *Exercitatione adverſus Tanaquilli Fabri librum de futilitate Poetices*; it. *Joh. Frid. Chriſtius* Orationibus tribus *pro patrimonio Poetarum, in quo paganitas quaedam fabularum ſtilique antiqua redolentis accuſatur*.

3. *Defendendo auctorum veterum praeſtantiam*

a. *In*

a. *In genere:* quod fecit omnium optime noſtras, vir quondam omni laude dignus, ſed omni major, *Guilielmus Mechovius* in ſua *Antiphila* contra *Drechslerum*, et in *Hermathenes Tractatu* 2. *cap.* 6. contra *Ernſtium;* deinde juxta Mechovium, diſſimili quamvis ſcopo, *Antonius Blackwallus* in Commentatione *de praeſtantia claſſicorum auctorum*, et *Georgius Henricus Ayrerus* in Diſſertatione *de comparatione eruditionis antiquae et recentioris;* item *Anna Daceria, Tanaquilli Fabri* filia doctiſſima, Franciae et ſexus ſui non mediocre decus, ſtrenue contra *Perraltum* nitens, et alios, qui veteri Latio laudem elegantioris dictionis dubiam reddere concupiverunt; item *Maturinus Veiſſerius la Croze* contra *Harduinum*, veterum auctorum fidem vellicantem; tandem etiam *Franciſcus Vavaſſor libr. de Epigr. p.* 163, ubi contra *Robertum Conſtantinum* verba facit, Budaei epiſtolas ad lectionem et imitationem ſtudioſae juventuti commendantem, et contra *Juſtum Lipſium,* qui in epiſtolarum eleganter ac venuſte contexendarum ſtudio Angelum Politianum ad imitationem trahi jubet, eumque Ciceroni ac Plinio, tamquam ſocium, adjungit.

b. *In ſpecie*, ad unum atque alterum doctae Romanorum antiquitatis ſcriptorem divertentes, ut eum a non nullorum iniquioribus cenſuris vindicent. Sic *Johannes Fridericus Chriſtius* in *Vindiciis ſecundum libertatem pro Maronis Aeneide* monſtroſam *Harduini* ſententiam, qua Virgilii Aeneis pro opere ſuppoſiticio habetur, accurate confutat. *Franciſcus Julius Conradi* in *Julio Paullo ab injuriis Criticorum vindicato* hujusmodi apologetis itidem accedit. Porro his accenſendi ſunt *Petrus Couſtant*, qui Auguſtini et Hilarii Codices MSS. ab intentata a *Bartholomaeo Germonio* corruptione vindicat in *Vindiciis MSS. Codicum* et in *vindiciis veterum codicum confirmatis; Stephanus Doletus*, qui in *Praefatione Commentariorum Latinae linguae* et in *ipſomet Commentariorum corpore*, it. in *Dialogo de Imitatione Ciceroniana pro Longolio contra Eraſmum*, Ciceronem ejusque imitandi ſtudium paullo accuratius defenſitare conatur; *Carolus Andreas Dukerus*, qui in *Opuſculis de latinitate veterum JCtorum*, horum defenſionem in ſe ſuſcipit, quamvis et cenſuram in eosdem etiam ſuam paſſim exerceat; *Chriſtianus Henricus Ekhardus* in *Vindiciis optimorum latinitatis auctorum adverſus iniquum cenſorem C. Aſinium Pollionem; Benedictus Florettus* in *Apologia pro M. Accio Plauto, oppoſita ſcaevo judicio Horatiano et Heinſiano*, ſubjuncta *Joh. Phil. Parei Commentario de Particulis L. L.; Johannes Nicolaus Funccius* contra *Chriſtium*, et *Caſpar Barthius* contra *Scriverium pro*

Phaedro

Phaedro ejusque fabulis apologiam ſcribentes; Daniel Georgius Morhofius in libro *de Patavinitate Liviana*, qua auctorum veterum, Livii praeſertim, dictionem ab acerbis Aſinii Pollionis, Juſti Lipſii, aliorumque cenſuris vindicat; *Juſtus Lipſius* in Oratione *pro defendendo Cicerone a criminibus ei injectis; Marcus Antonius Muretus, Andreae Alciato*, Tacitum aſperius perſtringenti, os obturare ſtudens; *Jacobus Perizonius* in *Curtio vindicato a variis accuſationibus et immodica atque acerba nimis criſi Johannis Clerici; Jacobus Pontanus* in Diſſertatione, *qua Ciceronis eloquentiam contra novatores non nullos, Eraſmum, Politianum et Belgam quemdam anonymum defendit; Franciſcus Floridus Sabinus* in *Apologia pro M. Accio Plauto aliisque Poetis adverſus L. L. obtrectatores; Julius Caeſar Scaliger* in Oratione *pro Cicerone contra Ciceronianum Eraſmi Roterodami*, it. in *Orationibus duabus, Eloquentiae Romanae vindicibus, adverſus Deſ. Eraſmum; Andreas Schottus* in *Cicerone a calumniis vindicato; Hadrianus Turnebus*, qui Lucanum faſtidientes *certis quibusdam locis Adverſariorum ſuorum* perſtringit ac caſtigat; *Gerhardus Joh. Voſſius*, et multo magis *Bernardinus Parthenius, Spilinbergius*, qui *adverſus Jul. Caeſ. Scaligeri criminationes Horatii exiſtimationem* egregie vindicant: *ille* quidem *de Poetis Latinis p. 29; hic* in *Commentario ſuo Horatiano, Venetiis 1584. 4. impreſſo*, libro infrequenti, utpote quem non niſi ſemel Morhofio videre contigit.

4. *Defendendo certas quasdam gentes et ſcriptores recentiores ab imputato crimine laeſae latinitatis*, ut: *Chriſtianus Arslebus* in *Cimbria Romae reconciliata* ſ. *Gothis L. L. fautoribus*, ubi pro Gothis apologetam agit, oſtendens, eos minime gentium Latinam linguam corrupiſſe, ſed potius ejusdem puritati conſervandae invigilaſſe; *Chriſtianus Becmannus* in *Apologetico pro Schediaſmate ſuo contra Antiſchediaſma; Olaus Borrichius* in *Defenſione Voſſii et Stradae adverſus Scioppium, Cogitationibus ejus de variis L. L. aetatibus* ſubjuncta; *Andreas Borrichius*, in *Appendice* ſua Olai cauſam contra Cellarii Curas poſteriores in ſe defendendam ſuſcipiens; *Joachimus Camerarius*, Ciceronianos, et Sannazarium nominatim ac ſigillatim, contra Eraſmum, in *Commentariis in Ciceronis Tuſculanas Quaeſtiones*, defendens; *Chriſtophorus Cellarius*, ſuam ipſius agens cauſam in *Diſcuſſione Appendicis Danicae*, contra obtrectatorem ſuum, Andr. Borrichium; *Albericus Gentilis* in Diſſertatione *de latinitate veteris Bibliorum verſionis male accuſata; Auguſtinus Maria de Monte, Savonenſis*, in Commentatione *de quibusdam Sacrae ſcripturae locutionibus, quae*

impe-

imperitis et indoctis parum Latinae videntur; Joh. Philippus Slevogtius in *Epiſtola ad Johannem Fabricium, Octavii Ferrarii de Pantomimis et Mimis Diſſertationi ſubjuncta,* hujus, nempe Ferrarii latinitatem contra cenſorem quemdam, virum alioqui doctiſſimum, deque re litteraria optime meritum, maſcule graviterque defendens.

5. *Vindicando voces et locutiones immerito ſuſpectas.* Quod quidem uterque *Borrichius* ac *Cellarius* in certis quibusdam capitibus librorum pro ſtabilienda linguae latinae puritate ab ipſis emiſſorum; *Henricus* autem *Stephani* et *Johannes Vorſtius* ſingularibus praeſtiterunt libris.

XVII. CRITICI.

I. Quum inſignis prorſus Criticae artis uſus ſit in dignoſcendis ac dijudicandis cujus cumque generis ſcriptoribus, inque eorum locis ſub obſcuris et male affectis vel illuſtrandis vel caſtigandis; judicatu admodum proclive fuerit, quantum ea momenti huc usque attulerit ad Latinae linguae caſtitatem ubique ſatis vel tuendam, vel a futuris corruptelis in poſterum muniendam.

II. Conſiderabimus heic

1. Scriptores illos, qui *de uſu* et *amplitudine* et *adminiculis artis Criticae ſcripſerunt*, ut: *Johannes Wowerius, Philippus Jacobus Mauſſacus, Henricus Stephani*, et *Daniel Heinſius*, quorum libros ac diatribas huc ſpectantes *Morhoſius Polyh. Tom. 1. lib. 5. cap. 1. §. 2.* in orcheſtram producit. Quibus addatur *Johannis Weitzii Epiſtola* et *Joh. Mich. Dilherri brevis Commentatio* de hac ipſa arte, inſerta *Apparatui Philologiae Dilherriano.*

2. Scriptores illos, *qui hanc artem ad certas regulas et ad certa capita redegerunt;* et quidem

a. Ad ea capita, quae non dum omnem Critices fundum emetiri videntur, ut: *Franciſcus Robortellus* in *Theſauro Critico; Caſpar Scioppius* et *Juſtus Joſephus Scaliger de Arte Critica;* item *Guilielmus Canterus de ratione emendandi Graecos auctores;* quod ejus Syntagma etſi huc proprie non ſpectat, quum Latini Sermonis accurationi nihil ſubſerviat, tamen obiter ſaltem et pro re nata hoc loco inſerendum putavimus.

b. Ad ea capita, quae etſi quibusdam redundare videntur, omnem tamen artem hanc ſatis videntur exhaurire; ut: *Johannes Cleri-*

Clericus in *Arte Critica*, et *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus* in *Commentatione de arte eadem.*

3. Scriptores illos, qui *de abuſu Critices egerunt*

a. *Ex inſtituto*; ut: *Joh. Laur. Moshemius* in peculiari quadam *Commentatione*, it. in Oratione *de eo, quod nimium eſt in ſtudiis linguarum et Critices*; *Andreas Guarna* in *Bello Grammatico Nominis et Verbi Regum de obtinendo in oratione principatu*: ſub hoc enim proelii vel certaminis ſchemate auctor ineptos Criticos, qui in rebus leviſſimi momenti magnas tragoedias excitant, feſtive admodum inſectatur et exagitat; *Alethophilus Sincerus* Schediaſmate *de Scarabaeo Critico et Hypercritico* ſimiliter abſurdos Criticos ſale, quo indigent, perfricans; *Joh. Georgius Walchius* in Commentatione *de nugis et bellis Grammaticorum* et Sermone de *Scepticiſmo Critico* itidem id agens, ne quid in poſterum a Criticis operoſius inculcetur, quod tanto labore minus videatur dignum eſſe.

b. *Pro re nata*; ut: *Georgius Paſchius de Inventis nov-antiquis cap. 2. §. 21*; *Seneca Ep. 88*; *Juſtus Lipſius* in *Menippaea Satyra*; *Johannes Barclajus* in *Euphormione Parte 1. p. 95*; *Gabriel Naudaeus* Syntagmate *de Studio liberali cap. 19*; *Rolandus Mureſius Lib. 1. ep. 46*; *Mathanaſius*, perſonatus ſcriptor, dans *ſon Chef d'oevre d'un inconnu*, paſſim; *Michael Lilienthalius* in *Machiavelliſmo litterario p. 110. §. 118*; *Joh. Burkhardus Menkenius de Charlataneria eruditorum p. m. 120. ſeq. Baco Verulamius Lib. 6. de Augmentis ſcient. c. 4*; *Philippus Priorius* in *Praef. ad Optatum Milevitanum*, ſaeculi 4. ſcriptorem Afrum, ab ſe Pariſ. 1679. fol. editum.

4. Scriptores illos, *qui ipſam hanc artem exercuerunt* in caſtigandis, emendandis, reſtituendis et illuſtrandis optimorum auctorum locis. Nolim tamen heic recenſere, quos infra Conſpectu Speciali recenſere nolim, nempe eos, qui doctas animadverſiones ſuas ipſis auctoribus adjunxere, eo quod recenſitos habemus eos cum apud *Morhofium Tomo I. lib. 4. cap. 11*, tum apud *Joh. Alb. Fabricium in Bibliotheca ejus Latina*; ſed eorum tantum inibimus numerum, qui ſuas *Divinationes*, *Adverſaria*, *Conjectanea*, *Miſcellanea*, *Racemationes*, *Praecidanea*, *Veriſimilia*, *Suſpicationes*, *Lectiones*, *Caſtigationes*, *Pericula*, *Fortuita*, *Promulſides*, *Parerga*, id eſt, vagi argumenti libros conſcripſerunt, nec in unum aliquem auctorem, ſed modo in hunc, modo in illum aliquid commentati ſunt. Atque hujusmodi Critici

a. Vel

a. Vel propter vaſtos ab ſe conſcriptos Commentarios aut reconditae eruditionis congeſtos theſauros in Apollinis caſtris ex cohorte praetoria ſunt et in Muſarum regno primi antiſtites; ut: *Caſpar Barthius*, *Joachimus Camerarius* in Commentariis Explicationum in M. T. Ciceronis Tuſculanas Quaeſtiones, *Latinus Latinius*, *Juſtus Lipſius*, *Thomas Reineſius*, *Ludovicus Coelius Rhodiginus*, *Janus Rutgerſius*, *Claudius Salmaſius*, *Hadrianus Turnebus*, *Petrus Victorius*, *Fulvius Urſinus*.

b. Vel non nimis magnae molis hoc in genere emiſerunt libros; ut: *Benedictus Averanius*, *Antonius Auguſtinus*, *Matthias Berneggerus*, *Fridericus Beſſelius*, *Antonius Borrtmanſius*, *Johannes Brodaeus*, *Theodorus* et *Wilhelmus Canterus*, *Philippus Caroli*, *Ludovicus Carrio*, *Jacobus Durantius Caſellius*, *Joſephus Caſtalio*, *Paulus Colomeſius*, *Vincentius Contareaius*, *Sebaſtianus Corradus*, *Jacobus Cujacius*, *Gisbertus Cuperus*, *Chriſtianus Daumius*, *Joh. Michael Dilherrus*, *Marcellus Donatus*, *Joh. Auguſtus Erneſti*, *Henricus Ernſtius*, *Franciſcus Fabricius*, *Georgius Fabricius*, *Joh. Freinshemius*, *Janus Gebhardi*, *Caſpar Gevartius*, *Jacobus Gothofredus*, *Joh. Fridericus Gronovius*, *Johannes Hagmeierus*, *Nic. Heinſius*, *Deſiderius Heraldus*, *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus*, *Caſpar Hofmann*, *Hadrianus Junius*, *Franciſcus Theodorus Kohlius*, *Paullus Leopardus*, *Hieronymus Magius*, *Marcus Antonius Majoragius*, *Paulius Manutius*, *Bernhardus Martini*, *Johannes Marius Mattius*, *Hieronymus Mercurialis*, *Johannes Meurſius*, *M. Antonius Muretus*, *Johannes Nicolai*, *Petrus d'Orville*, *Guido Pancirollus*, *Johannes Paſſeratius*, *Petrus* et *Samuel Petitus*, *Michael Piccartus*, *Jacobus Perizonius*, *Petrus Pithoeus*, *Angelus Politianus*, *Guilielmus Ranchinus*, *Gottfriedus Richter*, *Johannes Rivius*, *Joh. Reinhardus Robbigius*, *Franciſcus Robortellus*, *Johannes Schefferus*, *Andreas Schottus*, *Chriſtianus Gottlieb Schwarzius*, *Carolus Sigonius*, *Henricus Stephani*, *Euſtathius Swartius*, *Jacobus Tollius*, *Henricus Valeſius*, *Ludovicus Caſparus Valkenaer*, *Iſaacus Voſſius*, *Juſtus Zinzerlingius*.

c. Vel diverſa complurium Criticorum opuſcula in unum corpus collegerunt: id, quod fecit *Janus Gruterus* in ſua *Lampade*, et *Johannes Hermannus Schminkius* in ſuo *Syntagmate Critico*, et *Henricus Stephani* in *libris Schediaſmatum variorum*.

5. Apparet etiam inter Criticos *Heroſtratus quidam*, qui quum recte factis nequeat, per inſanum facinus famam captare adnititur, nempe

nempe *Claudius Verdierius*, qui in *Cenſionibus* ſuis, ut ſapere videatur, coelum ipſum vituperat.

XVIII. PARADOXOLOGI.

In foro Latinae linguae litterario tres, quod ſciam, viri exſtitere doctiſſimi, qui ea publice inculcarunt, quae valde abhorrent a communi omnium aliorum eruditorum ſententia, et ſubinde etiam ab univerſo prudentiorum judicio: nempe *Harduinus*, *Balbinus* et *Schoppius*: *hic* in *Paradoxis* ſuis litterariis; *iſte* in *Veriſimilibus humaniorum diſciplinarum*; *ille* paſſim in ſuis *Operibus*, praeſertim in *Hiſtoria Auguſta ex nummis antiquis Graecis Latinisque reſtituta*, itemque in *Pſeudo-Virgilio* et *Pſeudo-Horatio*. *Harduinus* periculoſe; *Balbinus* horride; *Schoppius* eleganter ſapit: cuncti autem tres ſagaciter et docte. *Harduinus* hiſtoriam latinitatis reddere dubiam conatur: *Balbinus* ejusmodi judicium de varia et multiplici ſtili forma adfert, quod valde inſolens eſt, et ſe tueri aegre poſſit: *Schoppius* in arte Grammatica ingenioſe argutus eſſe cupit, nec mediocri voluptate legentium animos demulcet.

XIX. PALAEOGRAPHI.

I. Inſignem latinitati lucem accendunt, qui antiquitates Romanas eruderare conati ſunt.

II. *Triplex* horum conſtituimus *genus*.

1. *Primum* quidem eorum eſt, qui generatim agunt, prout ſe res dant, de variis antiquitatibus veterumque caerimoniis et inſtitutis, ſive id ſub *Polymathiae*, ſive ſub *Electorum* aliove titulo factum ſit. Horum autem nullum in hac Bibliotheca noſtra coegimus cenſum: ſed remittimus lectorem ad *Morhofii Polyh. Tom. I. Lib. 1. cap. 21.* quod agit *de locorum communium ſcriptoribus*, cui hujusmodi auctores, de quibus hoc loco ſermo nobis eſt, inferciuntur. Quibus accenſeri merito poſſunt *Alexandri ab Alexandro Dies Geniales*, praeſertim cum *Andreae Tiraquelli* et *Chriſt. Coleri Commentariis* Francofurti 1594 editi, et deinceps apud Batavos Lugd. Bat. 1673. 8. recuſi.

2. *Alterum genus* eos complectitur ſcriptores, qui generatim quidem, ſed ex inſtituto tamen, antiquitates Romanas ſunt complexi: quos vide infra Conſpectu Speciali ad *Roſinum*.

3. *Ter-*

3. *Tertio genere* continentur ii, qui ad certas Romanarum Antiquitatum ſpecies deſcendunt: quos inter ponendi primo loco ſunt Auctores, qui de urbe Roma, ejus amplitudine, aedificiis et aliis notatu dignis ſcripſerunt. Atque heic nobis ſe offerunt *Juſti Lipſii Admiranda urbis Romae*, et *Joh. Jac. Boiſſardi Antiquitates urbis Romae:* quamvis jam ante hos duumviros et in Italia fuere, qui viam huic operi ſtraverunt, quos longo ordine recenſet *Morhofius Polyh. T. I. l. 5. c. 2. §. 5.*

4. *Sequuntur tandem*, et omne hoc ſcriptorum agmen claudunt, qui ſcripſerunt particulatim 1. *de familiis Romanorum.* 2. de *nominibus Romanorum.* 3. de *ludis ſaecularibus.* 4. de *victu et vita.* 5. de *officialibus Romanorum ſub Imperatoribus.* 6. de *ſacris, ſacrificiis et ſacerdotibus.* 7. de *templis.* 8. de *Faſtis.* 9. de *annis, menſibus, diebus et horis*, ſpeciatim de *anno ſaeculari ſ. Jubilaeo*, it. de *die natali.* 10. de *magiſtratibus, comitiis, legibus, judiciis.* 11. de *nuptiis earumque ritibus.* 12. de *ritibus funerum.* 13. de *veſtitu, ſigillatim de larvis, pileo, capillamentis, coma, paenula, toga, annulis, torquibus, armillis.* 14. de *militia pedeſtri et navali.* 15. de *donariis et ſtrenis.* 16. de *conviviis.* 17. de *ludis, arte Gymnaſtica et ſaltationibus.* 18. de *inſtrumentis et ſupellectile varia.* 19. de *campanis et tintinnabulis.* 20. de *curribus et re vehiculari.* 21. de *ſuppliciis et torturis*, it. de *cruce.* 22. de *ſtatuis et ſtatuariis*, it. *picturis.* 23. de *acclamationibus et plauſu.* 24. de *triumphis.* 25. de *archivis.* 26. de *jurejurando.* 27. de *origine, ratione ac ſollemnibus auctionum.* Hos *Morhofius l. c.* et *Fabricius* in *Bibliographia antiquaria* itidem cum cura ac ſingulari diligentia recenſet.

XX. METHODICI,

ſive

Scriptores, qui viam quandam compendiariam docendae ac diſcendae linguae Latinae oſtenderunt.

I. Quot capita, tot ſenſus dicuntur eſſe veteri proverbio. Sed ea tamen veri rectique eſt ſpecies, ut apud eos, quorum oculi imbecilliores ad alienam lippitudinem haud ſuffunduntur, unum idemque judicium circa id, quod rectum eſt, videatur: numquam ſaltem ſibi contradicunt, aut contradicere cupiunt, qui veritatem amant, eo quod in ipſa re ſemper conveniunt, et ad ſcopum eumdem tendunt

D univer-

univerſi. Exemplo poſſunt eſſe ſcriptores, qui latinitatis cum fructu vel docendae vel diſcendae rationem unquam oſtenderunt: qui etſi non eadem ſemper adminicula ſuggerant; recte tamen ſcopum figunt omnes, ac proinde eas, quamvis ſubinde diverſas, vias ineunt et ineundas ſuadent, quae eo, quo contendendum eſt, felici eventu ducunt. Oppido paucos intelligas eſſe, quos recto de rebus judicio deſtitutos ſua ipſorum ſententia de omni viae hujus ineundae ratione ad eas ambages ac diverticula, quae ſcopo ipſorum perperam poſito propiora videntur eſſe, infeliciter abſtraxit.

II. Ad *duas* autem *claſſes* hujusmodi ſcriptores in genere vocari queunt. Sunt enim

1, Vel *Theoretici*, id eſt, qui rectam diſcendae ac docendae Latinae linguae viam aliis commonſtrant: qui quidem iterum diſpeſci commode poſſunt in *quattuor ordines*.

a. *Primi ordinis* ſunt, qui magno cum judicio et magna cum auctoritate, verboſius et ex inſtituto ſapienter hoc in genere praeceperunt; ut: *Johannes Caſelius de ludo litterario recte aperiendo*, it. in *Rhetore ſ. Magiſtro dicendi*, it. in *lucubratiuncula illa, quae* Νέος *καὶ προσδιδάσκαλος inſcribitur*, it. in *Praefatione ad L. L. ſtudioſos adoleſcentes*, Manutii Phraſibus *praefixa*, it. in *Epiſtola, quemadmodum praeceptor pueros artem Grammaticam rectiſſime doceat*, ſubjuncta ejus *Libello Grammatico*, it. in *Praefatione Grammaticae Latinae* Helmſtadii 1610 editae, *ad Grammatodidaſcolos*, it. in *libro de Pronuntiatione Latini ſermonis*, it. in *Cohortatione ad Latinum ſermonem accuratius diſcendum*, Turnebi libello de vino *praemiſſa*; *Tanaquillus Faber* dans ſa *Methode pour commencer les humanités Grecques et Latines*, it. in ſua *Epiſtola* ad *Claudium Sarravium de ratione ſtudiorum, qualis in ſcholas et facile et magna cum juventutis utilitate introduci poſſit*; *Johannes Nicolaus Funccius de lectione auctorum claſſicorum ad comparandam Latinae linguae facultatem, et de litterarum ſtudio earumdemque tradendarum certa ratione*; *Dan. Georg. Morhofius de legendis, imitandis et excerpendis auctoribus*; *Joh. Ludov. Praſchius* in *Roſeto* et in *Organo*; *Wolfgangus Ratichius* in *Didactica*; *Joh. Rivius* de *ratione docendi*; *Henr. Jul. Scheurlius* in *Statua Mercurii*; *Paſchaſius Groſippus* i. e. Caſpar Schoppius in *Mercurio bilingui*; *Antonius Schorus de ratione diſcendae docendaeque linguae Latinae et Graecae*; *Johannes Sturmius* in *Inſtitutionibus litteratis*, it. *de amiſſa dicendi ratione, et quomodo ea recuperanda ſit*, it. in *linguae Latinae reſolvendae ratione*; *Val. Erm. Voglerus de naturali in bonarum doctrina-*

Virinarum ſtudia propenſione, delectu ingeniorum, ſtudiorum hodiernis corruptelis, earumque cauſis; Johannes Georgius Walchius in *Hiſtoria Critica L. L.*

b. *Secundi ordinis* ſunt, qui paria quidem, vel non multum ſaltem abludentia conſilia ſuppeditarunt, ſed paullo conciſius et brevioribus verbis, utplurimum etiam minori cum auctoritate; ut: *Regius Bavarus Praefatione de ratione imitandi optimos Latinae linguae ſcriptores; Chriſtianus Becmannus* in *Manuductione ad Latinam linguam; Joh. Georg. Birndümpfel de vera ratione legendi rerum artiumque ſcriptores; Henr. Chriſt. Engelhardus in Pharo cultioris Latii recens exſtructa; Sigismundus Evenius* Oratione *de ſcriptis ethnicorum, an et quatenus in ſcholis Chriſtianorum ſint proponenda et toleranda; Jacobus Facciolatus* in *Oratione, qua oſtenditur, Latinam linguam non eſſe ex Grammaticorum libris comparandam; Laurentius Laſius* in *Quinquefolio linguarum*, i. e. in dem Verſuch, wie Hebräiſch, Griechiſch, Lateiniſch, Franzöſiſch und Italieniſch auf eine kurze und leichte Art gefaſſet werden könne; *Johannes Chriſtophorus Otto de Latini ſermonis uſu maturius exercendo; Nicolaus Plahn de jaciendis in latinitate fundamentis; Julius Pogianus de Ciceronis imitandi modo; Arnoldus Redeckerus* in *Statua Mercuriali; Johannes Reiskius de erroribus diſcentium tractantiumque Latina; Caſpar Schoppius de ſcholarum et ſtudiorum ratione; Antonius Schorus* in Epiſtola *de compendioſa Latinae linguae cognoſcendae ratione; Joh. Michael Weinrichius* in *ſeiner erleichterten Methode die Humaniora mit Nutzen zu treiben.*

c. *Tertii ordinis* ſunt, qui hujusmodi conſilia veluti in transcurſu vel pro re nata in libellis ſuis, quibus generatim optimae ſtudiorum methodi praeſcribuntur, expediverunt. Atque huc pertinet *Sylloge ſcriptorum hujusmodi a Thoma Crenio in unum corpus compactorum*, et ii inſuper, quos infra ad hanc Crenii Syllogen, nominetenus ſaltem, in ſcenam produximus: quibus tamen praeterea heic addendos eſſe exiſtimamus, quos ſpeciatim ſuis locis in Conſpectu Speciali recenſuimus, nempe *Sigismundum Jacobum Apinum* in *variis diſcendi methodis; Caſparem Barthium* in *Commentatione de L. L.; Baſilium M.* Oratione *de utilitate ſcriptorum ethnicorum πρὸς νέους; Chriſtophorum Cellarium* Diſſert. *de ſtudiis Romanorum litterariis in urbe et provinciis; Joh. Michaelem Dilherrum* in Diſſert. *de Philologia*, in *Commendatione Ciceronis et ipſius lectionis*, in *Dialogis Philologicis; Caſparem Dornavium* in *Ulyſſe Scholaſtico; Tanaquillum Fabrum de ratione ſtudiorum, qualis in ſcholas introduci poſſit,*

Joh. Jenſii purae et impurae latinitatis Collectaneis *ſubjunctum; Jacobum Facciolatum* in *Orationibus de optimis ſtudiis; Joh. Thomam Freigium* in *Paedagogo; Joh. Matthiam Geſnerum* in *Inſtitutionibus rei ſcholaſticae; Auguſtinum Griſchovium Introductione in Philologiam Generali; Thomam Horne* in *Manuductione in aedem Palladis; Joh. Hübnerum* de *duabus Scholarum peſtibus, Paedantiſmo et Galantiſmo; Guil. Mechovium Hermathenes Tractatu 2. cap. 6 — 8; Dan. Georg. Morhofium Polyh. T. I. l. 2. capp. 9, 10, 12, 13, 14, 15, 16. et l. 3. capp. 2 — 11; Chriſt. Pomarium* in *Conſiliario Scholaſtico; Gothofr. Prenzlovium de ratione informandi; Johannem Stigelium* Oratione *de informatione ſtudii puerilis ad eruditionem; Johannem Chriſtophorum Storkau* in *Excerpendi Methodo; Fridericum Wackerum* in *Speculo Scholaſtico; Johannem Chriſtophorum Wagenſeilium von Erziehung eines jungen Prinzens.*

d. *Quarti ordinis* ſunt, quorum methodi non magnopere probantur; ut: *Johannes Joachimus Becherus* in *Novo Organo Philologico pro verborum copia adquirenda*, et in *Methodo didactica; Michael Havemannus* in *Methodo diu multumque hactenus deſiderata; Johannes Petrus Titius* in *Diſſertatione de quibusdam adminiculis Latinae linguae, praecipue Comenianis.*

2. Vel *Practici*, i. e. qui certam aliquam diſcendae ac docendae Latinae linguae viam, editis huic fini certis quibusdam libellis, praeeunt. *Triplex* eorum *genus* eſt. Sunt

a. Vel *valde probati;* ut: *Guilielmus Battius* in *Janua linguarum; Joachimus Camerarius* in *Fabulis Aeſopicis; Sebaſtianus Caſtellio* in *Dialogis ſacris; Maturinus Corderius* in *Colloquiis; Eraſmus* in *Colloquiis*, it. *de verborum et rerum copia; Jacobus Pontanus* in *Progymnaſmatibus; Caſpar Schoppius* in *Mercurio bilingui; Simon Verepaeus* in *L. L. Progymnaſmatibus*, it. in *Praeceptionibus de verborum et rerum copia; Joh. Ludovicus Vives* in *Colloquiis*, it. *Introductione ad veram ſapientiam.*

b. Vel *mediocris notae*, et propterea haud ſpernendi; ut: *Auctor Scholae Latinitatis; Auctor der Vortheile zur lateiniſchen Sprache; Samuel Groſſerus* in *Manuductione ad comparandam L. L. facultatem; Theod. a Gulpen* in ſua *Manuductione*, it. *Methodica Inſtitutione; Chriſt.-Helvicus* in *Colloquiis; Joh. Fridericus Hodanus* in *Adminiculis Sapientiae et Eloquentiae* ſ. *Arte methodice excerpendi; Joh. Chriſtoph. Loſius* in *Apparatu ſtili liberioris; Fridericus Muzelius* in *Clave Veſtibuli Marchici ac totius latinitatis*, it. *Introductione*

in

in linguam Latinam; Johannes Raviſius Textor in *Dialogis; Andreas Reyherus* in *Faſciculo Chriſtianorum Dialogorum; Fridericus Rombergius* in *Exercitationibus Syntacticis; Adamus Siberus* in *Dialogis puerilibus; Georg. Vechnerus* in *Veſtibulo Germ. Lat.*

c. Vel *ultimae* tandem *ſortis*, quorum libelli paedagogici partim graviori eruditiorum cenſura notantur, partim praeſtare id nequeunt, quod debent; ut: *Johannes Amoſus Comenius* in *variis* ſuis *L. L. addiſcendae adminiculis; Iſaacus Habrechtus* in *Janua linguarum; Jul. Hardovicus Reichius* in *Ductore et Rectore; Alexander Roſaeus* in *Virgilio Chriſtiano; Thomas Sagittarius* in *Horatio Chriſtiano; Cornelius Schonaeus* in *Terentio Chriſtiano; Caſpar Seidelius* in *Portula; Joh. Georg. Seyboldus* in *Officina; Stephanus Johannes Stephanius* in *Colloquiis; Ezechiel Vogelius* in *Ephemeridibus; Johannes Henricus Urſinus* in *Acerra Philologica.*

XXI. MISCELLANEI,

ſive

Scriptores, qui varii generis obſervationes circa latinitatem in unum corpus compegerunt, vel talia in lucem ediderunt meletemata, quae L. L. notitiam utcumque ornent.

Atque horum quidem ſunt

1. *Primani*, ut: *Franciſcus Fabricius* in *Hiſtoria Ciceronis; Joh. Ludov. Fabricius* in *Opuſculis variis; Johannes Pincierius* in *Parergis Otii Marpurgenſis Philologicis; Scaliger uterque* in *Scaligeranis; Juſtus Joſephus Scaliger* in *Opuſculis variis; Georgius Henricus Urſinus* in *Obſervationibus Philologicis.*

2. *Secundani*, ut: *Chriſtianus Becmannus* in *Schediasmate Philologico; Johannes Brantius* in *Elogiis Ciceronianis Romanorum domi militiaeque illuſtrium; Andreas Corvinus* in *Dubiis Philologicis; Thomas Crenius* in *Animadverſionibus, Analectis et Commentationibus; Chriſtianus Falſterus* in *Cogitationibus variis Philologicis*, it. in *Noctibus Ripenſibus; Georgius Ludovicus Frobenius* in *Penu Tulliano; Claudius Fock* in *Spicilegio Philologico* ſ. *Lexico curioſo; Antonius Poſſevinus* in *Cicerone collato cum ethnicis et ſacris ſcriptoribus; Johannes Schulzius* in *Florum Sparſione ad loca quaedam in re litteraria controverſa; Simon Vallambertus* in *M. T. Ciceronis filii vita.*

3. *Tertiani*, ut: *Johannes Thomas Freigius* in *Notis ad Colloquia Ludovici Vivis; Johannes Jenſius* in *Ferculo litterario; Georgius*

 Caſparus

Caſparus Kirchmaierus in *Poſitionibus Philologicis*; *Reinerus Neuhuſius* in *Examine*, *Manuali* et *Florilegio Philologico*.

4. *Quartani*, qui diverſi generis *Diatribas*, *Orationes*, *Proluſiones*, *Programmata*, *Commentationes* et id genus alia huc ſpectantia ediderunt: quae etſi ceteroquin haud in numerum magnopere venire poſſunt, quum talia ſcripta aetatem ferre nec ſoleant, nec ex ipſo auctorum ſcopo debeant; tamen propter horum famam et dictionis leporem et ingenii ac judicii praeſtantiam haud prorſus negligenda videantur eſſe; ut: *Juſti Chriſtophori Boehmeri* et *Petri Burmanni Proluſiones* et *Orationes* et *Commentationes*; *Johannis Clerici* Commentatio *de cauſis pereuntium litterarum elegantiorum*; *Jacobi Perizonii Orationes*, cet.

XXII. MICROLOGI,

ſive

Scriptores, qui in unico ſaepe vocabulo enucleando, vel in aliis hujusmodi minutiis, quae ad latinitatem ſpectant, eam poſuerunt operam, quae integro libello facile conſtet.

1. Micrologi circa *latinitatem in genere*; ut: *Martinus Bork* in *Diſſertatione*, *qua evincitur*, *aliqua Latine dici*, *negari difficilius*, *quam affirmari*; *Joh. Andr. Fabricius* de *Latini ſermonis vitiis culpae ſcribentium non adſignandis*; *Jacobus Facciolatus* in *Oratione*, *quod Latina lingua non ſit ex Grammaticorum libris comparanda*; *Georgius Fridericus Faulmüllerus* in *Prodromo Lexici Curtiani*, it. *im kurzen Entwurf von einer lateiniſchen ſogenannten Curtianiſchen Proſan-Concordanz*; *Joh. Adamus Fleſſa* de *cadente Latinitate Orthodoxiae noxia*; *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus* in *Epiſtola Critica de Onomatopoeïa* ſive *jure L. L. augendi novis vocabulis*, it. *de Latinitate plebeia aevi Ciceroniani*; *Ferd. Car. Hommel obſervationum Grammaticarum jus Civile illuſtrantium ſpecimen*; *Daniel Fridericus Janus de nimio latinitatis ſtudio*; *Johannes Kortholtus de latinitate pura*; *Jacobus Fridericus Ludovici de Grammatica mala*; *Polycarpus Leyſer de acuminibus ſpuriis in arte Poëtica vitandis*; *Johannes Gerhardus Pagendarm de lingua Romanorum ruſtica*; *Conradus Samuel Schurzfleiſchius* Diſquiſitione, *an a Terentio primordia Latini ſermonis capienda ſint?* *Johannes Henricus a Seelen* de *conſervandi ſtili puri ſtudio*; *Henricus Stephani* in *Admonitione de abuſu Graecae linguae in quibusdam vocibus*,

bus, quas Latina uſurpat, it. in *Appendice ad M. Terentii Varronis adſertiones analogiae ſermonis Latini*, it. in Diſſertat. *de Plauti latinitate.*

2. Micrologi circa *Orthographiam*; ut: *Gottlieb Korte de uſu Orthographiae Latinae; Sam. Schmidius de vera et genuina diphthongorum AE et OE ſcriptura.*

3. Micrologi circa *litterarum elementa*; ut: *Thomas Gatackerus* Diſſert. *de bivocalibus* ſeu *diphthongis*; *Hermannus Hugo de prima ſcribendi origine; Johannes Paſſeratius de cognatione litterarum.*

4. Micrologi circa *vocabula*; ut: *Guilielmus Burtonus* in *Lipſanis veteris linguae Perſicae; Marcus Zuerius Boxhornius de Perſicis Curtio memoratis vocabulis, eorumque cum Germanicis cognatione; M. Chriſtianus Chemnitius* in ſua *Hyperbole; Robertus Conſtantinus* in *Supplemento L. L.* ſ. *Dictionario abſtruſorum vocabulorum; Auguſtinus Dathus* libello *de novem nominibus falſo per antiphraſin dictis; Sigismundus Fridericus Dreſigius Animadverſionibus in Fabri Theſaurum; Joh. Petrus Ericus* in Ἀνθρωπογλωττογονίᾳ ſ. *humanae linguae geneſi, ubi de Pronominibus agitur; Chriſtianus Falſterus ſupplemento L. L.* ſive *Obſervationibus ad Lexicon Fabro-Cellarianum; Joh. Fridericus Friſchius* Commentatione *de Antiphraſi nulla; Daniel Fridericus Janus* in *Notitia vocum L. L. olim honeſtarum, nunc inhoneſtarum; Chriſtophorus Henricus Lauterbachius de latinitate voc. Fumigeratas;* Illuſtris *Menkenius* in *ſpeciminibus Animadverſionum in Fabri Theſaurum,* it. in *Diſſertatione, exhibente voces aliquot Latinas, quas in Lexicis vulgaribus fruſtra quaeruntur, ex priſcis auctoribus collectas; Joh. Marius Mattius* in *Additionibus ad Calepini Dictionarium et Nizolii Theſaurum; Joh. Henricus Ottius* in *Onomatologia* ſ. *de nominibus hominum propriis; Joh. Theodorus Sprengerus* de *Modico; Henricus Stephani* in *Nizolio-Didaſcalo; Daniel Wülferus* Diſſertatione Philologica, *in qua, quid uſus poſſit in Latinis antiquandis et recipiendis viciſſim verbis Latinis, praecipue oſtenditur; Juſtus Zinzerlingius* in *Diatribe tria inſignia Metaphorae reciprocae exempla exhibente.*

5. Micrologi circa *Verba* ſtricte ſic dicta; ut: *Joh. Matthias Gesnerus* Programmate, *quo verbum* Altercor *cum derivatis, tamquam ſpecimen novi Theſauri L. L. proponitur; Johannes Murmelius* Opuſculis binis, uno *de verborum compoſitis*, altero *de verbis communibus ac deponentialibus; Stephanus Vbertus Schoening* in *Harmonia phra-*

 ſium

ſum verbi Facio; *Johannes Synthis* in *Compoſitis verborum; Georgius Valla* libro *de ſimplicium natura.*

6. Micrologi circa *Particulas;* ut: *Johannes Brunsmannus* in *Macte funerato et reviviſcente; Joh. David Dietericus de genuina τȣ Quaſi notione; Chriſtophorus Auguſtus Heumannus de Particula Nequicquam; Johannes Petrus Ericus* in Ἀνθρωπογλωττογονίᾳ ſ. *Humanae linguae geneſi, ubi de Particulis quibusdam agitur; Georgius Meywaldus* in *uſu Praepoſitionum ex toto Ovidio excerpto; M. Aurel. Severinus de Particula ET; Jacobus Thomaſius* Diſſertatione *de ſtili ethnicismo circa jurandi Adverbia fugiendo.*

7. Micrologi circa *Syntaxin;* ut: *Dabercuſius* in Commentatione, *quemadmodum quaedam praeter regulas, citra reprehenſionem, etiam cum laude uſurpemus;* cujus Commentationis Dabercuſianae ἀποσπασμάτιον *Johannis Caſelii libello Grammatico* ſubjunctum videmus; *Joh. Fridericus Friſchius de uſu participii praeteriti Romano; Johannes Fridericus Grimm* libello *de Ellipſibus Latinis ad ductum Sanctii in Minerva ejusque Commentatorum, Perizonii potiſſimum; Rudolphus Goclenius* de *Relativis et Reciprocis Provocabulis*, it. in ὑλαεία *Verborum et Phraſium idem fere ſignificantium; Godofredus Hecht de formula* In praeſentiarum; *Conradus Samuel Schurzfleiſchius de formula* Dicis cauſa, it. *de veteri Quiritium formula* Comiter conſervandi; *Chriſtophorus Wollius* in *Epiſtola Critica de Hebraismis Vlpiani IC.*

8. Micrologi circa *Proſodiam;* ut: *Johannes Joachimus Mollerus de verſu inopinato in proſa; Johannes Petrus Titius* in *Commentatione de* Stator *et* Cognatis, *ſubjuncta* Ejusdem Manuductioni ad excerpendum; *Agnus Benedictus Sanrey de recta nominis Paracleti pronuntiatione; Juſtus Zinzerlingius* in *Diatribe Nobile quoddam Problema Proſodiacum excutiente; Martinus Bork de Diplaſiasmo eleganter negligendo.*

BIBLIO-

BIBLIOTHECAE

LATINITATIS RESTITVTAE

CONSPECTVS SPECIALIS,

recenſum ordine alphabetico

agens eorum auctorum ac librorum, qui laboranti lati-
nitati a tribus retro ſaeculis potiſſimum ſuccurrerunt, et quorum in
praecedente Conſpectu Generali certas quasdam
conſtituimus claſſes.

M*ariangeli* ACCVRSII *De antiquato et obſoleto ſermone fugiendo Dialogus elegantiſſimus, ante annos CL. Romae productus, et nunc denuo in lucem reductus* Argentorati 1609. 8. Helmſtadii 1676. 12.

Libellus eſt duabus tantum plagulis conſtans, e tenebris in lucem primo protractus ab L. Margonio Aurel. Allobrogum 1597. Sunt, qui dedita opera in ſtilo ineptiunt, nil niſi caſcum, vietum, inſolens et caducum admittentes, ne illico ab omnibus intelligantur, ſed legentibus ſcilicet ſint admirationi. His helleborum, quo indigent, quidam propinavere, et, quum per ſeriam cenſuram corrigi nequeant, ridendo eos et more joculario ac ſcaenico exagitarunt. Hos inter fuit Dialogi hujus lepidiſſimi Auctor, homo Italus. Collegit enim ille et de induſtria conſarcinavit Oſci et Volſci ſermonis veluti σύφαρ, et ad Romanae eloquentiae veſtibulum adfixit: ut, poſtquam eloquentia ipſa, quid illis ſit agendum, pronuntiarit, iniquitatem ac praepoſterum ſtudium eorum damnet, qui, bonis frugibus inventis, glande veſci cupiunt. Inducit loquentes Oſcum

et Volſcum, quorum uterque alebria verba coaxat, i. e. meris obſoletis et inuſitatis utitur: quos tandem Romana eloquentia ſub perſona ſapientis matronae caſtigat, et reducere ad ſaniorem mentem conatur. Immiſcet Auctor in primo congreſſu dialogico non nulla, quae ſatis caſce quidem, ſed minus caſte tamen prolata mihi videntur eſſe.

Similiter dedita opera *J. C. Scaliger* in Poëmatibus, *libro Teretismatum* p. 103. paedagogum aliquem inducit antiquo iſto ſermone loquentem: et *Jac. Balde* in *Dramate* quodam *Oſco*. Referendum quoque huc carmen *Philoxeni Gonzati*, ſeu, qui ſe illo nomine texit, *Casp. Barthii*, ea lingua ſcriptum, quod *Statuae* ſuae *Mercuriali Henr. Jul. Scheurlius* adjecit.

Juari Petri ADOLPHI, Norvegi, *Medulla oratoria, continens omnium tranſitionum formulas, quibus ornari poſſit oratio.* Lugd. Bat. 1646. Francof. 1663. Jenae 1673. 12.

Auctor, *Petri Adolphi*, apud Nidroſienſes Arbitri Summi, viri in praecipua quadam dignitate Regia conſtituti, filius, in ſua juventute, quum apud Batavos ſtudiorum gratia commoraretur, hunc libellum ex variis Oratoribus collegit, applaudente ipſi ſub initium libri *Claudio Salmaſio*, *Thoma Bartholino*, *Botteſio de Grandivilla*, *Ez. Spanhemio* Frid. F. et *Arnoldo Montano*. Exhibet autem *Formulas exordiendi; Exordia chriarum; Formulas inſinuandi, libere dicendi, redeundi ad rem, tranſeundi ad propoſitionem, ad partitionem, ab una in aliam opinionem, ad confirmationem per cauſam, per contrarium, per ſimilitudinem; Formulas objiciendi, confutandi, trahendi adverſarios in contemtum et odium, praeoccupandi, reſpondendi, proponendi exempla, ſpeciatim exempla* ex Valerio Maximo, *proponendi teſtimonia; Formulas poſt ſententiam habendas, proponendi ſimilia; Formulas affectus concitandi, exclamandi, interrogandi, abrumpendi vel concludendi.*

Alberti de ALBERTIS *Theſaurus eloquentiae ſacrae et profanae, ſaluti et incolumitati rerumpublicarum utiliſſimae, enatus ex actione contra ejusdem nitoris corruptores.* Olim Mediolani 1639. poſtmodum recuſus in Germania, Colon. 1669. 12.

Jeſuitas, ordinis ſui homines, corruptae latinitatis accuſat acerrime. Praecipue invehitur in argutulos illos affectatores, qui ſpecie acuminum et ſententiarum praepoſtere phaleratam orationem faciunt. Proponitur autem res omnis non methodo quadam didactica, ſed ſingulari quadam atque inſolita: ut quidem videatur ipſe Auctor eloquentia ad notanda ejusdem vitia abuti.

Idem Auctor ſcripſit etiam *Vindicias adverſus* Caſparem Scioppium, Colon. 1649.

Pauli

Pauli ALERI *Gradus ad Parnaſſum*, ſive *Synonymorum, Epithetorum et Phraſium Poëticarum Theſaurus*, Elegantias, Flaviſſas Poëticas, Parnaſſum Poëticum, Theſaurum Virgilii, Smetium, Januam Muſarum, *aliosque id genus libros, ad Poëſin neceſſarios, complectens.* Colon. Agrippinae 1602, 1699, 1730. 8.

Prodiit paullo immutatus, nonnullis mox additis, mox reſectis Francofurti 1690. 8. ſub hoc titulo: *Novus Synonymorum, Epithetorum et Phraſium Poëticarum Theſaurus Latino-Germanicus, recognitus et a variis mendis expurgatus, ex quo* Raviſii Textoris *aliorumque librorum Poëticorum ſubſidio deſtitutus, faciliorem carminis pangendi induſtriam adquiret. Editio noviſſima.* Acceſſit *Epitome ſelectarum hiſtoriarum, fabularum, inſularum, regionum, urbium, fluviorum, montiumque celebriorum, ex variis probatis auctoribus collecta.* Auctore anonymo e Societ. Jeſu, qui tamen Auctor in Epiſtola Dedicatoria vocatur *Joh. Martinus Schönwetter.*

Superat tamen Jeſuitae hujus induſtriam liber, qui Pariſiis 1660. 4. prodiit ſub hoc titulo: *Magnus Apparatus Poëticus*, ſive *Epithetorum, Synonymorum et Phraſium Poëticarum opus abſolutiſſimum, ex probatiſſimis auctoribus collectum.*

ALEXANDRI *Doctrinale.* Prodiit ſine loci et anni mentione, in ipſis typographiae incunabulis, ut verba habent, impreſſa, 4. prodiit item Lyptzk i. e. Lipſiae 1508. item Baſil. 1519. 4.

Haec Grammatica ab anno 1212. per annos 300 in ſcholis regnum obtinuit. Vocata olim fuit *Doctrinale puerorum Alexandri de Villa Dei.* Spiſſum opus eſt, in quattuor partes diſtributum. Prima Pars inſcribitur: *Prima Pars Doctrinalis Alexandri cum ſententiis notabilibus et vocabulorum lucida expoſitione, nonnullisque annexis argumentis cum eorumdem replicis, terminationum quoque finalium, declinationum ſex ac conjugationum, in foliorum marginibus noviter ad novellorum in Grammatica incipientium profectum adjunctis, cum quibusdam aliis additis pro ſcientiis aliqualiter perfectis.* Altera Pars: *Gloſa notabilis ſecunde Partis Alexandri cum interlinialibus expoſitionibus textus ejusdem in planiſſimis ſententiis ſubjunctis perpulcre ordinatis queſtionibus atque argumentis cum replicis contra eorundem ſolutiones omnibus (qui ſcire deſiderant) ſumme neceſſariis noviſſime diligenter correctis cum additis in locis, in quibus pro juvenibus neceſſarium eſſe videbatur. Que jam de novo impreſſa eſt cum multis argumentis et replicis prius non additis, ut prima facie videri poteſt circa illos textus.* Tertia et Quarta Pars: *Tertia et Quarta Partes Doctrinalis Magiſtri Alexandri cum commento valde utili textus dante intelligentiam*

tiam ſummariam: quarum Tertia docet de quantitate Syllabarum; Quarta vero de accentuatione cum novis quibusdam ſententiarum additionibus.

Auctor ad calcem Partis primae ſe ait uſum in hoc Opere Grammatico eſſe ac profeciſſe per *Johannem de Gar*, *Henricum de Colonia*, *Catholicum Brachilogon*, *Johannem Synthen*, et quam plurimos alios ſua aetate frequentatos hujus farinae ſcriptores Grammaticos ſemibarbaros.

Quamlibet hujus Grammatici praeceptiones, initio παλιγγενεσίας bonarum litterarum, animos puerorum in ſcholis ad capeſſendum majorem ingenii cultum praeparaverunt: dici tamen haud poteſt, quam jejunae ac perplexae fuerint reſpectu temporum inſequentium. Sic enim *Joachimus Camerarius*, Lipſienſis olim Academiae Profeſſor, in Praefatione ad Grammaticam Graecam Phil. Melanchthonis, maximam partem ab Eraſmo Schmidio in Allocutione ſua ad Lectorem, quae Hypomnematibus ad Grammaticam Phil. Melanchthonis praefigitur, repetita: *Reſpiciamus*, inquit, *ad ſuperiora tempora, vel noſtra, vel patrum noſtrorum. Quae Grammaticae praecepta verſata tum in ſcholis fuerunt? Proponebantur diſcentibus* Alexandri verſus, *et in illos ineptiae undique gentium ac locorum ingerebantur. Ac priora quidem mediocria, de quibus Flexiones ac Genera et cetera, quae in ſingulis verbis ſpectari ſolent, percipiebantur: poſteriorum autem quod mare erat nugarum? qui laquei? quaeque cruces ingeniorum? regiminum in primis ſcopuli et carnificina?*

Emanuelis ALVAREZ ſ. ALVARI *De Inſtitutione Grammatica libri III.* Genuae 1586. Dillingae 1574, 1583. Venet. 1580. 8. Gedani 1605. Hildeſiae 1652, 1724. Niſſae 1656, 1661. 8 Colon. Agripp. 1596. 4. 1653, 1655. 8.

EIVSDEM *Grammatica correctiſſima.* Venet. 1643. 12. Cum explicatione Polonica. Caliſſi 1702. 8.

Deliria veterum Grammaticorum primus oſtendit, et ſaniora ſubſtituit: nec abſolvit tamen omnia, ſed poſteriorum induſtriae non nulla reliquit curatius explicanda. Magni eum fecit vel ipſe *Scioppius*. Veſtigiis autem ejus non modo ſtrenue inſtitit, ſed etiam ulterius progreſſus eſt *Sanctius*. *Alvarus* autem Luſitanus, et *Sanctius* Hiſpanus erat: e quibus binis nationibus primi orti ſunt linguae latinae reſtauratores, quod quidem ad genuinam Grammatices indolem paullo curatius cognoſcendam attinet: eſt enim utraque gens admodum perſpicax in exquirendis iis, quae paullo intricatiora ſunt, et quae ſingularem induſtriam poſtulant ac vim judicii.

Romuli AMASAEI *Scholae II. de Latinae linguae uſu retinendo.* Inſertae ſunt *Orationibus ejus*, edd. Bononiae 1580. 4. p. 101. ſqq.

Erat

Erat inter eos, qui ſaec. XVI in Italia vehementer ſe opponebant iis, qui Etruſcae linguae ſtudium culturae linguae Latinae vel praeferri vel adaequari volebant. Vide infra *Folietam*.

AMMONIVS. *De affinium vocabulorum differentia.* Accedunt *Opuſcula* non dum edita. *Herennius Philo* de differentia ſignificationis. *Lesbonax* de Figuris Grammaticis. *Incerti Scriptores* de Soloecismis et Barbarismis. *Lexicon* de Spiritibus Dictionum, ex operibus Tryphonis, Choerobosci, Theodoriti, cet. ſelectum. Ammonium ope MS. primae editionis Aldinae, et aliunde, emaculavit et notis illuſtravit; reliqua ex Codd. MSS. Bibliothecae Lugduno-Batavae nunc primum vulgavit *Ludovicus Caſparus Valkenaer*. Lugdun. Bat. 1749. 4.

Ammonius, Philoſophus fuit ac Grammaticus ſaeculi VI. Editor Valkenaerius eodem anno hoc ſcripſit ediditque *Animadverſionum ad hunc Ammonium Grammaticum libros tres, in quibus veterum ſcriptorum loca tentantur et emendantur*.

Sigismundi Jacobi APINI *Grammaticum Lexicon.* Noribergae 1728. 8. maj.

Succeſſit ad calcem *Appendix triplex:* I. continet *Particulas Germanicas homonymicas*, docetque, quomodo cum Latinis ſint permutandae; II. ſubjicit *Epitheta* ex Cic. Jul. Caeſ. Cornel. et Curtio collecta; III. *Lexicon Geographicum* omnium locorum, regionum, inſularum, fluviorum et montium, Latinis verbis redditorum.

EIVSDEM *Gloſſarium novum ad aevi hujus ſtatum adornatum, in quo rerum novarum nomina, vel noſtra, vel aliunde adſcita, ut ſunt officinarum, veſtiaria, militaria, proverbia item et alia ex variis linguis et artibus in ſermone quotidiano aut relationibus publicis occurrentia vocabula Latine reddita inveniuntur. Accedit Praefatio* D. Joannis Guilielmi Baieri, *in Acad. Altorfina SS. Theol. et Gr. linguae Prof. P.* Norimbergae 1728. 8.

EIVSDEM *De variis diſcendi methodis.* Brunſvigae 1731. 8.

Petri APHERDIANI *Tirocinium Latinae linguae.* Coloniae Agrippinae 1573. Spirae Nemetum 1608. 8.

Auctor, primum Herdewici, dein Amſtelodami, ludi moderator, heic, quae pueris in quotidiano colloquio occurrunt, et uſui ſint, diligenter et copio-

copioſius collegit, in certa capita digeſta. Complectitur autem hoc Tirocinium cum vocabula notabiliora et quae cum elegantia quadam frequentantur, tum ea epitheta et adjuncta, quorum ſocietate unumquodque talium vocabulorum vel maxime gaudeat. Non nulla interim admiſcet, quae haud in Latio, ſed in barbarorum inſulis nata ſunt.

EIVSDEM *Methodus diſcendi formulas Latinae linguae, ex optimis quibusque, probatiſſimisque auctoribus collecta, in primis rudiori aetati utilis.* Colon. Agrippinae 1575. 8.

Liber hic non tam methodum diſcendi formulas L. L., quam ipſas has formulas ſuis locis diſtinctas exhibet. Vtrumque opuſculum litterariae pubi conſcriptum eſt ad adquirendam quamdam verborum et locutionum elegantiorum copiam.

APPARATVS *Verborum linguae Latinae Ciceronianus,* cum Praefatione Joh. Sturmii. Argent. 1551. 4.

Schorum hic liber agnoſcit pro auctore. Saepe numero enim ſequentibus temporibus recuſus eſt, inſcriptione ſic immutata: *Antonii Schori Theſaurus Ciceronianus.* Vide de eo plura infra ad *Schorum.*

Bertoli Canuti AQVILONII *Diatribae de miſtione linguarum Graecae et Latinae cum Danica.* Hafniae 1640.

Caroli de AQVINO *Miſcellaneorum* libri III. Romae 1725. 8.

Henr. ARNINGI *Medulla variarum earumque in orationibus uſitatiſſimarum connexionum.* Jenae 1650, 1656. 12.

Si quid eſt, quod faciat ad copiam, ſunt varia loquendi genera. Sunt autem duplicis fere generis hae orationis formulae. Aliae, quibus diverſae ſermonis partes inter ſe cohaerent: aliae, quae rem ipſam certa ratione oculis pro materiae diverſitate ſubjiciunt. Utrarumque plurimas *Fabricius, Lauxminius, Maſenius, Junius, Clarke, Petrus Adolphus,* atque hic *Arningus* noſter, aliique collegerunt.

Chriſtophori ARNOLDI *Linguae Latinae Ornatus.* Norimbergae 1657, 1663, 1667, 1668, 1679, 1694. 12.

Liber inter eos, qui linguae Latinae elegantias perſecuti ſunt, primo fere loco ponendus. Cum inſigni judicio diacritico contextus eſt ex *Franciſci Silvii Ambiani* Inſtitutionum in artem Oratoriam libris III; *Joh. Henrici Alſtedii* Philomela Theologico-Philologica; *Emanuelis Alvari* Grammaticarum Inſtitutionum libro ſecundo; *Joh. Buckleri* Elegantiarum centum et undeſexaginta regulis; *Johannis Clarke,* Angli, Formulis oratoriis; *Auguſtini Dathi, Dati* l. *Datti,* Senenſis, Iſagoge; *Joh. Philippi Parei* Regulis Elegantiarum Ciceronianarum, Calligraphiae ejus Roma-

Romanae additamentum; *Paſchaſii Groſippi* h. e. *Gaſparis Scioppii* l. *Schoppii* Grammatica Philoſophica et *Ejusdem* Obſervationibus linguae Latinae; *M. Andreae Reyheri* Tabulis Sermonis Latini elegantioris; *Danielis Vechneri* Hellenolexia; *Adami* denique *Weinhameri* Oratore Extemporaneo. Addit *Arnoldus* inſuper eximias obſervationes, quas partim ſub praeceptore quondam ſuo *Johanne Gravio* didicerat, partim longo formandae juventutis uſu ipſe invenit in optimis auctoribus, praeſertim in Curtio, Plinii Panegyrico, Taciti Agricola et Salluſtio. *Sex capitibus* laborem omnem abſolvit, agens *De vocum* 1. *Praepoſitione*, 2. *Interpoſitione*, 3. *Poſtpoſitione*, 4. *Permutatione*, 5. *De figurarum concinnitate*, 6. *De Grammatica ac Rhetorica variatione:* omnem dicendi ornatum hunc diſtinguens ſecundum *octo*, vel *ſeptem* interdum *orationis partes*, et, quoad quidem ejus fieri potuit, *alphabetico ordine:* nulla *tranſitionum* mentione facta, quas *Thomas Farnabius* in Indice Rhetorico; *Jacobus Hugues* in Artificio; *Henricus Arningius*, itemque *Ivarus Petrus Adolphi* in Medullis ſuis ex variis auctoribus abunde ſatis coacervarunt. Addit ad calcem non modo *tres* praeſtantiſſimas *Mantiſſas:* 1. *De Germaniſmis*, 2. *De amplificatione Verborum*, 3. *De numero oratorio;* ſed etiam *Joh. Mich. Dilherri* Manuductionem Ariſtotelicam ad locos inventionis Rhetoricae, libellum elegantiſſimum. Ceterum lectorem, cui haec talia cognoſcendi inſatiabilis ſit cupiditas, mittit ad *Hadrianum Cardinalem* de Sermone Latino; ad *Thomam Linacrum* de emendata ſtructura Latini Sermonis; ad *Maturinum Corderium* de corrupti ſermonis emendatione; ad Regulas ſcribendi *Fr. Nigri;* ad Regulas conſtructionis *Ant. Mancinelli;* ad *Joh. Pollicarium Cygnaeum* de recta et ordinata vocum compoſitione; ad *Antonii Schori* Phraſes, *Ejusdem*que Theſaurum: ad *Georgii Fabricii* e Plauto ac Terentio Elegantias; ad *Laurentii Vallae* de linguae Latinae elegantia libros; ad *Jac. Ludov. Strebaeum* de verborum electione et collocatione oratoria; ad *Bartholomaei Riccii*, *Joh. Godeſcalci*, *Stephani Doleti* et *Baſilii Fabri* Obſervationes linguae Latinae: item ad Epitheta ſive Appoſita Ciceronis per *Petrum Johannem Nunneſium;* ad Antitheta Ciceroniana per *Horatium Tuſcanellam;* ad *Horatium Turſellinum*, *Godeſcalcum Stewechium*, *Philippum Pareum* et *Adamum Dürrerum* de Particulis linguae Latinae; ad *Huberti Suſannaei* Connubium Adverbiorum, et, quod ſuper omnia eſt, ad *Eraſmi* Copiam verborum, hoc eſt, ad ipſum eloquentiae uberrimum ac pleniſſimum fontem.

Chriſt. ARSLEBI *Cimbria Romae reconciliata*, ſive *Gothi linguae Latinae fautores.* Hafniae 1722. 4.

Debellat vulgarem illam opinionem, qua infuſa Latio barbaries Gothis maximam partem imputatur: et contra quanta Gothorum in Latinam linguam merita redundent, copioſe et erudite exponit. Praeeuntem hac in cauſa habet *Inchoferum;* quo de infra ſuo loco.

Petri ARTOPOEI *Latinae Phraſis Elegantiae.* Witteb. 1534. 8.

Auctor ſua ipſius induſtria has elegantias collegit, et in compendioſum ordinem redegit. Liber bonae frugis eſt, ex praeſtantiſſimis auctoribus collectus.

Cunr. ASLACI *De dicendi et diſcendi ratione libri 3.* Herbornae 1622. 4.

Benedicti AVERANII *Diſſertationes XCII in varia Ciceronis loca*, Florentiae inter alias ejus viri docti lucubrationes 1716. fol. Vide Diarium Venetum, *Giornale de letterati d'Italia* Tom. XXIV. p. 434.

Antonii AVGVSTINI *Emendationum et Opinionum libri IV.* Lugd. 1560, 1574, 1591. 8.

Spectant quidem hac Emendationes ad Jus civile: interim tamen multa redigunt in memoriam atque omnino docent, quae elegantioris litteraturae cultoribus grata ſint.

EIVSDEM *Gemmae et ſculpturae antiquae.* Amſtel. 1685. 4. cum figg.

EIVSDEM *Antiquitatum Romanarum Hiſpanarumque in numis veterum Dialogi XI, Latine redditi ab* Andr. Schotto: *cujus acceſſit duodecimus de priſca religione diisque gentium*, cum numiſmatum iconibus, a *Jac. Biaco* aeri inciſis. Antwerp. 1617. fol. Prodierunt ex Hiſpanica lingua in Italicam a *Dione Octaviano Sada* translati, Romae 1650. fol.

Excellentioris notae liber, qui non poteſt non gratus eſſe et acceptus interioris litteraturae cultoribus.

Mich. AYTAI *Grammatica Latina, methodo nova et artificioſa, in uſum illuſtris Gymnaſii Bethlemiani adornata.* Cibinii (Hermanſtadt in Siebenbürgen) 1747. 8.

Johannis BACCHERII *Flaviſſae Poeticae ſ. Synonymorum, Epithetorum, et Phraſium Poeticarum Theſaurus ſacro-profanus.* Coloniae Ubiorum 1580, 1662, 1668. Antwerp. 1647, 1649. Dordraci 1654, 1660, 1671. 8.

Bene ordinavit ac digeſſit Synonyma, Epitheta, Comparata, locutiones, deſcriptiones. Accedunt Indices utiliſſimi nominum propriorum, gentium et regionum, itemque comparationum. Omnia ſunt ex probatis auctoribus deſumta, locis etiam horum non numquam additis; quum *Weinrichius*

richius in *Aeraria Poetico* ſuo pleraque e lacunis hauriat recentiorum Poetarum.

Ad has autem *Flaviſſas Poeticas Baccherianas* quam proxime ſimilitudine quadam ſua accedit libellus haud inelegans, qui prodiit Coloniae ap. Joannem Gymnicum 1593. 12. et inſcribitur ſic: *Phraſes et Elegantiae Poeticae, item Epitheta et Antitheta, omnia ex claſſicis auctoribus, qui de iis ſcripſerunt, diligenter ſelecta, et ſecundum ordinem Alphabeti redacta, nec non Germanice et Gallice reddita a M. I. D. T.*

Bohuslai Aloyſii BALBINI *Veriſimilia humaniorum diſciplinarum*, ſive *Judicium privatum de omni litterarum, quas humaniores appellant, artificio.* Pragae 1666. *Cura Chriſtiani Weiſii* Lipſ. 1687. Aug. Vindel. 1710. 8.

Quum Auctor, Jeſuita Bohemus, hoc in libro ſuo, multiplicem eſſe latinitatem, obſervaſſet; illi, quam Eccleſiaſticam vocat, quaeve Patribus Latinis originem ſuam debet, primum tribuit locum. *Latinitatem*, inquit, *multiplicem eſſe, conſtare debet, quae confundenda non eſt. Alia quaedam latinitas in ſacro argumento: quam Eccleſiaſticam dicere poſſis: adhibetur. Haec omne feret punctum, quum proxime ad vulgatam Bibliorum editionem acceſſerit, verbis Eccleſiae, tum ſanctorum Patrum ſententiis illigata. Haec verba penſi non habet, ſed divina fundit oracula, et ad ſacras litteras frequenter amat alludere; quae maxima laus eſt ſanctorum Patrum, atque inter eos Divi Bernhardi, qui, quod conatur dicere, hoc fere ſemper divinae Scripturae verbis enuntiat. Latinitas Eccleſiaſtica in exhortationibus ſacris, et virtutibus divinis commendandis, locum habet, quae tamen, ſi ei noſtra in loco addatur eloquentia, praecipuam laudem meretur, ut miſceat utile dulci. Itaque ridiculus eſſet, qui in ſacro argumento Ciceronem, aut alium profanum ſcriptorem, imitaretur: ſententiis enim ſacrarum litterarum haec latinitas debet impleri.* Sic nimirum judicat de latinitate Eccleſiaſtica *Balbinus* cap. 3. n. 1. p. 17, 18.

Qua in re, *ait Buddeus in Iſagoge Hiſtorico-Theologica p. 110*, an omnes habiturus ſibi ſit ſuffragantes, valde dubito. Multa ſane in rebus ſacris occurrere, in quibus Ciceronem aut alium quendam ſcriptorem profanum imitari velle, ridiculum foret, lubens fateor; multa tamen etiam eſſe, quae longe purius elegantiusque exprimi poſſunt, quam vulgo fit a Scriptoribus Eccleſiaſticis, Patribusque Latinis, conſtat, et vel Lactantii exemplo comprobari poteſt. Verſionem vulgatam Scripturae Sacrae, quae inter fontes latinitatis Eccleſiaſticae itidem refertur, minime quidem ideo contemnendam cenſeo, quod barbariſmi quidam ac ſoloeciſmi in ea occurrant, id quod *Hugo Grotius in Praefatione Adnotationum ad libros V. T. Brianus Waltonus in Apparatu Biblico* p. 361, aliique oſtenderunt; quamquam nec deſint, qui ejus in hocce capite defenſionem ſuſcipiant, ut *Albericus Gentilis in Diſſert. de latinitate veteris Bibliorum verſionis male accuſata*, quae cum aliis ejusdem Auctoris Diſſertationibus Helmſtadii 1674 recuſa eſt; cui et jungendus *Auguſtinus Maria de Monte*,

E Savo-

Savonenſis, cujus *Commentationem de quibusdam Sacrae Scripturae locutionibus, quae imperitis et indoctis parum Latinae videntur*, quam cum aliis ejusdem Auctoris haud ita pridem recudi curavit Vir Clariſſimus *Joannes Erhardus Kappius*; habet namque haec verſio ſuum in explicanda Scriptura Sacra uſum; ob latinitatem tamen eam legendam, vel, quum melius elegantiusque aliquid exprimere poſſum, eam tunc praeferendam eſſe, non exiſtimo. Sed quidquid ejus eſt; nota tamen nobis debet eſſe latinitas Eccleſiaſtica, quae et in verſione iſta, et in Patrum ſcriptis occurrit, ſi vel maxime eam non imitemur; quum ex ejus ignorantia perverſus ſaepius falſusque veteribus tribui ſenſus queat; unde rurſus graviſſimi ſubinde oriuntur errores. Optandum foret, ut quis ex inſtituto in Patrum latinitatem peculiari commentatione inquireret; quod, quantum mihi conſtat, huc usque factum non eſt.

Scripſit etiam *Balbinus Auxilia Poetices*; de quibus infra ad *Bucellinum*: it. *Quaeſita Oratoria*, i. e. *antiquae et novae hujus ſaeculi Eloquentiae praecepta, aliaque ad eam comparandam auxilia et praeſidia per dialogum, ed. Pragae 1677. 8.* it. Lipſ. 1711. 8.

Bernardini BALDE *Lexicon Vitruvianum*, ſ. *De ſignificatione vocabulorum, quibus utitur Vitruvius, Comment.* ſubjunctum praeſtantiſſimae Vitruvii editioni, quam vulgavit *Johannes de Laet.* Amſterd. 1694 fol.

Separatim primitus exiit, hac inſcriptione: *Bernardini Balde liber de verborum Vitruvianorum ſignificatione, una cum vita Vitruvii, et ſcamillis imparibus Vitruvianis nova ratione explicatis.* Auguſtae Vindel. 1612. 4.

Praeclarum opus eſt. Ad concinnandum hoc non modo prodigioſa ſua variarum linguarum peritia, ſed etiam conſilio et opera excellentis cujusdam Mathematici in locis Vitruvii obſcuriſſimis ac difficillimis prudentiſſime uſus eſt.

P. Anſelmi BANDVRI *Numiſmata Imperatorum Romanorum a Trajano ad Palaeologos Auguſtos.* Accedit *Bibliotheca Nummaria 2 Voll. cum figg.* Antwerpiae et Pariſ. 1718. fol.

EIVSDEM *Bibliotheca nummaria* ſ. *auctorum, qui de re nummaria ſcripſerunt*, cum *Diſſertationibus virorum doctorum de hoc argumento*, curante *Joh. Alb. Fabricio.* Hamb. 1719. 4.

Auctor Italus eſt, Ordini Benedictino addictus, ſcriptor accuratiſſimus, et acri judicio atque inſigni cum in aliis, tum in hoc ſtudiorum genere, cui haec opera ſua conſecrata ſunt, uſu et peritia conſpicuus.

Thomae BANGII *Obſervationum Philologicarum liber I. ad illuſtranda* Jani Dionyſii Jerſini *Grammatices Latinae praecepta adornatus.* Hafniae 1637, 1640. 8.

EIVS-

EIVSDEM *Obſervationum Philologicarum liber II. ad illuſtranda* Jani Dionyſii Jerſini *Syntaxis Latinae praecepta adornatus.* Hafniae 1637, 1640. 8.

Ex hoc libro poſteriori Bangiano concinnata eſt *Epitome Elegantiarum Syntaxeos Latinae, in uſum Scholarum,* Hafniae 1664, 1666. Gieſſae 1712. 8.

Magnam habuit, teſte *Morhofio,* rerum Grammaticarum peritiam. Curioſa varia ſuis his obſervationibus immiſcuit, et ſubtilitates Grammaticas, quarum non paucas adfert, quae ne a *Voſſio* quidem adnotatae ſunt. Additus eſt ſub finem *Index abſolutiſſimus triplex,* in quo omnes minutiae quaeri atque inveniri poſſint. A p. 1389 — 1431. multa Latini ſermonis vitia inſequitur.

Coegit *Bangius* cuncta in breviorem ſummam ſingulari libro, cujus titulus eſt: *Thomae Bangii Index obſervationum Philologicarum.* Hafniae 1638. 12.

Exiit etiam eodem Auctore *Aurora latinitatis,* Hafniae 1705. 8; item Liber *de ortu et progreſſu litterarum,* Cracoviae 1691. 4.

Chriſtophori BARBAROSSAE *Cicero redivivus,* ſive *Phraſeologia ex Cicerone et aliis auctoribus probatis.* Goslariae 1611. 8.

Χειραγωγίαν quamdam prae ſe fert pro LL. tironibus, ut Latinarum probae monetae locutionum copiam paullo maturius conſequantur.

Hadr. BARLANDI *Dialogi XLII ad profligandam e ſcholis barbariem utiliſſimi.* Colon. 1527. 8.

Auctor *Eraſmi Roterodami* fuit amicus intimus, praeſertim autem ob communia ſtudia eidem conjunctiſſimus. Quare

Noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe.

Quamlibet Barlandus etiam ex ſe aliquatenus cognoſcatur. Reliquit etiam *Hollandiae Comitum Hiſtoriam et Icones, cum Catalogo Ultrajectenſium Epiſcoporum* ed. Francof. 1585. 8: et *Verſus proverbiales,* ed. Baſil. 1539. 8. quos cum inſigni judicio ex Virgilio excerpſit ac collegit: aliaque edidit, quae vide in vita ejus apud *Adami.*

Caſp. BARTHII *Adverſariorum Commentariorum libri LX, antiquitatis, tam gentilis, quam Chriſtianae, illuſtratae.* Francof. 1624, 1648. fol. typis Weichelianis.

Multis veterum locis ſubobſcuris lucem accendit eximiam. Nimius autem interdum eſt in conſectandis minutiis, et nodos Gordios ſubinde non ſolvit, ſed gladio quaſi ſecat, vitio quodam temeritatis, quae profecto abeſſe debet ab iis, qui loca veterum ſuſpecta et depravata volunt reſtituere. Libro 16. cap. 3. errores magnorum virorum in metro, *utriusque Scaligeri, Bonaventurae, Vulcanii, Gabr. Lermaei, Friderici Taub-*

manni, *Joh. Aurati*, *Fulvii Urſini*, *Joh. Meurſii*, *Hugonis Grotii*, *Car. Paſchalii*, *Achillis Statii*, aliorumque notat. E *Joſepho Scaligero* ſeptem pedum verſum producit, quem poſt illum etiam obſervavit *Vavaſſor* de Epigr. p. 193. Lib. 26. cap. 25. et non modo *Jul. Caeſ. Scaligeri* quinarium jambum pro ſenario, ſed etiam *Angeli Politiani*, *Vincentii Opſopoei*, aliorumque hallucinationes in ſyllabis ac metro oſtendit. Pag. 1670 docte diſputat, Phaedri fabulae quales ſint, et quo aevo ſcriptae, notans ſimul, unam aut alteram fabulam ſubditiciam et inſiticiam eſſe, de cetero defendens eas et earum aetatem contra Scriverium.

Scripſit Barthius inſuper *Animadverſiones* in integros auctores v. g. Statium Papinianum, Rutilium Numantianum, Scriptores venat.

EIUSDEM *Opuſcula varia.* Hanoviae 1612. 8.

BASILII M. *Oratio de utilitate Scriptorum Ethnicorum* πρὸς νέους. Proſtat etiam ad calcem *Statuae Mercurii Scheurlianae*, ed. Helmſt. 1636. 8.

Quemadmodum, ait Auctor in hac oratione ſua, *in roſeto flores decerpimus*, *ſpinas relinquimus*; *ſic profani auctores tractandi ſunt*, ὅσον χρήσιμον καρπωσάμενοι, τὸ βλαβερὸν φυλαξόμεθα *h. e. ut utilia decerpamus*, *et a noxiis caveamus.* Clementem Romanum, qui Lib. 1. Conſtit. c. 6. ab omnibus gentilium libris abſtinere jubet, facile refutare poſſumus tum hac Baſilii Oratione et exemplo Moſis et Pauli in profana litteratura verſatiſſimorum, tum dicto illo 1 Tim. 2, 13: πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, quo non modo litterarum ſacrarum ἐπεξήγησιν, ſed etiam humanam et Philoſophorum et Poetarum et Hiſtoricorum ſapientiam Timotheo commendatam fuiſſe, ex S. Patrum mente obſervat *Stevartius.* Conf. Oratio Cellarii de uſu gentilium librorum in Scholis Chriſtianis, occurrens inter ejus Programmata et Orationes, ed. Lipſ. 1689. 8. p. 577.

Guil. BATTEI *Janua linguarum.* Salmanticae 1611.

Ad Latinam praecipue linguam curatius perdiſcendam accommodata eſt, et pro opere admirabili habetur: ipſemet enim non dum inſpexi librum, nec inſpicere potui, quum ejus mihi nemo copiam facere huc usque potuerit.

Nicaſii BAXII *Medulla eloquentiae et figurae aliquot Rhetoricae ex M. T. Cicerone concinnatae*, *et in uſum juventutis recuſae. Praemiſſa eſt* Dan. Georgii Morhofii *Praefatio*, *qua de omni in eloquentia excerpendi ratione agitur.* Kiloni 1685. 8.

Libellus elegans, quamvis parvitate ſua contemnendus videatur: ſex enim plagulis tantummodo continetur. Ut autem *Baxius formulas Oratorias figuraſque Rhetoricas* ex Cicerone heic congeſſit; ita ex eodem *Formulas Epiſtolicas* collegit *Chriſtophorus Vladeraccus.*

Henr.

Henr. BEBELII *Commentaria de abuſione linguae Latinae apud Germanos, et de proprietate ejusdem, optimarumque dictionum vocabulario.* Inſerta ſunt *opuſculis Bebelianis*, editis Argentinae 1513, 1516. 4.

Auctor, Suevus natione, et Oratoriae ac Poetices Profeſſor in Academia Tubingenſi, Vallae preſſit veſtigia. Occurrunt etiam in his ejus Opuſculis *Adnotationes et lima in Mammetractum ſ. Mammotreptrum*, Grammaticum ejus aetatis in arte ſua valde celebrem; it. *Adnotationes novae pro lingua Latina;* it. *Nomina Latina artificum;* it. *Nomina morborum corporis humani, Latine et Graece;* it. *Apologia Auctoris pro ſuis Commentariis;* it. *Differentia inter Caeſarem et Auguſtum;* it. *Apologia auctoris contra adverſarium ſuum:* in quibus libellis complura in latinitate vel emendantur vel illuſtrantur. Mox auctor circa Etymologiam, mox circa Proſodiam, mox circa barbariſmos, mox circa vocabulorum differentias verſatur. Melanchthon eum cum fructu audivit.

Joh. Joach. BECCHERI *Novum Organum Philologicum pro verborum copia adquirenda, cum* Clave et Appendice. Viennae 1671. 4. Francof. 1674. 8.

Omnibus paene diſciplinis Auctor ſe immiſcuit, adeo ad Latinae etiam linguae rudimenta felicius tractanda conſilia propoſuit in *Methodo* ſua *Didactica*, in *Praxi* hujus ſuae *Methodi*, et in *Organo* ſuo, quomodo poſſit tiro rerum vocabula, Grammaticam, et ſignificationem integri ſermonis addiſcere beneficio derivationis a primitivis: cui rei potiſſimum inſervit *Praxis illa*, velut in ſpecimen primo loco procuſa. Fateor, non temnendam eſſe hujus viri induſtriam; ſed fuit illius diligentia paene nimia et ſuperſtitioſa. Collegit ille ſub ſuis primitivis derivativa, quae tamen non ſunt omnia notae melioris: citra delectum enim obſoleta, et nova, et barbara, ſimul proponuntur tironibus ediſcenda, quod illorum animos imbuit non optimo colore. Ut in vocabulis addiſcendis *Praxin ſuam* publicavit; ita aliud ſubſidium eſt commentus in enuntiationibus formandis et ſententiis: cui ſcopo ſcripſit *Novum Organon*, in quo ſub claſſibus conceptuum univerſalium ac praedicamentalium diſponit voces: cujus quidem diſpoſitionis uſus, praeter illum, quem ipſe intendit, alius quoque eſſe poſſit non contemnendus in inveniendis conceptibus argutis; nam quum hi fundentur in analogiſmo rerum; quilibet intelligit, eo feliciorem fore hanc operam, ſi directorio indicum iſtiusmodi categoricorum uti poſſumus. *Methodus didactica* ſ. *Clavis ſuper Novum Organon*, edita eſt una cum *Appendice* Monachii 1668. 4. et deinde etiam Francof. 1674. 8. *Novum Organon* Viennae 1671; quod poſtea diſtinctius prodiit, et cum Germanicae linguae additione, et cum ſubdiviſione paragraphorum, Francofurti 1674. 8. *Methodi Beccherianae Praxis* prodiit Francof. 1669. 8. Tertius Tomus librorum illorum non dum lucem vidit, quo proponere argumentationum fontes voluit: ſed, ut ipſe nihil certi promiſit, ita nec

dedit quicquam, dum viveret, aliis nempe quam plurimis occupationibus negotiisque diſtrictus. *Morkof.* Polyh. Tom. I. p. 819. ſeq. Proponit etiam *Beccherus* quaedam Grammatices et Syntaxeos compendia, quae *Praxi Didacticae* ſuae ſubnectit; ubi ſub typis Declinationum et Conjugationum regularium et irregularium, regularum variarum moleſtiam evitat. *Morh.* d. l. p. 428 et 431. Etſi autem ingenium illi non deeſt, et ad linguae notitiam Grammaticam, ac diſſertationes extemporales inſtituendas, non inutilis labor eſt; Latine tamen, nec Grammatice ſolum, ſed et eleganter dicere ſcribereque cupientibus parum proderit. Non juvat ſola verborum et rerum copia, niſi adſit prudentia, quae delectum inſtituere doceat, quod ex iſta vocabulorum farragine, ut ut belle ordinato, non facile diſci poteſt, niſi mature ex Auctoribus idoneis illam facultatem hauriamus. Quin potius dato pignore certare auſim, puerum methodo Beccheriana informatum, totum ſiccum et enervum in omni compoſitione ſua fore, pluſque ex illo invento utilitatis ad viros vel juvenes jam tum omni genere ſcholaſticarum exercitationum ſubactos perventurum, quam pueros hac primum arte erudiendos. Id. d. l. p. 455. ſeq.

Chriſtiani BECMANNI, *Bornenſis*, *Manuductio ad Latinam linguam, nec non de originibus Latinae linguae: quibus paſſim alia multa, Philologiae propria, pro meliori vocum ac rerum cognitione, inſerta.* Wittebergae 1609, 1613. Hanoviae 1619, 1629. Lipſiae 1672. 8.

Utrique *Scaligero* multum eruditionis hujus Etymologicae acceptum refert: adjutus praeterea non minus libris, quam litteris *Scaligeri Junioris*, *Jani Gruteri*, *Johannis Caſelii*, *Iſaaci Caſauboni*, *Cunradi Rittershuſii*, *Scipionis Gentilis*, *Andreae Knicheni*, *Friderici Taubmanni*, *Adami Theodori Siberi*, *Michaelis Piccarti*, *Caſparis Barthii* Etiam ex *Etymologico*, quod *Johannes Fungerus*, Friſius, JCtus, ex variis undique ſcriptoribus ſingulari induſtria collegit, optima quaeque mutuatus eſt ac ſua fecit. Hinc magnus *Voſſius* hunc Becmannianum fetum magni aeſtimavit, eoque ſubinde in Etymologico ſuo uſus eſt. Occurrunt in eo multa, quae a Voſſio rectius excuſſa deprehendas: reperiuntur tamen interdum, quae apud ipſum Voſſium et alibi fruſtra quaeſiveris. Erat *Becmannus* Scholae Mulhuſinae Rector, eruditione haud proletaria inſtructus: praeſertim in luculenta Dedicatione et deinceps etiam in Praefatione hujus libri ea monet, quae digna ſunt, ut imis reponantur ſenſibus. Luculenta illa Dedicatio in editionibus poſterioribus eſt omiſſa, loco autem ejus *Manuductio ad Lat. Linguam* ſuperaddita ac praemiſſa.

EIUSDEM *Schediaſma Philologicum.* Wittebergae 1612. 8.

Non nulla é latifundio Philologico ἀμφισβητήσιμα decerpit, eaque lectu jucunda admodum et ſcitu neceſſaria Docet inter alia, aliud eſſe Grammatice loqui, aliud Latine loqui, aliud Romane loqui: et ſi qui forte Romane loquuntur; raro tamen genium illum Ciceroniani ſaeculi adſequis

qui: multa regulis Grammaticae aptari haud poſſe, et tamen bene Latina eſſe: pro orthographia regulas vulgo nullas, aut exiles dari: multa in N. T. eſſe Latina: quaenam verba obſoleta ſint, et quando uſurpari queant: *Miſtum* uſitatius multo eſſe τῷ *Mixtum*; et *Nixus* uſitatius eſſe τῷ *Niſus*: Ciceronem, Plautum, Virgilium gratiam ac ſplendorem apud doctos quidem candidosque non amittere, etiamſi vel ſuo vel ſaeculi vitio aliquot forte maculae inſederint: dictiones et loquendi modos non paucos diverſarum gentium conſonare; cujus rationem habeamus diverſam: uſui tribuenda contra rationem multa eſſe. Et ſic plura *Becmannus* in hoc Schediaſmate ſuo diſputat tum exiliter, tum etiam erudite. Ad calcem multa addit, quae ſpectant ad Proſodiam controverſam ac dubiam.

EIVSDEM, *Apologeticus pro Schediaſmate contra Antiſchediaſma.* Witteb. 1614. 8.

Laurentii BEGERI *Theſaurus ex Theſauro Palatino ſelectus*, ſive *Gemmarum et numiſmatum, quae in Electorali cimeliarchio continentur, elegantiorum ſeries, aere expreſſa et convenienti commentario illuſtrata.* Heidelbergae 1685. fol.

EIVSDEM *Theſaurus Brandenburgicus ſelectus*, ſive *Gemmarum et numiſmatum Graecorum in cimeliarchio Brandenburgico elegantiorum ſeries, Commentario illuſtratus.* Coloniae Marchicae 1696. fol.

Bina haec opera admodum ſplendida ſunt. Regnat *Begerus* in hoc ſtudiorum genere: ſed, ſi litteras ſpectes interiores et eruditiſſimas obſervationes, multis paraſangis eum hoc ipſo in ſtudio poſt ſe relinquunt ſummi heroes *Ezechiel Spanhemius*, *Joh. Petrus Bellorius*, *Antonius Franciſcus Gorius*, *Joh. Valens*, Gall. *Vaillant*, *Franc. Mediobarbus Biragus*, *Hubertus Golzius*, et *Johannes Harduinus*, prodigioſae eruditionis vir. Ceterum cui lubet, ſcripta illa omnia, quibus res nummaria Romana illuſtratur, ſibi nota reddere; is vero adeat *Bibliothecas nummarias Anſelmi Bandurii*, et *Philippi Labbei; Caroli Patini Introductionem ad hiſtoriam et cognitionem rei nummariae; Rudolphi Capelli Nummophylacium Luderianum; Ezechielis Spanhemii Praefationem*, ſplendidiſſimo ejus *Operi de praeſtantia et uſu numiſmatum antiquorum* praemiſſam, qua de Auctoribus omnis generis nummariis, editis atque ineditis agitur; *Hiſtoriae rei nummariae veteris Scriptores aliquot inſigniores*, cum *Bibliotheca nummaria et Praefat. Adami Rechenbergii*, ed. Lipſ. 1692. 4; *Matth. Hoſti Hiſtoriae rei nummariae veteris libros V*, Francof. 1580. 8; *Johannis Seldeni Bibliothecam nummariam*, et tandem *Burcardi Gotthelfi Struvii Bibliothecam numiſmatum antiquiorum*; et hujusmodi libros alios.

EIVSDEM *Regum et Imperatorum Romanorum Numiſmata aurea, argentea, aerea, cum* Rubenii *Commentario.* Colon. 1700. fol.

EIVSDEM *Obſervationes et Conjecturae in numiſmata quaedam antiqua:* acced. duae *Ez. Spanhemii* ad auctorem Epiſtolae, iisque interjecta Auctoris ad priorem reſponſoria. Coloniae Brandenburgicae 1690, 1691. 4 maj.

EIVSDEM *Spicilegium antiquitatis, ſive Variarum ex antiquitate elegantiarum, cum figg.* Colon. 1692. fol.

EIVSDEM *Colloquium de tribus primis Theſauri Antiquitatum Graecarum voluminibus.* Sine mentione loci, 1702. fol.

Valde etiam celebrantur hujus auctoris *Lucernae veterum ſepulcrales iconicae, Colon. March. 1702. fol.* item *Ejusdem Poenae Infernales Ixionis* et *Ulyſſes Sirenes praetervectus;* item *Ejusdem Meleagrides et Aetolia ex numiſmat. κυμων ap. Golzium, Berol. 1696. cum figg. 4.*

Jo. Petri BELLORII *Selecti duo nummi Antoniani.* Amſt. 1685. 12. cum fig. aen.

EIVSDEM *Adnotationes nunc primo evulgatae in duodecim priorum Caeſarum numiſmata, ab Aenea Vico Parmenſi olim edita, noviter additis eorumdem Caeſarum imaginibus, majori forma a praeſtantioribus Chalcographis aeri inciſis.* Romae 1730. fol.

Joh. BELLOVACENSIS ſcripſit *Vocabularium.* In quod plurima ex Papiae Vocabulario auctor non diffitetur ſe tranſtuliſſe.

I. P. BENDELERI *Syntaxis cum Apologia.* Aſcherslebii 1699. 8.

Honorificam ejus mentionem injicit *Joach. Langius* in Praef. Grammatices ſuae p. 44.

M. Johannis BENTZII, Bruxellenſis, *Theſauri latinitatis purae compendium, in quo ſimplicibus vocabulis natura cohaerentibus omnes Ciceronianae loquendi formulae eadem naturali ſerie ſubjunguntur.* Argentor. 1596. 8. In gratiam ſtudioſae juventutis denuo excuſum et pro uberiori litterarum profectu Graecis vocabulis auctum *a M. Nicolao Ferbero,* Argentinenſi, 1616. 8.

Concinnavit *hunc Theſaurum* ad mentem ſui quondam praeceptoris, *Johannis Sturmii,* viri in hoc litterarum genere et bonarum artium diſciplina celeberrimi. In *duas* autem librum diſtinxit *Partes, Parte*

priori

priori repraeſentantur vocabula ſimplicia per gradus aliquot diſtributa, *Parte poſteriori* verba ſimplicia cum ſuis ſynonymis, affinibus, cognatis et conjunctis exhibentur, eo diſtincta ordine, quem natura et conditio rerum et humanarum actionum ipſa ſuggerit: ſingulique loci illuſtrantur per certos quosdam et evidentes loquendi modos Ciceronianos.

Edidit etiam *Theſaurum pure loquendi et ſcribendi Graeco-Latinum*, Baſil. 1581. et Argentinae 1594. fol. quo praeſtantiſſimos Graeciae ſcriptores, Demoſthenem, Iſocratem, Platonem, Ariſtotelem et Xenophontem ſequitur: quod ſane opus omnibus in Graeca eloquentia collectaneis praeferendum eſt; et in quo concinnando *Sturmii*, praeceptoris ſui, conſilia ſimiliter ſecutus eſt. Idem quoque in Latina lingua ſimile quid tentavit; ſed *Compendium* tantummodo illud *Theſauri latinitatis purae*, quod heic in orcheſtram producitur, ab illo habemus, vel ſic tamen magno uſui futurum. Quem ſi ille laborem ad exemplum *Theſauri* ſui *Graeci* inſtituiſſet, adductis integris auctorum ſententiis et appoſito loco; haberemus profecto in illo genere opus elaboratiſſimum. *Morh.* Polyh. Tom. I. p. 565.

Priori libro praemittitur ὁμοιοτέλευτον Litteratiſſimi Viri, *Alexandri Hegii, magni Deſ. Eraſmi Roterodami quondam Praeceptoris*, quo ſuo tempore juventutem ſtudioſam ad amorem et ſtudium linguae Graecae cohortari, atque incitare ſolitus fuiſſe legitur, ſic ſcribens:

Quisquis Grammaticam vult diſcere, diſcito Graece.
Argumentari qui vult bene, diſcito Graece.
Qui vult Rhetoricen perdiſcere, diſcito Graece.
Sive Mathematicam quisquis vult, diſcito Graece.
Quique libros ſacros vult noſcere, diſcito Graece.
Quique libros Juris vult volvere, diſcito Graece.
Artibus et Medicis intentus, diſcito Graece.
Hiſtorias rerum perluſtrans, diſcito Graece.
Qui Graece neſcit, male ſcribit nomina rerum.
Qui Graece neſcit, male diſputat organa rerum.
Qui Graece neſcit, male profert lumina rerum.
Qui Graece neſcit, confundit plurima rerum.
Qui Graece neſcit, neſcit quoque doctus haberi.
In ſumma: Grajis debentur ſingula doctis.

Joh. Guil. BERGERI *De naturali pulchritudine orationis ad excelſam* Longini *diſciplinam, illuſtri continentique Caji Julii Caeſaris exemplo exacta, Liber commentarius.* Lipſ. 1719, 1720. 4.

Hunc et alios non nullos hujusmodi libellos, qui potiſſimum ad elocutionem, quatenus generatim ea conſideratur, ſpectant, in ſcenam volui producere, quod multa praecipiunt, quae non modo integrum orationis perficiant habitum, ſed etiam abſono et lutulento dicendi modo obſtent, et ſic latinitatem etiam noſtram cupiant eſſe ab omni labe prorſus immunem.

Dionyſii Longini liber περὶ ὕψους i. e. *de ſtili charactere* illo, quem *grandem* vocant, majeſtatem illam, quae dicendo et per verba exquiſita

eniteſcit, egregie exponit: dignus proinde habitus, qui in varias linguas transferretur; de quibus, atque inſuper de ejus editionibus videatur Morh. Polyh. p. 944. ſeq. ubi tamen omiſſa illa editio eſt, quae eum verſione et notis prodiit Oxonii 1613. Vel in ipſam linguam noſtram vernaculam tranſtulit eum, et doctis adnotationibus illuſtravit *Carolus Henricus Heinekenius*, ſub hoc titulo: Dionyſius Longin *vom Erhabenen, Griechiſch und Teutſch, nebſt deſſen Leben, einer Nachricht von ſeinen Schriften, und einer Unterſuchung, was Longin durch das Erhabene verſtehe.* Dresd. 1737. 8 maj. Mit einer neuen Vorrede, ibid. 1742. 8 maj. Uſum autem ſcripti hujus Longiniani nemo docuit praeclarius, quam *Bergerus* noſter in libro modo laudato; cui non accedit ſolum *Chreſtomathia Longiniana*, verum etiam *Panegyricus S. C. M. Carolinae devotus*, qui illuſtre praebet Grandis Characteris exemplum. Cum hoc conferri meretur *Silvani Traité du Sublime*, Pariſ. 1732. 12. evulgatus, in Nov. Act. Erudit. Supplem. Tom. III. Sect. 7. recenſitus et multa laude affectus. Addantur etiam *Geo. Guil. Kirchmaieri* Diſſ. *de magnifico Orationis Panegyricae Apparatu* Wittenb. 1695: It. *Chriſtoph. Wollii* Diſſ. *de eo, quod ſublime eſt in his Moſis verbis*, Γενήθητω φῶς, ad Longin. π. ὕψ. Lipſ. 1735. 4. It. *Phil. Dav. Kraeuteri* Diſſertatio *de eo, quod ſublime eſt in Oratione, ad defendendum Longinum*, Jenae 1738. 4. Sic nimirum commendat Longinum, atque ejus interpretes, apologetas, atque eos, qui ſimile quid tentarint, Vir doctiſſimus *Jo. Henr. a Seelen*, SS. Theol. Licent. et Gymn. Lub. Rector, ad Joh. Kirchmanni Rudimenta Rhetoricae p. 159. ſeqq.

Bergerus in Praefatione cenſum agit eorum, qui apud Graecos et Latinos de arte bene dicendi, tradendis praeceptis, valde quondam meriti ſunt.

Matth. BERNEGGERI *Obſervationes miſcellae.* Argent. 1669. 8.

Auctor, vir πολυμαθέστατος, nil heic profert, niſi quod perfectum ingenio, elaboratum induſtria et magno eruditionis litterariae apparatu ornatum ſit.

Georgii BERSMANNI *Calligraphia Ovidiana, cum Germanica paraphraſi.* Lipſ. 1620. 8.

Frid. BESSELII *Miſcellaneorum Philologico-Criticorum Syntagma, quibus multa Juris Romani veterumque auctorum loca explicantur et illuſtrantur.* Amſtel. 1742. 8 maj.

Mart. BINNERTI *Dictionarium Teutonico-Latinum.* Amſt. 1718. 8.

Recenſetur in Novell. litt. Lipſ. a. 1718. p. 738.

Franc. Mediobarbi BIRAGI *Numiſmata Imperatorum Romanorum a Pompejo M. ad Heraclium, ab Adolpho Occone olim conge-*

congeſta, Auguſtorum Iconibus, perpetuis Hiſtorico-Chronologicis notis, pluribusque additamentis jam illuſtrata, cum figg. aen. Mediolani 1683, 1730. fol.

Johannis Georgii BIRNDÜMPFELS *Libellus de vera ratione legendi rerum artiumque ſcriptores, ex ſelectiſſimis doctorum virorum libris collectus et concinnatus.* Jenae 1677. 12.

Bene multa monet Auctor de methodo docendi linguam Latinam, ſpeciatim p. 17, 18, 19. ſeqq. inculcat prudentiſſime, quid agendum ſit circa obſcoena aut parum decora, in libris veterum interdum occurrentia, adjuncto hoc epiphonemate: *Caveat modo lector, ne libros honeſtos impuro animo conſpurcet, et ſic ſorditiem adferat, non referat.*

Joh. Mart. BISCHOFFII *Theſaurus novorum Synonymorum, Epithetorum et Phraſium Poeticarum.* Francof. 1740. 8.

Ant. BLACKWALLII *de Praeſtantia claſſicorum auctorum Commentatio.* Latine vertit, atque animadverſionibus inſtruxit *Georgius Henricus Ayrer.* Accedit *Ejusdem Diſſertatio de comparatione eruditionis antiquae ac recentioris:* itemque *Joannis Lucae de monumentis publicis Latine inſcribendis Oratio.* Lipſ. 1735. 8 maj.

Tria ſcripta hoc uno volumine traduntur, quae quamvis diverſos habeant auctores, diverſisque prognata ſint temporibus, argumenti tamen cognatione ſe quam proxime contingunt. Primum ſcriptum *Blackwallio*, Anglo, debetur, qui, ſicut in ſacra cathedra cum laude verſatus eſt, ita ſacrarum litterarum cultores maximopere ſibi devinxit, quod Novi Foederis divinos ſcriptores non ſolum illuſtravit, ſed etiam eorum excellentiam adverſus frivolas quorumdam Criticorum obtrectationes defendit. Jam ante vero, quam ad hanc ſe accingeret operam, *claſſicorum praeſtantiam auctorum* commentatione tuitus eſt, quam nova fere indutam forma, *Ampliſſ. Ayrerus* heic ſiſtit. In illa enim ex Anglico in Latinum transferenda ſermonem, id magis egit, ut mentem, quam ut verba redderet auctoris. Locos praeterea, qui ex antiquis ſcriptoribus ſaepe a Blackwallio inſperſi, ac rarius indicati ſunt, ex ipſis adduxit fontibus, plures paſſim ſubjecit ſimilis argumenti, et quae omiſſa videbantur, operam dedit, ut ſuppleret, omniaque, melioris ordinis uſusque commodioris cauſſa, in capita digeſſit. Partem fetus hujus Blackwalliani alteram, Rhetorices continentem praecepta, et recentiorum potiſſimum, Anglorum in primis ſcriptorum, exemplis illuſtratam, quod nihil praeter troporum et figurarum indolem, jam a tot aliis traditam, explicaret, heic addere *Ayrerus* ſuperſedit. Quum autem *Blackwallius*, claſſicorum auctorum famae non melius poſſe conſuli, merito exiſtimaverit, quam ſi argumentorum, quibus recentioris ſaeculi fautores nimii adverſus ipſos ſunt uſi, non nulla removeret,

veret, alia potiora, pro illorum vindicanda præſtantia, ſubſtitueret, inde *Ayrero* enata fuit occaſio *Diſſertationem de comparanda eruditionis antiquae, et recentioris*, ſubjungendi. Quod argumentum excutere dum ſuſcepit, operae pretium ſe facturum eſſe arbitratus eſt, ſi, rem altius repetens, primum ad *Auguſti aevum* adſcenderet, quo ipſos, qui jam, elapſo tot ſaeculorum ſpatio, antiquorum nomen ferunt, ſcriptores antiquioribus palmam reddidiſſe dubiam, videamus; deindè ad *carmen Perralti*, quod inſcribitur *Saeculum Ludovici M.* accedens, controverſiam, a *Perralto* excitatam, paullo plenius enarraret; denique adderet, quae, noſtra memoria, hac de re fuerint diſceptata. Ephemeridum, quas vocant, litterariarum conditores, et Hiſtoriae Litterariae ſcriptores paſſim quidem hanc attigerunt contentionem: ſed præterquam quod non nulli vel ſcripta, quae illa produxit, non ſuo poſuere loco, vel aliena prorſus immiſcuerunt, vel eo pertinentia omiſere; plurimi, brevitati ſtudentes, ſatis habuerunt, eorum titulos tantummodo indicare. Quo lis autem tota faciliori poſſit dijudicari negotio, ſcripta, quotquot eorum editor invenire potuit, ipſa inſpexit, et potiora utriuſque partis argumenta examinavit. Hiſce *orationem*, quam *Joh. Lucas* de *Monumentis publicis Latine inſcribendis*, quondam Pariſiis habuit, curavit adnectendam, vel apud illos aliquam initurus gratiam, qui eam, utpote non ubivis obviam lectuque digniſſimam, luci publicae reſtitui optarunt. Hic eſt conſpectus libri hujus trimembris, quem quidem dare Lectori volui ipſis Ampliſſimi Ayreri verbis in Praefatione ejusdem occurrentibus.

Quod ad ipſam litem illam attinet, qua his maxime temporibus noſtris mutua animorum contentione modo pro palma recentioris noſtrae aetatis eruditis concedenda, modo pro veterum ingeniis aevi noſtri doctrinae anteferendis, depugnatum eſt; *Ayrerus* mediam cum ſapientioribus incedit viam inter Gallorum eos, qui cum *Perralto* nimis deprimunt veteris ſapientiae gloriam et ſermonem omnem Quiritium, linguae vernaculae ſuorumque ingeniorum vim et acumen longe anteferentes, et inter eos, qui cum *Nicol. Boileau* et aliis viris quam plurimis Perralto ſapientioribus ac doctioribus, et doctiſſima, quam honoris cauſa nomino, *Anna Daceria*, Tanaquilli Fabri filia, eadem prae his vehementer extollunt. Succinctam eruditae hujus controverſiae hiſtoriam exhibet Ampliſſ. *Gottlieb Stollius* in Introductione in Hiſt. Litter. p. 11. et *Clar. Weberus* in Hiſt. Lat. linguae p. 267. ſeq.

Joh. Benedictus Carpzovius, quintus hujus nominis a Patre, Avo, Proavo et Atavo in una ſerie, Lipſia hoc anno 1748 Helmſtadium, tamquam Graecae linguae Profeſſor, vocatus, edidit ſub hujus muneris auſpicium Epiſtolam votivam ad Conſultiſſimum et Ampliſſimum virum Danielem Haecks I. V. D. et S. R. I. Lib. Civitatis Lubecenſis Senatorem ſcriptam de Antiquae ac recentioris doctrinae comparatione: quae lectu quoque digniſſima eſt et cum laudato libro Blackwalliano omnino conjungenda.

Franciſci

Franciſci BLANCHINI *Dictionarium Latino-Epiroticum.* Romae 1635. 12.

Jo. Henrici BOECLERI *Diſſertatio de comparanda Latinae linguae facultate:* juncta *Jo. Schefferi* libro *de Stilo exercitiisque ejus*, et Ejusdem *Commentationi*, quae *Gymnaſium Stili* inſcribitur. Jenae 1690. 8.

Diſſertatiuncula haec, quae ſub nobiliſſimo *Boecleri* nomine exiit, paucis ea complectitur, quae *Schefferus* in binis illis libris, quibus ſubjunctam eandem eſſe videmus, pluribus perſecutus erat, additis etiam non nullis, quae illic fruſtra quaeras. Ipſe autem *Boeclerus* in *Praefat. ad Notitiam Imperii* hanc Commentationem pro ingenii ſui fetu haud agnoſcit. Eo enim conſilio, ut vulgaretur, conſcripta neutiquam eſt, immo a magno illo viro ne quidem ſtilo concepta, aut in chartam conjecta, ſed ex ore illius ab auditoribus ejus proprio cujusque ſtilo excepta, et cum aliis deinde communicata fuit: quo factum eſt, ut ſubinde hient ſenſus, nec ſatis cohaereat oratio; multa quoque, Graeca praeſertim, vitio deſcribentium, corrupte legantur. Eſt autem protruſa in publicum, Boeclero primum quidem inſcio, deinde etiam eodem multum indignante. Interim quae in hac Diſſertatione aut deeſſe, aut parum dilucide emendateque ſcripta videntur, ea ex ejusdem *Diatriba de Eloquentia viri civilis* et *Exercitationibus Rhetoricis ad librum IV Flori*, poſſunt facili negotio ſuppleri atque emendari, aut potius, ipſo auctore ac ſuaſore, inde praecipue peti, quae ad hoc argumentum ſpectant. Quinque autem capitibus conſtat haec Boecleri Diſſertatio. Caput 1. agit de auctoribus ad hunc ſcopum praecipue et proprie accommodandis; Cap. 2. de accommodatione ipſa h. e. de tractatione horum auctorum; Cap. 3. de exercitationibus ad imitationem eorum ducentibus ſeu de ipſa imitatione auctorum; Cap. 4. de adjumentis quibusdam totius laboris; Cap. 5. de obſtaculis non nullis et turbamentis hujus ſtudii.

Juſti Chriſtophori BOEHMERI *Oratio de Latinarum litterarum atque eloquentiae ſtudiis negligenter hodie cultis et diligentius colendis.* Helmſt. 1701. 4.

Habita ab Reverendiſſimo et Illuſtri quondam Auctore, Liberi et Imperialis Coenobii Loccumenſis Abbate, Auguſtiſſimi Magnae Britanniae Regis et Electoris Brunſvico-Luneburgici a Conſiliis Provincialibus, et Statuum Calenbergenſium Primate, Praeceptore quondam noſtro, quum munus alterum, Eloquentiae docendae Profeſſionem ordinariam in Academia Julia auſpicaretur: recuſa a. 1715, medium obtinens locum inter *Orationes tres, docendi in Academia Julia muneribus ordinariis praemiſſas.*

EIVSDEM *Proluſio de dicendi ſcribendique ſtudiis, omnibus vitae generibus neceſſariis.*

EIVSDEM

EIVSDEM *Proluſio de melioribus ſtudiis propter ſe ipſa excolendis, ſi vel maxime ampliores nec divitias hodie, nec honores polliceri videantur.*

Vtraque Proluſio reperitur inter *Proluſiones VII publicarum lectionum auſpiciis in Academia Juliae praemiſſas*, edd. Helmſt. 1707. 4.

Plures ejusmodi commentationes, quae vel purioris latinitatis cauſam agunt, vel certa quadam ratione eloquentiam Romanorum illuſtrant, a *Boehmero* profectæ ſunt; quas videre licet in Indice ſcriptorum ejus, quem una cum ejusdem vitae delineatione ſubjunxit *Panegyrico*, Boehmero huic ab ſe dicto, *Erhardus Reuſchius*, ed. Helmſt. 1732. fol.

M. Joh. BOHEMI *Paraeneſis ad ſtudia linguarum Latinae, Graecae, Hebraicae, et quae his ſunt cognatae.* Dresdae 1652. 4.

Georgii Dieterici BOHMII *Commentarius de Particulis*, cum Praefatione *Chriſtophori Auguſti Heumanni.* Francof. 1718. 8.

Magno labore congeſtus in gratiam tironum, qui, quum vertere aliquid Latine volunt, particularum Germanicarum uſum, ex defectu lectionis atque hinc corroborati ſatis judicii, cum Latinis perperam commutare ſolent. Horum igitur hallucinationibus hoc praecipue libro obviam itur. Ornat eumdem *Praefatio S. R. Heumanni*, vel ob ſolam illam obſervationem, quam de uſu ac ſignificatione interiori quadam ac recondita Particulae γὰρ in medium profert, digna, quae etiam atque etiam legatur.

EIVSDEM *Praxis ſyntaxeos Gerundiorum et Participiorum.* Jenae 1724. 8.

Varium Gerundiorum et Participiorum omnium ſignificatum, uſum et conſtructionem oſtendit, et illuſtrat per locutiones apud probatiſſimos veteres auctores occurrentes, et per formulas Germanicas ad imitationem Latine vertendas: atque adeo hanc Grammatices Methodicae particulam tam clare ac dilucide proponit, ut nemo puerorum tam hebeti ingenio facile videatur eſſe, qui praeſcripto modo capere iſtam non poſſit. Praefationem libello adjecit *M. Andreas Weber*, Lycei Prov. Arnſtad. Rector.

EIVSDEM *Lateiniſcher Syntaxis.* Jenae 1707. 8.

Joh. Jac. BOISSARDI *Antiquitates urbis Romae.* Rom. 1597. Francof. 1692. fol.

Multorum locorum apud Latinos veteres occurrentium uberiori illuſtrationi inſerviunt. Auctor primi ordinis eſt inter eos, qui Antiquitates Romanas illuſtrarunt, et, quod in hoc opere ſuo fecit, inſcriptiones antiquas colligere coeperunt.

Octavii

Octavii BOLDONII *Epigraphica ſ. Elogia Inſcriptionesque quodvis genus pangendi ratio, ubi de inſcribendis Tabulis, Symbolis, Clypeis, Tropaeis, Donariis, Obeliſcis, Aris, Tumulis, Muſeis, Hortis, Villis, Fontibus, et ſi quae ſunt alia hujusmodi monumenta, facili methodo diſſertatur, ſubjectis exemplis antiquis ac recentibus.* Auguſtae Peruſiae 1660. fol.

Vaſtiſſimum opus, nec ita tamen adornatum, ut fieri vel poterat, vel debebat. De inſcriptionum veterum aetate dignoſcenda, et de earumdem ſtilo quaedam adferuntur haud vulgaria.

EIVSDEM *Epigraphae religioſae, memoriales, mortuales, encomiaſticae, reſtituto Theatro Montio et Coſmopoeïa Mediceo-Roverea.* Romae 1670. fol. typis Nic. Angeli Tinaſſi.

Marci Antonii BONCIARII *Grammatica linguae Latinae.* Paſſim apud Italos typis excuſa eſt.

Auctor optimorum Grammaticorum habetur numero. Hoc ejus Compendium in omnibus Italiae ſcholis receptum eſt. Scripſit etiam *de Orthographia Commentarium.*

T. BONII *De poëtica facultate libri II.* Venet. 1608. 8.

Liber bonae notae, ſed valde infrequens.

Martini BORK *Diſſertatio, qua evincitur, aliqua Latine dici, negari difficilius, quam adfirmari.* Jenae 1734. 4.

I. Quum in omni vita veriſſimum eſſe, tum maxime in elegantiorum litterarum cultorem valere cenſeo Socratis illud apud *Xenophontem*: [1]) ὀυ πάνυ ῥάδιόν ἐστιν ἐυρεῖν ἔργον ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχοι. Χαλεπὸν γὰρ οὕτω τι ποιῆσαι ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν, χαλεπόν δε καὶ ἀναμαρτήτως τὶ ποιήσοντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν. Etenim *Gronovio* judice [2]) *vix ullus eſt ingenii labor, in quo aut major diſſentiendi libertas, aut proclivior lapſus.* Vtriusque rei documento vel unus eſt *Cicero;* qui quum *perfectum Velleio* [3]) ſit *eloquentiae decus, quo Fabii* ſententia [4]) *nihil perfectius:* nihilo minus neque manifeſtum errorem effugere potuit, [5]) neque vituperationem cum veterum, tum recentiorum. [6]) Sed plura generatim perſequi nunc non eſt inſtituti noſtri. Quare ad propoſitum veniemus, & in praeſenti demonſtrabimus, *difficile eſſe adſirmare aut negare aliqua Latine dici; ſed tamen hoc, quam illud difficilius videri.*

1) In memorab. libr. II. p. 758. ed. Wechel. quorum verborum hæc eſt ſententia: *non facile reperiri poteſt opus, in quo non aliquis culpetur difficile enim eſt omnino aliquid conari, et praeſtare citra errorem et accuſationem: difficile vero etiam, ubi quid vere et ſine errore praeſtiteris, tamen non incurrere alicujus judicium iniquum et reprehenſionem.*

2) *Jo. Fred.* in dedicat. obſervat. ed. alt. 1662.

3) In hiſt. rom. libr. I. c. XVII. n. 111.
4) In inſt. orat. libr. XII. c. I.
5) Noct. att. libr. XV. c. VI.
6) *Morhof.* polyh. t. I. libr. IV. c. IX. §. VII. *Dornmeieri* diſp. de vitioſo circ. imitat. §. IX-XIII. et dialogus, qui praeſcribitur *Cicero relegatus*, in collect. de imitatione orat. celeberr. *Hallbaueri*.

II. *Latine loqui* eſt, iis verbis ſenſa mentis explicare, quibus Romani idem dicturi uſi ſunt. Hanc definitionem confirmat uſus loquendi. *Ciceroni* [1]) *Latine loqui eſt, pure et emendate loqui;* ſive *verba efferre ea, quae nemo jure reprehendat.* [2]) *Fabio*, [3]) cui *vetus ſermo* nihil eſt aliud, quam *vetus loquendi conſuetudo*, Latinus ſermo erit Latine loquentium conſuetudo. Conſuetudinem ſermonis vero vocat *conſenſum eruditorum.* *Scioppius* inquit, [4]) *qui ſequitur regulas, neglecta conſuetudine, loquetur grammatice, ſed non Latine: qui vero ſequitur conſuetudinem, neglectis licet regulis, loquetur Latine.* Hinc *Schorus* cenſet, [5]) *latine diſcere nihil fere eſſe, niſi obſervare, quemadmodum optimi auctores ſunt locuti.* *Latinitas* vero ſcriptori ad *Herennium* [6]) *eſt, quae ſermonem purum conſervat, ab omni vitio remotum; Maximo Victorino* et *Diomedi* [7]) *eſt obſervatio incorrupte loquendi ſecundum linguam Romanam. Conſtat autem tribus modis* (alii numerant quatuor ut *Quinctilianus* et *Chariſius*) [8]) *ratione, auctoritate, conſuetudine. Ratione, ſecundum technicos, id eſt, artium traditores. Auctoritate, veterum ſcilicet lectione. Conſuetudine, quae doctorum modo loquendi uſu placita aſſumtaque ſunt.* Vel ut MS. *Jac. Revii* habet: *conſuetudine eorum, quae e medio loquendi uſu placita ſunt.* [9]) Quae omnia, ſi recte ea ceperis, nobis adeo non adverſantur, ut potius optime nobiſcum conveniant, noſtra dilucidiora faciant, eademque comprobent. [10])

1) De opt. gen. oratt. c. II.
2) De orat. libr. III. c. XI.
3) In inſt. or. lib. I. c. VII. extr.
4) In gramm. phil. qu. III. de ſynt. irreg.
5) Sub voce *abſtineo*.
6) Lib. IV. c. XII.
7) Huic in de re gram. apud *Putſchium* p. 1938; illi libr. II. de Latin. p. 3.
8) In inſt. orat. lib. I. cap. VI. p. 71. lib. I. inſt. gram. p. 35. ed. *Putſchii.*
9) Vid. *Burm.* ad Ovid. Tom. I. p. 633.
10) Vid. *Catanaeum* ad *Plin.* l. I. ep. X. p. 42. ed. *Cortii.* Amſtel. 1734.

III. Latine igitur locuturus verbis utatur, non ſolum ſingulis, ſed et junctis, et, quod probe notandum, ea ſignificatione, quibus Romani uſi ſunt (§. 11.)

IV. Verba *ſingula* vocamus cum *Sturmio* [1]) non ſolum *nomina* et *verba*, ut grammatici loquuntur, ſed etiam *particulas*. Nam *ſine his*, inquit *Turſellinus*, [2]) *conjunctionibus et quaſi vinculis, non ſecus atque humanum corpus ſine nervis, diſſoluta minimeque inter ſe apta et cohaerens*

rens

rens languet oratio. Itaque non immerito fortaſſe Caligula ille Caeſar hoc nomine Senecam irriſit, quod ejus ſcripta arenam ſine calce eſſe diceret.

1) Lib. II. de imit. orat. ſchol. ad c. IV. in laudata collat. *Hallbauri.*

2) In praef. lib. I. de particulis lat. or.

V. Verba *juncta* vero nobis ſunt cum formae dicendi, quas *phraſes* vocant, tum tota orationis ſtructura.[1]) Ad illas quod adtinet, fieri poteſt, ut aliqua loquendi formula ex puriſſimis compoſita ſit vocabulis, nec tamen ipſa ſit pura et Latina. Conſuetudinis enim, quae in omni vita plurimum valet, in ſermone quoque maxima eſt poteſtas.[2]) Verba igitur, quae Romani non junxerunt, jungenda non ſunt. (§. II.) [3]) Vnde *Cicero Caelium* et *Marcum Antonium* reprehendit, qui ſuo arbitratu, non ex uſu loquerentur. Sic v. gr. *facere iniuriam*, pro inferre, dicunt Latini: contra *facere damnum*, pro inferre, non dicunt.[4]) Sed praeter dicendi formas et tota orationis ſtructura adtendenda eſt. Hinc *Gisb. Cuperus* notavit eos,[5]) *qui Ciceronem alioſque optimos nil niſi phraſes loqui docuerunt, eoſque excerpendo, edendo et diſcendo, compendium ſtudiis quaerunt.* Appoſite in hanc rem, quamquam de cultiore ſtilo loquatur, *Facciolatus:*[6]) *Latinae linguae laudem, neque totam neque praecipuam in ſoloeciſmis vitandis collocari puto, quod eſt emendate loqui; ſed in ipſa potius plena ac tereti compoſitione verborum, in colore, et quodam habitu, ut nihil diffluat, nihil fluctuet, ſed tota permiſta et temperata numeris, aequabiliter conſtanterque feratur oratio, quod unum eſt, ſi recte ſentio, Latine dicere.*

1) Vid. *Schoenslederi* praef.

2) *Horat.* de art. poet. verſ. 71. ſeq. *Quinct.* inſt. orat. l. I. c. VI.

3) Vid. *Goclenii* obſ. lat. ling. p. 1.

4) In dedicat. obſervatt.

5) Vid. *Sanctii* diſp. de lat. lingua comparanda non colloquiis, ſed ſtilo, reſp. ad obi. 1.

6) In orat. de Lat. lingua non ex Grammaticorum libris comparanda p. m. 15.

VI. Non Latine, ſed Barbare loquuntur, qui quidem iisdem, quibus Romani, verbis utuntur, ſed alio prorſus *ſenſu*, quam quo illi iis uſi ſunt. Quare diximus, iis utendum eſſe verbis, quibus Romani, *idem dicturi* locuti ſunt. (§. II.) Barbare, cenſente *Burmanno*, dixeris, *ſubmiſſa voce* loqui, pro ſuppreſſa voce, *leiſe:*[1]) *habilis*, pro dextro et ſolerte viro, *habile*, Gallorum lingua:[2]) *ſervire*, pro officium alicui praeſtare, conſulere ſaluti et vitae.[3]) Sed *non poſſumus* dicit,[4]) *nimio laborare faſtidio.* Reſpondet *Kappius:*[5]) *faſtidium illud cultioris ſtili ſtudioſis vitio verti adeo non poterit, quoniam Latina lingua nunquam ad eam fuiſſet et elegantiam et majeſtatem noſtra aetate evecta, niſi in ea multa, tanquam Romana civitate indigna, rigidi ſermonis cenſores faſtidiſſent.* Vide omnino quae cel. *Halbauerus* docet.[6])

1) Ad *Val. Flac.* p. 628. et ad *Ovid.* Tom. II. p. 457.

2) l. c. p. 604.

 3) l. c.

3) l. c. p. 620.
4) *Jenſius* in collectaneis p. m. 33.
5) Notis ad *Jenſii* l. c.
6) *In der Einleit. zum Lat. ſtilo* p. 307.

VII. Quibus Romani verbis, cum ſingulis, tum junctis, et quo iis ſenſu uſi fuerint, nos quidem non niſi ex illis Romanorum monumentis, quae naufragium evaſerunt, quorumque potiſſima ſunt ſcripta eorum, nunc diſcimus. Vbinam enim gentium hodie eſt provincia, in qua lingua illa Romana ita vigeat, ut eam uſu, et conſuetudine, cum civibus addiſcere poſſis, aut a primis ſtatim unguiculis una cum lacte matris imbibere? [1])

1) Vid. *Heineccii* ſtili cultioris fundamenta part. III. c. I. §. 1. coll. *Heumanni* poecile tom. I. l. I. c. XII. p. 94.

VIII. Scriptorum Latinorum, ex quibus hauriendus eſt ſermo Latinus, quamquam bona eorum pars temporum perierit injuria, infinitus tamen eſt numerus: [1]) de reliquis Romanorum monumentis, nummis, lapidibus, inſcriptionibus, ut nihil dicamus.

1) Vid. *Jo. Alb. Fabricii* bibliothec. Lat.

IX. De Latinitate qui judicium ferre cupit, multum prius excutiat omne genus ſcriptorum, aetates auctorum conferat, temporis rationem habeat, nec verba modo, ſed et compoſitionem et loquendi genera expendat. Feciſſe id vindicem illum Latinitatis *Chriſtoph. Cellarium*, [1]) qui vel unius vocis *impraeſentiarum* cauſſa integros *Hieronymi* tomos perlegere gravatus non fuit, traditum accepimus; isque recte feciſſe videtur *Jo. Henr. Kromayero*, (cujus immaturo interitu Latinae litterae damnum fecerunt,) qui omnem curam, induſtriam, laborem denique omnem ad id contulerit, quod in primis eſſe ſui officii intellexit.

1) Diſſert. de litt. elegantiorum cultura in academia diligentiſſime continuanda p. 24.

X. Plurima in veterum Romanorum libris ſana atque incorrupta attentarunt perperam critici, & prorſus perverterunt: neque inficiandum, fugiſſe eos non nulla, quae mendoſa jure habeas. [1]) Veriſſima et hic ſunt *Fabii* verba: [2]) *neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique eſſe perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animum, et nonnumquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe videatur.* Fatetur id de ſe ipſo *Burmannus*, cujus his in rebus admirabilis eſt, judice *Kromayero*, [3]) doctrina. Verba ejus digna ſunt, quae huc transferantur; ex iis enim de reliquis, cujuſcunque demum ſint, auctorum editionibus ſtatuere facile erit. Leguntur ea in epiſtola ad *Capperonnerium:* [4]) *numquam equidem, cum Quinctiliano operam darem, tam improbam ſpem conceperam, ut omnibus numeris abſolutam editionem producere poſſem, ſed blandiebar tamen mihi, ſi cum prioribus, a non iniquis eruditionis Arbitris, conferretur haec mea, longo et pleno taedii et moleſtiae, et, ut ita dicam, aerumnabili labore, quem in conferendis ſcriptis et excuſis codicibus exhauſeram, aliquam me gratiam*

a do-

a doctis et humanis viris iniiſſe. Nec etiam tam ſuffenus eram, aut meum umquam induxi animum, ut in tam longo et grandi opere, ad quod elaborandum vix publicae et privatae curae ſatis otii dabant, non hic et illic, vel ingenii et eruditionis tenuitate, vel vitio humani generis, vel denique negligentia et feſtinatione peccaſſe me crederem. Eoque etiam nomine in praefatione ab omnibus, qui umquam ſimili in ergaſtulo ſe incluſerunt, veniam mihi popoſceram, quantique ſit operis, taedii et moleſtiae, tot codices ſimul conſulere et excutere, et annotationes inde publico utiles conficere, plana ſatis oratione expoſueram. Ingenua ſane confeſſio. Mirum igitur, qui anonymus quidam [5]) ita cenſeat: *Burmannus nuper omnes intendit nervos, ut correctiorem nobis Quinctilianum daret: quemadmodum et Capperonnerius. Sed multa (ut mihi videtur) ſubtili critico emendanda reſtant.* Quare dicis *ut mihi videtur*, cum ipſe fateatur?

1) Vid. *Kromayeri* progr. de Virgiliano hebro. *Walchii* hiſt. crit. l. I. p. 394. *Halb.* l. c. p. 413. et *Clerici* art. crit. vol. II. part. III. ſect. I. c. XIV. p. 193.

2) In Inſt. or. lib. X. c. I. p. 884.

3) Laudato programmate.

4) p. 2.

5) In miſcell. obſervatt. in auctores veteres et recentiores ab eruditis Britannis 1731. edi coeptis vol. I. tom. II. p. 138.

XI. Vt igitur quiſque a peſſimis inſtructus erit ſcriptorum Romanorum editionibus, ita in pudendos ſubinde inducetur errores. Quam turpiter ſe dedit cum ſuis, quas ſecutus eſt editiones, *Stubelius* augens *Fabri* theſaurum vocabulis *recommendare* et *intepidus*. Illud quidem, licet *Borrichius*, *Cellarius* et *Vorſtius* damnaverint, in *Phaedro*; [1]) hoc vero in *Celſo* [2]) reperiſſe ſibi viſus eſt. At quam fuerit falſus animi, de priori demonſtrat *Burmannus*, [3]) de poſteriori *Morgagni* [4]).

1) Praef. libr. II. verſ. VII.

2) Libr. VIII. c. IV. §. 1111. p. m. 520. ed. *Almel.* 1730.

3) Ad hunc *Phaedri* locum p. 71. ed. 1727.

4) Ep. III. p. 58. verba ejus leguntur et in ſcholiis ad *Celſum* laudata edit. p. 48.

XII. *Grammaticorum* quoque placita decretaque diligenter excutienda ſunt Latinae orationis ariſtarcho, [1]) quo ſua ſibi conſtet ratio. Quantum vero haec res difficultatis habeat atque laboris, experietur, qui libros cum veterum tum recentiorum grammaticorum, enumeratos in *Walchii* hiſtoria critica, [2]) perluſtrare in animo inſtituet.

1) Conf. *Goclenii* obſervatt. part. I. animadv. XV. p. 30. ſeq. et *Kromayeri* diſp. de litt. eleg. cult. p. 22.

2) a pag. 248. uſque ad 286.

XIII. Latinitatis exiſtimator intelligens non prorſus negligit *analogiam*, quae eſt comparatio ſimilium, qua id quod dubium eſt ad aliquid ſimile, de quo non quaeritur, refertur, ut incerta certis probentur. *Caeſaris* de analogia opus intercidiſſe, vehementer dolent, quotquot humaniores litte-

ras volunt. Ejus rationem cum in ſingulis tum in junctis verbis dicendam eſſe, cenſent viri eruditiſſimi. De illis vide *Marium Corradum*, [1]) *Voſſium* [2]) et *Henr. Stephanum*. [3]) De verbis junctis vero, *Perizonius* [4]): *non ita temere repudiaverim ego locutiones, quas analogia ſyntaxeos et ſignificationis admittit, licet ejus exempla nunc non ſint nobis in promptu: cum multa haud dubie olim, etiam Ciceronis et Auguſti tempore, Latine dicta ſint, quorum tamen exempla et documenta in iis, quae ſuperſunt nobis ex illa aetate, auctoribus deſideramus, et ſaepiſſime eveniat, ut deſiderari putentur, quae tamen in iis occurrunt, ſicuti adverſus Scioppium a viris doctis ſaepe eſt probatum.* Ita v. c. *facere orationem*, quod neminem ſenſu componendi dicturum putat *Sanctius*, *Perizonius* ferendum cenſet, [5]) quoniam dicitur *facio apologum* apud *Plautum*, [6]) et *facere tragoedias* apud *Ciceronem*; [7]) quibus addo illa *Terentii*, [8]) *quas feciſſet fabulas*.

1) De copia Latini ſermonis, quo libro differit de rebus Grammaticis, in primis verborum analogia.
2) *Ger. Jo. Voſſ.* libris III, IV et V ariſtarchi ſui, qui ſunt de analogia.
3) De Latinitate falſo ſuſpecta paſſim.
4) Ad *Sanctii* Min. lib. IV, c. XVII, n. VIII. p. m. 856.
5) p. 291. ad *Sanct.*
6) In Sticho III, I, 64.
7) De ſenectute c. VII.
8) In prologo Andr. verſ. 3.

XIV. Ne autem *Perizonii* unius auctoritatem elevent, plura vaſtae doctrinae virorum adferam teſtimonia. *Burmannus* dictionem *lacerare nece*, quod ſimiles apud claſſicos leguntur auctores, non rejiciendam prorſus cenſet. En tibi ejus verba: [1]) *licet ipſam illam locutionem* lacerare nece *exemplis firmare non potuerint, an ideo damnanda? minime puto, quum proxime accedit* occidit nece, *et* cecidit vir nece. Pari modo loquendi formulam *ſe laſſare* comprobat idem, [2]) et [3]) indignabundus ait: *quae cavillatio, quaeſo, eſt, ſi* damno, clade, poena adfici *Latiniſſime dicatur, negare* malo adfici *recte dici?* *Henr. Stephanus* in libro laudato cum multa habet de analogia, tum haec prae aliis notatu digna: [4]) *poſſumus nobis, cum bona Latinitatis venia, ſequendo analogiam, aliquid permittere. Neque hoc fuerit addere quicquam Latinitati, ſed ad exemplar eorum, quae habemus, alia fingere, quae temporum injuria nobis ademit, ea quam fecimus infinitorum librorum jactura. Vallam verbum* devirginare, *quo uſus eſt in vertendo quodam Herodoti loco, fingere potuiſſe, ac fortaſſe etiam (quamvis apud Paulum Juriſconſultum reperiatur) nullo nitentem exemplo protuliſſe dico.* De analogia vero de verbo *devirginare* caute ſtatuit: nam habet illud *Petronius* [5]) elegantiarum pariter atque nequitiarum arbiter ille. *Kromayerum* adhuc mihi videre videor diſcendi ſtudioſos erudientem atque docentem, *conterere ſe in litteris*, ut apud *Ciceronem* [6]) *conterere ſe in muſicis*, recte dici poſſe.

1) Ad *Phaedr.* lib. I, fab. I, verſ. XIII, p. 5.
2) l. c. lib. II, fab. VI, verſ. X, p. 92.

3) l. c.

3) l. c. p. 17.
4) De Lat. falſo ſuſpecta c. II. p. 190.
5) Cap. XXV. p. 83. ed. *Burm.*
6) De Finib. libr. I. c. XX.

XV. Neque opponi nobis poterit *Cellarius* ſcribens: [1]) ***nihil analogiae tribuimus, ſi auctoritas abſit:*** vult enim id de puriori ſtilo intelligi. Qua in re tantum abeſt, ut defugiendam puteinus *Cellarii* auctoritatem, ut cum *Goclenio* [2]) potius nobis ſit perſuaſiſſimum, ***locutionem puritatis laudem non ſuſtinere, cum analogia deſtituatur uſu recte loquentium: neque prorſus idem eſſe pure loqui et analogice.***

1) In prolegom. ad curas poſter. p. m. 10. ſeq.
2) In problem. Gramm. libr. II. q. XXXIII. p. 88.

XVI. His ſatis cognitis, quae jam explicata ſunt, non erit difficile intellectu, quid ſit *adfirmare aut negare, aliqua Latine dici*: et quantum utrumque, hoc tamen prae illo, difficultatis habeat. De quibus nunc erit diſſerendum.

Adfirmare aliqua Latine dici eſt, demonſtrare ea apud idoneos ſcriptores Romanos, ſaltem unum et alterum, legi, idque ea ſignificatione, qua nos Latina eadem eſſe, adſerimus. Quod vero adfirmamus et ea Latine dici putanda, quae vel apud unum idoneum ſcriptorem Romanum inveniantur, facimus id cum rationibus, quas vide apud *Hallbauerum,* [1]) tum auctoritate permoti ſummorum virorum. *Eraſmus* enim, teſte *Turnebo,* [2]) ***putat nullam eſſe fugiendam dictionem, quae apud idoneum auctorem reperiatur.*** Quid? quod *Jo. Guiliel. Bergerus*, verae et incorruptae eloquentiae apud Vitembergenſes ſtator atque vindex maximus, [3]) in pulcherrimo de naturali pulchritudine opere, profitetur: [4]) ***Caeſaris auctoritate permoti***, obſequentiam ***non annotamus tantum, ſed adhibemus etiam, ne ſic quidem repudiaturi verbum illud, tametſi nullum Naevii, nullum Plauti extaret teſtimonium, nemo praeterea quisquam reperiretur ita locutus.*** Digna quoque exiſtimo acutiſſimi *Burmanni* hac de re verba, quae hic legantur: ***minime verum eſt***, inquit, [5]) ***Latine non dici***, ſe laſſare, ***nam ita Lucanus.*** Ex quo intelligimus et unum auctorem ad teſtimonium citare criticorum acutiſſimum.

1) *In der Einl.* p. 261. ſeqq.
2) Ad *Quinct.* I. O. libr. I. c. VI. p. m. 83.
3) *Jo. Erh. Kappii* praef. ad *Vauaſſ.* de ludicra dictione.
4) p. 431.
5) Ad *Phaedr.* libr. II. fab. VI, verſ. 10. p. 138, n. 12. ed. 1718.

XVII. Gratis autem dicis, ***auctoritatem unius auctoris, vel ipſius Ciceronis non ſufficere: duorum; vel plurium requiri*** vere docere ***Walchium,*** [1]) nam viro ſumme reverendo ſermo eſt de via tutiore, qua ordine incedendum. Nec ejus ſententiae poteſt non eſſe, qui amans eſt purioris Latinitatis. Ad eam non meum, ſed *Schwartzii* adſcribam judicium: [2]) ***intereſt eorum, quibus Latinitas cordi eſt, ut viam tritam potius inſiſtant, quam tenues ac fallaces tramites ſecuti, in vepreta et ſolitudines***

et *ſciſſe* dicendum eſſet, aliorum ſit judicium. Plures *Fabii* lapſus leges apud *Voſſium* [5])

1) In inſt. Or. libr. I. c. VI. p. 75.
2) Libr. XV, p. 1014. ed. *Putſch.*
3) Vid. *Burm.* ad h. l.
4) Vt docent Miſc. obſervatt. vol. I, tom. II. p. 143.
5) Orthogr. p. 49.
6) In inſtit. Orat. p. m. 16, 18, 55, 100.

XXV. Lepidum quoque inepti cujusdam cenſoris exemplum narrat nobis *A. Gellius.* [1]) Facere non poſſum, quin totidem id verbis huc transferam. Pluria *forte quis dixit ſermocinans vir apprime doctus, amicus meus; non hercle ſtudio oſtentandi, neque quo* plura *dicendum non putaret. Eſt enim doctrina homo ſeria et ad vitae officia devincta ac nihil de verbis laborante. Sed, opinor, aſſidua veterum ſcriptorum tractatione inoleverat linguae illius vox, quam in libris ſaepe offenderat. Aderat, quum ille hoc dixit, reprehenſor audaculus verborum, qui perpauca eademque a vulgo protrita legerat: habebatque non nullas diſciplinae grammaticae inauditiunculas, partim rudes inchoatasque, partim non probas; easque quaſi pulverem ob oculos, quum adortus quemque ſuerat, adſpergebat. Sicut tunc amico noſtro, Barbare, inquit, dixiſti* pluria. *Nam neque rationem verbum hoc neque auctoritatem habet. Ibi ille amicus ridens: amabo te, inquit, vir bone, quia nunc mihi a magis ſeriis rebus otium eſt, velim doceas nos, cur* pluria *ſive* compluria (*nihil enim differt*) *non Latine ſed Barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro; quos ſcriptores approbatoresque hujus verbi habemus, praeter poetarum oratorumque veterum multam copiam.*

1) Noct. Att. lib. V. c. XXI.

XXVI. *Laurentius Valla* [1]) *aedem* ſi pro templo ponatur, ſemper habere tradit adjectionem, ut in *aede dei*, in *aede Jovis*, *Saturni*, *Minervae*, *Honoris*, *Virtutis* et ceterorum; item in plurali, in *aedibus ſacris*, in *aedibus deorum.* Verum vel ex ſolo *Horatio* aliquot exemplis probari poſſe, eam *Vallae* obſervationem non in univerſum valere, docet *Schwarzius.* [2]) Tria collegi, quae ſupponam.

Libr. I. ſerm. X, 38.

— — — haec ego ludo,
Quae neque in aede ſonent, certantia judice Tarpa.

Libr. I. Carm. XXX, 4.

— — — — et vocantis
Ture te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

Epiſt. libr. II, ep. II, 94.

Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem.

1) De eleg. Lat. ling. libr. I. c. VII.
2) Spicilegio novo obſeruationum ad paneg. *Plinii* p. 29. Alt. 1734.

XXVII. *Franc. Sanctius* negat [1]) ſibi umquam vel a ſexcentis grammaticis perſuaſum iri, Latine dici; *ego amo Deum*, et *Deus amatur a me*. *Perizonius* vero ingenue fatetur, [2]) ſe *idoneam rationem non videre, quam ob rem Sanctius prorſus rejiciat, tanquam minime Latinum, quum et ſignificatio et ſyntaxis verborum, quod ad rationem et uſum phraſin illam approbare utique videatur*, reliqua. Sed quid opus erat verbis, quum diſerte ita loquentes infra [3]) adducturus erat *Plautum* et *Senecam*. Quibus addo *Lactantium*: [4]) *amare Deum debemus*. Rem igitur confectam putares. Sed audi *Weſterhovium*: [5]) *eſt* amare *in interiore ſignificatione* fauere, bene velle, alterius commoda ut ſua curare. *Vnde* amare Deum *ſoloecum eſt*. Verum ipſe id refellere *Cicero* ad Cupiennium videtur, quando ſcribit: [6]) *patrem tuum plurimi feci, meque ille mirifice et coluit, et amavit*. In his verbis *amavit* tribuitur ei, qui ſuperiorem coluit, et tamen amavit; cur non et *Deum* amare poſſumus?

1) In Min. libr. I, c. II, p. 9. et lib. III, c. II, p. 290. ed. *Periz.* 1714.
2) Ad h. l. p. 9. ſeq.
3) l. c. p. 291.
4) De vera ſap. libr. III. c. IV.
5) Ad Terent. Eun. p. 244. ed. in 4.
6) Ad Att. lib. XVI, ep. XVI.

XXVIII. *Bentleius*, novum illud Britanniae lumen, [1]) *Phaedri* verba [2]) *fuſtes congerunt* corrigit *ingerunt*, quia *ictus* et *plagas congeri*, ut fabula ultima [3]) *ſaxa*: fuſtes, tela, pugnos vero *ingeri* ſolere adfirmat: quod quam parum verum ſit, infinita veterum loca docent, quae videbis apud *Burmannum*. [4]) Addo iis illa *Senecae*: [5]) *congerite, cives, ſaxa in infandum caput*.

1) Vid. epiſt. crit. de notis *Bentleii* in Phaedrum p. 4.
2) Libr. III, fab. II, verſ. III.
3) Libr. cit.
4) Ad h. l. ed. in 4.
5) In Oedipo act. IV, ſc. III, verſ. 871.

XXIX. Vir quidam celeberrimus, *Auguſtin. Mariam de Monte* elegantias Latinas non ſemper ſectari putat, quod dicat *ſi aliquis*, pro quo alii ſemper *ſi quis*. Sed quid hoc modo de *Cicerone*, quo nihil elegantius, fiet, ſaepius ita ſcribente? v. gr. [1]) *ſi aliquem nacti ſumus, cujus cum moribus et natura congruamus*. [2]) *Si aliquid erit*: [3]) *ſi aliquid firmitatis nactus ſit Antonius*.

1) In Lael. c. III.
2) In epiſt. ad diverſ. libr. XIII, ep. I.
3) Ibid. libr. XI, ep. XII.

XXX. *Thomas Wopkens*, qui operam egregiam nauat *Ciceroni*, cujus multa loca eruditiſſime defendit a correctionibus *Daviſii*, ſæpe aliquod loquendi genus, quod *Daviſius* pro minus Latino habet, Latiniſſimum eſſe, clare docet. [1]) Illud tamen vereor, ut eruditis adprobet, quod verba *Ciceronis* [2]) *eſſe autem hominem, qui nihil in omni mundo, melius eſſe*

quam ſe putet, deſipientis arrogantiae eſt, putat [3]) multo concinnius ita exprimi potuiſſe: *in homine autem deſipientis arrogantiae eſt; nihil in omni mundo melius, quam ſe putare.*

1) In lectionibus Tullianis Amſt. 1730.
2) Libr. II. de nat. deor. c. VI.
3) l. c. p. 205.

XXXI. Vel unicum, ne cui longa exemplorum ſerie moleſtus ſim, adhuc addam: propterea quod libellus in omnium eſt manibus. Monet nimirum *Thomaſius*: [1]) adhuc *Barbari jungunt cum comparativo, pro germanica particula* noch. *Ne dicas igitur* adhuc pulchrior, *ſed* etiam pulchrior, multo pulchrior. Sed latuerunt virum eruditiſſimum exempla *Senecae*: [2]) *adhuc puncto minus; Suetonii*: [3]) *cui gloriae amplior adhuc ex opportunitate cumulus acceſſit; Calpurnii Flacci*: [4]) *ut mihi videatur melior adhuc priuignus eſſe, quam filius.* [5])

1) Ad *Turſellinum.*
2) In ep. XLIX. p. 139.
3) In Tiber. c. XVII. init. vit. et c. XLIII.
4) In declam. XXII. p. 818. ed. *Burm.*
5) Conf. *Jo. Ker* ſel. obſ. lib. II. ſub hac voce.

XXXII. Multa, quae vel plane iam damnata, vel quorum ſignificationes quaedam ab eruditis rejectae fuerant, ſed vindicata a variis ſunt, exhibet *Jo. Jenſius*; [1]) eaque *Jo. Erh. Kappius* ſexcentis adauxit acceſſionibus. [2]) *Dan. Frid. Janus* quoque [3]) et *Jo. Frid. Noltenius*, [4]) multa ab his rejecta, ab illis reſtituta ſuo quaeque recenſent loco.

1) In purae et impurae Lat. collect. ſect. I.
2) Ed. Lipſ. 1728.
3) *Im philolog. Lexico* Lipſ. 1730.
4) In Lexico Lat. ling. antib. Helmſt. 1730.

XXXIII. Satis igitur cum rationibus, tum ſummorum virorum teſtimoniis et exemplis inſtitutum perfeciſſe, videmur, atque demonſtraſſe, *difficile eſſe adfirmare aut negare aliqua Latine dici, atque hoc, quam illud, multo eſſe difficilius.*

XXXIV. Quae quum ita ſint, tamen non debemus ita debilitari aut cadere animis, quaſi fieri omnino nequeat, ut de ſtilo intelligens judicium feratur, utque pure ſcribamus et emendate. Non eſt, quod quis data quaſi opera in id elaboret, ut *obſcurorum virorum* ſtilum imitari, *Latinique Heginſenſis* [1]) auctor claſſicus haberi olim velle videatur. Caſtam pariter atque elegantem contexere orationem poterimus, ſi quidem paucos optimae aetatis ſcriptores diligenter evolvamus, eos nobis familiares reddamus, quaſique in ſuccum et ſanguinem convertamus. Quin utere, quae habemus, ſubſidiis, *lexicis* puta et Latinitatis indicibus [2]). In conſilium adhibe *Scaligerum*, *Voſſium*, *Vorſtium*, *Borrichium*, *Praſchium*, *Scioppium*, *Cellarium Gunterum Ker*, *Kappium*, interpretum explanationes, cet. de quibus alias. Accede ad eos, qui amore purioris Latinitatis ſocietatem

tatem coeunt: cum viris ingenio, judicio et doctrina valentibus litterarum commercium, *Heinſii*, *Graevii*, *Perizonii* et aliorum exemplo, [3]) fac exerceas.

1) Vid. *Morh.* polyh. tom. I, libr. I, cap. XXV. §. XVII. p. m. 314. et *Praſchium* de novis inventis p. 129.

2) Vid. *Walch.* hiſt. crit. Lat. lingu. p. m. 412. ſeqq. et 401. ſeq. et *Hallb.* l. c. p. 185.

3) Vid. *Burmanni* ſyllogen.

XXXV. Dicis, ſi vel maxime hoc facerem, difficile tamen foret. Recte mones; ita enim eſt: Χαλεπὰ τὰ καλά.

EIVSDEM Progr. *de Diplaſiasmo elegantius negligendo.* Frankenhuſae 1743. 4.

Antonii BORREMANSII *Variarum lectionum liber, in quo varia utriusque linguae auctorum loca emendantur, explicantur, atque illuſtrantur, ritus priſci eruuntur, et multa non ubique obvia docentur.* Amſt. 1676. 8.

EIVSDEM *Dialogus litterarius de Poetis et Prophetis, in quo de non nullis, quae tum ad ſacras, tum ad profanas litteras pertinent, diſputantur.* Amſt. 1678. 8.

EIVSDEM *Veſperae Gorinchemenſes, in quibus varia loca, tam Scripturae Sacrae, quam aliorum auctorum explicantur, ritus priſci aliaque non ubivis obvia eruuntur.* Amſt. 1687. 8.

Liber poſthumus eſt, ultimam auctoris manum non expertus, a fratre ejus, *Salomone Borremanſio*, in lucem protractus.

Olai BORRICHII *Cogitationes de variis Latinae linguae aetatibus et ſcripto Illuſtris viri* Gerh. Joh. Voſſii de vitiis ſermonis. Accedit, *praeter Defenſionem nomine* Voſſii et Stradae *adverſus* Gaſp. Scioppium, *Auctoris vita.* Hafniae 1675, 1687. Editio ſecunda Coth. 1691. 4.

Egregiae hae Cogitationes primum occupant locum p. 1. Dein in ſcenam prodeunt ea vocabula, quae bene et provide improbavit Voſſius p. 25. Sequuntur vocabula, quae Voſſio quidem vitioſa aeſtimata ſunt, ſed ex attenta ſcriptorum lectione deprehenſa partim omni vitio carere, partim antiquiora longe eſſe, quam Voſſio creditum eſt p. 39. Accedit Defenſio nomine Gerh. Joh. Voſſii adverſus Gaſp. Scioppium p. 268. Item pro Strada ejusdem Borrichii judicium de ſcripto Gaſp. Scioppii, cui titulus eſt Infamia Famiani p. 284.

EIVS-

EIVSDEM *Analecta ad Cogitationes de variis L. L. aetatibus.* Accedit *Appendix de Lexicis Latinis et Graecis*, cum *Indice addendorum ad Fori Romani lect. C.* Haſniae 1682. 4.

Quum coepiſſet Borrichius in Cogitationibus ſuis vindicare non pauca, Voſſio, ut novitatis vitioſae aut barbariſmorum nomine, ſuſpecta; pergit in hoc Opuſculo eamdem, quod dicitur, tundere incudem, et non modo in Vindiciis illis uberius explicandis formandisque perſiſtere, ſed et de novo multa ab aliis viris clariſſimis obelo confixa atque plane condemnata in libertatem iterum adſerere. Praeſertim *Cellarii Curas Poſteriores* expendit, et ea primum attingit, in quibus ab ipſis Cogitationibus Cellarium diſſentire intelligit, idque facit uſque ad pag. 21. Deinde amice cenſet, quae hinc inde in Curis Poſterioribus Cellarii occurrunt, et libertatem jam addendi, quae firmandae ipſius ſententiae proſint, jam diſſentiendi, quoties lectio bonorum auctorum ita juſſerit, uſurpat: inque hac colluctatur arena uſque ad finem, nempe ad pag. 63. Accedit Commentatio de quantitate penultimae Denominativorum in *Inus* et verbalium in *Icis* deſinentium; qua reſpondet *Georgio Henrico Urſino*, Gymnaſii Poetici Ratisbonenſis Rectori, qui cap. XI. Obſervationum Philologicarum has binas conſuetas quantitates pro Scioppio contra Olaum noſtrum defenſitaverat. Olaus enim tum *in lingua Pharmacopoeorum*, tum *ad calcem Cogitationum ſuarum de variis L. L. aetatibus*, in his binis quantitatibus ſententiam pronuntiaverat diverſam quodammodo a decretis Grammaticorum ac nominatim Scioppii. Haec apologia ſeſe extendit uſque ad p. 40. Hinc ſequitur *Appendix* de Lexicis Latinis et Graecis, quae adjicit quaedam ex Diſſertatione ejus 22. annis ante emiſſa de Lexicis Latinis Graecisque.

EIVSDEM *Conſpectus praeſtantiorum ſcriptorum Latinae linguae.* Haſniae 1698. 8.

Nil magnopere explicat, quod indictum aliis ſit. Prodiit libelli hujus editio nova, ſubſtrata unicuique fere paginae accurata meliorum editionum recenſione, ad exemplar Haſnienſe A. R. G. ſine deſignatione loci et anni.

EIVSDEM *Parnaſſus in nuce, poſt labores eruditiſſimorum hominum*, Smetii, Gloneri, Riccioli, Cavalli, Coelemanni, cet. *luci publicae expoſitus* etc. Acceſſit *Ejusdem Oratio Jubilaea Evangelica.* Prodiit Haſniae, ſine deſignatione tamen anni, quo impreſſus eſt, 4 min. Proſtat alia hujus libri editio, ſub eodem titulo, ſed praeciſa Oratione Jubilaea, quae deeſt, Haſniae 1654. 4.

Paucioribus verſibus plura quantitatum exempla comprehendit, quam *Glonerus* et *Smetius*. In non nullis tamen vocabulis conſuetum pronuntiandi modum Proſodicum impugnat, atque ea propter adverſarium nactus eſt

ad *Georgium Henricum Urſinum* in Obſervatt. Philol. p. 196. ſeqq. et p. 184. ſeqq. quamvis *Olaus* noſter ſe contra *Urſini* accuſationes defendere conatur in ſingulari *Commentatione* Analectis ipſius adnexa.

EIVSDEM *Lingua Pharmacopoeorum* ſive *de accurata vocabulorum in Pharmacopoliis uſitatorum pronuntiatione.* Hafniae 1670. 4.

Sunt, qui perinde eſſe arbitrantur, qua inter pronuntiandum mora exprimantur pharmaca, dum proſint, et inviſum humano corpori morbum expugnent: quum tamen faciendum hoc, et illud non omittendum ſit. Quemadmodum enim non ſatis fuerit Oratori, efficaces ad perſuadendum cauſas adduxiſſe: niſi enim easdem et ſchematis opportunis veſtierit, et elocutionem totam aurium doctiorum accommodaverit judicio, tamquam artis ſuae immemor exploditur: ita inficetiarum notam vix effugiet Medicus Pharmacopoeusve, ſi, quae novit, egregia pharmaca, fructuoſe adminiſtrat quidem, ſed eloqui neſciat et ſine rubore pronuntiare. Hinc Vocabula anatomica, medica, botanica in univerſum omnia ad limam ſeveriorem ab erudito aliquo vocari, et juſtos ſingulis adſignari in pronuntiando limites cupit Olaus noſter: ipſe interim in Pharmaceuticis feſtinato opere viam heic praeire, et alium otii locupletioris ad rem pulcherrimam et elegantiae Medicae artis inſervituram ſuo provocaſſe exemplo voluit: nimirum pro ambiguis hujusmodi vocum moris certiores ex optimis auctoribus definire terminos inſtituit.

EIVSDEM *Diſſertationes Academicae Tomis II.* Praemittitur *Paulli Vindingii Oratio parentalis in ejusdem exceſſum.* Havniae 1690. 8.

EIVSDEM *De cauſis diverſitatis linguarum* Diſſ. Jenae 1704. 8.

Andreae BORRICHII *Appendix ad* Cellarii Curas Poſteriores. Hafniae 1687. 8. Poſt novo titulo hoc inſignita: *Andreae Borrichii Obſervationes ſingulares circa Latinam linguam, ex claſſicis et aliis probatiſſimis auctoribus collectae, et ad uberiorem indaginem propoſitae,* Francofurti 1694. 12. Tandem una cum *Chriſtophori Cellarii Diſcuſſione et Examine hujus Appendicis* ſeu *Obſervationum* recuſa Jenae 1700. 12.

Auctor, Romsdalo - Norwegus, qui Hafniae diu cum Olao Borrichio fuit, cujus etiam nomen, ipſo indulgente, adſumſit, abdicato gentili, quod in patria Norwegia *Ivari* erat, Drontheimenſi Scholae, in Norwegiae fere medio tractu, praefectus, hoc in libello *Olai Borrichii* cauſam contra *Cellarii Curas Poſteriores* defendendam ſuſcipit ita, ut bonum Cellarium non admodum humaniter tractet. Quum Olaus Cogitationes ſuas

ſuas in Dania eodem fere tempore, quo Cellarius ſuum Antibarbarum in Germania, emiſiſſet; hic Olai Cogitationibus ſe tantopere excitatum ſenſit, ut ex his collectas ſuas Curas Poſteriores ederet, atque his etiam alia ex Voſſii, Scioppii, Vorſtii, aliorumque obſervationibus excerpta, et de ſuis non nulla adderet, in quibusdam ab Olao diſſentiens, in ceteris autem eum ſecutus. Edidit deinde Olaus Analecta ad Cogitationes, quibus varia a Cellario damnata vindicare conatur. Quum interim diſtracta Curarum Cellarianarum exemplaria eſſent, et nova earum editio illa, quae a. 1686. prodiit, expoſceretur; non potuit Cellarius, quin ea etiam novae huic editioni insereret, quae Analectis Borrichianis contra ſe diſputata fuerant. Quum vero Olao graviora, quibus occupatus erat, negotia haud permitterent, in arenam hanc ulterius deſcendere; hujus locum occupare, hac edita Appendice, voluit Andreas noſter, Borrichius quaſi ille Junior.

EIVSDEM *Vindiciae latinitatis purioris, quibus plurima a multis hactenus immerito damnata vindicantur, et allatis 2420 vocabulis, tantummodo ad litteras P, R, et S pertinentibus, ingentes Latinorum Lexicorum, etiam recentiorum, quae pro abſolutiſſimis venditant, defectus oſtenduntur.* Havniae 1706. 8.

Male habuit Auctorem Appendicis ipſius Diſcuſſio Cellariana. Hinc libro hoc multo vehementius vindicare ſtudet, quae ab ſe ante dicta pro Olao erant. In tres autem partes omnis diviſus liber eſt: 1. agit de variis L. L. praeſtantiorumque Scriptorum aetatibus et fatis; 2. continet *Vindicias*, a quibus totum opus, ut a parte praecipua maximaque, denominatum eſt; 3 demonſtrat defectus Lexicorum per litteras P, R, S, indicatis ſingulorum auctoribus.

Car. BOVILLI *De differentia vulgarium linguarum et Gallici ſermonis varietate, quae voces apud Gallos ſint factitiae et arbitrariae vel barbarae, quae item ab origine Latina manarint.* Pariſ. 1533.

Marci Zuerii BOXHORNII *Hiſtoria obſidionis Bredae et rerum anno 1637 geſtarum*, cum. figg. aen. Lugd. Bat. fol.

Vocabula militaria, aliaque veteri Romae ignorata, in litteris autem negotiisque publicis quotidie fere occurrentia, Latiali loquendi forma, eaque elegantiori conveſtire ſtudet.

EIVSDEM Diſſertatio *de Graecorum, Romanorum et Germanorum linguis, earumque ſymphonia.* Lugd. 1654.

Jo. BRANTII Antwerpiani JCti *Elogia Ciceroniana Romanorum domi militiaeque illuſtrium.* Antwerp. 1612. 4.

Poſt

Poſt *Brantium* Elogia e Cicerone a ſe collecta exhibet *Johannes Papyrius Maſſonius* Parte priore Elogiorum p. 3 — 92. Pariſ. 1638. 8. Haec utili inſtituto ſeparatim in uſum Scholae Ilfeldenſis recudi curavit *Ge. Nic. Kriegk*, Northuſae 17·1. 8.

Joh. Valerii BRAVNS *Grundſätze der lateiniſchen Sprache.* Budiſſin 1740. 8.

Joh. Jac. von BRINKEN *Kern der Lateiniſchen Wortfügung.* Luneb. 1746. 8.

Barnabae BRISSONII *De formulis et ſollemnibus populi Romani verbis libri VIII.* Pariſ. 1583. Baſil. 1583. Francof. 1587. fol. Genevae 1592. 4. Mogunt. 1649. fol. Multo autem emendatius prodierunt ex recenſione *Franciſci Caroli Conradi, JCti Helmſtadienſis non minus in omni litteratura et Romanarum antiquitatum ſtudio, quam in illuſtrandis juribus, quae profitetur, celeberrimi,* Halae et Lipſiae 1731. fol.

Poſt tantam meſſem Briſſonianam, aliquod hujusmodi ſpicilegium fecit *Johannes Calvinus* ad calcem Lexici ſui Juridici, ubi Formularum populi Romani collegit reliquias.

Johannes Schefferus de Stilo exercitiisque ejus p. 37. et 155. opus hoc *Briſſonii* magno uſui ad proprietatem linguae Latinae et ad eloquentiam civilem conſequendam eſſe arbitratur. *Juſtus Joſephus Scaliger* autem, qui fere Momus ubique eſt, tum in Epiſtolis ſuis *lib. 1. ep. 8. et 9.* tum in *Excerptis Scaligeranis utrisque* pro rudi indigeſtaque mole habet, in qua coacervanda plus laboris, quam induſtriae ſit collatum. *Morhofius* tandem media heic incedit via, utpote qui Polyh. Tom. I. p. 829. non nimium hunc Briſſonii laborem deprimendum eſſe autumat, cui in plurimis tamen conatus bene ceſſerint. Et *Joh. Alb. Fabricius* Bibl. Lat. T. I. p. 750. eumdem operis eximii elogio ornare non dubitat.

EIVSDEM *Lexicon Juris,* ſive *De verborum, quae ad jus pertinent, ſignificatione libri XIX, jam ita aucti, ut abſolutiſſimum in Corpus Juris Indicem, dudum hactenus deſideratum, atque Philologiae non minus et hiſtoriarum, quam Jurisprudentiae, aliarumque artium cultoribus maximum uſum praeſtare queant, ex Analectis* Joh. Ottonis Taboris *editi, plurimisque novis acceſſionibus locupletati a* Johanne Chriſtiano Ittero. Francof. ad Moenum 1683. fol. Prodiit etiam antehac Francof. 1587. et 1657. et ibid. apud Johannem Wechelum 1670. fol.

Cuja-

Cujacius, magnus ille ac doctiſſimus juſtitiae ſacerdos, ſuo tempore cenſuit, *Juriſconſultos verborum peritiores eſſe, quam Grammaticos.* Namque principes Juris conditores intelligentes, quantum habeat momenti ad leges recte interpretandas, ſcire proprios vocabulorum ſignificatus, in operoſo illo et ampliſſimo Juris Corpore membrum unum et quidem ingens voluerunt eſſe *De verborum ſignificatione;* quem quidem titulum etiam aureum vocare non dubitarunt. Nec ſine cauſa tot excellentes ab aevo priſco JCti ad hanc uſque aetatem tot libris editis indolem et naturam vocabulorum, quae rerum ſunt notae, ſic induſtria explicuerunt atque illuſtrarunt: et quidem e veteribus nominatim *Ael. Gallus*, et *Antiſtius Labeo*, e novitiis praeter illud *Vocabularium Juris*, quod Venetiis 1498. fol. prodiit, et quidem ſine Praefatione et ſine auctoris nomine, *Guil. Budaeus*, *Albericus* et *Scipio Gentilis*, *Jacobus Cujacius*, *Petrus Rebuffus*, *Alciatus*, *Hotomannus*, *Giſanius*, *Fornerius*, *Goddaeus*, *Brechaeus*, atque hic *Briſſonius* noſter, quique ab aliis explicata aut in ordinem coegere aut explicatius dedere, *Prateus*, *Spigelius*, *Schardius*, *Calvinus*, aliique, quos vide ſis apud *Martinum Lippenium* in *Bibliotheca Manuali Juridica.* Id vero tenendum eſt, *Briſſonium*, *Alciatum*, *Goddaeum*, horumque ſimiles tantum in explicatione verborum occupatos fuiſſe, iisque ex ſcriptoribus veteribus lucem quamdam adfudiſſe; *Calvinum* autem, *Schardium* et *Spigelium* non tantum verborum, ſed etiam rerum omnium ad cauſas forenſes ſpectantium explicationem in ſuis magnae molis Lexicis complecti. Quumque omnis de jure dicundo diſciplina ad ipſam litterarum noſtrarum humanitatem natales ſuos atque omnem originem referat; ab his Juris interpretibus ejusque particularum doctis collectoribus dici non poteſt, quantum ſaepe bonae frugis redundet in campos noſtros litterarios, qui ſunt adfines Latio.

EIVSDEM *Antiquitates Romanae.* Helmſt. 1663. 4.

Johannis BRODAEI *Miſcellaneorum libri VI.* Baſileae 1555, 1574. 8. Etiam Tomo II. Lampadis Gruterianae inſerti ſunt.

Egregiis obſervationibus in auctores veteres abundant.

M. Jacobi BRVCKERI *Diſſertatio, in qua proponuntur dubia: cur Q. Curtius Rufus adoleſcentibus ad imitandum non proponendus ſit.* Inſerta Tomo IX. Miſcellaneorum Lipſienſium ad incrementum rei litterariae editorum p. 12.

Quum duo requirantur in auctore claſſico, ſi juventuti commendandus praecipue ſit, nempe dictionis nitor ac puritas; et rerum, quas proponit, accurata deſcriptio; neutrum agnoſcit Auctor in Curtio, qui propterea adoleſcentiae non ſatis tuto proponendus videtur eſſe, multum laudis huic ſcriptori de cetero impertiens.

OTH.

Oth. BRVNFELSII *Paraeneſis de diſciplina et inſtitutione puerorum.* Pariſ. 1527. ex off. Rob. Steph.

Johannis BRVNSMANNI *Macte funeratum et reviviſcens.* Hafniae 1680. 8.

Ex decreto Grammaticorum τὸ *Macte* Nomen et ſpeciatim Vocativus eſt. Sed Auctor hic, natione Danus, nil niſi Adverbium eſſe, demonſtrat.

Joh. BVCCELLINI *Officina Epithetorum Appellativorum et Nominum propriorum.* Sulzbaci 1577, 1658. Editio tertia auctior 1677. 12.

Hujus libri auctarium ſcripſit *Bohuslaus Aloyſius Balbinus* in *Auxiliis Poetices*, uti vocat.

In utroque occurrunt multa barbara et antiquata, multa etiam in quantitate, praeſertim nominum propriorum, errata: quare circumſpecte iis utendum.

Quadruplex ceteroquin libri hujus dos eſt:

1. Ea ſuppeditat epitheta, quae ſtructurae verſus noſtri inchoati conveniunt.
2. Faciliores reddit quoscumque heteroſes.
3. Verbum, quo eges, indicat, metro tuo inchoato aptum.
4. Nominum propriorum quantitati, eorumque collocationi metricae ſubſervit.

Johannis BVCHLERI *Elegantiarum centum et undeſexaginta regulae, lectiſſimis ſcriptorum, maxime Ciceronis, exemplis illuſtratae. Quibus acceſſere aliquot orationem variandi formae.* Coloniae Agrippinae 1613, 1618, 1620, 1625, 1665, 1668, 1703. 12.

Cum ex aliis, tum vel maxime ex *Franciſci Silvii Progymnaſmatum in artem oratoriam libris* collectae ſunt.

EIVSDEM *Catalogus vocum ſingularum et phraſium, quae vel barbare, vel minus eleganter vulgo paſſim efferuntur, cum Tulliana earumdem reſtitutione.* Coloniae Agrippinae 1613, 1618, 1620, 1625, 1665, 1668, 1703. 12.

Non nulla inter contemnenda ponuntur, quae recentiorum ſtudia veteri adſerunt Latio. Etiam ob conciſam brevitatem cuncta fere uberiori illuſtratione indigent.

EIVSDEM *Theſaurus proverbialium ſententiarum uberrimus, ex Germanicis, Latinis, Gallicis, Graeciſque paroemiis in*

juventutis ſtudioſae gratiam collectus. Editio quarta ab Auctore aucta et emendata. Coloniae Agrippinae 1623. 12.

Auctor proverbia quaedam vernaculae noſtrae, in quorum ſenſu gravitatem, gratam in verbis brevitatem, ſolidam in ſententiis veritatem deprehenderat, amabili quadam ipſorum dulcedine illectus, quanta fieri potuit, cura et diligentia adnotavit, in ordinemque digeſſit, et tandem iisdem primum quidem ubique Latina, deinde etiam ſaepenumero Graeca, immo etiam Gallica, quoties nimirum in promtu fuiſſent in his binis linguis, quae Latinis locutionibus proverbialibus ſatis reſponderent, ſubjecit. Latina ubique apparent: ubi enim defecere veteres auctores, inopiae huic Auctor ita conſuluit, ut ſuo Marte conderet aliquid, quod et ad Latinae linguae genium, et ad vernaculae noſtrae idioma quam proxime accederet.

EIVSDEM *Theſaurus Phraſium Poeticarum.* Colon. 1615, 1617. Lipſ. 1630. Amſtelod. 1665. Londini 1679. 12.

Elegans admodum libellus eſt. *Duo* ſimilis notae *Tractatus* eidem ſubjiciuntur: *prior* quidem, qui *Synonyma Virgiliana* exhibet; *poſterior*, qui inſcribitur *Inſtitutio Poetica ex R. P. Jacobi Pontani e Societate Jeſu libris concinnata, breviter ejus finem, partes et cujusque partis proprietates, adhaec, quibus rebus vere bonum omnique numero abſolutum ac probabile carmen efficiatur, edocens.*

EIVSDEM *Theſaurus conſcribendarum epiſtolarum;* cui in fine noviter acceſſit elegans *Dialogus* Jacobi Pontani *de laudibus librorum Ciceronis.* Lipſiae prodiit editio quarta 1636. 12: editio quinta 1647: editio ſexta 1656: ſeptima 1672. 8. Prodiit etiam Coloniae Agripp. 1649, 1687. 12.

Initio dantur praecepta generaliora, ſcitu quidem neceſſaria bonarum litterarum cultoribus, qui ad ſcribendas epiſtolas appellere animum cupiunt. Sequuntur dehinc epiſtolarum exempla, ſecundum tria cauſarum genera, ad quae, tamquam ad fontes, pleraeque litterarum formae commode reduci queunt. Singulis epiſtolarum formis praemittuntur quaedam praecognita; deinde adfertur exemplum aliquod ex Cicerone, ejusque inſtituta imitatio, adjuncto breviori judicio, quae Ciceronis epiſtolae ad eam, quae inculcata eſt, formam potiſſimum accedant, et hoc ipſo in genere elegantiores videantur eſſe; et tandem ſequuntur ex Cicerone, et aliis etiam bonae notae ſcriptoribus, decerptae loquendi formulae, quae inſervire poſſint tironibus, ulteriorem ejusdem formae imitationem tentantibus.

Auguſti BVCHNERI *De commutata ratione dicendi libri duo.* Wittembergae 1664, 1665. Lipſiae 1665, 1680. 12.

Inſti-

Inſtitutum ſequutus Eraſmi, duobus itidem libris argumentum hoc perſequitur. Liber I. agit de verbis: Cap. 1. de verborum commutatione; Cap. 2. de Metaphora; Cap. 3. de Metalepſi; Cap. 4. de Metonymia; Cap. 5. de Synecdoche; Cap. 6. de ἰσοδυναμίᾳ; Cap. 7. de Enallage; Cap 8. de Gloſſa; Cap. 9. de novatis et antiquatis; Cap. 10. de ἀντωνομασίᾳ; Cap. 11. de Catachreſi; Cap. 12. de μειώσει, αὐξήσει et ὑπερβολῇ; Cap. 13. de Epitheto; Cap. 14. de Synonymia et Exergaſia; Cap. 15. de Periphraſi; Cap. 16. de Hyperbole; Cap. 17. de Allegoria; Cap. 18. de Conſtructione; Cap. 19. de Graeciſmo; Cap. 20. de Archaiſmo; Cap. 21. de μακρολογίᾳ; Cap. 22. de Contractione; Cap. 23. de commutato ſermonis habitu.

Liber II. agit de ſententiis: Cap. 1. de commutatione ſententiarum; Cap. 2. de rerum locis; Cap. 3. de Definitione; Cap. 4. de enumeratione partium; Cap. 5. de Notatione; Cap. 6. de Conjugatis; Cap. 7. de Genere et Specie; Cap. 8. de Simili; Cap. 9. de Differentia; Cap. 10. de Contrariis; Cap. 11. de Conjunctis; Cap. 12. de Antecedentibus, Conſequentibus, Repugnantibus; Cap. 13. de Cauſis; Cap. 14. de Effectis; Cap. 15. de Comparatis; Cap. 16. de Locis externis; Cap. 17. de Exemplis; Cap. 18. de Proſopopoeia; Cap. 19. de Auctoritatibus; Cap. 20. concluſionem operis continet.

EIVSDEM *Diſſertatio gemina de Exercitatione ſtili.* Hanoverae 1659. 12.

Orationem priorem *Chriſtianus Keimmannus*, recens creatus artium Magiſter, in publico conſeſſu Academico pronuntiavit.

Suadet inter alia Buchnerus, ut integrae Comoediae ex Plauto atque Terentio ediſcantur, ac, commutatis ſubinde perſonis, recitentur et agantur. Sed quum id officii nimis puerile, adeoque verendum ſit, ut alacritatem ingeniorum facile offendat; ſuaſerim potius cum *Syrbio*, cujus verbis heic utor, quae in Commentatiuncula quadam ad perilluſtrem Lynkerum adfert, ut quotidie hiſtoriam, controverſiam, aut quidquid obſervaſſent per diem, tirones alicui L. L. perito ſuis verbis enarrent atque colloquium ea de re inſtituant. Ita namque fore exiſtimo, ut non ſolum majorem attentionem diligentiamque adhibeant lectionibus neceſſariis, ſed et firmatam linguae facultatem ſibi comparent. Quodſi quid ſtribliginis excideret, id quidem monendum corrigendumque foret: ita tamen, ut crebris interpellationibus aut cenſura nimia ne confunderentur, vel abſterrerentur penitus. Facerent huc etiam egregie repetitiones lectionum, praeſertim Hiſtoricarum, exactis non tantum ſingulis horis, quibus haberentur, ſed et ſub hebdomadis finem inſtituendae.

EIVSDEM Orationes Academicae. Dresdae 1682. 4.

EIVSDEM Diſſertationes Academicae. Francof. 1679. 4.

EIVSDEM *Epiſtolae.* Lipſ. 1720. 8.

Guil. BVDAEI *Lucubrationes variae, tum ad ſtudiorum rectam inſtitutionem, tum ad pietatem ſpectantes.* Acc. *Epiſtolarum* ejuſd.

ejusd. *Latinarum ac Graecarum libri VI.* cum *iis, quae ex Graecis in Latinam linguam convertit.* Baſil. 1557. fol.

Joannis Ludolphi BVNEMANNI *Index latinitatis ſelectae, vulgo neglectae, merito et falſo ſuſpectae, ex* Sebaſtiani Caſtellionis *Interpretatione S. Codicis collectus, et veterum Criticorumque optimorum teſtimoniis illuſtratus.* Lipſ. 1735. 8.

Auctor rationes in confecto hoc latinitatis indice ab ſe initas exponit tum in Praefatione huic libro praemiſſa, tum etiam, antequam hic liber ejus exiret, in Praefatione illa, quae Sacro Codici a Sebaſt. Caſtellione verſo, et ſua ipſius cura paullo ante emendate edito, erat adjecta. Nimirum Caſtellionis translationem cum textu ſacro et verſionibus Vulgati et Vatabli diligenter contulit, adſcitis ſubinde in conſilium *Michaelis* ad V. T. Adnotationibus et *J. C. Wolfii* ad N. T. Curis Philologicis, atque ſic eorum vocabulorum et locutionum, quibus Caſtellio ad exprimendum ſenſum divinum uſus eſt, tamquam florum aliquod fecit corpuſculum, quorum odore vario et iucundo infectis ſcholarum parietibus incluſi emunctioris naris juvenes in latinitate cognoſcenda ac dignoſcenda fierent quodammodo ſollertiores. Bene digeſſit cuncta et interpretatus eſt, tum ſingulari ſua induſtria, tum optimis praeſtantiorum Philologorum et Criticorum uſus adminiculis.

Jacobi BVRKHARDI *De linguae Latinae in Germania per XVII Saecula, amplius, fatis, ab ipſo tempore, quo Romanorum arma et commercia non nullum ejus uſum intulerunt, ad noſtram uſque aetatem, Commentarii.* Hanoverae 1713. 8.

EIVSDEM *De Linguae Latinae, quibus in Germania per XVII ſaecula amplius uſa eſt, fatis, novi plane Commentarii, quibus priores illuſtrantur partim, partim ſupplentur.* Wolfenb. 1721. 8.

Liber eruditione, facundia et grata rerum lectu jucundiſſimarum varietate commendabilis. Septem abſolvitur capitibus. Docetur autem

Cap. I. Primam linguae Latinae notitiam apud noſtrates exſtitiſſe eo tempore, quo Jul. Caeſar Germaniae arma intulerit; et ſic ejus uſum per ſubſequentia diuturna bella a populo Romano contra Germanos geſta, ad horum uſque in Romanas provincias et ipſam Italiam urbemque irruptiones, quodammodo in terris noſtris paſſim increbuiſſe, ac per quattuor amplius ſaecula perduraſſe.

Cap. II. Per quattuor ſequentia ſaecula V, VI, VII et VIII. uſum ejus intercidiſſe, et illos, qui ex Gallia, ubi lingua Latinorum ruſtica tunc viguerit, in auſtralem Germaniam Chriſtianam religionem propagatum advenifſent, de Latina lingua boniſque litteris excolendis parum cogitaſſe; Monachorum enim iſtius aetatis mores fuiſſe longe corruptiſſimos.

Cap. III.

Cap. III. Exeunte ſaec. VIII. et ineunte ſaec. IX. auſpiciis Caroli M. linguae Latinae in Germania novam obortam eſſe lucem: hanc paullo poſt a Caroli M. morte fuiſſe per quinque amplius ſaecula iterum obſcuratam quidem; ſed ita tamen, ut in denſiſſimis tenebris quaedam ejus ſcintillae nihilominus apparuerint: ipſum Imp. Fridericum II. ſaec. XIII. de bonis litteris praeclare eſſe meritum; cujus Cancellarius *Petrus de Vineis* ingenio, doctrina, et eloquentia praeſtantiſſimus aetate ſua habitus ſit: eodem etiam tempore, ſub modo laudato Friderico II. et praecipue ſub Rudolpho Habſpurgicò coeptam eſſe linguam Germanicam uſurpari in publicis litteris tabulisve exarandis: Monachos quidem multum operae poſuiſſe in deſcribendis libris; ſed hos codices MSS. ſcatere mendis, et propterea parum a Criticis probari: Poeſin, tum vernaculam, tum Latinam, his temporibus fuiſſe rudiorem ac rhythmicam; non nullos tamen exſtitiſſe Poetas ſupra ſaeculi hujus genium elegantes et ſatis Latinos.

Cap. IV. Barbariem integro uno ſaeculo ante Italia fuiſſe expulſam, quam e Germaniae noſtrae finibus; hinc ab Italis Germanos toto hoc ſaeculo habitos eſſe pro barbaris: primos L. L. adſertores in Germania fuiſſe *Joh. Regiomontanum*, *Georgii Purbachii* diſcipulum, *Rudolphum Agricolam*, *Rudolphum Langium*, *Alex. Hegium*, *Ludovicum Dringebergium*, et Dringebergii hujus diſcipulum *Joh. Reuchlinum*, *Conradum Peutingerum*, *Johannem Camerarium Dalburgium*, *Bilibaldum Pirkheimerum*, et complures alios: faviſſe huic ſtudio Imp. Maximilianum I. Electores item ac reliquos imperii Principes: nobilitatem, Principum exemplo incitatam, exſtitiſſe hoc tempore litteratiſſimam: miram fuiſſe litteratorum concordiam mutuumque ſtudium in promovendis artibus: novum etiam typographiae inventum eam huic negotio attuliſſe opem, ut Romani ſermonis in Germania feliciter adſerti infantia ac pueritia non ita multorum luſtrorum circumſcribi ſpatio videatur poſſe.

Cap. V. Saec. XVI multo adhuc enixius linguae Latinae ſtudium tractatum eſſe, praeeuntibus *Joh. Murmelio*, *Hermanno Buſchio*, *Deſ. Eraſmo*, *Hegii* diſcipulis, it. *Joh. Aventino*, *Ulrico ab Hutten*, *Hermanno Comite Nuenario*: hoc temporis tractu linguae Latinae adoleſcentiam, et, ſuperveniente novo Germaniae magiſtro, *Philippo Melanchthone*, virilem etiam ejus aetatem contineri.

Cap. VI. Diligentiorem hanc linguae Latinae perfecte planeque addiſcendae culturam illico rurſus, et quidem Melanchthone non dum fatis ſuis functo, refrixiſſe: abiiſſe ſaltem eruditos a vero, recto, et antiquo latinitatis tramite in devia: ineptiiſſe primo Ciceronianos; mox Apulejanos et obſoletae dictionis adfectatores; adagiorum invaluiſſe uſum quemdam inſolentiorem, et miram aequabili ac temperato ſtilo adfricuiſſe labem, cui temeraria Criticorum et Ramiſtarum ſuboles neutiquam convenientem attulerit medelam: praepoſteris his docendi ac diſcendi linguam Latinam conſiliis ſtrenue obviam inter Germanos iviſſe *Johannem Sturmium*, Profeſſorem Argentoratenſem, et *Johannem Caſelium*, Profeſſorem Helmſtadienſem.

Cap. VII. Saeculo XVII. linguam Latinam addiſcendi ardorem apud Germanos magis magisque deferbuiſſe: characterem ſcribendi Philippicum ac

 dein-

deinceps etiam Lipſianum cum genuinae latinitatis neglectu apud bene multos increbuiſſe; Jeſuitarum etiam linguae Latinae ſtudium ſenſim diminutum eſſe: *Gerhardum* quidem *Joh. Voſſium* et *Caſparem Scioppium* heic iterum maſcule pugnaſſe pro ſtudio purioris latinitatis inter Germanos conſervando; his tamen noſtris temporibus idem ſtudium vel ſtrenue iterum contemni, vel inſuper haberi, ab iis etiam perſaepe, a quibus minime omnium deceat.

Praefationem Auctor addit libro copioſam et luculentam, qua oſtendit, quae in genere fuerint linguae Latinae fata: quemadmodum ea per migrationem barbararum gentium in Italia ad ſilentium quaſi redacta ſit, primo quidem per Gothos, deinde etiam per Longobardos, ſub quibus videlicet aliam linguam acceperit Italia, quae vocabulis quidem Latina videatur, ſed barbarorum depravatione et nova flexione, admiſtis etiam novis, peregrinam formam induerit, poſteaquam a Gothis corrumpi jam coepiſſet ac dilacerari: ac licet urbs Roma, Longobardis a Carolo M. debellatis, ex diuturno ſqualore ſe quodammodo refecerit; priſtinum tamen Latinae linguae nitorem reſtitui ei prius haud potuiſſe, quam ineunte ſaec. XV vel, ſi mavis, medio XIV, obſtetricante novo huic partui induſtria *Danthe Aldigerii*, *Franc. Petrarchae*, *Poggii Florentini*, *Laur. Vallae*, *Guarini Veronenſis*, et deinde etiam plurimorum eruditionis fama florentium Graecorum poſt deſtructum a Turcis Imperium Orientale in Italiam fugientium, nominatim *Eman. Chryſolorae*, *Georgii Trapezuntii*, *Theodori Gazae*, et aliorum hujusmodi: ſingulas fere cultioris Europae gentes, hac Italorum induſtria ad eamdem Latinae linguae puritatem conſectandam incitatas eſſe: tam ſubitam rei litterariae converſionem factam eſſe cum primis ex eo, quod pertaeſi eruditi eſſent Scholaſticorum crepitacula, quorum ad ſonos ſtreperos et horridos magis magisque exhorruiſſent; hinc tot eximiorum virorum proventum hoc aevo in Italia, qui amare coepiſſent linguam Latinam puriorem ejusque ſimplicem candorem ac perſpicuitatem: circa finem tamen ſaec. XV. prodiiſſe in Italia Ciceronianos, in quos, velut in homines, qui Ciceronis puritatem quam maxime amplecti viderentur, ſed ejus imitationis vim parum cognitam haberent, *Eraſmus* in *Ciceroniano ſuo* acerrime et plus juſto invectus, multorum, *Scaligeri* praeſertim atque *Stephani Doleti* calamos in ſe concitarit; aliis εἰς ἀμετρίαν τῆς ἀττόλλης tendentibus, atque omnino Hetruſcum ſermonem Latino praeferentibus, quos oppugnarint viri diſertiſſimi, praeſertim *Romulus Amaſaeus*, *Ubertus Folieta*, et *Q. Marius Corradus*: Saec. XVI. valde frixiſſe apud Italos hoc ſtudium, ac fuiſſe deſertum a doctis adeo, ut in uno P. Manutio omnis quaſi eloquentiae Romanae cupiditas conſtitiſſe viſa ſit; ſingulas tandem Europae nationes, Italorum ſtudio excitatas, inde uſque a renatis litteris dediſſe praecipuos quosdam in latinitatis et omnis elegantioris litteraturae cultura heroes; qui quidem nominatim ſub finem Praefationis hujus collaudantur, deque ſingulorum meritis non nulla commemorantur.

Huic recenſioni ſubjunxerim rhythmum Germanicum, omnium ore quondam tritum, logogriphum nempe, quo primi L. L. ac bonarum litterarum inſtauratores continentur: *Da ei as* (Eraſmus) *Mekl* (Melanchthon)

thon) und *Lauter* (Lutherus) *Hütten-* (Huttenus) *Rauch* (Reuchlinus); Da kamen alle Dinge in guten Gebrauch.

EIUSDEM *Oratio de linguae Latinae a majoribus diligenter excultae et adamatae, hodie ex adverſo neglectae atque contemtae cauſis* a. 1714 Hildburghuſae dicta, et poſt, eodem anno tamen, Jenae publicata.

Petri BVRMANNI *De publici humanioris diſciplinae Profeſſoris proprio officio.*

Adami BVRSII *Ciceronis Dialectica.* Samoſcii 1604. 4. (Zamoiſcie in der Polniſchen Woywodſchaft Belcz in Klein-Reuſſen).

Auctor Polonus eſt, ſcienter colligens ea, quae Cicero ex Stoicorum maxime ſententia diſperſe de arte Dialectica reliquit. Praeclarum opus eſt, raro obvium.

Guilielmi BVRTONI *Λείψανα veteris linguae Perſicae, quae apud priſcos ſcriptores Graecos et Latinos reperiri potuerunt. Accedit* Marci Zuerii Boxhornii *Epiſtola ad* Nicol. Blancardum *de Perſicis Curtio memoratis vocabulis, eorumque cum Germanicis cognatione. Praefatione, notis et additamentis inſtructa a* Jo. Henr. von Seelen. Lubecae 1720. 8.

Hic libellus primitus exiit Londini 1657. *B. Aug. Pfeifferus Introd. in Orient. p. m. 34,* ubi de uſu linguae Perſicae ait, dicit, λείψανα Burtoni cum primis oſtendere, quod utilis ſit lingua Perſica in expoſitione profanorum auctorum. S. R. Editor in Additamentis dedit Compendium expoſitionis haud paucarum vocum a Relando factae, ita tamen, ut non ſolum aliquas obſervationes, ſed etiam voces ab illo plane non commemoratas ſuppeditaverit. Sententiam, quam Boxhornius de cognatione vocabulorum Perſicorum apud Curtium exſtantium cum Germanicis, ſuam non facit, etſi multis magni nominis viris illam haud diſplicere intelligat. Nihilominus tamen hanc Boxhornii epiſtolam, notis nonnullis ab ſe inſtructam reddere operae pretium exiſtimavit, quoniam docta eſt et curioſa, et Germanicae linguae ſtudioſum ſi non juvat, tamen delectat. Si quis etiam plura de hoc vel illo vocabulo cognoſſe cupit, auctores, e quibus uberiora depromi poſſunt, citatos a doctiſſimo Seelenio videt.

Antonii BVSCHERI *Ethica Ciceroniana.* Hamb. 1610. 8.

Hermanni BVSCHII *Vallum humanitatis,* ſive *Humaniorum litterarum contra obtrectatores Vindiciae.* Colon. 1518. 4. Ab oblivionis injuria adſeruit, et, praeter *Commentarium de*

Auctoris vita, Germaniae Equitem, acerrimum humanitatis propugnatorem, ex hiſtoria adumbratum, praemiſit *Jacobus Burkhardus.* Hildburg. et Francof. 1719. 8.

Inſulſum Monachorum dicendi genus, quod ſuo tempore dominabatur, ſalſe perſtringit. Perperam pro opere poſthumo habetur: exiit enim ipſo auctore adhuc ſuperſtite. *Eraſmi* autem conſilio hortatuque in lucem adſpectumque hominum prolatum eſt. Quantum Buſchius valuerit ab arte Poetica, ex *Jacobi Wimphelingii* verbis, quae Burkhardus adducit, colligere licet: *Hermanni Buſchii vena vel Italicam aequare videtur: nec jejunus, neque aridus eſt, neque ſententiarum vacuus et inanium verborum plenus: praecipue vero in* Elegiaco carmine de Inſtitutione adoleſcentum *ad bones mores adoleſcentiam ſollerter incitat ad religionem, ad pietatem, ad praeclaros mores.*

M. Georgii BVSCHII *Hamburgiſche Lateiniſche Grammatic.* Hamb. 1663. 8.

Hic Buſchius hujus Grammatices non eſt auctor; ſed eam modo Germanice vertit, quum ab alio, neſcio, quo? diu ante eum jam concinnata eſſet.

Joh. Erneſti BVTHNERI, Conrectoris Stadenſis, *Compendiaria latinitatis via.* Stadae 1682. 8.

E *Sanctio* et *Scioppio* praeſertim, collatis etiam aliis, praecipua huc facientia in compendium redegit, rei Grammaticae, ut videtur, prae aliis peritus. Quid in ea praeſtiterit, docet luculentiſſima libri Praefatio, in qua generalis habetur recenſio Grammaticorum, praecipue recentiorum, e quibus quid in uſum ſuum converterit, magna cura et induſtria proponit. Laudandum in hoc Compendio, quod ordinatiores regulas inſtituat, quam ipſe *Scioppius* et *Sanctius,* quodque exempla regularum conſiſtant in meris ſententiis, ne pueri inutili exemplorum farragine graventur, et ſimul tamen ea diſcant, quae uſui eſſe poſſint: in qua tamen exemplorum ſeligendorum prudentia Auctori jam quodammodo praeivit *Lud. Lithocomus,* Batavus.

Quamlibet autem ſolide et accurate ſecundum principia Sanctiana et Scioppiana expoſita Grammatices compendia vehementer probem; ſuaſerim tamen, non eſſe ab initio fatigandos puerorum animos ejusmodi ſubtilitatibus, quas nemo ſatis, niſi qui judicio pollet, perſpicere poteſt, ſed, ubi prima jacta ſunt rudimenta declinationum, conjugationum, praecipuarumque regularum, rectius uſu ipſo, quam multitudine praeceptorum, perdiſci puto linguam Latinam, paene ad eum modum, quo olim *Nicolaus Clenardus,* excellentiſſimus apud Lovanienſes et Salamanticenſes Grammaticus, et noſtra aetate *Samuel a Pufendorf,* Vir ſummus, uſus eſt. Grammaticae artis ſubtilitates longe majores ſunt, quam quis parum in iis exercitatus credat; neque enim difficilis eſt Grammatica, quam vel Metaphyſica

phyſica vel Logica, ideoque cognitio ejus acroamatica non cadit in pueros, qui rectius ex uſu linguam Latinam, quam e regularum Grammaticarum ἀκριβείᾳ diſcunt: ſunt tamen iis communiſſima quaedam artis principia imprimenda, artificio potius aliquo mnemonico, quam regularum multitudine.

Joh. CAII, Londinenſis, *de Pronuntiatione linguae Graecae et Latinae.* Londini 1574. 4.

Auctor eſt ſcriptor πολύγραφος, Medicus doctiſſimus, et Collegii cognominis ap. Cantabrigienſes fundator.

Andreae CALAGII, Vratislavienſis, *Duo Epithetorum Tomi, ille propriis nominibus, hic appellativis adjiciendorum omnium, ex antiquioribus ſolum probatiſſimis Poetis ſeptemdecim, vix annos intra totidem, aut plures etiam, labore incredibili, induſtria ſingulari ſtudioque inexhauſto ſelectorum.* Vratislaviae 1590. fol.

Quam ſcabra et abſona dictio exſiſtat, dici non poteſt, ſi epitheta adjiciat nominibus, quorum ſocietati vel recta ratio, vel ipſa veterum auctoritas repugnat. Vehementer hoc in genere peccatur ab iis, quorum prima concoctio in ludis litterariis non bene curata eſt. Juſtum et legitimum heic tenere modum, nihil aliud eſt, quam cuſtodire, aliqua ſaltem ex parte, linguae proprietatem. Cui ne hoc ipſo in genere decederet aliquid, cavere voluit Auctor binis his voluminibus grandioribus ac ſinuoſis: quibus tamen non niſi verſificatorum licentiae obviam ivit, qui epithetis utuntur pro lubitu, modo ut metrum expleant, de cetero parum ſolliciti, utrum apud veteres talis junctura reperiatur, annon? Id inſuper in Auctore valde laudandum eſt, quod ubique loca veterum adjecerit cum ſtupenda quadam accuratione et induſtria. Simile quid tentavit in collectione Synonymorum in libro, qui inſcribitur *Andreae Calagii vocum Phraſiumque Latina Synonyma, Vratislaviae 1597. 8.*

Caeſ. CALDERINI *Dictionariolum ſ. Theſauri linguae Latinae et omnium a vocibus Latinis incipientium Dictionariorum Compendium, Italicis etiam et praecipue* Petri Galeſini Theſauro *accommodatum.* Venet. 1635. 8.

Petri autem *Galeſini Theſaurus*, cui hoc *Dictionariolum* accommodatum eſt, ſequiori tempore multo auctius et luculentius prodiit Venetiis 1679. 8. ſub hoc titulo: Pierro Galeſini *perfetto Dittionario overo Teſoro della Lingua volgar Latina, con Dittionario Latino, accommodato alle voci volgari di* Ceſare Calderino, *accreſciuto et ampliato da* Gio. Franc. Beſozzo, *ricoretto et arrichito dell' Oſſervationi della Lingua*

volgare di Andr. Salici, *e dell' Ortografia d'* Aldo Manutio, *con uno opuſculetto intitulato* Mercurius bilinguis.

Ambroſii CALEPINI *Dictionarium*, nemini non cognitum, Venetiis primum 1509. prodiit, deinde Brixiae 1513, tum Pariſ. 1538. poſtea ſaepe auctum, emendatum, atque ita mutatum eſt, ut vix ſibi ſimile amplius videatur. Vulgo *Calepini* circumferuntur editiones Baſileenſes diverſorum annorum e. g. 1555, 1560, 1562. cet. X vel XI linguarum; quibus acceſſere *Johannis Paſſeratii* non vulgaria additamenta, Lugd. 1587. et Coloniae Allobr. 1609; atque his *Paſſeratii additamentis* tandem *plurimae, nec inutiles acceſſiones* adjunctae ſunt Lugd. Gall. ſumtibus *Jacobi Cardon* 1634. it. 1647. it. 1681. fol. Aliis *Calepini* editionibus *Geſneri Onomaſticum* carptim inſertum; aliis ad finem operis idem *Onomaſticum* totum inſertum eſt, atque in una ſerie integrum. Noviſſime etiam prodiit Lugd. Bat. *Calepinus Minor* novem linguarum, *Cornelio Schrevelio* caſtigante et contrahente. Denuo autem integri operis editio nova auctior prodiit et correctior Patavii 1747. fol.

Diu regnavit *Calepinus* in ludis litterariis, inque eruditorum muſeis; ſed per *Fabri Theſaurum* auctoritas ejus hodie propemodum prorſus abrogata eſt.

Morhofius Polyh. Tom. I. p. 821. ſeq. ita de eo judicat: Inter ſtrenuos *Perotti* tranſcriptores non minimus eſt *Ambroſius Calepinus*; qui quidem, ſi in nomine aliquod omen eſt, per anagrammatiſmum *Pelicanus*, ſanguine ſuo et ſucco minorum gentium Lexicographis vitam dedit: fuitque diu ſacra ſtudiorum ancora, ad quam confugiebant, qui in Latina lingua ſe exercere volebant. Sed ipſe interim *Calepinus* merus *Perotti* deſcriptor eſt: quapropter acerbis paſſim cenſuris *Scioppii* et *Franc. Floridi* vexatur; a quibus non adeo multum abludit *Erythraeus* Pinacotheca II. p. 202. Stetit olim, et in ſcholis regnavit, adverſus omnes cenſuras, et prela typographorum calefecit, ac loculos ditavit, bonus ille *Calepinus*, qui toties coctus et recoctus parum ſapit. Illi enim aliena ova ſuppoſuerunt paſſim non nulli, et fetus quoscumque, undecumque corraſos, ſub *Calepini* perſona in theatrum produxere: tandem et nova mole, novarum linguarum miſtura, auctior liber ille prodiit, quaſi conjuratum eſſet ab omnibus typographis in unum hoc Lexicorum chaos, quo, tamquam illo Bacchi dolio, et cicer, et piſa, et allium, et lana, et omnia continebantur. Quae quum omnia illic ſint permiſta; nihil ſolidi et genuini deprehendes: non poſſunt enim ſimul et ſemel diſci et colligi tam diverſa: quoque ornatus magis illis auctariis liber fuit, eo magis deformatus, et,

in

ut ſimius ille apud Claudianum, claro deformis amictu. Prodiit poſt longe plurimas editiones Lugduni 1587, recognitus a *Jano Paſſeratio* et *Ludovico de la Cerda:* ſed, ut puto, abuſi ſunt typographi horum virorum nomine, ut eo promtiores invenirent ſuis mercibus emtores. Videatur de hoc *Paſſeratii* Calepino *Borrichius de Lexicorum Latinorum jejunitate*.

Olaus Borrichius in *Appendice de Lexicis Latinis et Graecis*, quam *Analectis* ſuis ſubjungit, p. 42. ſeq. tria in Calepini Dictionario deſiderat. *Primo*, inquit, nihil minus, quam abſolutum Lexicon adfert, ut quae (ſcil. recentiſſima et optima editione) Foro Romano in multis cedat, nec illi ſatis perfecto; *ſecundo*, variis hinc inde vocibus barbaris redundat, ne venia quidem ſordibus praefata, magno juventuti litteratae impedimento; *tertio*, varie in quantitates ſyllabarum, contra quam frons operis pollicetur, peccatum: alibi notae, quibus dignoſci morae in pronuntiando ſolent, omiſſae; alibi longae correptae, productae breves. Atque ut in transcurſu id addam, parum admodum Lexicographis, quos ego hactenus viderim, omnibus fidei tribuendum, quod ad quantitates ſpectat, quippe ſaepe ſuo, ſaepe imprimentium operarum vitio delinquentibus; paullo quidem tutius *Smetio*, ſed nec illi ſatis tuto, ut jam depravatis codicibus decepto, jam praeter ſpem tacito, jam in analogiam vocum obliquo; tutiſſime *Glonero*, et monitorum *Labbéi* retinentiſſimo, *Lud. Cavallo*. Nam *Ricciolum* ne in eumdem cum exquiſitioribus cenſum referam, licet iterum ad unguem auctoris caſtigatum adauctumque, non index ejus in culpa eſt, ſic ſatis accuratus, ſed, quod jam ante in *Proſodia Bononienſi* deteſtatus ſum, vel corruptiſſimi codices, quibus tamquam fundamentis quantitates ſuas fulcit firmatque, vel parum fidelis oculi typothetes.

Joh. CALVINI *Lexicon Juridicum.* Genevæ 1645, 1665, 1670, 1673, 1684. Francof. 1600, 1610, 1665, 1669. Col. 1653. fol.

Quanti aeſtimetur in foro Juridico *Titulus Pandectarum, de verborum ſignificatione*, et quot eximii JCti in eum commentati ſint; de eo diximus ſupra ad *Briſſonium*. Profecto ex re et vero Quintilianus, *Juriſconſultorum*, ait, *ſummum circa verborum proprietatem laborem eſſe*. Falſus ergo eſt *Bartolus*, qui ait: *De verbibus non curat Jureconſultus;* ut citat haec verba *Ludov. Vives lib. I. de cauſis corrupt. art.* Ex hujusmodi autem ſcriptoribus, qui vocabula juris ſcrutantur, et ex Lexicis reliquis Juridicis omnibus, *Calvinus* noſter omnia collegit, et præſertim Lexicographorum ante ſe adnotationes plerumque integras Operi huic ſuo inſeruit. Multa tamen poſſent heic ſuppleri, ſi a viris rei Philologicae et Jurisprudentiae peritis negotium hoc conjunctim tractaretur. Multa tamen, puto, nunc ſuppleta ſunt, poſtquam publicam adſpexit lucem *Joh. Gottlieb Heineccii Dictionarium Juridicum, in quo* Barnabae Briſſonii *Opus in verborum ſignificatione praeſtantiſſimum in meliorem ordinem redactum et pluribus acceſſionibus locupletatum traditur*. Halae 1743. fol.

Librum

Librum ſingularem de vocibus, Orthographia, Syntaxi et formulis quibusdam plane ſingularibus aut omnino inuſitatis ex Briſſonio et aliis *Calvinus* collegit et ad calcem Lexici hujus ſui attexuit.

Neque vero cenſu eorum, qui vocubulorum Iuris notiones evolvunt, venire poſſunt *Gloſſaria Legum Exoticarum*, et *Feudalium vocabulorum Lexica*, quum res nobis heic cum Latio et Roma tantummodo ſit. Sic ergo huc non pertinent *Godofredi Wendelini Gloſſarium Legis Salicae*, *Joh. Loccenii Lexicon Juris Sueo-Gothici*, item *Cornelii Margarini Dictionarium Longobardicum*, ſive *Dilucidatio verborum et dictionum exoletarum, quae in Longobardicis monumentis haberi poſſunt, ex legibus et tabulis Longobardicis, ac probatiſſ. Hiſtoria ſelecta*, *Tuderti 1670. 8.* quales libri non niſi uſui eſſe poſſunt in Iuribus barbaris verſanti. Pertinent autem huc Auctores, qui Particularum Juris uſum explicuerunt, uti *Chriſtoph. Philippus Richterus* in libro *de ſignificatione Adverbiorum juris*, et *Johannes Strauchius* in libro *de Particulis Iuris*; quarum uſus cum in theoria, tum in praxi permagnus eſt. Horum ſcriptorum numero accenſendi etiam ſunt, qui vel unam hujusmodi particulam ſingulari aliqua commentatione explicant; qualis ex. gr. Göttingae nuper prodiit 1740. 4. *de genuina τȣ̃ Quaſi notione Iuridica*, auctore *Johanne Davide Dieterico*.

Sethi CALVISII, Muſici, Chronologi et Mathematici, *Theſaurus Latini ſermonis, ex optimis quibusque latinitatis auctoribus congeſtus, et in locos communes ſecundum naturalem rerum ſeriem digeſtus. Cum Indice triplici, quorum Primus ad rerum ſeriem, Alter Latinus, et Tertius Germanicus locupletiſſimus ad ordinem Alphabeticum digeſtus eſt. Summa diligentia, ſtudio et ſumtibus recognitus, auctus et emendatus* ab Auctoris filio, M. Sethio Calviſio, Paſt. Neapol. Quedlinburgenſi. Quedlinb. 1651, 1653, 1666. 8. Antehac editus erat Lipſiae 1614, 1623, 1634, 1653. 8.

Calviſius in hoc *Theſauro* ſuo, neglecta litterarum ſerie, ſecundum naturae ordinem diſpoſuit vocabula, et ſic congeſſit in unum locum, quaecumque inter ſe cognationem quandam habent, et ſignificatione conveniunt, tum reſpectu vocabulorum ſingulorum, tum etiam conjunctorum ſeu locutionum integrarum. Quae ratio τάξεως ſive diſpoſitionis vel hoc nomine magis probanda eſt, quam illa vulgata Alphabeti ſeries, quod nihil videatur in ſcribendo commodius eſſe poſſe, aut ad laborem minuendum opportunius, quam ejusmodi varietatem orationis atque copiam ſimul oculis habere expoſitam, et ex unius inveſtigatione verbi ad cetera, quae ſunt ejusdem generis, eadem opera, pervenire omnia. Oſtendit hanc commoditatem ordinis, utilitatemque ejus eximiam ante alios *Johannes Sturmius*, ut erat acerrimi vir judicii, et praeſertim in eloquentiae ſtudio

inſignis artifex, qui Latinae linguae reſolvendae rationem omnem ad quatuor haec primaria rerum totius univerſitatis capita revocavit, nimirum ad *Divina*, *Naturalia*, *Artificialia* et *Humana*, quae Graecis ſunt τὰ θεῖα, φυσικὰ, τεχνικὰ καὶ ἀνθρώπινα. Nihil enim in monumentis ſcriptorum omnium inveniri poteſt, quod non ad horum locorum aliquem reduci poſſit: *ad locum*, inquam, aut *Divinitatis*, aut *Naturae*, aut *Artis* et *Scientiae*, aut *Humanitatis*. Et hoc ordine *Johannes Benzius*, Argentinenſis Academiae Profeſſor, genuinus Sturmii diſcipulus, ſuo tempore, *Theſaurum ſuum Elocutionis Oratoriae*, in lingua potiſſimum Graeca, ex optimorum auctorum reſolutione, feliciter abſolvit: niſi quod ſeriem iſtorum locorum, prout inſtitutum ipſius efflagitare videbatur, non nihil immutaret: ſimile quid etiam in Latina lingua tentaturus, ſi vita eidem fuiſſet diuturnior. Videatur ſupra *Benzius*.

Atque hic *Calviſii Theſaurus* ita mirifice ſubſervit ſyntheſi: ad ἑρμηνευτικὴν δύναμιν promovendam geminum habemus ſcholaſticae pubi ſubſidium: unum quidem ab eodem auctore; alterum ab ejus Filio cognomine profectum:

1. ***Enchiridion Lexici Latino-Germanici, in quo vocabulorum Latinorum ad ordinem Alphabeticum digeſtorum ſignificatio Germanice explicatur, et uſus in Latina lingua monſtratur,*** primo quidem ab Auctoris Filio, deinde etiam ab Ejusdem Nepote, utroque cognomine. Brunsvigae 1679. 8. Antehac editum Quedlinb. 1650, 1652 et 1657. 8.

Hoc Lexicon Auctor ſuccenturiare Theſauro ſuo quaſi voluit, ut, quum tirones ex hoc ipſius Theſauro didicerint, quomodo unam eandemque ſententiam Germanice conceptam vel ſemel vel pluribus modis ex multiplici locutionum notatione varie eloqui poſſint, ex hoc Enchiridio auctoritatem propriamque vocabulorum vim, et ita nativum locutionum uſum cognoſcant, atque hac via certi quid de vero et legitimo dicendi formularum uſu pronuntiare poſſint. Hujusmodi autem libri, in quibus voces Latinae explicantur, aut ea magnitudine ſunt, ut non niſi a pecunia bene inſtructis comparari, et tanta mole, ut domi uſui tantum eſſe poſſint; ea etiam ubertate, ut, priusquam pueri inveniant, quod quaerunt, obliviſcantur quaeſiti; aut etiam plane, quod inveſtigant, invenire non poſſint, quum vocabula, quae explicantur, non ad juſtam alphabeti ſeriem, ſed ad themata ipſa, unde deſcendunt, digeſta ſint, de quibus tamen thematibus pueris, ut minus exercitatis, parum conſtat, et ita ſero vel numquam, quo volunt, perveniunt: aut contra iidem libri ea ſunt brevitate, ut nuda tantum vocabula absque ullo locutionum uſu, unde vocabuli natura intelligi poſſit, proponant. Auctor mediocritatem quandam ſecutus, vocabula ipſa ad litterarum alphabeti ordinem exacte digeſſit, uſum vocabulorum et ſignificationem in aliis atque aliis loquendi modis breviter oſtendit, et inſuper ſimul ſyllabarum quantitatem adſcripſit, et quidem in ea libri quantitate, ut commode circumgeſtari poſſit.

2. ***Onomaſticum Propriorum Nominum***, ſive *Pars Secunda Enchiridii Lexici Latino-Germanici*, Sethi Calviſii, *Nomina Deorum, Dearumque Gentilium, Inſularum, Vrbium, Oppidorum, Emporiorum, Caſtel-*

Caſtellorum, Navalium, Vicorum, Pagorum, Promontoriorum, Montium, Speluncarum, Solitudinum, Silvarum, Populorum, Virorum, Mulierum, Marium, Fontium, Fluviorum, Stagnorum, Sinuum, Paludum, Lacuum, Portuum, Menſium, Monſtrorum, Siderum, Ventorum, etc. ordine alphabetico exhibens, expediteque explanans atque declarans, auctore M. Setho Calviſio, Lipſienſi, ad D. Nicol. Quedlinburgi Paſtore. Quedlinburgi 1650. 8.

Poſtquam Filius, Patri cognominis, Patris, viri in tenuiori ſorte ſua vere magni, bina opuſcula Philologica, *Theſaurum* nempe *Latini ſermonis* et *Enchiridion Lexici Latino-Germanici*, poſt pia illius fata auctiora et nitidiora emiſiſſet; hoc *Onomaſticum*, ad inſtar *Partis Secundae Enchiridii paterni*, ſuo ipſius ſtudio concinnare, et utrique Patris labori adjicere voluit. Onomaſtici hujus uſus in palaeſtris litterariis magnus eſt, quum non modo Poëtarum, ſed quorumcumque etiam auctorum lectionem juvet, ſiquidem veluti breviarium eſt omnis hiſtoriae, quae virorum et terrarum et locorum et populorum appellationibus continetur.

Ex Calviſii Theſauro excerpta et congeſta videtur eſſe *Sylloge locutionum ac formularum Latino-Germanicarum ed. Islebii 1582. 8.*

Joachimi CAMERARII *Commentarii Explicationum in M. T. Ciceronis Tuſculanarum Quaeſtionum libros V.* Baſileae apud Robert. Winter, et apud Oporinum 1543. 4.

Libro I, de imitatione dicturus, Ciceronianos, et Sannazarium ſigillatim, alioſque adverſus Eraſmum defendit. De cetero hi Commentarii egregiam præſtant utilitatem tum ad ipſum Ciceronem rectius intelligendum, tum vero ad ea omnino capienda, quae bonarum litterarum cultoribus non poſſunt non eſſe quam gratiſſima.

EIVSDEM *Hiſtoria rei nummariae* ſive *De numismatis Graecorum et Latinorum.* Tubingae 1539. 8.

Auguſtini CAMPIANI, Privernatis, JCti et Anteceſſoris Taurinenſis, *De formularum et orationum elegantia liber ſingularis.* Taurini 1728. 8.

Iani CAMPTONI, ſcriptoris perſonati, *Diatribe Critica de verbo* Collimare. Hamburgi (Jenae) 1725. 8.

Oppoſuit huic ſcripto, quo ſe oppugnari viderat, *Jacobus Fridericus Reimmannus Diatriben Anti-Criticam, qua perſonati Camptonis Diatribe Critica ad ſtateram revocatur.* Subjicitur *Auctarium Hiſtorico-Criticum de variis L. L. fatis.* Hildeſiae 1726. 8.

At iterum obviam itum eſt *Reimmanno* in *Commentatione*, quae inſcribitur: *Vindiciae nominis Buddeani contra obtrectationes nuperas Jac. Frid. Reimmanni*, Jenae 1726. 8. Emiſſa porro eſt *Vindiciarum nominis*

nominis Buddeani Appendicula prior, *Jac. Frid. Reimmanni Latinum Hegingenſe complexa* &c. Jenae 1726. 8.

Hiſtoriam litis hujus breviter percenſet ipſe *Reimmannus* in Catalogo ſuae Bibliothecae Theologicae Syſtematico-Critico. p. 1083. ſeq.

Theodori CANTERI *Variarum lectionum libri II.* Antwerp. ex offic. Plantin. 1574. 8.

Inſerti etiam ſunt Tomo III. *Facis Gruterianae.*

Wilhelmi CANTERI *Novarum lectionum libri VIII.* Baſil. 1564. 12. 1566. 8. Antwerp. 1571. 8.

Auctor proxime praecedentis frater erat, et Criticus ſagaciſſimus. Recenſuit has *Novas Lectiones* ſuas, auxitque aliquoties. Ejus *Syntagma de ratione emendandi Graecos ſcriptores*, quod iisdem *Novis Lectionibus* ſubjicitur, ſeparatim prodiit Baſileae 1566. Etiam *Libellum variarum Lectionum* in Graecis Bibliis, a Plantino excuſum, concinnavit. Neque dubium eſt, quin multo plura etiam ab illo exſpectanda fuiſſent praeclara ingenii monumenta, ni mors juvenem anno aetatis XXXIII abripuiſſet. Hoc etiam notandum fuerit, has *Ejus Novas Lectiones* eſſe inſertas integras, una cum *Theodori* fratris *variis Lectionibus*, Tomo III. *Facis Gruterianae.*

Non poſſum non, Criticae ejus ſagacitatis adferre heic aliquod ſpecimen. Quum enim ſingulis aetatibus ſuum quoddam fuerit philoſophandi genus, quod et argumenti ipſius et tractandi ratione deprehenditur, ſuaque peculiaris quaedam phraſis exſtiterit, quae ex ſimplicibus vocibus, ex conſtructionibus, ex ſententiis, ex paroemiis, ex figuris, ex tropis elucescit; aequalium auctorum collatione ſe facile ad intellectum locorum difficilium, et ad emendationem depravatorum pervenire aſſerebat. Ad vetuſtatem MSS. codicum deprehendendam conſimili temporum diſtinctione utebatur, qua conſtat, Orthographiam illam veterem ac genuinam paullatim in deterius fuiſſe depravatam, vel negligentia vel inſcitia librariorum.

Hieron. CARDANVS: vide infra *Dausquium.*

Chriſtophori a CARLEWITZ *Commentatio, cur tam pauci apud ſingulas Latinae linguae cultrices nationes ad illud usque tempus reperti ſint, qui vel cum mediocribus ex veterum memoria Oratoribus in comparationem venire potuerint.*

Haec elegantiſſima et prudentiae plena Commentatio *L. Vallae Operibus* Baſileae conjunctim 1540. fol. editis, et *Burkhardi Commentar. de L. L. per Germaniam fatis* Tomo II. cap. 5. a pag. 496. usque ad pag. 508. tota inſerta eſt.

Philippi CAROLI, Profeſſoris quondam Altorfini clariſſimi, *in Q. Curtii Rufi de rebus geſtis Alexandri M. libros X.*

Animad-

Animadverſiones Hiſtoricae, Politicae, Philologicae. Noriberg. 1661. 12.

Diſſertationem Auctor praemittit, qua agit de aetate Curtii controverſa, de vitae ejus conditione, de libri argumento, de ejus ſtilo, quem meris ornat elogiis, et de ejusdem prudentia. In ipſis Animadverſionibus occurrunt interdum notatu digniora.

EIVSDEM *Animadverſiones Hiſtoricae, Philologicae et Criticae in A. Gellii Noctes Atticas et Q. Curtii Hiſtoriam.* Norimb. 1663. 8.

Liber haud ſpernendus, quum politiſſimae eruditionis veſtigia in eo deprehendamus.

De ejus *Antiquitatibus Romanis* vide infra ap. *Roſinum.*

Joh. Bened. CARPZOVII Prof. Helmſt. *Epiſtola votiva ad Danielem Haecks, de antiquae ac recentioris doctrinae comparatione.* Helmſt. 1748. 4.

Quum de amore tuo, Vir Ampliſſime, quo venuſtam, et virtutibus ſui ſexus ornatiſſimam puellam, *Catharinam Agnetam Evers*, fauſto ac feliciſſimo matrimonio tibi nuperrime adiungebas, ad me perferretur, quamvis probe cognoſcebam, ita me tibi ob innumera beneficia obſtrictum eſſe, ut Hymenaeos illos, laetarumque aedium tuarum fores ac poſtes frondibus, aulaeis, floribus ornare debuiſſem; tamen alio, quam nuptiali, officio faciendo implicatus, diſtractusque, ut noſti, maxima rerum mearum commutatione, pompam tum ducere cum amicis tuis, vicinis, et praeſertim clientibus, non potui. Quam officii mei praetermiſſionem, tantum, ſcio, abeſt, ut ex neglectione pietatis et obſervantiae meae prava ſubortam arbitreris, quia iſtud flagitium a probitate mea atque honeſtate alienum eſſe perſpexiſti; ut diſceſſui potius a laribus meo, ac diſtractioni, milleque varii, ut fit, generis occupationibus tribuas, quod iam ad repotia quaedam, cum *Catharina Agneta* tua inſtauranda, te, niſi incommodum fuerit, allicio. Neque enim omnino, quantumuis pro ea, qua adverſus me propenſione ferris, veniam abs te facillime impetraſſem, tamen volui committere, ut tam opportunam, gratum emittendi animum pro aureis tuis muneribus, neglexiſſe occaſionem, non tibi quidem, ob ſingularem modeſtiam curioſe haut appetenti hujus generis laudationes, ſed aliis tamen, nec injuſte, dicerer. Ecquid vero homini, ad eam, quam ne quis mihi eripiat, virtutis laudem contendenti, gratius poterit evenire, quam ſi propter accepta beneficia obſtrictum ſe benefactori eſſe ſuo, lubens profiteatur? Ego itaque, egregia bonitate tua ac beneficentia altus, ornatusque per annos omnino quattuor Schabbeliana liberalitate, quia iam munere publico, eoque ordinario, impetrato, haut conceſſum eſt ex auctoritate legis, a teſtatore pio ſancitae, ulterius beneficio perfrui; juſtiſſimum tamen cenſui, publico aliquo, quamvis levi, nec muneris accepti magnitudinem aequante, documento demonſtrare, me ita tibi, quoad vivam,

vivam, tuum totumque eſſe, ut eſſe me deſierim oporteat, ni omnis amplius tuus totusque ſiem, vel fuero. Felicitatem igitur, qua novam nuptam, eamque ſuavem atque dulciſſimam puellam domum duxiſti, ſincere tibi gratulor, easque ex hoc matrimonio proſperitates voveo, quibus veterum carmina poëtarum, epithalamiaque, et idyllia ſic referta ſunt, ut, quae aut ego aut alius iis adiiciat, non habeamus. His tu bonorum acceſſionibus cumulatus, negotia, quae pro illuſtri re Lubecenſium publica ſuſcipere aſſoles, relaxa, ſuaviſſimaeque uxori optimus maritus, et ipſa viciſſim jucundiſſimo ſuo (ut eſt apud Plautum,) ocello, vos igitur ambo, blanditiis et ſatietate deliniti, pulchras horas adeo ſuaviter, adeo hilariter tranſigite, ut abeſſe, quae ſecus fuerint, univerſa jubeatis. Largiatur rerum arbiter humanarum corporis integritatem, atque eo vos bonorum adaugeat incremento, ut felicitatis exemplo nepotibus habeamini, utque adeo proinde, quando fata mihi vitam non abſcindunt, literariis epiſtolis ad te ſcribendis, quemadmodum conſenſione, ſive auctoritate potius tua impulſus, eas coepi, in poſterum apud te pergam, ſimulque, quam tibi aeternam et debeo et ſpondeo, pietatem demonſtrem. Quum autem iam ſtatuiſſem, aliquid hoc tempore tuo ad te ſcribere, quoniam ad meam utilitatem cum Graecis Latina ſemper conjunxeram, haeſitaueramque nuper in argumento, aliis quidem non intacto, nempe ſollicito in comparanda inter ſe antiqua et recentiore eruditione; credebam tamen, vel poſt ipſum Blackwallum inſtaurari iſtam materiam a me poſſe, nec diſſertatiunculam hujus generis, brevem praeſertim, tibi injucundam fore propterea, quod partim tale quidpiam abs me obiter aliquando poſtulaveras, partim, quod haut indignum eſſe perſona mea, praeceptisque Schabbelianis, intelligis, ſi in veterum ſcriptorum, unde eruditionem unice petimus, libris perlegendis tempus collocem, meo autem ipſe de his rebus judicio utar, atque ad idem ſequendum alios alliciam.

Igitur de antiquae (ut dixi,) et recentioris doctrinae comparatione ad te breviſſimis ſcripturo, Vir Doctiſſime, in ipſo occurrunt limine acres aetatum omnium contentiones et concertationes, quinam valuerint plus ingenio atque doctrina? et, quodnam tandem aevum, in artium bonarum atque ſcientiarum cognitione, reliquis ſit praeferendum? A prima enim educatione inde ſua, qui veteribus Graecis Latinisque auctoribus adſueti, legere illos et intelligere didicerunt, jucunda deliniti horum memoria, habent univerſos in deliciis, atque, ipſis quod ex fontibus haurire poſſunt, gloriam in eo, ac magnam omnino dignitatem inveniunt. Placent campi, in quos exſpatiari quondam fuit volupe, nec flores oblectare deſinunt, flore quos in ipſo ſuae aetatis decerpſerunt. Sunt, quorum muneris ſola, officiique, ſuadet ratio, ut veterum laudes decantent, et celebrent. Alios de mundi, neſcio quo, ſenio, ſeduxit error, qui naturae vires decreſcere ſemper arbitrati, facile inducuntur ad credendum, noſtra hæc ſaecula prioribus cunctis deteriora eſſe, ingenia plane defloruiſſe, recentioresque omnes eruditione, ſtudiis, artibus, ſcientiis, longe inferiores, antiquis, aeſtimari oportere. Neque vero ab altera parte deficiunt, qui, quidquid redolere priſcum, nec ad ſui ingenium ſaeculi videtur compoſitum eſſe, ſuperciliose deſpiciunt, varietate hominum animos delectari, dicentes, majoremque ſe et

 indu-

induſtriae et laboris gloriam habituros, arbitrantes, ſi illorum ingenium nullis inniteretur artium alienarum adminiculis. Ex qua antecepta opinione antiquos ſpernunt, et procul hinc faceſſere jubent, et tamquam qui nihil amplius docere ipſos poſſunt, rejiciunt; multum omnino immemores, multa ſe, quae ſciunt, uni debere vetuſtati, et multarum ignaros bonarum rerum, in tenebris fuiſſe permanſuros, niſi veteres ipſis auctores facem praetuliſſent. Sententiarum ejus generis, ſed injuſtum perquam, diſſidium, quod diverſas ſequitur utrinque partes, et multum vexata ac irriſa vetuſtate, literas ſuorum temporum, eloquentiam, ingenia, antiquorum anteferre ſtudiis ſolet, antiquiſſimum eſt, ab Horatio, Petronio, Quinctiliano, aliis, jam deploratum. Neque tamen in hac brevi epiſtola commemorabo copioſe caſca illa et taedioſa nomina Zoili, Carbilii, Largii Licinii, Lenaeique, qui male et inconſiderate loquutos eſſe Homerum, Tullium, Salluſtium, et reliquos veteres, ore male dicente extruſerunt. Neque iam convicia attingam, adverſus nobiliſſimam Graecorum nationem, et Latinorum gentem ornatiſſimam, profuſa, quibus ſaeculi ſui famam fieri illuſtrem poſſe, antiquorum contemtu, exiſtimarunt vitio creati cenſores, qui reſtitutas quondam poſt literas laudem detraxerunt veteribus debitam, Michaël Marullus, Franciſcus Floridus, Alexander Taſſonus, Petrus Ramus, Claudius Verderius, atque alii; quibus maſcule ſe oppoſuerunt Paganinus Gaudentius, Emundus Richerius, Gabriel Coſſartius, et quilibet eruditioni cupidiſſimus. Talia igitur, errorene dicam, quod jam antiqua nimis et obſoleta ſunt, aut, quod, ut magis arbitror, nec acute haec ſunt, nec ingenioſe, ab illis diſputata, ſilentio praetermittam. Ad celebratiſſimam potius illam, eamque non acutam magis, quam ingenioſam, quas et veterum et recentiorum excitavit comparatio, contentionem, ſuperiore ſaeculo in Gallia exortam, deveniam. Ingenii enim, ut veriſimile eſt, abreptus aeſtu, non fortaſſe nimia antiquiorum invidia (quamquam non omnino ſatis gnarus erat linguae eruditae, Graece autem prorſus indoctiſſimus,) Carolus Perraltus, nationis praeterea, et aetatis ſuae viris eruditis blandiens, Carmen, quod Ludovici Magni Saeculum inſcribitur, in Academia Francica recitabat: in quo memoranda Ludovici XIV tempora, non Romae tantum et Graeciae aequiparari, ſed anteponi omnino et poſſe, et debere, pronunciabat. Atque eo quidem conſilio, maximi ex antiquitate nominis homines, Platonem, Ariſtotelem, Demoſthenem, Ciceronem, inprimis Homerum, deinde Menandrum, Virgilium, Ovidium, quantos autem illos et quam divinos viros! ſugillans, Eridos hoc pomum aſſidentes inter Academiae Francicae proceres projiciebat. Vt igitur ad veterum illam contemtionem, tamquam ad commune aliquod, certiſſimumque elegantioribus literis periculum imminens avertendum, conjunctis certatim viribus dixerunt contra Dacerius, Aegidius Menagius, Nodotius, Longepierius, aliique: quibus ſe poëtae ac verſificatores, ut fit, catervatim adjunxerunt, et, ut impudens eſt natio ſubinde, ſe obtruſerunt, et utriusque in partis ſectatores modulis ſuis atque verſibus ſatiricis, facetioſisque, luſerunt ac cecinerunt. Perraltus autem, quam in hoc Carmine breviter expoſuerat, eam mentem, anno poſt, et fuſius, et per partes eundo eruditionis explicabat, recentioresque ſcriptores ſingulos ſingulis opponebat antiquiori-

quioribus: quorum in illis plures Veneres, elegantias, ſales, iocos, tum dictiones ſublimiores, atque exquiſitiores ingenii ſubtilitates, praeterea iudicii acumen interius, partim in eloquentia illorum et omnis generis poëtice, partim in aſtronomia, mathematica, philoſophia, phyſica, muſica deprehendi, ſupponebat magis, quam demonſtrabat. Et quid plura? quum callido huic veritatis hoſti, (quamquam calculum et ſuum adiecerant Fontenellius, Sant Euremondus, et ipſa Perralti familia, Petrus et Claudius;) in ipſis tamen Francogallicis fuerint, qui veterum in lectione verſatiores, aptioresque in hac lite, quam Perraltus, iudices, occinerent, Boilaeus, Claudius Fraguerius, Petrus Daniel Huetius, Boiſſimonius, Franciſcus Regnierius: in Anglis autem, Templeus, Gulielmus Wottonus, Schwiftius: in Italis, Vrſinus: multique denique alii in Germanicis noſtris. Stabant patroni fortiſſime, nobiliſſimam tuentes cauſſam, atque iuſtam, et, pro antiquis decertantes, non deprimebant quidem recentiorum conatus, ingenia, diligentiam, ſed hiſce palmam tamen prae illis non concedebant. Iam conſopita vix erat decertatio, quando anno huius ſaeculi quarto et decimo, denuo recrudeſcebat, quo Gallicam Iliados imitationem Hudartus Motteus ediderat, atque in Oda, credo, aliqua, operi praefixa, principis poëtarum Homeri errores, quibus alii, ut loquitur, pulchritudinis tribuere laudes ſolerent, indicaverat. Tum vero, en! ut repente egregium ſexus ſui decus, Anna Fabri Daceria, quae Graecorum ſcripta in Gallicum ſermonem convertendo celebritatem ſibi maximam compararat, et Homerum non ita pridem ediderat eadem lingua, ſcripto de cauſſis corrupti ſaporis, pleno veterum reverentiae et amoris libro, in Hudartum illum Motteum concitatiſſime et ferventiſſime (vt mos mulierum eſt, puto,) invehebatur. Ecquis crederet, feminam, commutare ſuam ipſius naturam, et pro vetuſtate ſtare potuiſſe? Pugnabat illa tamen exquiſitiſſima doctrina: Motteus vero ſubtili omnia elegantia excipiebat. Illa rem acriter et ſtrenue urgebat: hic agebat feſtive, nec paucis immiſtis ſalibus. Illa auctoritatibus, ex literis reconditioribus, quarum in argumento eiuſmodi non leve omnino pondus eſt, innitebatur: hic, philoſophice magis quam erudite, rationibus ex naturae ſenſu depromtis, opinionem ſuam confirmabat. Vt igitur Perralti nuper ſententia in duas diſtraxerat partes viros doctos, ita haec Homeri cauſſa multorum ſimiliter diſſenſionem concitabat. Mottei inter aſſeclas Terraſſonius erat. Dacieriam defendebant Boivinius, atque alii. Videbas, nullis qui partibus addicti, atque quaeſtionem ex aequo omnem iudicantes, diſputari de guſtu non poſſe, aſſerebant. Ludicra cernebas, ut fit, hic illic, ſcripta, quae variam poëtae principi perſonam imponebant. Bonus autem ille Homerus, ab inferis ſuis et longo ſomno excitatus, Lutetiae interea Pariſiorum, in theatro ſcenicos inter actores atque hiſtriones vivebat, iocoſeque partim et inficete traducebatur. Sexcentis eruditus orbis, ſed quid ſexcentos dico? infinitis premitur libellis, ab alterutra parte in lucem excluſis, quos ſi perlegimus, nec veterum tamen, nec recentiorum ita diiudicatam cauſſam fuiſſe, intelligimus, ut non ſequenti adhuc aetate varia ſubnaſci propter illam rem altercatio poſſit. Eamque nec conſopitam, nec omnino ſepultam eſſe, quotidiana exempla demonſtrant horum, qui antiquioribus mox, mox recentioribus ſcriptoribus proponunt palmam. Ita enim a na-

tura quaſi facti et conſtituti eſſe videmur, ut, in qua tandem exercitatiores arte et inſtructiores ſumus, eam ceteris facile præferamus. In veterum igitur lectione ubi aliquis verſatior, recentiorum opera parum attigit, quid mirum, ſi omnes in his vetuſtulis ſuis conſiliariis reſidere theſauros, et ſapientiam judicet? Vbi vero ab antiquorum aliquis lectione deſtitutus, vix nomina illorum balbutire poteſt, quid pariter mirum, ſi ſtatuat, tot iam praeceptoribus recentiora tempora, et tot exemplis, inſtructa eſſe, ut nulla naſcendi ſorte aetas felicior videri, quam noſtra, poſſit, cui docendae priores cunctae elaboraverint? quale quid ex concertationum, quas dedi, hiſtoriis, luculentiſſime evincitur.

Quemadmodum igitur minime negandum eſt, Vir Excellentiſſime, ab utraque parte, qua ſaeculi quisque ſui bonis cum obtrectatione alterius utebatur, peccatum eſſe: (manet enim ſua virtus antiquiorum ſcriptis, idemque eorum perſtat, qui olim, vigor, neque, quomodo medicamenta antiquata, vim perdiderunt, ſpiritu exhalato; deinde ipſa nec hodie laſſa eſt, nec effoeta, natura, ut nihil denuo laudabile pariat.) Ita e contrario longe item certiſſimum eſt, multis erratum eſſe in rebus ab antiquitate, quas vel uſu iam, vel doctrina, vel ipſa denique vetuſtate, immutatas conſpicimus, in aliis autem, nihil viciſſim abs recentioribus fuiſſe perfectum, niſi in veritatis inveſtigatione auctores atque duces habuiſſent veteres, quorum ſubvecti humeris, multa, quae humi haerentes haut vidiſſent, iam clare perſpiciunt. Habet enim omne ſuas prae aliis praerogativas ſaeculum, et unumquodque ad aliud genus ſtudiorum, quod alio tempore excultum eſt, non accedit. In libera quondam Romanorum re et Graecorum publica, eloquentia prae reliquis florebat artibus; ſub Auguſto Caeſare, eminebat Romae poëtices ſtudium; Neronis ſub imperio muſice et peritia ſaltandi; artes criticæ ſub Hadriano; ſub Marco Aurelio Antonino, Stoica, id eſt, ieiuna, barbara (multorum Wolfianorum non diſſimilis,) philoſophia; aliis autem temporibus, hiſtoriae mox, mox mathematica, vigebant. Iam ſi ex plurium hominum, quae ſemper inſtigat et acuit, contentione, ita effloruerunt ingenia, artes, ſcientiae, ut ad faſtigium adſcendiſſe ſuum viſae eſſent; eritne, qui hoc mirabitur? Eaedem autem illae diſciplinae, ſi non expoliuntur ita tempore ſequenti, videbiturne alicui alienum, ſi eas ſubinde decreſcere, neque ad priſtinam denuo accedere dignitatem poſſe, perſpicit? Sed, quinam ſint, qui Recentiorum ſub nomine, atque Antiquorum, venire ſoleant, ante omnia explicabo. Ambiguo autem huic, atque infinito vocabulo, eos tamen fines aſſignabo, ut, qui ab origine elegantiorum literarum ad occaſum usque imperii Romani floruerunt, Veteres dicam; Recentiorum autem ſignificatione habeam hos, qui a renaſcentibus inde ſaeculo quinto ac decimo literis, in noſtram hanc, venturamque aetatem ſe extendunt. Recentiorum igitur periodica epoche, tribus ſaeculis minori ſpacio includitur. Veterum autem aetatem ac circulum, ſi a tempore ſeptem ſapientum ordior, per ſaecula minimum octo ſtudiis literarum effloruit. Itaque aliquot ſaltem artes commemorabo; omnes enim, quis poterit? quum nec unius ſit, ſcire omnia. Atqui ſi vel maxime poſſem, et dies me tamen deficeret, et fines hujusmodi ſcriptionis egrederer, teque, Vir Ampliſſime, ab aliis rebus melioribus detinerem;) harum pretio

tio

tio inſtituto, quomodo ab antiquis partim, partim a recentioribus excultae ſint, aeſtimatio fiet, quaenam temporis veriusque doctrina pluris facienda, atque quaenam alteri praeferenda ſit.

A Matheſi incipiam. Nobiliſſimam hanc ac longe primariam ſcientiam, quis neſcit, tam diligenti, tam acuta occupatione, a veteribus excultam, atque Archimedis inprimis, Euclidis, et aliorum, quae veneramur, operibus, elegantiſſime perfectam eſſe? Plato autem Geometriae imperitos vetabat ſacris philoſophicis ſuis immiſceri. Noſtra vero quid tempora? Newthonus quidem, Bernoullii, Leibnitius, nuper Hauſenius, hodie Segnerus, et alii, non defuere, qui ad ſublime faſtigium, caput hoc ſcientiarum perducerent. Vereor tamen, ut vacua nimis forent ſubſellia docentium in academiis, quando illi, Platonicum imitati exemplum, Geometriae ignaros nollent admittere. Sed dabo mathematicae peritis, quantitatum ſcientiam, et cultura algebrae, et inventione calculi, quem differentialem dicunt, hodie plura, quam olim, incrementa cepiſſe: non tamen verebor, fore quempiam, qui inficias iturus ſit, nec quondam eam tenuem fuiſſe aut nullam, (nam quorſum, quaeſo, Aegyptii non progreſſi?) quique, ſi praerogatiuam etiam, (quod non incaſſum ſuſpicor,) haut conceſſurus ſit, communiorem tamen eam olim fuiſſe, facile mihi non daturus ſit. Quid igitur mirandum, ſi illa aetate acutiores plures atque intelligentiores evaſerint, quandoquidem omnis intelligentiae fons in arithmetica et geometria lateat? In aedificandi autem, praeterea in ſtatuaria ac pictoria arte, quanta veterum peritia fuerit, tot ipſorum monimenta, tot aſyla, tot templa, amphitheatra, thermae, ſtadia, tot palaeſtrae, et balnea, et ſtatuae, et columnae marmoreae, tot pyramides, et obeliſci, quorum vel rudera mirantur praeſtantiſſimi noſtrorum artifices, teſtificantur. Et quid? ſi, Wottono auctore, Michaël Angelus, et Berninius, ſummi Italorum magiſtri, optima artificia ſua, vel ab iſtis veterum Romanorum, quae hodie in hac adhuc urbe conſpiciuntur, ſtatuis, ingenue fatentur, mirum quantum ſuperari? Sed ad Philoſophiam progrediar. Atque ea quidem, faciem iam longe aliam nacta, amplior longe eſt, vaſtior, verboſior: loquaciorem enim eſſe, cogitabo ſaltem, non dicam. An excultior tamen propterea? an utilior? Sed largiar aliquando, eſſe eam, quod ad ordinem ſpectat, excultiorem: an etiam, quoad linguae ſermoniſque elegantiam? Dicam igitur, quae ſentio; (iraſcantur autem, qui volent: certe tu, Vir Ampliſſime, ſcio, non iraſceris.) Nempe recentiorum plerorumque philoſophia, ſtilo ſcholaſticorum horridiſſimo, quaeſtionibus inutiliſſimis, innumerabilibus de caprina lana altercationibus, innovandi ineffabili pruritu ac perpetuo, deformata, a venuſtate ſua priſtina, utilitate, atque ſoliditate, ita degeneravit, ut ſub inani contortulae ſubtilitatis ſpecie, verba et vocabula multa barbara, pauciſſimas autem attingat res. Atqui vero, quot veritates detexerunt ignotas recentiores ſophi! clarae omnes, diſtinctae, plenae, perfectae notiones! metaphyſica exculta! coſmologia adiecta! credo etiam pneumatologia, thelematologia, et (capitalis aliqua ſcientia,) monadologia! Paucis igitur complectar. Amplificata itaque eſto inſigniter philoſophia a recentioribus, horrida tamen erit maximam partem, et inculta, et dicendi ſqualore obfuſcata, et ſine ſanguine ac carne oſſa mera.

E contrario, quam egregie vitiorum characteres Theophraſtus depinxit! Cicero quam venuſtiſſime expoſuit officia! Epictetus, Seneca, ut illi in coercendis affectibus laborant! quam ſapienter, quam ornate, artes politicas Plato, Ariſtoteles, Tacitus deſcripſerunt! Optimi principis exemplum Xenophontis Cyropaedia exhibuit. Romanae hiſtoriae parens, Livius, qua quaeſo, integritate, qua fide, qua venuſtate cuncta perſequitur! quem optimum ſuum vocare conſultorem ſolebat Eugenius, Sabaudiae Princeps, glorioſus ille dux, celebratiſſimus maximis victoriis heros. Quid autem inprimis de eloquentia dicamus? Quae praeſtantiſſima perſuadendi artificia Thucydides, Demoſthenes, Tullius, Livius, Quinctilianus reliquerunt! Quid de poëtica? Epici carminis regulas ab Ariſtotele probatiſſimas accepimus; formatae ſunt ex Homero, quem Virgilius ſibi imitandum propoſuit. Dramaticam poëſin Ariſtophanes, Menander, Euripides, Sophocles excoluerunt. Callimachus autem, Plautus, Terentius, Horatius, Lucanus, quanti viri! ex quibus recentiores noſtri, nonne ſpiritum in rebus, ſublimitatem in verbis, in affectibus motum omnem, elegantiam in perſonis, et in reliqua eloquutione decorum inde univerſum conquirunt? Quae quum ita ſint, quis erit tandem ſapiens ille, qui in arte vel oratoria vel poëtica ambiguam reddere palmam veteribus conabitur? erit, ſcio, erit ille, qui vel ſuo ſaeculo adſentiri induxit animum, vel priſcae eloquentiae aut poëſeos venuſtates numquam deguſtavit. Plura addam. Rerum quidem naturalium cognitionem, immane quantum, arbitrantur, amplificatam eſſe tot experimentorum beneficio. Neque vident omnino parum, recentiores in ea re. Quod quid mirum, ſi majora in dies adminicula, quae aut excogitavit antiquitas, aut forſan non ita ſcivit planiſſime, excolantur ab iis, atque perficiantur? Sed quot inania adhuc in rebus occurrunt phyſicis! quot ludicra! crepundia quot! latent etiam cauſſae; principia deſunt; nedum, ut, quae deduci ex illis debebant, recte ſe habeant. Multa praeterea nova creduntur noſtris, atque ante hunc diem inaudita, quae non adeo ignota fuere veteribus. Ars pulſaria (ſphygmicam dicunt: quae circa motum cordis et arteriarum verſatur,) auctores habuit antiquiſſimos, Aſclepiadem, Athenaeum, Zenonem, Ariſtoxenem, aliosque, quos amiſimus temporum injuria. Sanguinis illam circulationem cultoribus Machaonicæ artis iam antiquitus fuiſſe cognitam, et non ab Harueo primo detectam, clariſſimum phyſici cujusdam veteris teſtimonium penes Julium Pollucem habetur. Copernici autem, de terrae motione, placitum, Ariſtarchus iam et Philolaus, philoſophi antiquiſſimi, non neſciverunt. Denique omnium, quid præſtantiſſima alia, quae tanto cum molimine extollunt recentiores, inventa loquar? quid typographicam artem? quid tubos? nauticam pyxidem? quid alia? Nam qui fortunae experientiaeve imperitiſſimorum ſæpe hominum, non philoſophorum, neque eruditorum, multa originem debere ſuam, cognoſcit, longene maximam ille poterit recentioribus noſtris prae antiquis praerogativam vindicare? Verbo igitur rem omnem ediſſeram. Quae experientia diuturna, et longo vſu nituntur artes ac ſcientiae, diligentius a recentioribus excultae, atque elatae ad non plane nullum faſtigium forte videntur: quae vero et ingenio perficiuntur, et inventione, in his veteres eminuerunt excellentius. Hoc conſtat, et

hoc

hoc ſcio: hoc crede mihi, Vir Doctiſſime, hoc ex ſcriptis priſtinorum ac noſtrorum in ſe collatis veriſſime perſpicitur. Hoc ab aequis perſpicacibusque rerum aeſtimatoribus in dubium non poteſt revocari.

Enim vero, ſi antiquis auctoribus ingenii atque inventionis praerogativa prae noſtris tribuitur, longe omnino inter ſe haec duo ſunt diſcernenda: primum, quid omnino ſit? et deinde, utrumne diligentia et accuratione interpoſita, tum vero etiam adhibita ſollertia, acrimonia, induſtria, ad eamdem poſſit ingenii gloriam aetas recentior pervenire? Quod alterum negare, et religioni mihi duco, et ab aliis iam bene evictum eſt. Vno enim atque eodem modo naturam agere identidem; non contemnenda argumenta ſunt, quae a repugnantibus cauſſis, ex contraria opinione fluentibus, petitae, rem totam perſuadent. Immutabilis Divini Numinis providentia, hodie non minus, quam olim, efficaciſſima potentia dominatur: naturae ipſius indoles agendique modus idem eſt: eaedemque aetate omni viciſſitudines rerum atque formationes retinentur: una eſt, nec alia quae ante, et ſolis, et lunae, et ſtellarum facies: terra movetur ſimili modo, ſic nunc, quo olim: propagatio autem omnium animalium an forſitan hodie diverſitatem habet? Quidni igitur ingenia hominum recentiorum, eadem illa ratione producantur, eademque gaudeant foecunditate, qua antiquorum? Capita certe noſtrorum hominum non minus cerebri habent, quam priſtinorum; et ipſum cerebrum non minus eaſdem habet fibras, non minus iisdem viget vitae ſpiritibus. Quod ſi vero ad eamdem, qua veteres, ingenii gloriam, recentiores haut perveniunt, ſuae ſibimet inſtitutioni, et non alii rei, culpam tribuant. Deflectant modo a ſeductrice illa, quae hodie tam trita eſt, et vera perperam habetur ad eruditionem perveniendi via, nimirum compendiaria. Literis ante aliquot ſaecula renaſcentibus animorum ardor exſatiari vix poterat, quum e contrario recentiſſimi plerumque noſtrates, optimos auctores, et humaniores literas, Graecam Latinamque linguam, faſtidiant, in quarum locum obſcuram et barbaram, aut vernaculam ſcribendi rationem eligunt, et veritatis cognitionem praetermittunt, et philoſophiam permutant aut in ſceletum, aut in ſtudia curioſitatum, et fidem antiquorum, quos non legerunt, ſugillant, et pro libidine, nova, ſi Diis placet, at ſatis illa miſerrima, excogitant, et ſcientiarum loco mera figmenta, ſtulta, abſurda afferunt, vt hominibus otioſis placeant, a librario autem ſolidos quinque argenteos pro ſingulis foliis voluminoſorum operum, acuti et triſmegiſti philoſophi nanciſcantur. Hae, hae ſunt illae cauſſae certiſſimae, quae virtutem ingeniorum ſupprimunt, quae eruditionis incrementa inhibent, vetantque recentiores ad idem, quo veteres, faſtigium pervenire. Recentiorum omnino non excuſari ſegnities poterit, niſi operam adhibeant omnem, ut ad veterum ingenia quam proximi accedant. Subſidia plane incomparanda! Ars typographica inventa: eruditorum ſocietates inſtitutae: multitudo ſcholarum et academiarum: inſtructiſſimae bibliothecae, tam privatae quam publicae: peregrinationes in exteras regiones factae: praemia et mercedes literarum cultoribus conceſſae: ſtipendia lautiſſima vel a principibus vel ab aliis doctrinae amatoribus fundata: atque alia - - -

Ego quidem, quod non neſcis, Patrone optime, poſtquam, tuo inprimis beneficio, ad Henrici Schabbelii, (cujus et oſſa molliter cubent, et animus ſanctus contemplatione rerum divinarum ſatietur!) liberalitatem annuam adſpiraveram, tum ſedulo quaeſivi omni opera, ne, pone veritatis ſanctiſſimae capita, ac puram et orthodoxam eccleſiae noſtrae religionem, literas negligerem veterum, atque eas, quae ſi abſunt a theologorum filiis, pietatis quidem charactera ipſis non dubium faciunt, ſed ex eruditorum tamen delectu eos eradunt. Praeſertim, quum a Novi Federis interpretatione, literarum Graecarum cognitionem interiorem abeſſe intelligerem non poſſe, quod ne unicus quidem liber Graecus tam difficilis intellectu, quam Novum Teſtamentum, eſt; ea cum fortuna his ſtudiis incubui, ut a Sereniſſimo et Celſiſſimo Principe noſtro, in alma Julia Carolina literas illas exponere juſſus ſim; in hac Vniverſitate, in qua et alius quondam Schabbelianus, quem noſti ingenioſiſſimum virum fuiſſe, Hermanus von der Hardt, cum multa nominis celebritate nuper docuit. Itaque legibus pii teſtatoris non omnino adverſus, quamvis theologicum, quod illae nominatim poſcunt, ſpecimen, nondum emiſi, tamen, ſimul ac alia, novo colono neceſſaria, negotia abſolvero, edito commentario ſuper literas S. ad Hebraeos ex Philone, Alexandrino Helleniſta, qui ultra duo alphabeta enatus, praelo totus paratus eſt, a promiſſo, quo omnes Schabbeliani conſtringuntur, iterata etiam tum pietate, quam tibi numquam non debebo, me eximam. Deum autem O. M. intimis precibus identidem venerabor, ut vos ambo incolumes, te quidem, ornamento rei publicae Lubecenſis, utilitatique ipſius eccleſiae, cui inſerviendae largitione beneficii tam inſignis luculentam occaſionem habes; novam nuptam autem, delectationi tuae, ac pectoris et omnium medullarum tuarum teneritati, diutiſſime conſervet. Ita bene vale, Vir Ampliſſime, et ſuaviſſimae Conjugi tuae ſalutem meo nomine ac obſequium defer; etiam manum ei óſculare.

Joh. CASELII *De ludo litterario recte aperiendo liber, in uſum publici boni iterum editus, quem, tamquam Ariadnes filum, in docenda pueritia et prima adoleſcentia, praeceptores ſequantur.* Helmaeſtadt 1619. 8. 1637. 12.

Caſelius, Göttingenſis, Petri Victorii diſcipulus, ille inferioris Saxoniae Socrates, ob Socraticum, quo uſus eſt, dicendi ſcribendique genus ita appellatus, equeſtri familia oriundus, quem *Chriſtophorus Heidmannus*, ejus in Profeſſione Academica apud Helmſtadienſes ſucceſſor, in fine dedicationis hujus libri, ipſa veritate ſuffragante, appellat *magnum virum et aeternum Academiae Iuliae, immo vero patriae noſtrae univerſae decus*, quum aetatis ſuae negligentiam doleret, et ſedulo cogitare coepiſſet, unde ita eſſet, et numne aliquibus, ut plus in linguis addiſcendis ſtudii ponerent, perſuaderi poſſet, trium iſtarum linguarum, quibus divinae humanaque leges ac diſciplinae conſignatae ſunt, uſum diligenter in quam plurimis ſuis erudiſſiſſimis lucubrationibus, praeſertim in eximio hoc *de ludo litterario recte aperiendo* libro, et in *Rhetore* ſive *Magiſtro dicendi*, itemque

itemque in *Lucubratione illa*, quae Νέος καὶ Προδιδάσκαλος inſcribitur, Helmſtadii 1597. 4. edita, commendavit; et praeter elegantem iſtam *ad Latinae linguae ſtudioſos adoleſcentes Praefationem*, quae *Aldi Manutii Phraſibus* ut plurimum praefixa, et a *Crenio*, *Variorum Auctorum Conſiliis et ſtudiorum Methodis*, Roterodami 1692. 4. editis, inſerta eſt; atque eam, quam *Grammaticae Latinae*, cujus auctor non nominatur, Helmſt. 1610. quartum et tandem Goslariae 1657. editae, *ad Grammaticodidaſcalos* praemiſit; et praeter *novum de Pronuntiatione Latini ſermonis libellum*, cura *Heidmanni* Helmſtadii 1611. 8. editum; perdoctam *ad Latinum ſermonem accuratius diſcendum Cohortationem*, quam *Adr. Turnebi libello de vino*, 1605. Helmſt. ab ſe edito, praefixit, et *Caſelii Orationibus*, Helmſt. 1609. editis, inſertam, *cum aliis* autem *Caſelii ſcriptis* Goslariae 1617. 4. ab *Heidmanno* editam, et ſeparatim hac aetate noſtra ab *Juſto a Dransfeld* in 8vo recuſam habemus, eo, quo cuncta ſolet, candore conſcripſit: qua quidem *Cohortatione* ſua pluribus verbis graviſſimisque argumentis demonſtrat, *Latinum ſermonem faſtidire et negligere, non ſolum extremae negligentiae, ſed dementiae quoque eſſe:* quo videlicet in univerſo Chriſtiano orbe nihil utilius ſit, nihilque magis neceſſarium; id quod neminem infitiari poſſe cenſet, niſi qui omnem vitae humanae ignoret uſum. Transſcripſimus haec ex *Burkhardi Commentariis de L. L. in Germania fatis p. 493. ſeq.* ubi Nobiliſſimus vir paucis ea quaſi delibat, quae copioſius ediſſerit ſingulari *Commentario de Caſelii in litteras meritis*, *ed.* Wolfenb. 1707. 4.

Scripſit etiam *Caſelius* noſter *de Charactere Epiſtolico Diſſertationem*, ex ejusdem libro, qui *Phalereus* inſcribitur, depromtam, et ejus *operi Epiſtolico* Francof. 1657. 8. edito, p. 1076. ſubjunctam.

Jac. Durantii CASELLII *Variorum libri II, in quibus, praeter veterum ritus, varii auctores vel emendantur vel illuſtrantur.* Pariſ. 1582. 8.

Inſerti etiam ſunt Tomo III. Lampadis Gruterianae.

Marci Aurelii CASSIODORI *De Orthographia liber, cum notis Lud. Carrionis.* Antwerp. 1579. 8.

Caſſiodorus quum doctiſſima volumina emiſiſſet, morientibus tum in Italia litteris, anno aetatis nonageſimo tertio, ut in Praefatione teſtatur, *Volumen hoc de Orthographia* compilavit. Opera ejus omnia prodierunt Pariſ. 1588. Aurel. Allobr. 1609. Genevae 1650. Vixit ſaec. V et VI. Floruit auctor ſaeculo VI. in alto quodam civilis dignitatis gradu Romae conſtitutus, ſplendore generis et eruditionis fama praecellens.

Joſephi CASTALIONIS *Variae Lectiones.* Romae 1594, 1605. 4. Reperiuntur etiam in *Face Gruteriana*, et quidem in Tomo ejus IV.

Hunc librum ſub finem ſaec. XVI. extinctam propemodum apud Trans-Alpinos de Italorum eruditione laudem revocaſſe, *Nicius Erythraeus* auctor eſt *Pinacoth. I. p. 168*, refertque, *ſe a Meurſio audiviſſe, Varias Lectiones Caſtalionis, quum eſſent Lugdunum Batavorum allatae, cum omnium riſu exceptas fuiſſe, quod exiſtimaretur, luteum eſſe negotium, nec dignum, quod lucem adſpiceret, quoniam nullum jam diu eruditum opus ex Italia prodiiſſet: ſed, ſimul inſpectum hoc, adeo probatum eſſe, ut ſententiam mutaverint, ſtatuerintque, eſſe Italis ingenium, dummodo adſit ſtudium et exercitatio.*

EIVSDEM *Obſervationum in Criticos* Decades X. Lugd. Bat. 1608. 4.

EIVSDEM *De puerorum praenominibus.* Romae 1594. 4.

Commentatio valde infrequens.

EIVSDEM *Epithetorum farrago.* Francof. 1584. 8.

Nicolai CAVSSINI *De Eloquentia ſacra et humana libri XVI.* Pariſ. 1643. 4.

Opus excellentiſſimum. Auctor non minutias quasdam puerilis eruditionis eſt conſectatus, ſed graviorem eloquentiae ſpeciem ex praeſtantiſſimorum Rhetorum, maxime Graecorum, judiciis et ſenſibus exprimere conatus eſt.

Jacobi CELLARII, Auguſtani, *Adjuncta* ſive *Epitheta Ciceroniana.* Baſil. 1589. 8.

Chriſtophori CELLARII *Latinitatis probatae et exercitae liber memorialis.* Martisburgi 1699, 1712, 1715. Berolini 1735. 8. et ſaepe alias.

Diſponit vocabula ita, ut ſingulis primitivis ſua derivata ſubjungantur, ordine memoriae admodum conveniente. Latino huic analogum dedit in exponendis N. T. Graecis vocibus *M. Laurentius Albertus Delius*, Scholae Cellenſis olim meritiſſimus Rector, in libello, qui ab ipſo inſcribitur: *Omnium N. T. vocum Fontes et rivuli, ita repraeſentati, ut ex fontibus Primitivorum et ſimplicium majuſculis, tamquam pronis alveolis, deducantur uberiores Derivatorum et Compoſitorum rivuli.* Hannoverae 1721, 1733. 12. Quomodo cum fructu tirunculorum exerceri hic Cellarianus liber poſſit, oſtendit *Joh. Georg. Unger* in *Exercitio libri memorialis Cellariani. Norib. 1722, 1735. 8.* et Anonymus in libro, qui inſcribitur *teutſche Exercitiola über die Primitiva Cellarii. Norib. 1746. 8.*

EIVSDEM *Latina Grammatica.* Saepius edita ac recuſa: quod ſcio, noviſſime Berolini et Poſtdampii 1735.

locu-

locupletata et emendata per *Joh. Matth. Geſnerum* Göttingae 1740. 8.

Maxime, *inquit Cl. Langius Inſt. ſtili Rom. p. 301.* commendanda juventuti videtur, partim quod regulae ſunt paucae et tamen perſpicuae ac ſufficientes; partim quod vernacula lingua conceptae, quae omnino captui puerorum accommodata eſt optime.

In epitomen nuper redacta eſt Viennae ſine mentione anni, quem tamen puto eſſe hunc ipſum 1746, quo haec ſcribo, ſub hac epigraphe: *Erſte Anfänge der Lateiniſchen Sprache, beſtehend in einem kurzen Auszuge aus Chriſtophori Cellarii Grammatica.*

EIVSDEM *Orthographia Latina ex vetuſtis monumentis, hoc eſt, nummis, marmoribus, tabulis, membranis, veterumque Grammaticorum placitis, nec non recentium ingeniorum curis excerpta, digeſta, noviſque obſervationibus illuſtrata.* Editio ſecunda Halae Magdeburgicae 1704. Prodiit etiam Jenae 1710, 1722. 8.

Aldum Manutium et praeſertim Dausquium prae manibus habuit, quum hunc libellum contexeret.

EIVSDEM *Diſſertatio de ſtudiis Romanorum litterariis in urbe et provinciis.* Halae 1698. Recuſa 1706. 4. Inſerta Diſſertationibus Ejus Academicis 1712. 8.

De ſtili cultura in ſcholis urbis Romanae erudite exponit.

EIVSDEM *Diſſertatio de fatis linguae Latinae.* Halae 1701. Recuſa 1706. 4. Inſerta Diſſertationibus Ejus Academicis editis ſtudio *J. G. Walchii* 1712. 8.

Qui Auctoris Prolegomena ad Curas Poſteriores de barbariſmis cum cura perluſtravit, enixiori Diſſertationis hujus evolvendae ſtudio ſuperſedere commode poteſt.

EIVSDEM *Antibarbarus.* Cizae 1668, 1678. Recognitus denuo, et innumeris locis auctus Jenae 1682, 1687, 1695, 1699, 1703, 1710. Hafniae 1687. 12.

Ex *Voſſii*, *Sciopii*, *Vorſtii* libris collegit, quae utiliora videbantur, horumque obſervationibus ſubinde nova adjecit. Quia etiam multos tam rigidos videbat cenſores eſſe, ut in barbariſmis ſcriberent, quicquid in Ciceronis libris non invenirent, intolerabili audacia Livium, Curtium, Plinios, Tacitum, cet. de ponte dejicientes; in claſſes et ordines diviſit vocabula, ut de ſingulis conſtaret, utrum abjicienda ſint, tamquam putida; an, et cujus auctoritate timidius uſurpari poſſint. Tametſi etiam innumera-

merabilis fere barbariſmorum multitudo ſit; eos tamen modo accuſat, quos maxime increbuiſſe apud eruditos non minus, quam tirones ſcholaſticos intellexerit.

EIVSDEM *Curae Poſteriores de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini.* Cizae 1680, 1681, 1682. Recognitae et plurimis locis auctae Cizae 1687. Jenae 1686, 1687, 1709. Cum *Appendice ad eas*, Jenae 1718. Hafniae 1687. 12. Novo cum ſupplemento *Joh. Mich. Heuſingeri* Jenae 1745. 12.

Triennium poſt editum *Auctoris Antibarbarum* ſe circumegerat, quum *Olaus Borrichius*, Hafnienſis ſcholae primitus Conrector, deinde Academiae ibidem Profeſſor, in omni re litteraria et arte Medica celeberrimus, in *Cogitationibus ſuis* oſtendit, *Voſſium*, *Scioppium* et *Vorſtium*, quos tamen *Cellarius* in concinnando modo dicto libro ſuo confidentiſſime ſecutus ſit, in multis, quae ad latinitatem pertineant, eſſe aliquid humani paſſos. Haec *Borrichii* obſervata *Cellario* calcar addidere, ut curatius ipſe perlegeret auctores claſſicos, ne tantorum Criticorum auctoritate abreptus pronuntiaret amplius, quae ad veritatis amuſſim haud ſatis exacta eſſe videantur. Quo quidem labore defunctus, *Antibarbarum ſuum* retractavit, quaeque perperam aliunde hauſta erant, emendavit, aut in locum ſuum reſtituit. Atque hanc retractationum ſuarum ſyllogen *Curarum Poſteriorum* titulo heic inſignire voluit. Reformavit autem has ipſas *Curas poſteriores ſuas* ab anno 1687, poſtquam idem *Olaus Borrichius* eas ſub incudem revocaſſet, et certas animadverſiones nomine *Analectorum* publici juris feciſſet, quae ſaltem ex parte ad *Curarum harum* ſpectarent emendationem.

EIVSDEM *Diſcuſſio Appendicis Danicae ad Curas ſuas Poſteriores.* Jenae 1695, 1700, 1708, 1709, 1712. 12.

Poſtquam Cellarius Curas ſuas Poſteriores reformatas 1686 edidiſſet, non Olaus, ſed junior quaſi ille *Andreas Borrichius Danicam* ſuam *Appendicem* illis oppoſuit anno proxime ſubſequente 1687. Vt ergo luculentius appareat, ea, quae heic tententur, non tanti eſſe, ut Cellarium expugnent vel ejus ſententias aboleant; ita hic in Diſcuſſione hac omni negotio defungitur, ut, quae ſparſa Andreas Borrichius et confuſa tradidit, in duos ordines diſponat, quorum primo ea recitantur, quae ad juvandam Cellarii ſententiam adverſarius ſuperaddidit; altero, quae hic adverſus illius Curas iteratas produxit, ut patroni ſui Analecta tueretur.

EIVSDEM *Judicium de Vindiciis Latinae linguae Borrichianis, nuperrime Hafniae Danorum editis.* Jenae 1707, 1712. 12.

Auctor, Vindicias Borrichianas pro libro habet aculeato, et vanis altercationibus pleno: ad quas breviter quidem, ſed accurate tamen hoc libello reſpondet, ſimulque hoc ipſo finem ſcribendi in taedioſo, ut vocat, argumento

mento facit. Si quis Praefationem utramque, tum eam, quae proximae antecedenti Diſcuſſioni, tum hanc, quae huic Judicio praemittitur, legendo conjungit; ille ſane totius controverſiae, quam cum utroque Borrichio Cellarius habuit, hiſtoriam uno quaſi obtutu ſibi notam reddere poterit.

EIVSDEM *Orationes Academicae,* collectae opera *Johannis Georgii Walchii,* qui et *Praefatione de fatis oratoriae inter Graecos, Romanos et Germanos* copioſe ediſſeruit. Lipſ. 1712. et 1714. 8.

Orationes hae cunctae certis ſollemnitatibus dicatae ſunt, nec ad rem litterariam magnopere ſpectant: nec eas omnino heic in orcheſtram produxiſſem, niſi Walchiana Praefatio in hac collectione noſtra locum ſibi quemdam expeteret. Ad calcem libri apparet etiam in honorem Cellarii habita Oratio funebris *Andr. Julii Dornmeieri,* Philoſ. Ord. Adjuncti, et Programma exſequiale *Frid. Hoſmanni.*

Fl. Soſipatri CHARISII *Artis Grammaticae libri V.* Baſil. ap. Froben. 1551. 8. Editiones reliquas vide ap. Fabric. Bibl. Lat. T. I. p. 781. ſeq.

His tamen libris, praeter Etymologiam, Syntaxin et Proſodiam, integram fere doctrinam Rhetoricam de tropis atque ſchematibus copioſe immiſcuit, ut fere integer liber IV. ſit Rhetoricus. Chariſium hunc noſtrum Diomedes fere exſcripſit.

M. Chriſtiani CHEMNITII *Introductio ad latinitatem, ſive Collegium Epiſtolicum Latinum, duodecim capitibus comprehenſum, addita ſimul ratione reſpondendi. Habitum olim in Academia Jenenſi, nunc autem cum duabus orationibus in fine adjectis editum. Acceſſit in hac Secunda Editione oratio habita contra Keddium.* Jenae 1651, 1653, 1658. 12.

Has ſuas primitias Academicas Auctor concinnavit partim ex recitationibus ſui quondam in Academia Salana praeceptoris Joh. Mich. Dilherri, Theologi poſtea Noribergenſis, partim ex iis, quae inſuper M. Philippus Horſtius, Philoſophiae Practicae tunc temporis in eadem Academia Profeſſor, ipſi ſuppeditaverat. Videor etiam mihi videre in hoc libello veſtigia Eraſmiana.

EIVSDEM *Hyperbole.* Jenae 1638. 4.

Joh. Frid. CHRISTII *Vindiciae ſecundum libertatem pro Maronis Aeneide.* Lipſiae 1737. 4.

P. Har-

P. Harduinus, ut multa cum ſuis in Gallia adſeclis adſeveravit cum petulantia, quo omnem tandem hiſtoricam veritatem redderet ſuſpectam, ita etiam in ſuo, quem conſcribillavit, *Pſeudo-Virgilio* contendere adnititur, Virgilii libros Aeneidos opus eſſe ſuppoſiticium, ſaec. XIII. ab *Severo Archontio*, Gallo, confectum. Hujus atrociſſimae ſententiae magna cum ingenii ubertate, et ſingulari facundia atque eruditione contradicit *Vindiciarum harum* Auctor, Hiſtoriarum Prof. Publ. in Acad. Lipſienſi.

EIVSDEM *pro Patrimonio Poetarum, in quo paganitas quaedam fabularum ſtilique antiqua redolentis accuſatur, orationes tres.* Accedunt *nonnulli in litteras ac doctrinae in varietatem excurſus.* Lipſ. 1745. 8.

Agit de eo, quod in damnando ſtili ethnicismo nimium eſt, et cum ſingulari acumine redarguit praepoſterum ſtudium eorum, qui hoc in genere ſibi pii et religioſi videntur: at, niſi me omnia fallunt, ἐις ἀμετρίαν τῆς ἀντόλκης propendere aliquoties auctor ſagaciſſimus videtur.

Davidis CHYTRAEI *De ratione diſcendi et ordine ſtudiorum.* Wittenb. 1574. 8.

Nathanis CHYTRAEI *Grammatica Latina, adjecto de Orthographia tractatu pleniori* Jo. Oldeweldts. Emdae 1617. 8.

EIVSDEM *Nomenclator Latino-Saxonicus rerum nauticarum, nomenclaturis et phraſibus paullo plenius inſertis.* Roſtochii 1582, 1609, 1634. 8. Hamburgi 1594. 8.

Sequutus eſt vir hic eruditiſſimus *Theophili Golii* inſtitutum, qui *Junii Nomenclatorem* ad Sturmii praeſcriptum in meliorem redegit ordinem. Fecit tamen id, ut et auctores non numquam indicaret, et interpretationem linguae Germanicae ſubjungeret. Chytraeum imitatus eſt *Kirchmannus*, cujus *Nomenclatorem*, qui in uſum Scholae Lubecenſis ſine auctoris nomine prodiit Lubecae 1645. 8, laudat *Sebaſtianus Meierus* in Praefatione, quam praefixit *ſuo Nomenclatori*, Lubecae 1659. 8. edito, ſaepiusque deinde repetito: in quo ad voces, in Kirchmanniano adnotatas, quaedam locutiones additae ſunt. Ejusdem Chytraei veſtigia preſſiſſe etiam videtur *Fridericus Beurhuſius* in *Nomenclatore* ſuo.

EIVSDEM *Exercitationes ſtili eruditae, ad Priſciani ex Hermogene Progymnaſmata conformatae, cum Ejusdem de aliis quoque Oratoriis et Poeticis ſtili exercitiis utilibus Appendice.* Bardi Pomeraniae 1692. 8.

Poſt Theonis, Aphthonii et magni Camerarii in hoc genere ſtili exercitationes et Rhetorices Progymnaſmata, tale aliquid etiam heic tentatur,

quod

quod uſui eſſe poſſit non minus docentibus, quam diſcentibus, qui ſtili exercendi curam ſine magiſtrorum ductu et opera ſuſcipere velint.

M. Hieronymi CINGVLATORINI, Aureomontenſis, *Opus Grammatices integrum ac conſummatiſſimum, Germaniaeque ſolidiſſima et prima juventutis inſtitutio quam accuratiſſime caſtigata, et jam denuo compendiario ſermone in lucem traducta. Impreſſum eſt hoc opus Liptzck per Baccalaureum Wolfgangum Molitoris de Monaco, anno noſtrae ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptimo. 8 maj.*

Inter primos artis Grammaticae reformatores referendus eſt auctor. Alexandri Doctrinale ſecutus eſſe videtur, quod in epitomen heic redigit, quamvis haec ipſa quoque in juſtae molis librum excrevit. Auctor *epiſtolam praeambularem ex Aureomonte* operi praemittit. Ea pagina, quae titulum praefert, *Laurentius Corvinus* Novoforenſis ſic ad Scholares:

Grammatices qui prima, puer, libamina quaeris,
Hunc avida dulcem diripe fauce cibum.
Haec tibi mellifluos praebent alimenta ſapores,
Ignavamque fugant non peritura famem:
Quae niſi guſtabis, nullo ſaturabere fetu,
Tantaliamque feres ſemper in ore ſitim.
Quam tibi ut eripuit multo ſudore Magiſter,
Dic, ſuus ut tanto tempore duret honos,
Donec laeta manet fruticoſo Sleſia campo,
Piſcoſusque vagas Odera verſat aquas.

Ex hoc epigrammate apparet, Corvini hujus, excellentiſſimi JCti, auſpiciis hunc librum in uſum gentis Sileſiae Lipſiae fuiſſe recuſum.

Prodiit circa id tempus Argentinae anno 1505. eadem forma aliud Grammatices compendium, ſine mentione auctoris. Titulus eſt: *Compendium octo partium orationum;* ac pro ratione horum temporum ſat belle ſe habet.

Hieronymi CINGVLARII *Terſiſſima Synonymorum Collectanea*, cum *Tractatu de vocum proprietatibus ſ. terminorum differentiis.* Colon. 1522. 8.

Johannis CLAII, Herzbergenſis, *Libri III. de cognoſcenda ſyllabarum quantitate, apud Latinos, Graecos et Hebraeos.* Witeb. 1598. it. 1614. 8.

Liber eſt, hoc quidem in genere, praeſtantiſſimis adnumerandus.

Jean CLARKE *Introduction à la Syntaxe Latine pour apprendre aiſement à compoſer en Latin, avec des exemples des themes appro-*

appropries a toutes les regles de la Syntaxe, eſt proportionnées par degres à la portée des enfans. Paris 1747. 8 2 Voll.

M. Chriſtophori CLAVSII *Cornelius Nepos enucleatus.*

CLAVIS CORNELIANA, *oder Haupt-Schlüſſel über den Cornelium Nepotem, welcher alle in dieſem Auctore vorkommende Worte und Redens-Arten in Alphabetiſcher Ordnung dergeſtalt aufſchleuſt, daſs er nicht nur als ein vollſtändiges Vocabularium, ſondern auch als ein Index und Regiſter der ſtudirenden Jugend zum leichten und richtigen Verſtande deſſelben behülflich ſeyn kan.* Nürnberg 1709. 8.

Quum in aliis hujusmodi libris, quos vulgo vocant, Phraſeologicis non omnes locutiones illuſtrentur, ſed ex ſingulis capitibus fere extrahantur non niſi pauciores, iis, quae uberiori explicatione potiſſimum indigent, utplurimum relictis; quumque eadem locutio plus ſemel in hujusmodi libellis ſubſidiariis haud occurrere ſoleat, et ſic tironibus haud levis inter legendum injiciatur remora; quandoquidem, quoties priora memoriae exciderunt, libro multum, quamvis fruſtra ſaepius, volvendo ac revolvendo, ad antecedentia recurrendum ſit. Auctor anonymus operae pretium facturus ſibi videtur, ſi longe alia ac diverſa plane via atque ordine procedat, inque uſum docentium non minus, quam diſcentium cuncta Cornelii vocabula loquendique genera ordine alphabetico diſponat, ut puer, poſtquam memoriae vocabula ex hac potius Clave, quam ex alio quodam Vocabulario, mandaverit, illico tranſire ad Auctoris hujus interpretationem, et locutiones, quae ſingulis vocabulis, quibuscum cohaerent, ſubjiciuntur, pro re nata tum ex ipſo auctore ejusque verborum nexu, tum ex vernacula illa interpretatione, quam Clavis ſuppeditet, addere, atque adeo in ſuccum, quod ajunt, et ſanguinem vertere queat. Neque vero eſt, quod quis ſuſpicetur, Auctorem noſtrum defunctum heic eſſe opera quadam ignava ac proletaria, nec niſi metaphraſin quamdam vernaculam Vorſtiano Indici addidiſſe. Immo vero, quum Vorſtianum Indicem inſigni imperfectione laborare intellexiſſet, de novo auctorem percucurrit integrum, magnoque ſic laborem Vorſtianum auxit ſpicilegio. Laudamus ſane ex merito hunc laborem utilem pubi ſcholaſticae, atque ipſis ſcholarum magiſtris probabilem, gratiasque Auctori agimus ſingulares, quod eadem methodo confecerit etiam Clavem Curtianam, Juſtinianam, Caeſarianam, et ſic in reliquos claſſicos auctores.

Franciſci CLEMENTIS *Ciceronis* ἐπιῤῥηματικὸν ὄργανον, hoc eſt, *Latinae Elegantiae Inſtrumentum Adverbiale, ad quod pueri ſermonem ſuum dirigant, qui Latine, pure et Attice volunt dicere.* Londini 1582. 12.

Opuſculum eſt ſufficienti exemplorum copia non dum inſtructum.

Joan-

Joannis CLERICI *Ars Critica.* Conſtat tribus voluminibus. Primitus exiit Amſtelodami 1697. Hanc editionem tres aliae ibidem ſecutae ſunt, in quarum ultima et quarta, quae 1712. prodiit, Auctor inter alia augmenta Parte II. Sect. I. integrum caput 14, et Parte III. Sectione I. caput integrum 11. de novo adjecit, ac capite 17. ejusdem Sectionis legibus 7. de ratione emendandorum auctorum octavam addidit, ad audaciam et licentiam Criticorum coercendam. Ad exemplar autem quartae hujus ac tantopere locupletatae editionis recuſa eſt illa, quae, tamquam prima, in Germania et quidem Lipſiae 1713. 8. prodiit.

Applauſum provocavit hocce Clerici inſtitutum eo majorem, quod eruditionis illa pars, quae Critices cognitione juſta abſolvitur, inter deſiderata dudum litteraria, aut, ſi mavis, inter ſtudia a Scholaſticis neglecta, relata; nec *Robortelli* aut *Scioppii* hac de re lucubrationes, ut ut vaſtiores, fundum Critices omnem emetiri viſa fuerint, teſte et judice inter alios *Morhofio* Tomo I. Polyhiſt. Lib. 1. cap. 7. Poſuit artis hujus fundamenta quaedam Ariſtoteles in libro περὶ ἑρμηνείας. Sed qunm limites ejusdem longe ampliores omnino ſint, quam ille quidem conſtituit, ut *Heinſio* et *Wowerio*, aliisque viris κριτικωτάτοις obſervatum: icciroo duodecim generatim officiis *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus* in Parergis ſuis Criticis §. 5. p. 9. Critici mimus omne abſolvit. *Primum* Critici *munus* eſt: naturam, ſive omnium linguarum generatim, ſive certae cujuspiam linguae, contemplari. *Alterum:* originem et natales inveſtigare, ſive vocabulorum, ſive adagiorum. *Tertium:* methodum linguae addiſcendae praeſcribere aptiſſimam facillimamque. *Quartum:* regulas tradere interpretandi verba phraſesque obſcuriores. *Quintum:* interpretari fabulas Poetarum, item aenigmata. *Sextum:* judicium ferre de ſtilo, ejusque virtutibus ac vitiis. *Septimum:* diſcrimen ſtili oſtendere ratione aetatum. *Octavum:* indicare ſtilum certae ſectae, deque ejus uſu ferre ſententiam. *Nonum:* deſignare characterem ſtili cujusque auctoris. *Decimum:* diſcernere ex characteribus ſtili hactenus poſitis, utrum certi auctoris oratio ſit ſincera, an gloſſemate aliquo interpolata? utrum verba certi auctoris ſana ſint, an corrupta, et quomodo ſint emendanda? utrum liber certus huic vel illi auctori ex vero tribuatur, an ſit ſuppoſiticius? qua aetate liber ſit ſcriptus, qua non? et cujus auctoris ſit liber anonymus vel pſeudonymus? *Undecimum:* judicium ferre de recta pronuntiatione linguarum, maxime Latinae, Graecae et Hebraicae. *Duodecimum et ultimum:* Orthographiam monſtrare, eamque ſolidis ſuperſtruere fundamentis. *Clericus* noſter doctiſſimus haec Critici officia omnia ad tria capita ſumma revocat, hincque tres Artis ſuae Criticae partes conſtituit. Et *prima* quidem *parte* Clericus viam monſtrat et rationem diſcendarum lin-

guarum, praeſertim Latinae, Graecae et Hebraicae; *altera* vero regulas interpretandi voces et locutiones tradit; et *tertia* judicium lectoris inſtruit, quod de libris veterum, locisque tam genuinis, quam ſpuriis, eum ferre oportet. Uſus hujus Critices per omnes eruditionis partes ſe diffundit, ſive in foro Philoſophorum aut Theologorum, ſive in foro Juriſconſultorum aut Medicorum, eruditionem vel verborum vel rerum veneris. Sed quum Auctoris noſtri Artem Criticam, quum primum lucem adſpexiſſet, *Morhofius* Tomo I. Polyhiſt. L. V. c. 1. hoc jam obeliſco notaſſet: *eam non dum ita numeris abſolutam eſſe omnibus, cui non addi etiam adhuc quaedam poſſent:* ea de cauſſa praeter *Wolfium*, *Deylingium*, *Olearium*, Germanos doctiſſimos, nuper etiam laudatus antea *Heumannus* in Parergis ſuis Criticis comprobare ſategit: nec ipſum Clericum genuini Critici officium ſemper et ubique in regularum Criticarum applicatione feliciter ſatis expleviſſe. Sic nimirum judicat Auctor Praefationis ad editionem hanc libri noſtri a Clerico profecti recentiſſimam Lipſiae recuſam.

Theologus quidam noſtras magni nominis, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, ſic aliquando inter recitationes ſuas de hac Clerici Arte Critica pronuntiaſſe fertur: *Tria potiſſimum in Clerico ſunt laudanda: 1. quod clare et perſpicue ſcribat; 2. quod ſelectiſſimas tantum res proponat, inutiles vero et vanas quaeſtiunculas praetermittat; 3. quod praeſertim Parte I. Artis Criticae tales obſervationes tradat, quae non ubivis obviae ſint. Egregio autem ille judicio praeditus eſſe debet, qui cum fructu hunc librum legere deſiderat. Praecepta quidem in ſe ſana ſunt: at in applicatione falſas ſuas hypotheſes ſubinde commiſcet, et quidem tam tecte, ut nemo, niſi ſagacior et emunctae naris, facile eas obſervaverit. Verbo: Qui judicio deſtitutus eſt, ne legat ſcripta Clerici, niſi variis erroribus imbui velit.*

In tabulas eam redegit cum tabula Iſagogico-Critica, de iis, quae in ea laudanda ſunt et vituperanda *Jacobus Fridericus Reimmannus*: qui tamen labor adhuc in MS. latet.

Totius Operis Conſpectus hic eſt:

Volumine Primo

continetur

Praefatio, de Definitione, Diviſione et Uſu Critices. p. 1.
Pars I. de ordine in vett. lectione obſervando.
Caput 1. de iis, quae vett. lectioni praemitti debent. p. 21.
Caput 2. de ordine in lectione Latinorum obſervando. p. 41.
Caput 3. de ordine in legendis Graecis obſervando. p. 57.
Caput 4. de methodo in Hebraicae linguae ſtudio obſervanda. p. 73.
Caput 5. ſiſtens conſilia varia ad rationem ſtudiorum pertinentia. p. 93.
Pars II. de vocum et locutionum ſignificatione.
Sectio I. exhibens Regulas Generales de vocum et locutionum ſignificatione.
Caput 1. de diviſione vocum. p. 105.
Caput 2. docens, linguas ſibi invicem non ſatis reſpondere. p. 109.

Caput 3.

Caput 3. docens, voces variarum linguarum, quae plane idem ſignificare videntur, ſibi invicem non reſpondere. p. 145.
Caput 4. docens, multa videri in verſionibus emphatica, quae in ipſis fontibus nullam emphaſin habent. p. 157.
Caput 5. docens, plurima eſſe vocabula ambigua, in omnibus linguis, cum ipſarum linguarum inopia, tum negligentia ſcriptorum. p. 175.
Caput 6. docens, ſignificationes vocum earumdem nunc eſſe ampliores, nunc arctiores. p. 193.
Caput 7. docens, propriam vocum ſignificationem cum tralaticia non eſſe confundendam. p. 206.
Caput 8. docens, multis vocibus eſſe obſcuras notiones ſubjectas. p. 216.
Caput 9. docens, voces eſſe, quibus nulla ſubjecta eſt poteſtas. p. 225.
Caput 10. docens, locutiones eſſe plurimas in omnibus linguis anomalas et parum accuratas, quae nimium urgendae non ſint. p. 237.
Caput 11. docens, ἀκυρολογίαν non debere cum tropicis vocibus aut figurata oratione confundi; neque ex ea regulas confici poſſe. p. 256.
Caput 12. docens, multa eſſe propter conſtructionem ambigua. p. 264.
Caput 13. docens, ut probe intelligatur Scriptor quivis, conſuetudines et opiniones popularium ejus eſſe tenendas. p. 275.
Caput 14. docens, oportere Critico, qui ſcriptorem interpretari adgreditur, notam eſſe rem, de qua ſcriptor agit. p. 286.
Caput 15. docens, diverſas ſectas iisdem ſaepe uſas eſſe vocabulis ad diverſa prorſus dogmata exprimenda; et easdem, ſervatis iisdem vocabulis, lapſu temporis, ſententiam mutaſſe. p. 303.
Caput 16. docens, difficultatem intelligendi maximam interdum oriri ex Rhetorico ſtilo. p. 316.
Caput 17. ſiſtens brevem hiſtoriam ſtudiorum Rhetoricorum, quibus difficillimum cognitu factum eſt, quid cogitarint pluribus de rebus celeberrimi ſcriptores. p. 337.
Sectio II. in qua particulatim expenduntur vocum et locutionum ſignificationes.
Caput 1. agens de ſignificatione vocum, quae ſimplicium notionum ſigna ſunt. p. 355.
Caput 2. agens de nominibus notionum compoſitarum. p. 372.
Caput 3. agens de nominibus ſubſtantiarum et modorum. p. 385.
Caput 4. agens de nominibus relationum. p. 406.
Caput 5. agens de nominibus rerum concretarum et abſtractarum. p. 419.
Caput 6. agens de notionum ſingularium, particularium et univerſalium nominibus. p. 433.
Caput 7. agens de notionum clararum et obſcurarum nominibus. p. 446.
Caput 8. agens de notionum adaequatarum et inadaequatarum nominibus. p. 456.

Volumine Secundo
continetur

Pars III. de emendandi ratione, libris ſuppoſitis et ſcriptorum ſtilo.
Sectio I. de emendatione.
Caput 1. de origine mendorum. p. 1.

Caput 2. de antiquitate mendorum. p. 12.
Caput 3. de mendis ex imperitia dictantis ortis: 1. Quod litterarum ductus non adſequeretur. p. 28.
Caput 4. 2. Quod adfines figurae litteras, ductusque ſimiles miſcuerit. p. 40.
Caput 5. 3. Quod omiſerit, quae erant inter eamdem vocem repetitam, aut in alio verborum ſitu. p. 48.
Caput 6. 4. Quod male pronuntiaret. p. 56.
Caput 7. 5. Quod gloſſemata in margine ſcripta contextui intulerit. p. 79.
Caput 8. De mendis a negligentia ſcribentis ortis: 1. Quod, quae cogitaret, non, quae audiret, ſcriberet; 2. quod perperam audiret. p. 87.
Caput 9. 3. Quod non adſequeretur orthographiam, aut antiquiores litteras. p. 104.
Caput 10. docens, diſtinctionum omiſſionem multa menda peperiſſe. p. 123.
Caput 11. de ſignis parentheſeos, interrogationis, admirationis, exclamationis, deſiderii et ironiae, obſcuritateque et mendis inde ortis, deque accentibus ſpiritibusque diſtinctionis cauſa additis. p. 145.
Caput 12. docens, ex compendiaria ſcriptura multa eſſe nata menda. p. 165.
Caput 13. de mendis ex incuria librariorum natis. p. 179.
Caput 14. de mendis ex Criticorum temeritate aut imperitia ortis. p. 193.
Caput 15. de mendis, quae impoſtoribus tribuenda. p. 212.
Caput 16. de mendis a vetuſtate ortis. p. 244.
Caput 17. praeſcribens leges emendandi. p. 256.
Sectio II. de locis et ſcriptis ſpuriis a genuinis ſecernendis.
Caput 1. exhibens veterum teſtimonia de fraudibus, quibus inſerta veteribus ſcriptoribus loca, ſuppoſitique iis integri libri. p. 302.
Caput 2. de indiciis, ex quibus colligere licet, librum eſſe ſuppoſitium, aut interpolatum: ſpeciatim de indicio primo et ſecundo. p. 324.
Caput 3. de indicio tertio et quarto. p. 336.
Caput 4. de indicio quinto et ſexto. p. 346.
Caput 5. de indicio ſeptimo et octavo. p. 358.
Caput 6. de indicio nono et decimo. p. 372.
Sectio III. de judicio de ſtilo et charactere ſcriptoris ferendo.
Caput 1. de iis, quae ſunt in quovis ſcriptore animadvertenda, ut de eo recte judicare poſſimus, deque forma ſcribendi Q. Curtii. p. 395.
Caput 2. docens, Q. Curtium fuiſſe Aſtronomiae et Geographiae plane imperitum. p. 402.
Caput 3. docens, Q. Curtium male elegiſſe, quae ſequeretur, et fabulas ſubinde deſcribere. p. 421.
Caput 4. docens, Q. Curtium male deſcripſiſſe et repugnantia prodidiſſe. p. 430.
Caput 5. docens, Q. Curtium inutilia narrare, neceſſaria omittere. p. 436.
Caput 6. docens, Q. Curtium fabularum Graecarum documenta apud Indos quaerere, Aſiaeque remotiſſimis amnibus nomina Graeca imponere. p. 448.

Caput 7.

Caput 7. docens, Q. Curtium perperam omittere annos et tempeſtates, quibus ſingula geſta ſunt. p. 457.

Caput 8. docens, Q. Curtium perpetuo propemodum declamatoris ſtilo uti. p. 475.

Caput 9. docens, Q. Curtium laudatorem potius eſſe ambitionis nimiae Alexandri, quam vituperatorem; et ſiſtens egregia de illa Senecae et Lucani loca. p. 494.

Caput 10. exhibens aliquot loca Curtii tentata aut emendata. p. 506.

Volumine Tertio

continentur

Epiſtolae Criticae et Eccleſiaſticae, in quibus oſtenditur uſus Artis Criticae. Acceſſere Epiſtola de *Hammondo* et *Critica*, ac Diſſertatio, *an ſit ſemper reſpondendum calumniis Theologorum.*

Epiſtola I.

Querela de *Guil. Caveo* ad Praeſules delata. p. 2.

Nihil contumelioſi in eum fuiſſe, in loco vitae Gallicae *Clementis Alex.* p. 4.

Photii judicium de Clemente recitatur et expenditur, unde liquet, multa a Caveo diſſimulata in ejus vita. p. 7.

Clementem alienum non fuiſſe ab eorum ſententia, qui materiam mundi aeternam eſſe cenſuerunt. p. 10.

Ideas Platonicas ex Scriptura perperam deduxiſſe. p. 13.

Arianiſmum redolentia ſcripſiſſe. ibid.

Periodos Platonicas, de mundi renovatione, non improbaſſe. p. 14.

Credidiſſe, angelos amore mulierum captos fuiſſe. p. 15.

Sententia ejus de ambiguitate vocis *λόγος*. p. 16.

Diſſimulatos ejus errores fuiſſe a *Caveo*. p. 17.

Error Clementis de *ἀπαθείᾳ* Chriſti et Apoſtolorum. p. 18.

De idololatria eum abſurde ſenſiſſe. p. 20.

Praedicationem Petri et Acta Pauli perperam genuina ab eo credita. p. 22.

Scripturam torſiſſe ad Ethnicorum placita. p. 26.

Epiſtola II.

Cavei judicium de Euſebio nequaquam Ariano. p. 30.

Epiſtolae *Euſebii* ad Caeſarienſes, ex quibus liquet, eum fuiſſe Arianum. p. 32.

Ὁμοούσια, conſubſtantialia dicta a Platonicis, non tantum perfecte paria, ſed et ſimilia. p. 35.

Ariana verba minime inſerta Epiſtolae Euſebii. p. 40.

Nicaenae Synodi II. grave judicium de Arianiſmo *Euſebii*. p. 45.

Quae ei objecit *H. Valeſius* ad examen revocata. p. 54.

Canon Criticus ad dignoſcendam veterum ſcriptorum ſententiam. p. 56.

Euſebius hinc convictus Arianiſmi. p. 57.

A multis veteribus et recentioribus accuſatum eum fuiſſe Arianiſmi. p. 58.

Iniquitas *Cavei* erga *Clericum*. ibid.

Clerico abſurde tribui ſententias eorum, qui Anglice, eo inſcio, ſcripta ejus verterunt, et quibuscum nullam amicitiam coluit. p. 60.
Non debuiſſe diſſimulari, quae *Euſebium* Arianiſmi peragunt. p. 62.
Caveum eſſe Panegyriſten, non Hiſtoricum. p. 65.
Caritatem fruſtra exercere erga mortuos, qui vivis detrahit, p. 67.

Epiſtola III.

Cavei iniquum judicium de T. X. Bibliothecae Univerſalis. p. 72.
Iſidori Peluſiotae egregius locus contra diſſimulatores veritatis. p. 73.
Henr. Meibomii error de X. Tomo Bibliothecae Univerſalis, ejusque auctore, qui non fuerit Clericus. ibid.
Caveus a viro docto Sociniſmi inſimulatus. p. 75.
Clericum ita ſcripſiſſe vitas aliquot Patrum, ut ſoli veritati litarit. p. 76.
Cavei erga eum manifeſta iniquitas. p. 77.
Periculoſum eſſe, diſſimulari errores Patrum. p. 79.
Patres ſibi non ſatis conſtare, ubi loquuntur de S. Trinitate. p. 81.
Patres non immerito a *Clerico* deſcriptos, quaſi parum perſpicuos. p. 83.
Ambiguitas vocum jam olim reprehenſa a *Socrate*, cujus locus illuſtratur. p. 88.
Sententia Patrum de generatione Filii, quam obſcura. p. 93.

Epiſtola IV.

Judicium de libro *J. Dallaei* de uſu Patrum, defenſum. p. 97.
Quaenam ſcriptori reverentiam concilient. p. 100.
Dignitatem ad hoc nihil facere. ibid.
Eruditionis cauſa an magni ſint faciendi Patres. p. 102.
Qui eruditi olim dicti fuerunt, non eſſe aequiparandos hodiernis eruditis. ibid.
Controverſia de eruditione Patrum collata cum controverſia de veteribus Poetis, Auguſti aetate exorta, p. 104.
Multa ſubſidia fuerunt veteribus, quibus neſciverunt uti. p. 107.
Patres pleroſque linguarum vernacularum duntaxat fuiſſe peritos. p. 109.
Origenes et *Hieronymus* parum uſi ſunt ſua peritia linguae Hebraicae. p. 110.
Eam potuiſſe facilius, quam nunc, excoli. ibid.
Sanctitas an debeat reverentiam ſcriptori creare. p. 111.
An temporibus antiquis multo major fuerit ſanctitas, quam hodie. p. 112.
Patrum uſus quis eſſe debeat. p. 113.
Ordinis et ſtili Patrum examen. p. 115.
Auctoritas antiquitatis quae. p. 117.
Conſenſus maximae partis Chriſtianorum an ſit indicium veri. p. 120.
Traditioni ore conſervatae an poſſimus fidere. p. 121.
Primaevos Chriſtianos non fuiſſe pleroſque ſanctos, aut eruditos viros. ibid.
Accuratiores eſſe recentiores a ſaeculo XVI, quam antiquiores. p. 125.
Unum doctorem Chriſtum per omnia audiendum. p. 128.

Epiſtola V.

Diſſimulationes omnes vitandas eſſe in Eccleſiaſtica Hiſtoria. p. 134.

Malae

Malae artes an piae dici poſſint in Hiſtoria Eccleſiaſtica. p. 135.
Melchioris Cani grave ea de re judicium. p. 136.
Periculoſiſſimas eſſe diſſimulationes in Hiſtoria Eccleſiaſtica, decem rationibus probatur. p. 137.
Aperta profeſſione veritatis, nec veritati, nec Clero noceri. p. 151.

Epiſtola VI.

A *Clerico* non eſſe traductum Eccleſiaſticum Ordinem, quod veterum vitia non diſſimularit. p. 154.
Conſtantinum in eo, quod ſpectabat ad Arianiſmum, varie ſe geſſiſſe pro Sacerdotibus, a quibus conſilium acceperat. p. 158.
Idem contigiſſe aliis Principibus. p. 160.
Vitia Eccleſiaſticorum IV. Saeculi non debuiſſe diſſimulari ab eo, qui ſcribebat vitam *Gregorii* Nazianzeni. p. 162.
Iſidori Peluſiotae ſcripta recenſenti non licere diſſimulare caſtigationes morum Eccleſiaſticorum, quae in iis occurrunt, quarum exempla proferuntur. p. 166.
Merito reprehendi mores non nullorum Eccleſiaſticorum hodiernorum, ſine ordinis contumelia. p. 173.

Epiſtola VII.

Occaſio hujus Epiſtolae ex animadverſionibus ad initium Johannis. p. 178.
Platonem barbaris multa ſe debere faſſum, ſed barbaros illos non fuiſſe Judaeos. p. 179.
Fabulam Phoeniciam, apud Platonem eſſe fabulam Thebanam. p. 181.
Veteres, quibus non nulla accepta fert *Plato*, non eſſe Hebraeos. p. 185.
Lactantium recte negaſſe a Platone umquam auditos Judaeos. p. 187.
Judaeos et Chriſtianos *Platonem* ad ſe trahere fruſtra conatos. ibid.
Ariſtobuli, Philoſophi Judaei, teſtimonium *de Platone* ad examen revocatum. p. 189.
Joſephi ſimile teſtimonium. p. 190.
Megaſthenis verba de Judaeis. p. 191.
Multa potuiſſe eſſe Hebraeorum inſtitutis adfinia apud alios populos, quae ab iis non fuere deſumta. p. 192.
Quod ſenſere *Plato* et alii de tribus principiis, vel diis inaequalibus, non fuiſſe deſumtum ex V. T. p. 194.
Unde et quomodo potuerint eam notionem animo concipere. p. 196.
Quid ſenſerit *Plato* de ratione et anima mundi, et quam aliena a dogmatibus Chriſtianis. p. 197.
Quae *Plato* de creatione habet deſumta, non fuiſſe a Judaeis. p. 204.
Timaeum Moſi nihil debuiſſe. p. 206.
Juſtini M. locus de *Platone* examinatus. p. 208.

Epiſtola VIII.

Philonem nimis addictum fuiſſe Philoſophiae Platonicae, quam fruſtra quaerit in Scriptura. p. 210.
Summopere verſatum fuiſſe in lectione Platonis. p. 211.
Ideo vocatas ab eo ſtellas *ſenſiles deos*. p. 219.

Solere pleroſque ex Philoſophia, quam optimam judicant, Scripturam Sacram interpretari. p. 220.
Auguſtini locus de quaeſita opinione Platonica in Scriptura. p. 222.
Philonis locus de ſecundo Deo prorſus Platonicus. p. 223.
A *Philone* contemtam non fuiſſe Philoſophiam in ſe ſpectatam. p. 225.
Philonem, quae habet de ratione, nec Judaeis, nec Chriſtianis debuiſſe. p. 227.
Verbum Dei apud Paraphraſtas Chaldaeos non ſignificare perſonam a Deo diſtinctam. p. 228.
Philonem fuiſſe bona fide citatum et explicatum a *Clerico*, nec debuiſſe Scripturae, quae habet de ratione divina. p. 230.
P. Ventidium mala fide mentem *Clerici* interpretatum. p. 232.
Loca *Philonis* ad rem nihil facientia eſſe ab eo prolata. p. 233.

Epiſtola IX.

P. Ventidium abſurde miſcuiſſe *Philonem* ſuppoſiticium *Annii Viterbienſis*, cum vero. p. 248.
Judaeos poſt Alexandri tempora interdum Philoſophiae Graecanicae operam dediſſe, et falſa ejus dogmata ſecutos. p. 250.
Integras eorum ſectas opiniones ac locutiones a Graecis accepiſſe. p. 251.
Ideo Paulum monuiſſe Chriſtianos, ut ſibi caverent a Philoſophia. p. 255.
Ex Philoſophia natas haereſes. p. 256.
P. D. Huetii locus inſignis de *Philone*. p. 259.
Potuiſſe facile fieri, ut Johannes ad *Philemonem* reſpiceret. p. 260.

Epiſtola X.

Clerici ſcripta Anglice verſa invidos in eum concitaſſe. p. 265.
Henr. Hammondi laus. p. 268.
Poſſe et debere delicta magnorum virorum ſine malignitate notari. p. 272.
Hammondo nullam admiſtam Socinianam opinionem. p. 276.
Neminem poſſe haberi Socinianum, quia Unitarios damnare aeterno exitio, quomodocumque vivant, aut vexare in hac vita nolit. p. 277.
Socinianiſmi, aut haereſeos ſimilis accuſatos a malis, quicumque novi aliquid docuerunt. p. 280.
Longe maximum eſſe errorem eorum, qui bonos religionis cauſa vexari poſſe cenſent. p. 281.
Criticae loca defenſa contra Anonymum cenſorem. p. 288.
Auguſtini opiniones duae noxiae. p. 289.
Alia loca Criticae defenſa. p. 291.

Diſſertatio Ethica,

in qua ſolvitur hoc problema, an ſemper reſpondendum ſit calumniis Theologorum. p. 297.
Quid debeatur veritati. p. 300.
Interdum defendendam, interdum tacendum. p. 302.
Ubi ſatius eſt, tacere, non prodeſſe Eriſtica ſcripta Auctori. p. 309.
Non prodeſſe aliis, quod multis demonſtratur. p. 320.
Deo non eſſe grata. p. 337.

Grego-

Gregorii CNAPII *Theſaurus Polono-Latino-Graecus.* Cracoviae 1647. 8.

Lexicon hoc ab eruditis valde celebratur. Et quamlibet Polonorum in gratiam potiſſimum concinnatum videtur eſſe; tamen etiam iis, qui Polonicae linguae ignari ſunt, beneficio Tomi ſecundi, qui primi Index eſt, utiliſſime ſervire poteſt.

Petri COELEMANNI *Opus Proſodicum Graecum novum.* Francoſ. 1611, 1668. 8.

Pronuntiationi poteſt inſervire eorum vocabulorum, quae a Pelaſgis ducunt originem, in civitatem Latinam adſumta.

Pauli COLOMESII *Opera Theologici, Critici et Hiſtorici argumenti, junctim edita, curante* Joh. Alb. Fabricio. Hamb. 1709. 4.

Joh. Amoſi COMENII *Opera didactica omnia, ab anno 1627. ad annum 1657. continuata.* Amſtel. 1657. fol. ap. Chriſtoph. Cunradum et Gabr. a Roy.

Quod ſcimus, ſeparatim ex his prodiere:

EIVSDEM *Orbis ſenſualium pictus* h. e. *Omnium fundamentalium in mundo rerum et in vita actionum pictura et nomenclatura.* Magdeburgi 1714. 8. et ſaepe alibi.

EIVSDEM *Compendioſa Methodus Latinam et Gallicam linguam perdiſcendi.* Genevae 1643. 12.

EIVSDEM *Aurea Janua linguarum reſerata ad linguam Latinam, Germanicam, Gallicam, Italicam, Graecam.* Hamb. 1631, 1642, 1665. Ex edit. Nath. Dhuez Lugd. Bat. 1640. Genevae 1688. 8. Bremae 1641. Amſt. 1642, 1683. Francoſ. 1644, 1657. Editio decima Lipſiae 1654.

Simile quid tentavit in Graeca lingua, qui hac Comeniana Janua vehementer ſe oblectavit, eamdem etiam impulſu Comenii auxit et Praefatione ornavit, *L. Zacharias Schneiderus:* exiit enim ejus *Janua Linguae Graecae ſecundum methodum a Dn. Comenio inventam conſtructa atque reſerata.* Lipſ. 1611, 1640, 1642, 1652.

EIVSDEM *Januae linguarum reſeratae aureae Veſtibulum, quo primus ad Latinam linguam aditus tirunculis paratur.* Lipſ. 1640, 1657. Goslar. 1677. 8.

Auctoris conſenſu a L. Zach. Schneidero recognitum, multisque in locis auctum eſt.

EIVSDEM *Januae latinitatis Veſtibulum Majus.* Lipſiae 1682, 1711. 8. et ſaepius alibi.

EIVSDEM *Januae linguarum Praxis Comica.* Amſtel. 1657. 8.

EIVSDEM *Schola ludus* ſeu *Encyclopaedia viva*, hoc eſt, *Praxis Scenica Januae linguarum et rerum, artificium exhibens amoenum, res omnes nomenclatura veſtitas et veſtiendas, ſenſibus ad vivum repraeſentandi.* Hanov. 1659. 8.

EIVSDEM *Eruditionis Scholaſticae Atrium.* Norimb. 1655, 1659. 8.

EIVSDEM *Methodus linguarum noviſſima.* Sine loco et anno. Librum hunc ipſa Auctoris manu notatum in Bibliotheca Reimmanniana occurrere ſcimus p. 415.

EIVSDEM *Lexicon Atriale Latino-Latinum.* Amſtel. 1657. 8.

Vocibus et locutionibus vulgaribus ſynonymae et elegantiores, additis auctorum nominibus, ſubjiciuntur. Etſi emendandum et perficiendum in multis eſt; qualecumque tamen pretium ei ſtatuit *Joh. Petr. Titius* in Manuduct. ad excerp. p. 53. ſeq.

Haec autem, et, ſi qua alia ſunt, Comeniana linguae noſtrae addiſcendae ſubſidia multis, verae latinitatis ignaris hominibus, dici non poteſt, quantopere placeant. Viri etiam doctiſſimi ſubinde ea valde approbarunt, et hanc addiſcendae latinitatis viam pro optima et facillima declararunt, cujus etiam ſe ipſos mox duces, mox comites praeberent; quum, ut exemplo utar, ipſe *Joh. Henr. Urſinus*, Theologus et Philologus cetera optimus, *Georgii Henrici* pater, operae pretium eſſe duxerit, concinnare *Atrium Latinitatis* ſ. *in Januam Comenianam Commentarium*, ed. Francof. 1657. 8: ne quid dicam, quod Aurea *Janua linguarum reſerata Comenii* noſtri, in plures Europae et non nullas etiam orientales linguas translata ſit. Sed lutulenta iſta ſunt, barbaris vocibus ac barbariſmis plena, ne titulo quidem et inſcriptione Latina, atque ita comparata, ut eam pueris barbariſmorum ſcabiem adfricent, cui vix deinceps medela adferri poſſit per omnem reliquam vitam ſecuturam. Interim via illa ac ratio, qua *Comenius* utitur, non adeo improbanda videtur, dummodo puriori dictione ſe commendaret, nec tam ſalebroſas haberet ſemitas ac tot vagos maeandros. Atque ad hoc noſtrum judicium exigenda eſſe videtur modo laudati *Titii* Commentatio de quibusdam adminiculis Latinae linguae, praecipue Comenianis.

Ne quis autem iſta de laboribus Comenianis temere pronuntiari exiſtimet; ſciendum eſt, complures elegantioris litteraturae callentiſſimos viros eadem

eadem prorſus judicaſſe. Inſtar omnium eſt *Morkofius*, qui Polyh. T. II. l. 1. c. 15. p. 119. ſeq. de Comenio ſequentem in modum decernit: *In re ſcholaſtica varias excogitavit methodos, diverſus a ſe ipſo interdum, et conſiliis ſuis diſtractus, quae ego neque damnaverim, neque probaverim penitus. In aliquibus ipſe errores ſuos deprehendit. Quod ad Grammatica praecepta attinet, et ad Grammaticam Latinae linguae culturam, ejus aliqua ratio habetur, purae et ſolidae latinitatis nulla. Scatet barbariſmis ipſius* Janua, *fruſtra ab ipſo defenſa. Nam ipſa* Apologia *ejus, altera apologia indigeret.* Grammatica *ejus* elegans *adeo non meretur illud nomen, ut plus turbet puram latinitatem.* Janua *ejus, ut ut compendium linguae haberi poſſit, et nominum ac verborum ſimul junctorum; ſanae tamen ſtructurae, quae conſiſtit in connexione verborum, uſu particularum et forma periodorum, nulla illic haberi poteſt idea. Quare jejunum ac macilentum ſermonem pueris, a prima aetate, inſtillavit, quum ſucci plenus magis et nervoſus ſermo hauriri poſſit ex integro aliquo ſermone, juſtis ſuis membris et commatibus concinnato, qui typus plus imprimit animo, quam illa rerum multitudo, quamquam diſtinctiſſima.*

Habemus, praeter Comeniana haec, etiam alia adminicula hujusmodi, quae tamen nihilo meliora aut rectiora videntur eſſe. Quorum quidem in numero fere ſunt:

1. *Jo. Georgii Seyboldi Officina Scholaſtica novo et ſingulari cum docentium, tum diſcentium uſu aperta.* Norib. 1687. 8.

2. *Caſparis Seidelii Portula Latinae linguae vere aurea, pretioſiſſimis gemmulis exornata et illuſtrata.* Jenae 1653, 1662. 8. Idem ſimili opera defunctus etiam in Graeca lingua eſt, quum ab Eo edita ſit *Portula Graecae linguae aurea, Lipſ. 1641. Jenae 1659, 1670. 8.*

3. *Ezechielis Vogelii Ephemerides linguae Latinae.* Lipſ. 1620. it. 1621. 8.

Paullo rectiora hoc in genere ſunt:

1. *Schola Latinitatis, ad copiam verborum et notitiam rerum comparandam, tum etiam ad lectionem Auctorum Claſſicorum majori cum ſucceſſu inſtituendam; uſui paedagogico in Ducatu Gothano accommodata et edita: juſſu Sereniſſimi Principis Erneſti, Ducis Saxoniae etc.* Gothae 1662. 8. Recuſa Lipſ. 1716. 8.

Haec *Schola Latinitatis:* inquit *Gothofredus Vockerodt* in *Diſſert. de recta et antiqua Eloquentiae, maxime Latinae, ratione, corruptelis praecipuis et harum remediis*, Praefationis loco *Guntheri Latinitati Reſtitutae* praemiſſa p. 92. ſeq.: Illuſtris Seckendorfii conſilio maxime et ſtudio, in Gothani Gymnaſii uſum adornata eſt. Qui libellus ſi limaretur diligentius, et eruditi cujusdam viri curis poſterioribus perpoliretur, non perfectior deſideraretur apparatus vocabulorum, rebus, vel vetuſtis linguae Latinae auctoribus ignoratis, vel recens inventis aptorum; nec deſperarent, quibus in artium vulgarium uſu poſita ſermone complectenda ſunt, haec Latine exprimi, et dicendo poſſe niteſcere: quamvis, qualiscumque adhuc eſt, in barbarorum *Veſtibulorum*, inquinatarum *Januarum*, *Portarum* et *Officinarum*, et lutulenti *Orbis ſenſualium picti* locum recte ſubſtitueretur.

2. Ju-

2. *Julii Hardovici Reichii Ductor et Rector Chriſtianae juventutis, Latinam linguam univerſam Dialogis ſacris, Philologicis, variis, additis etiam imaginibus, ita tradens, ut juventus pura dictione ad lectionem optimorum auctorum variamque eruditionem praeparata, per illos ad hanc ita contendat, ut in via pietatis, virtutis, morum contineatur.* Hanoverae 1643, 1663. Brunsvigae 1663. 8.

Praemittitur luculenta Praefatio, qua agit Auctor de hoc inſtituto ſuo et de ejus recto et ſalutari uſu.

3. *Stephani Johannis Stephanii*, Eloquentiae in Regia Academia Sorana Profeſſoris, *Colloquia minora pro Scholis Daniae et Norvegiae edita, jam vero in uſum aliarum quoque Scholarum auctiora cum gemino Indice recuſa, ita, ut poſt Colloquia ſubjungantur: 1. Difficiliorum quorundam vocabulorum enodationes; 2. Phraſes et loquendi formulae inſigniores; 3. Sententiae prae ceteris memorabiles, curante* M. Joh. Sebaſt. Mitternacht. Lipſ. 1665. 8. Sunt etiam in pleniori forma edita Halae Saxon. 1666. 8; de qua editione vide infra ſuo loco.

4. *Johannis Henrici Vrſini, Spirenſis, Acerra Philologica mille variarum Hiſtoriarum, Phyſicarum, Ethicarum, Mythicarum, de rebus fere omnibus, ex innumeris auctoribus ſelectarum, ac pulcherrimis, qua ſacris, qua aliis, ſententiis illuſtratarum libri quinque, cum Mantiſſa, in uſum juventutis, pro ſtili exercitio, et quorumlibet, pro utili et jucundo graviorum ſtudiorum condimento.* Francofurti 1659. 12.

Quum hiſtoriolae e ſcriptoribus mox aureae, mox argenteae, mox aeneae, mox ferreae, mox figlinae aetatis, mox etiam ex diverſis Graecorum Auctorum interpretibus deſumantur, mox a recentioribus litteratoribus, Scaligero, Turnebo, Alciato, Voſſio et aliis arceſſantur, mox ipſius Vrſini etiam verborum nexu veſtiantur; non poteſt non maxima ſtili diverſitas inde exſiſtere. Atque hinc fieri non poteſt, ut adoleſcentia litteraria ex tractatione hujus libelli integrum et aequabile dicendi genus ſibi adquirat. Nec tamen ſine fructu legi omnino poſſit tum a tironibus, ſi eclectica magiſtri fides accedat, tum praeſertim a provectioribus atque omnino ab iis, qui dicendo aliquod jam fecere robur, ſiquidem multa egregie dicta in eo occurrunt, quibus vel vita inſtrui poſſit, ſicubi conſilio opus ſit, vel ſententiarum quaedam lumina verba facturis comparentur. Sex libris continentur omnia, ſic, ut ſuus ſingulis certus quidam locus communis ſit attributus. Liber I. agit *de Deo, Mundo, Elementis, Meteoris, Foſſilibus, Plantis;* Liber II. *de Animalibus;* Liber III. *de Homine;* Liber IV. *de Artibus et Diſciplinis et ſimilibus;* Liber V. *de Gentium Diis et ſimilibus;* Liber VI. denique addit *Mantiſſam Miſcellaneorum Jocoſeriorum.*

5. *Joh. Raviſii Textoris Dialogi aliquot feſtiviſſimi.* Antwerp. 1559. 8.

Valde protrita atque adeo trivialia heic tractantur, ſtilo quidem, quo auctor uti ſolet, id eſt, minus puro minusque aequabili.

6. *Frid.*

6. *Frid. Muzelii Introductio in linguam Latinam*, ſive *Veſtibulum, quo vocabula omnia ſimplicia cum derivatis et compoſitis uſitatioribus in 285 Colloquiis et ſimul totius Grammaticae exercitium continentur, cum imit. Germ.* Berolini 1745. 8.

7. *Chriſt. Helvici Colloquia Familiaria Germ. verſa.* Gieſae 1617. Cygneae 1636. 8.

8. *Andreae Reyheri Faſciculus Chriſtianorum dialogorum methodicorum pro ſecundo latinitatis curſu exercendo.* Gothae 1672. 8.

9. *Adami Siberi Dialogi pueriles*, Magdeb. 1588. 8.

Omnium autem emendatiſſime ſcriptos pro pueris eſſe opinor libros ſequentes:

1. *Maturini Corderii Colloquia Scholaſtica.* Montisbellig. 1621. Hildeſiae 1675, 1707. Francof. 1704. Lipſ. 1745. Goslariae 1707. 8. Saepe etiam alibi edita.

De pietate, de decoro, de litteris puerilibus agunt ſimplici plane, ſed puro et eleganti ſtilo. In claſſibus inferioribus Illuſtris Scholæ hujus Scheningenſis ſuaſu hortatuque Chriſtophori Schraderi, magni illius Rhetoris, Academiae Juliae olim Profeſſoris, ſtatim ab eo tempore uſurpari coepta ſunt, quo hæc palaeſtra litteraria noſtra per Sereniſſimae *Annae Sophiae* piam munificentiam inſtructa erat. Sequuntur:

2. *Fabulae Aeſopicae a Joachimo Camerario compoſitae.* Saepe ac multis in locis editae. Integrum harum corpus prodiit Lipſ. 1570. 8. Selectiores et notiores earum, cum *Epiſtola Philippi Melanchthonis, de utilitate hujusmodi ſcriptorum* Lipſ. 1557. 12. Eaedem notiores, ſed ſub alia forma in gratiam ſtudioſae juventutis adornatae cura *Joach. Camerarii* Lipſ. 1562. 8; it. a *Joh. Frid. Koebero* Jenae 1697. 12. it. a *M. Alberto Reineccio*, Halberſtadienſi, Lipſ. 1700. 8. Quaedam harum notiores et in ſcholis uſitatiores, novo et commodiori ordine diſpoſitae, ita, ut a brevioribus et facilioribus progreſſus fiat ad longiores et difficiliores, opera et ſtudio *Danielis Hartnaccii*, Hamburgi 1703. 8.

3. *Johannis Ludovici Vivis Colloquia, Ioan. Thomae Freigii notis illuſtrata.* Noribergae 1582. 8.

4. *Ejusdem Vivis Introductio ad veram ſapientiam.* Baſil. 1537, 1548. Saepe iterata Coloniae Agrippinae et Lipſiae. Denuo edita per *Chriſtophorum Heidmannum* Helmaeſtadii 1615. et Brunsvigae 1657. 8.

5. *Sebaſtiani Caſtellionis Dialogorum ſacrorum libri IV.* Lipſ. 1594. Lugd. 1613. Tubingae 1711. 8.

6. *Chriſtoph. Hegendorphini Dialogi pueriles XII. lepidi aeque ac docti.* Pariſ. 1528. 12. recuſi Helmſtadii 1706. 8.

7. *Petri Moſellani Protogenſis Dialogi XXXVII.* Lipſ. 1517. Smalcaldiae 1586. Helmſt. 1706. 8.

Eadem elegantia ac puritate hoc in genere ſcripta ſunt, ſed ita tamen, ut ſimul provectioribus adoleſcentibus, immo etiam viris eruditis ac ſagacioribus aliquid commodi adferre queant:

1. *Ja-*

1. *Jacobi Pontani Progymnaſmata*; de quibus vide infra ad *Pontanum*.

2. *Eraſmi Roterodami Colloquia*. Lugd. Bat. 1636. 12. Colon. Agripp. 1569. 8.

Ex omnibus his adminiculis, quae Latinae linguae primis elementis addiſcendis accommodata videntur eſſe, *Fabulae Aeſopicae* potiſſimum nobis arrident, eo quod argumenti varietate ac jucunditate oblectent puerulos, ut, quum ſua ſponte ferantur ad intelligenda ea, quorum grata commemoratione tantopere gaudent, ſine ulla ingenii ac memoriae defatigatione capiant tum vocabula, tum ipſam dictionem ſimplicem ac puram. Ne quid dicam, quod ſub his fabularum involucris tenella aetas animi intelligere virtutem, et honeſta vitae ſequi officia, ac regere mores conſilio et ratione aliqua diſcat: praeſertim ſi magiſter acceſſerit pius ac facundus, qui huic idearum amoenitati illico ſubjungat graviorem illam doctrinam, qua locupletari haec augerique debent.

Franciſci Caroli CONRADI *Julius Paullus ab injuriis Criticorum vindicatus, Proluſio Academica, Exercitationibus Strauchianis ad univerſum jus Juſtinianeum privatim in Academia Julia publice ventilandis praemiſſa.* Helmſt. 1734. 4.

Multa circumferuntur de priſcis Juris auctoribus falſo tradita. Trebatium Teſtam ab injuriis tam veterum, quam recentiorum auctorum, et praeſertim Nic. Heinſii in Diſſert. de ſatyra Horatiana, liberavit Gundlingius Schediasmate Critico-Juridico Halae a. 1710. Antiſtium Labeonem ab Horatio lib. 1. ſat. 3. v. 80. inſanum dici, veteris ſcholiaſtae auctoritate omnes crediderunt; ſed Rich. Bentley pro Labeone docte repoſuit Labienum illum, quem, prae iracundia inſanientem, Rabienum vocatum, Seneca memorat in Praefat. libri 5. Controverſiarum. Alfenum Varum a ſutrinae Cremonenſis fabula et ab aliis injuriis vindicatum dedit Ev. Otto. Neque certum ſatis, Javolenum Priſcum, quem dubiae ſanitatis fuiſſe, Plinius lib. 6. ep. 15. ſcribit, non diverſum fuiſſe ab eo, cujus fragmenta in Pandectas relata. Sic et Vlpianus ob Flaviani et Chreſti necem non ſtatim crudelitatis et injuſtitiae damnandus. Vid. Ant. Schultingius in notis ad vitam Vlpiani a Jo. Bertrando deſcriptam.

Inter tales veterum Jureconſultorum vindices ſuo quodam merito referendus eſt, qui in Proluſione hac Academica Paullum ab injuriis Criticorum vindicat, vicinae Juliae noſtrae Doctor legumque interpres in omni elegantioris litteraturae et antiquitatum notitia celeberrimus. Defenſitare nimirum ſtudet Paullum ſuum ab iniquiſſimis cenſuris Franciſci Hotomanni, Johannis Bertrandi et Laurentii Vallae. Quam levis et iniqua ſit Vallae reprehenſio, cum res ipſa ſatis perhibet, tum pluribus oſtenderunt Defenſor Juriſconſultorum adverſus Vallam, et Cl. Dukerus in Opuſculis de Latinitate veterum JCtorum p. 219. Verum ille ipſe tamen, qui veterum Juriſconſultorum, interque eos Paulli, adverſus Vallam defenſionem peregit, et quem Jacobum Cappellanum, Nicolai Vallae generum, in Curia Redo-

Redonenſi Senatorem (Parlaments-Raht zu Rennes in Bretagne) fuiſſe, poſt Elbertum Leoninum Emendationum et Obſervationum l. 4, ſ. 10. et l. 7, c. 2, conjecit laudatus Dukerus, defenſoris partibus peractis, in ſecunda Opuſculi ſui parte, ubi cenſoris perſonam ſuſcepit, atque multa non ſatis probatae latinitatis, quaedam durius conſtructa, pleraque inſolita, neque ex recepta ſignificatione ab JCtis uſurpata, e Pandectis contulit, ſane complura quoque ejus generis adnotavit e fragmentis Paulli in Digeſta redactis. Doctiſſimus Auctor ea, prout ab ipſo excerpta ſunt, litteraria ſerie indicat, ſtrictim additis Eruditiſſimi Dukeri et ſuis ipſius etiam quibusdam obſervationibus.

EIVSDEM *Parergorum libri IV.* Helmſt. 1746. 8.

Roberti CONSTANTINI *Supplementum linguae Latinae ſ. Dictionarium abſtruſorum vocabulorum.* Excudit Euſtath. Vignon Lugduni 1573. 4.

Scripſit etiam, teſte *Vavaſſore libro de Epigrammate c. 14. p. 162. Lexicon Graeco-Latinum*, quemadmodum appellet, in quo perperam Budaei Epiſtolas eum proferre refert, ut inculcet Latinae linguae elegantias. Hoc autem *Supplementum* ſcripſit praeſertim exercitui illi, quem e Latio eduxit *Robertus Stephanus in Theſauro ſuo linguae Latinae:* quamvis et illud alio rurſus ſupplemento indigere doctis videtur. Eamdem fere operam, qua Auctor in Supplemento hoc ſuo defunctus eſt, praeſtitit Joſ. Laurentius Lucenſis in Amalthea ſua Onomaſtica; quem de infra.

Vincentii CONTARENI *Variae Lectiones.* Venet. 1606. 4.

Auctor erat Profeſſor apud Patavinos, vir cultiſſimus, et qui in primis Lipſium, adverſarium ſuum, tractat modeſtiſſime atque humaniſſime. Scribitur cognomen ejus etiam per vocalem tertiam *Contarinus.*

Maturini CORDERII *Liber de corrupti ſermonis apud Gallos emendatione, et Latine loquendi exactiſſima ratione.* Lugd. Bat. 1538. 8.

EIVSDEM *De ſermonis Latini varietate.* Baſ. 1537. 8.

EIVSDEM *Grammatica Latina*, aucta a *M. Joh. Adolpho Frohnio.* Lemgoviae 1680. 8.

De *Ejus Colloquiis* jam ſupra dictum eſt, ad *Comenium.* Scripſiſſe etiam dicitur elegantem libellum *de Quantitate ſyllabarum.*

CORNV COPIAE LATINAE ſive *Dictiones et Phraſes Latinae linguae e Cicerone, Plauto, Terentio et aliis bonae notae auctoribus, non tantum eleganti delectu, ſed et amoena parabilique*

copia

copia in uſum juventutis ad puram latinitatem adſpirantis diligenter congeſtae. Ambergae 1616. 8.

Auctor, qui ſub ſiglis M. H. S. H. latet, quum animadverterit, *Elegantias* ſ. *Phraſes*, ut vocant, *Aldi Manutii*, non ſolum paſſim et abſque delectu, habita ſaltem latinitatis ratione, in ſcholis recipi, ſed etiam Jeſuitas in eo ſe magnifice efferre, ut exemplaribus depravatis atque plane in Papismum ſuum converſis, vendendo nugas ſuas, ſub Latinae linguae lenociniis adoleſcentibus imponerent, ſuumque paullatim virus propinarent; haud ab re ſe facturum arbitratus eſt, ſi hoc ſuo caſtigatiore opere adulteratum iſtum Manutium e manibus adoleſcentum extorqueret.

Quinti Marii CORRADI *Libri V. de copia Latini ſermonis*. Venetiis 1582. 8.

Non usque adeo convenit titulus libro huic: eſt enim mere Grammaticus, et tantum de analogia verborum agit; copia autem verborum ad Rhetores pertinet. Vtiliſſimus cetera liber eſt: quamquam ſententias quaſdam Auctor foveat, quas ſequi nollem: magnam enim licentiam admittit in vocum Analogia, putatque, licitum eſſe, fingere voces ad aliarum compoſitionem; quod minime tamen, ſaltem citra extremam neceſſitatem, fieri debet: qua de re merito illum reprehendit *Olaus Borrichius* in *Cogitatis* ſuis *de variis Latinae linguae aetatibus*, et quidem in Praefatione; qui tamen nihilominus in ipſo libro p. 211. vocat eum *virum acerrimi judicii et dictionis cultiſſimae*.

Sebaſtiani CORRADI *Libri XII. de lingua Latina*. Bonon. 1575. 4.

Luculentus liber, in quo multa continentur de mutationibus linguae Latinae, aliaeque obſervationes egregiae: quapropter et eum librum maximopere commendat *Morhofius* Polyh. Tom. I. p. 817.

EIVSDEM *Epiſtolae, quibus contra falſas opiniones indoctorum Latini ſermonis cauſam tuetur*. Adjectae ſunt *libris* ejus *de lingua Latina*. Prodiere etiam ſeparatim Venetiis 1581.

Nimirum Auctor inter eos eſt, qui Latinae linguae gloriam ac praeſtantiam vindicarunt ab inſulſo conatu eorum, qui ſaec. XVI. linguam Etruſcam Latinae praeferre, vel ſaltem aequare conabantur. Conf. infra *Folietam*.

EIVSDEM *Commentarius in Ciceronis librum de claris Oratoribus, in quo loci paene innumerabiles, cum aliorum ſcriptorum, tum ipſius Ciceronis explicantur*. Florent. 1552. fol.

Jo. Franc. CORRADINI de Allio *Lexicon Latinum Criticum, in quo novae Latinae voces ex aureis ſcriptoribus et lapidibus*

bus erutae; novae vocum ſignificationes et inflexiones; novae eruditiones, elocutiones autem elegantiores ex Terentio, Cicerone, Tit. Livio, Caeſare ac lapidibus collectae, quae in Theſauris linguae Latinae, Vocabulariis, Lexicis omnibus deſiderantur, praeſertim in Calepino Patavino ſeptem linguarum, cujus errores ingenii et eruditionis, ficticiae voces, quae Latinae minime ſunt, et Latinae, quae barbarae non ſunt, in calce notantur. Venetiis 1742. 4.

Nil tanto dignum fert hic promiſſor hiatu. Ex Fabri Theſauro et Muratorii Inſcriptionibus ſapit compilator ἄσοφος.

Andreae CORVINI *Fons latinitatis bicornis ex optimorum probatiſſimorumque Auctorum, Philologorum, Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum maxime, cum priſcorum, tum modernorum rivulis ſcaturiens: e quorum uno, Thematum appellativorum; altero, vocum propriarum vera cognitio promanat.* Francof. 1605, 1613, 1646, 1650. Lipſiae 1617, 1623, 1627. 4.

Auctor fuit Oratoriae et Latinae linguae quondam in Academia Lipſienſi Profeſſor Publicus, et opus hoc ſuum, ob praematurum ex hac mortalitate abitum, priori ſui duntaxat parte inchoatum ac veluti imperfectum reliquit. Augmentatum vero non ſolum priori parte eſt, ſed et alterius nova acceſſione locupletatum a *M. Joh. Georgio Schledero*, Ratisbonenſi. Tironum ſtudiis ac promovendis eorum profectibus valde accommodatum eſſe arbitror, praeſertim ſi ab non nullis ſcoriis repurgetur, et ad recentiorum Grammaticorum meliores obſervationes exactum recudatur, ac locupletetur ita, ne, quod libris in publicum redeuntibus uſu interdum venire ſolet, multa praeter rem et auctoris ſcopum admiſceantur. Occaſio hunc latinitatis fontem aperiendi Auctori haec fuit. Emendare volebat *Fabri Theſaurum*, vitiis mendisque tunc quidem nimis ſcatentem. Auſpicabatur autem laborem ſuum ab *Epitome Fabri*, ſive *Theſauro Fabri Minore*: cui tamen emendationi ſuae novum ipſi placuit *Fontis Latinitatis* nomen inſcribere, eo quod ratione progreſſus, ſi non omnem, maxima tamen ex parte exuerit priſtinam Fabrilis ſabuli aſpreditatem. Ergo hic *Corvini Fons Latinitatis bicornis* nihil aliud eſt, niſi *Theſaurus Fabri Minor*, ſed ita transformatus et emendatus, ut Fabri veſtigia vix amplius in eo deprehendantur.

EIVSDEM *Dubiorum Philologicorum Faſciculus I. II. III. et IV.* Lipſ. 1626. 4.

Laurentii CORVINI *Hortulus Elegantiarum.* Argentinae 1512. 4.

Ex Laurentii Vallae Elegantiis latices ſuos videtur hauſiſſe. Regulas elegantiarum ponit, quas ſingulas Ciceronis exemplis ſic illuſtrat, ut vulga-

rem et incultum loquendi modum iis ſemper praemittat: nimirum ut contraria juxta ſe poſita eo magis eluceſcant.

Petri COVSTANT *Vindiciae MSS. Codicum.* Pariſ. 1706. 8. et 1737. 8 maj.

Oppoſitae ſunt *Bartholomaeo Germon*, Jeſuitae, qui, *Harduini*, erudito tumultuandi furore correpti, veſtigiis certa quadam ratione inſiſtens, MSS. codices, quibus Auguſtini et Hilarii ſcripta continentur, magnae corruptionis accuſaverat. Quumque nollet in his Vindiciis ipſi oppoſitis adquieſcere; Auctor noſter, Benedictinus, ab iteratis Jeſuitae telis, letifero imbutis veneno, bonam cauſam defendere cogebatur, in *Vindiciis veterum Codicum confirmatis*, Pariſ. 1715. Binae autem hae vindiciae litteratis piis recteque ſentientibus ſe vehementer commendant, eo quod multa in iis pro MSS. Codicum auctoritate adferuntur ſalutaria, et Pyrrhoniſmo litterario et Hiſtorico ſagaciſſime et prudentiſſime obviam eunt. Confer, quae infra occurrunt ad *Mabillonium*.

Georgii CRAVSERI *Scintillae Tullianae* h. e. *Elegantiarum Latinarum Promtuarium ex Cicerone collectum.* Rudolphſtadii 1664. 8.

Ex *Schori Phraſibus* hae ſcintillae excuſſae ſunt omnes; niſi quod interdum etiam ex aliis elegantiarum ſcriptoribus v. g. *Hadriano*, *Valla*, *Sturmio* ac *Silvio*, igniculi non nulli eliciti admiſceantur, atque inſuper verſio Germanica non numquam addatur. Auctor tamen, Sacerdos Apoldae, haud procul Jena, elegantias, quas aliis inculcat, ipſe haud tenet, ut hoc videre eſt ex Praefatione, in qua inſuper jejuna quadam ratione elogia Ciceroni a magnis viris tributa cumulat.

Thomae CRENII *Sylloge ſcriptorum de methodo ſtudiorum. Tomus Prior*, primum editus Roterodami 1682 et 1692, ſecundum editus Lugd. Bat. 1692, et tertium tandem editus 1693. *Tomus Poſterior* prodiit Lugd. Bat. 1696. it. 1699. 4.

Tomo Priori continentur *I. G. Budaei*, *Th. Campanellae*, *Joach. Paſtorii*, *I. A. Boſii*, *Joh. Schefferi* et *Pet. Ang. Bargaei* Tractatus de Philologia, ſtudiis liberal. doctrinae, inform. et educat. litteraria etc. *Tomo Poſteriori* continentur *Joachimi Camerarii*, *Joh. Fungeri*, *Arn. Clapmari*, *Chriſtoph. Coleri*, *Joh. Caſelii*, *Ignatii Hannielis*, *Aegidii a Lanken*, *Joh. Andreae Boſii*, *Gabr. Naudaei*, *Lucae Ant. Tomaſoni*, *Nobilis Veneti Anonymi*, *Henr. Ranzovii*, *Joh. Henr. Alſtedii*, *Matthiae Berneggeri*, *Juſti Lipſii* et *Georg. Richteri* Tractatus de eruditione comparanda in humanioribus, vita, ſtudio politico, cognitione auctorum Eccleſiaſticorum, Hiſtoricorum, Politicorum ac Militarium, item peregrinatione.

Omiſit *Crenius* in hac Sylloge *Grotii*, *Sturmii*, *Schrevelii*, *Mechovii*, *Richerii*, *Molinari*, *Heideggeri*, *Focani*, *Ringelbergii*, *Eraſmi*, *Borlaei*,

laei, *Davidis Chytraei*, *Neandri*, *Burtnii*, *Maphaei Vegii*, *Vitruvii*, *Roſcii*, *Vergerii*, *Moſellani*, *Friſchlini*, *Bilſtedii*, *Aretini*, *Scioppii*, *Crocii*, *Loccenii*, *Heurnii*, *Foxii*, *Ludov. Vivis*, *Voglcri*, *Gerh. Voſſii*, *Banni*, Tractatus de ſtudiis recte inſtituendis; item *Matthiae Dreſſeri* de ordine diſcendi conſilium, ed. Tiguri 1592. 8, *Mich. Neandri* Bedenken de puerorum felici inſtitutione 1583. 8, et *Thomaſſini* la Methode d'étudier et d'enſeigner Chretiennement et utilement la Grammaire, et complurium forte aliorum conſilia hoc quidem in genere non ſpernenda. Multa praeclare praecipiunt de ſtudiis recte inſtituendis, et ſpeciatim de faciliori Latinae linguae addiſcendae modo praeclari illi hodegetae, quos Crenius tum exhibet, tum etiam omittit: quamvis eodem cenſu cuncta haud habenda videantur eſſe, nec ſine ἐπικρίσει legenda. Neſcio tamen, an quisquam horum omnium religioſius ac candidius cauſam hanc omnem egerit, quam *M. Andreas Wilkius*, Ducalis Scholae Gothanae olim Rector, in libro, qui inſcribitur *Ausführliches und gründliches Bedenken, wie man einen Knaben daheim im Haus erſtlich, und dann ferner unter dem Praeceptore in der Schul führen und lehren ſoll, daß er Gott zu Ehren, gemeinem Nutz, und ihm ſelbſt zum beſten innerhalb wenig Jahren in ſeinem Studiren fruchtbarlich progrediren und vortkommen möge. Auf Begehren vornehmer Leute der lieben Jugend zu gut und den Praeceptoren zum theil ſelbſt zur Nachrichtung geſtellet durch* M. Andream Wilkium, *der Fürſtlichen Schule in Gotha Rectorem*, *Magdeburg 1602. 8.* Wilkiano huic libello jungo *Guil. Mechovii Hermathenen*, librum omnium hoc in genere excellentiſſimum; quo de infra ſuo loco.

EIVSDEM *Animadverſiones Philologicae et Hiſtoricae*. Pars I. II. III. IV. Lugd. Bat. 1697, 1699. Pars V. VI. VII. Lugd. Bat. 1699, 1700. Pars VIII. IX. X. Amſtel. 1701. Pars XI. XII. XIII. XIV. Lugd. Bat. 1702, 1705. Pars XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. Lugd. Bat. 1708, 1709. 8.

Partes VIII. IX et X. harum Animadverſionum recuſae ſeparatim ſunt Amſtel. 1711. 8. ſub hoc titulo: *Thomae Crenii Commentationes Philologicae et Hiſtoricae in varios auctores et editiones, quibus junctae ſunt epiſtolae* Heinſii, Douſae, Ortelii, Sigonii, Cambdenii, Roſini *et aliorum. Partes III.*

EIVSDEM *Analecta Philologico-Critico-Hiſtorica variorum de linguarum cognatione etc. opera continentia*. Amſt. 1699, 1705. 8.

Continent varia elegantia opuſcula v. g. *Thomae Haynе de linguarum Harmonia*, *Petri Holmii de Scriptura et variis rationibus ſive ad dextram, ſive ad ſiniſtram, ſive deſuper, vel quocumque alio modo ſcribendi*, cet.

Auctori placuit, fictum *Thomae Crenii* nomen, et interdum in *Epiſtolis ad viros doctos datis*, itemque *in Libro de Prudentia Theologica*,

Amſtelod. 1684. 8. edito, fictum *Dorothei Sicuri*, ex anagrammatiſmo veri ſui nominis confectum, ſibi indere. Vero enim nomine eſt *Thomas Theodorus Cruſius*, Brandenburgo-Meſo-Marchicus, qui, poſtquam ſedulam litteris humanioribus atque Theologiae in diverſis Germaniae Academiis navaſſet operam, a. 1669 Gieſſae Cattorum Philoſophiam docuit; id, quod teſtatur *Diſputatio de Angelorum Intellectione*, pro facultate collegia Philoſophica aperiendi ibidem eodem anno habita. Inde Cellam Luneburgicam evocatus in ejus ſuburbio, *Die Blumenlage* vulgo dicto, verbi Divini Praeco legitime eſt conſtitutus; ubi 33 conciones habuit ſuper 1. 2 et 3. Pſalmis, quae Francof. 1673. 4. prodiere: quam tamen provinciam brevi ſua ſponte iterum deſeruit, atque paullo poſt Scholae Eperienſis in Hungaria Superiori Rector factus eſt. Nec ibi diu haerere ipſi viſum eſt; ſed per aliquot annos Marchiam, Livoniam, Friſiam et Belgium pervagatus, tandem domicilium ſuum Lugduni Batavorum conſtituit, ubi ſine ulla ſparta, non tamen ſine ſummo ſtudio ac deſiderio artes liberales promovendi, mutato tantum nomine, per triginta quidem, et quod excurrit, annos, deinde vixit. Scripſit complura, maximam partem Philologica et Critica. Obiit ibi apoplexia octogenario major a. 1728. His ipſis verbis perſonam hujus viri deſcribit *Praefatiuncula, Bibliothecae Crenianae 1730 publicatae praemiſſa.*

M. Georgii CRVCIGERI *Harmonia linguarum quatuor cardinalium, Hebraicae, Graecae, Latinae et Germanicae, in qua praeter ſummum earum conſenſum acceptionumque propriarum ab impropriis diſtinctionem, perpetua unius ab altera origo perſpicue deducitur.* Francof. 1616. fol.

Liber, hoc quidem in genere, praeſtantiſſimus videtur eſſe.

Jacobi CVIACII *Obſervationum et Emendationum libri XVII.* Colon. 1577, 1578, 1591, 1598. 8.

Hic Juris Sacerdos etiam in Philologia, Critica et Antiquitatibus multa habet illuſtrandae latinitati apprime accommodata: quamvis enim ejus obſervationes potiſſimum jus civile reſpiciant; immiſcentur tamen non pauca, quibus elegantiorum litterarum campus quam ſplendidiſſime illuſtratur. Ab hoc inſigni JCto ſe multa didiciſſe agnoſcit *Scaliger*, quum diſerte Ep. 32. dicat, *quod ſe nauſeantem jam omni bonorum ſtudiorum guſtu refeciſſet aliquando Cujacius, languentem ſubinde recrearet, et jam prope deploratum, et ſibi ſuisque rebus omnibus diffidentem, ad lucem iterum revocaſſet.* Eumdem de ſe bene meritum *Petrus Pithoeus, Jac. Aug. Thuanus*, aliique ſummis elogiis extulere.

Tantopere nimirum bonarum litterarum cultores proficere ſubinde poſſunt ex multis JCtorum doctiſſimis commentariis, eo quod univerſa legum Romanarum doctrina ipſius elegantioris litteraturae ſolidiori cognitione potiſſimum nitatur. Simili ratione *Guidonis Pancirolli Lectiones variae, Ant. Auguſtini Emendationes et Opiniones, Jacobi Raevardi Conjecturae,*

ſurae, *Aug. Menagii Amoenitates* et *Scipionis Gentilis Parerga*, juridica quidem tractant, ſed quae tamen ſubinde in campos optimorum auctorum excurrunt, ac flores ibi colligunt.

EIVSDEM *Commentarius ad titulum de verborum ſignificationibus*. Francof. 1695. 8.

Vide, quae ſupra dicta ſunt ad *Briſſonium*.

Gisberti CVPERI *Obſervationum libri III. cum figg. aeneis*. Trajecti ad Rhenum 1670. 8.

Auctor erat vir quondam Illuſtris, qui in Senatu Ordinum Belgii Foederati Conſcriptis Patribus adnumerabatur et Daventriae Conſulatum gerebat; atque, ut erat inuſitatae prorſus eruditionis, plurima habet ſingularia obſervata, tum antiquitati, tum exactae latinitati inſervientia.

EIVSDEM *Explicationes Gemmae Auguſteae, Numiſmatum antiquorum, Inſcriptionum et marmorum antiquorum, nec non utilitas, quam ex numiſmatis Principes capere poſſunt*. Amſtel. 1683. 4.

Coelii Secundi CVRIONIS *Theſaurus linguae Latinae*, ſive *Forum Romanum, conſtans Tomis III.* Baſil. 1561, 1571, 1576. fol. Noviſſime Argentorati 1604. fol. auctius prodiit; ſed non niſi usque ad pag. 157. recuſum: nam cetera deinceps omnia ſunt editionis a. 1576; adeo, ut in fine Tomi III. etiam verba illa relicta ſint: *Baſileae, ex officina Frobeniana, per Aurelium Frobenium.* Pudeat! Exſulare debent hujusmodi fraudes ab omni rep. litteraria, ut quae a ſanctitate et religionis legitimo cultu praecipuum ſuum arceſſit decus.

Hujus Operis Auctores fuere Doctores Publici Baſileenſes, quos inter eminuit *Coelius Curio*, cujus propterea ſolum nomen praefigitur. Hi vero maximam partem *Roberti Stephani Theſaurum* exſcripſerunt; interdum etiam deprehenduntur *Ambroſium Calepinum* cum *Stephano* commiſcuiſſe. Quicquid autem hujus eſt; inter primaria tamen Lexica referri debet, quum parum a *Stephani Theſauro* diſcrepet. Simpliciter *Forum Romanum* appellari ſolet, et ſic contradiſtinguitur Roberti Stephani Theſauro, qui, neſcio, utrum ex errore, an conſulto, itidem ſaepenumero Fori Romani nomine inſignitur.

Cl. Car. Henr. Langius Inſtitut. Stili Rom. p. 307. ſeq. ita de hoc Lexico: Notamus hunc Curionem ideo inter celebres Lexicographos, quod ejus auſpiciis et opera *Forum* illud *Romanum* lucem adſpexit. Notum eſt, et jam dudum viris eruditis obſervatum, quantum plagium commiſerit,

rit, dum integrum Stephani Theſaurum exſcripſerit, nihilque praeter Indicem libri mutaverit. Extat in noſtra Bibliotheca ſc. Lubecenſi publica Opus ita inſcriptum: *Theſaurus linguae Latinae, aurei Romanae eloquentiae ſaeculi, in foro et extra forum, penus atque promtuarium, omnes voces recteque loquendi formulas, ex puriſſimis ſcriptoribus petitas, multo quam antehac umquam et locupletiores et emendatiores comprehendens. Ex officina Frobeniana Baſil. 1578. Tribus Tomis fol.* Qui liber quum eamdem dedicationem habeat, quam praemiſit Curio, *Alberti Bureri* nomine praeſcriptam, augetur inde numerus plagiariorum Stephani a *Morhofio* productorum *de pura dictione* p. 84. et *Polyh. l. 4. c. 9. p. 112:* hic vero *Burerus*, niſi fuerit nomen a Frobenio confictum, impudentiſſimus fuerit, neceſſe eſt, quum vel ipſam dedicationem, quae extra controverſiam Curionis eſt, ſibi adſcripſerit. Ceterum etſi inique fecerit Curio, quod ſuppreſſo Stephani nomine opus evulgaverit; non tamen ea fuit impudentia, ut ſibi opus adſcriberet, qui praeter recognitionem et emendationem nihil ſibi arrogat. Quum non ubivis obvium ſit opus; dabo verba quaedam, ex quibus plagii crimen atque odium multum imminuetur. Ita vero: *Horum igitur*, inquit, *et nos conatum induſtriamque imitati, in Nizolio primum, qui Ciceronis tantum, et paucorum praeterea, qui ad eum ſcripſere, verba ſententiasque complectitur, augendo expediendoque et explicando multum operae laboriſque poſuimus: deinde Nicolao Epiſcopio, atque Hieronymo Frobenio, nobiliſſimis typographis, et in pulcherrimo munere ſociis, hortantibus et petentibus, in hoc opere concinnando elaboravimus: qui Theſaurus linguae Latinae primum eſt appellatus. Poſt ſecuta eſt Veneta editio, cui multum Marius Nizolius contulit: nam et opus ipſum emendavit et aliquot Latinis vocibus locupletavit. — — His duobus ſucceſſimus* (en! fatentem ingenue) *nos, qui primum totum opus recognovimus, innumeris certe corruptelis etiam tum foedum: deinde, adhibita judicii lima, multa barbara et inepta, plurima in loquendi formulis potiſſimum, ſupervacanea et inutilia, expunximus, atque horum omnium loco Latina et neceſſaria ſubſtituimus.* Et interjecta pagina: *Itaque* Theſaurus linguae Latinae, *aut, ſi placet*, Forum Romanum, *vel utroque modo hoc praeclarum opus inſcribi poteſt. Nam quo modo antea inſcriptum erat,* Dictionarium, *ſive* Theſaurus, *non video, qua ratione de lingua Latina praecipientes voce non Latina uti noluerint. — — Quare nos, quoniam auctor duobus nominibus opus inſcripſerat, altero barbaro, altero Graeco, et ſequens corrector errorem non correxerat, bino nomine Platonis et Ciceronis more inſcripſimus.* Si quid ego judico, plagii crimen non tam in Curione, quam Frobenio, quaerendum eſt, quum is auctorem ſe non eſſe, ſed correctorem, aperte faſſus ſit: Frobenius autem, lucri cauſa, Stephani nomen ſuppreſſerit.

Joh. Car. DAEHNERI *Liber Memorialis Germanico-Latino-Suecicus.* Holmiae 1746. 8.

Antonii van DALE *Diſſertationes IX, antiquitatibus et marmoribus inſervientes, cum Romanis, tum Graecis.* Amſtel. 1702. 4.

Diverſas antiquitatis particulas perſequitur, et Orthographiae veterum Romanorum non nihil ſtabilimenti adfert: ceteroquin ſtilo utitur plebejo ac ſordido.

Jo. DANESII *Paralipomena Orthographiae, Etymologiae et Proſodiae.* Londini 1639. 4.

Petri DANETII *Dictionarium novum Latinum et Gallicum, ad uſum Delphini, edito altera, emendatior et auctior.* Pariſ. 1680. it. 1690. 4.

Pro eximio Lexico ab eruditis non nullis habetur.

Scripſit etiam Auctor *Dictionarium Antiquitatum*, ed. Amſtel. 1701. 4.

Petri DASYPODII *Dictionarium Latino-Germanicum et vice verſa Germanico-Latinum, ex optimis Latinae linguae ſcriptoribus concinnatum: cui acceſſerunt nomina locorum et omnium in Germania, aliorumque multorum, ut plantarum, herbarum, arborum, forenſium loquendi modi atque vocabula, etc. quae tamen ſingula ſub littera ſua initiali facile reperiuntur.* Editio altera Argentorati 1526. Editio tertia, ibid. 1537, 1554. Editio quarta 1557. 8.

Inter priora reformatae latinitatis Lexica referendum eſt, magnamque habet laudem, pro iſto quidem tempore.

DASYPODIVS *Catholicus* ſ. *Dictionarium Latino-Germanico-Polonicum.* Dantiſci 1642. 4.

Auguſtini DATHI *Elegantiae*, cum *Commentario* Aſcenſii. Pariſ. 1501, 1508. Venet. 1508. 4.

Multi adeo pretii non ſunt, et ipſemet Auctor contra ſuas ipſius regulas haud raro impingit. De patria dicitur *Senenſis*: ſcribit etiam nomen ſuum ſine adſpiratione, itemque per TT. geminum, *Datus* et *Dattus*.

Edidit etiam *Iſagogen*, quam *Arnoldus* etiam juxta multa alia ſubſidia in conſilium adſcivit in concinnando ſuo *Ornatu L. L.* et, teſte *Sanctio* in Minerva l. 6. c. 16. *Libellum de novem nominibus falſo per antiphraſin dictis.*

Chriſtiani DAVMII *De cauſis amiſſarum quarundam Latinae linguae radicum, ut et multarum vocum derivatarum.* Cygneae

1642. 8. Septimum etiam locum occupavit in *Joh. Georgii Graevii Syntagmate variarum Diſſertationum rariorum*, ed. Vltraj. 1702. 4.

Morhofius Polyh. Tom. I. p. 818 hoc de libro ita judicat: Eſt Commentationum hujus Daumii de Latinae linguae ἀναλογίᾳ et uſu ἀπεσκευασμένων, qui quidem hoc libro contineri fundamenta quaedam voluit magni operis, quod moliebatur, abſoluti nimirum ſuis numeris Lexici Latini, praecipue illarum vocum, quae aetate ſequiore in uſu fuerunt; quam ob cauſam magna diligentia pervolutavit omnia illa, quae nanciſci potuit, ſcripta eorum temporum, edita vel inedita. Etſi vero in ejus Diſſertatione, quae prodiit, omnia non probem; multa tamen ibi habentur et docta et ſubtiliter excogitata; et ſolidiora haud dubie ab illo exſpectanda fuerant, ni mors illum una cum conatibus intercepiſſet.

Inter eas cauſas amiſſarum radicum, quas auctor adfert, mihi quidem praecipuae eſſe videntur *Amiſſio bonorum auctorum*, de qua cap. 19; *Difficultas propter amiſſa cum multis ſcriptoribus Lexica linguam reſtituendi*, de qua cap. 22; *Etymologiſtarum deliria et ſtupor*, de quo cap. 28; et tandem *Imperfectio rerum humanarum*, de qua cap. 30. et ult.

EIVSDEM *Epiſtolae Philologico-Criticae in lucem emiſſae* a Joh. Andrea Gleich. Chemnitii 1709. 8.

Egregiis plane obſervationibus abundant. Auctor fuit non Grammatiſta, ſed Grammaticus excellentiſſimus. Locus, quem tenuit, meritis ejus haud reſpondit, nec capere eundem viſus eſt viris doctiſſimis, qui magnum hunc hominem ſuo tempore noverunt propius.

Claudii DAVSQVII *Orthographia Latini Sermonis vetus et nova, Tomis duobus*. Tornaci Nerviorum 1632. Pariſ. 1677. fol.

Magna profecto cura hoc opus elaboratum eſt, atque ita omnem apud veteres ſcribendi rationem evolvit, ut illa in lapidibus, inſcriptionibus monumentisque publicis variat: atque adeo Auctor hoc ſuo Opere utiliſſimam Arti Criticae operam navavit. Non parum enim negotii faceſſit ſcripturae varietas in veteribus monumentis; e qua tamen, bene intellecta, ſtatim judicium de antiquitate ſcripti formari poteſt: quare, ut characteres hi accuratius dignoſcantur, opera danda eſt. Attigit non nihil ejus argumenti *Henr. Stephanus*, in Praefat. Gloſſariorum ab ſe editorum: ſed parciſſimus eſt, pleniorque et illo et reliquis ad unum omnibus Dausqueji hic liber, complexus omnia, quae tum veteres, tum recentiores, de hoc argumento ſcripſere: qui quidem fere ſunt ſequentes;

1. *Victorinus Velius Longus*, qui Romae prodiit 1587. 8.

2. *Caſſiodorus*, cujus *de Orthographia libellus* prodiit ſeparatim, cum Carionali notis, Antwerpiae 1579. 8.

3. *Bedae* liber *de Orthographia*, quem Hanoviae imprimi curavit *Helias Putſchius* a 1690.

4. *Aldi*

4. *Aldi Manutii* Junioris, Paulli F., *Opuſculum de Orthographia*, diligentiſſime e libris antiquis, tabulis, nummis, lapidibus, congeſtum editumque ab ipſomet Venetiis 1566.

5. *Hieronymi Cardani de Orthographia* Tractatus, qui Tomo I. ejus Operum reperitur: et alii non nulli levioris notae.

Ludovici DEBIEL *Utilitas rei nummariae veteris, compendio propoſita:* accedit *Appendicula ad nummos coloniarum Vaillantii.* Viennae Auſtr. 1733. 8. cum tabb. aen.

M. Henrici DECIMATORIS, Giffhornenſis, P. L. *Silva Vocabulorum et Phraſium, cum ſolutae, tum ligatae orationis, ex optimis et probatis Latinae et Graecae linguae auctoribus.* Francof. 1589, 1596. Witteb. 1593. Editio nova, vocabulis Hebraicis, quae quidem S. Biblia ſuppeditant, aucta per *M. Valentinum Schindlerum* Witteb. 1660. Lipſ. 1617, 1619. 8.

EIVSDEM *Secunda Pars Silvae Vocabulorum et Phraſium, continens nomina propria Deorum ac Dearum gentilium etc. atque id genus alia, quae Primae adhuc Parti defuere, in uſum et gratiam ſtudioſae juventutis ex optimis et probatis auctoribus hinc inde collecta.* Aucta eſt haec Pars vocabulis Graecis, Hebraicis, Gallicis et Italicis, recognita, atque ab omnibus mendis diligentiſſime repurgata ab ipſo Auctore. Witteb. 1660. Lipſ. 1617, 1619. 8.

EIVSDEM *Theſaurus linguae Latinae.* Lipſ. 1606, 1615. fol.

Henrici Decimatoris Theſauro, inquit *Morhofius Polyh. Tomo I. p. 825*, miror pretium aliquod *Borrichium* (*Append. de Lexicis Lat. et Graecis* p. 46.) ſtatuere: homo enim ineptus fuit, et in latinitate nihilo plus ſapuit, quam occiſa ſus; quod ex ejus *Silva vocabulorum* deprehendas, quam miris modis exagitat *Adamus Siberus* paſſim in *Epiſtolis et Opuſculis ſuis*, monetque, ceu peſtem, fugiendam eſſe tironibus. Monendum tamen, fuiſſe inter utrumque lites agitatas publice, nec ſine bile arguta eſſe, quae in *Decimatorem* ſcripta ediderit *Adamus Siberus*.

EIVSDEM *Adnotationes in* D. Phil. Melanchthonis *Grammaticam Latinam, tam docentibus, quam diſcentibus profuturae; non tantum ad explicationem hujus libri, ſed etiam aliorum.* Witeb. 1590, Magdeburgi 1598. 8.

EIVSDEM *Scholia in Syntaxin Phil. Melanchthonis.* Lipſ. 1606. 8.

Non omnino ſpernenda haec ſcholia ſunt, quamvis in hac litterarum luce, qua hodie fruimur, parum hauriri ex hoc libro queat, quod non excuſſum jam alibi ſit rectius et uberius.

EIVSDEM *Medulla Terentiana.* Halae 1597. 8.

Johannis DEKENI e Soc. Jeſu *Obſervationes Poeticae exemplis illuſtratae.* Editiò auctior et emendatior, Antwerpiae anno 1688 edità. Nunc in uſum Scholarum et Poeſeos cultorum recuſa cum Praefatione *Danielis Georgi Morhofi.* Kiloni 1691. 8.

In Poetarum lectione et imitatione ad mera minuta, quibus praecipua elocutionis tum proſaicae, tum poeticae vis et elegantia continetur, animum debemus advertere. In talium collectione induſtriam non vulgatem Auctor hic noſter oſtendit. Multa a *Jul. Caeſ. Scaligero*, *Antonio Minturno*, *Gerh. Joh. Voſſio*, *Tarquinio Gallutio*, *Laurentio le Brun*, *Jacobo Maſenio*, aliisque de arte Poetica uberrimis commentariis diſputantur: multa etiam de omni carminum genere praecepta apud eosdem habentur; ſed ea operoſius eoque apparatu traduntur, ut deterrere facile legentes poſſint: multa quoque ſubtilius et tenuius, quam neceſſe eſt, deducta ſunt. Et in praeceptis tam copioſis ſaepe non pauca requiras, quae illi vel praeterierunt, vel omnino non adverterunt. In quibus congerendis eam *Dekenus* diligentiam oſtendit, ut brevi et eleganti ſyſtemate plura, quam diffuſi illi commentarii, complectatur. *Obſervationes* inſcribit: obſervationes enim circa mera ſingularia, quibus hic liber prorſus continetur, verſantur, aliis non ſatis cognita; quum communia praecepta ad haec ſe non demittant. *Partes* harum obſervationum conſtituit *quattuor. Prima Pars* de amplificatione Poetica agit. Ibi multa occurrunt indicta aliis. Quae tamen cap. 1, 2, 3. de deſcenſu ad ſingularia, et de illuſtratione ab antecedentibus et conſequentibus notantur, ea copioſius et enucleatius a *Bernh. Parthenio Spilimbergio* in praeclaro *libro de Imitatione Poetica* pertractantur; qui liber Auctori Dekeno ignotus videtur fuiſſe. *Parte ſecunda* affectuum morumque characteres exhibet, qua in re omnino ſedulum eſſe decet, ut oratorem, ita et praeſertim et ante omnia Poetam, quum praecipua hujus laus in imitatione ea, qua res ac perſonae quaſi coram lectoris adſpectu collocantur, conſiſtat, nilque poeſis aliud ſit, niſi pictura in ſtilo. Quo tamen in argumento brevior et conciſior Dekenus eſt, quam argumenti dignitas poſtulet. Nam vel ſolius triſtitiae ac doloris characteres longe plures ex Ovidii Triſtium libris dari poterant. Quamquam et hic Ovidius in affectu triſtitiae plus artis et declamatorii ſpiritus ſaepe oſtendat, quam ejus affectus natura et genius permittat. Quam ob cauſam tam inter veteres, quam inter recentiores ſunt, qui ipſum reprehendunt. *Parte tertia* ea, quae delectabile et amoe-

amoenum carmen faciunt, perſequitur: ubi de fontibus acuminum praecepta Maſeniana in compendium redigit: ſed in quibus plenius *Laurentius Gratianus* et *Emanuel Theſaurus*, ille Hiſpanus, hic Italus, libris ſuae gentis lingua ſcriptis verſantur. De numeris metricis etiam eorumque varia temperatura non nulla attigit: in quibus ceteroquin valde parci ſunt rei Poeticae ſcriptores. Quantus hoc in genere artifex fuerit Virgilius, magna cum ubertate ingenii oſtendit *Nicolaus Erythraeus* in luculento illo *Tractatu de licentia et diligentia carminis Virgiliani*, quem praemiſit Virgilio ab ſe caſtigato. Et vero generatim in hoc argumento pertractando nemo *Minturni* diligentiam ſuperavit: utilia etiam, quamquam pauca, hoc in genere docuit *Leonhardus Frizon* libro 3. de Poemate. *Pars quarta* ornamenta poematum complectitur, ut Figuras, Tropos, Formulas, Particulas et Modos loquendi: quorum quidem quum infinita quaedam ratio ſit, nemini mirum videri debet, ſi plura addi heic poſſint.

Ceterum hic *Dekeni* labor non niſi provectioribus atque adeo ipſis juventutis formandae magiſtris ſubſervit. Pro tironibus alius libellus in promtu eſt, nempe *M. Andreae Reyheri Manuductio Poetica, qua ratio tironi orationem ſolutam quamvis carmine Latino reddendi paucis iiſque perſpicuis regulis ſingulari artificio traditur. Schleuſingae 1647. 8.*

Jo. Jacobi DENZLERI *Clavis linguae Latinae*, Noviſſime prodiit Baſil. 1686, 1713, 1715. 8 maj.

Satis copioſus Auctor eſt in cumulandis locutionibus, quibus ſingulos locos illuſtret. Subjicitur ei *Compendium de elegantiis Latini Sermonis, Proverbiis, Poeſi, Differentiis verborum, Numeris.*

Johannis DESPAVTERII Ninivitae *Commentarii Grammatici*, Pariſ. ex offic. Rob. Stephani 1537. et in fine 1538. fol.

Eximium opus eſt. Auctor inter praecipuos erat, qui in Grammaticis deſipere deſierunt. Cognomen *Ninivitae* ſibi indidit a patria *Ninive*, oppidulo in Flandria, Brabantiae contermino. Multas egregiarum ſuarum obſervationum communicaſſe dicitur cum *Badio Aſcenſio* et *Jacobo Mayero.*

EIVSDEM *Rudimenta nunc denuo recognita.* Antverp. 1551. 4.

Grammaticae Deſpauterianae Epitome prodiit Antverp. ap. Plantin. 1573. 8. *Simon Verrepaeus* hoc libro Ninivitae Rudimenta in pauciora conſtrinxit, pluribusque in locis caſtigavit.

Valeſiana p. 126. *de Dionyſio Petavio* Chronologo non infimi nominis praedicant, *quod Grammaticam hanc Deſpauterii quotannis perlegerit.*

EIVS-

EIVSDEM *Opuſcula Grammatica.* Colon. 1531. 4.

DICTIONARIVM *Linguae Romanae luculentum novum.* Cantabrigiae 1693. 4.

Egregium apud Anglos Lexicon eſt, profectum ab auctore anonymo, et vulgo *Lexicon Cantabrigienſe* dicitur, eo quod Cantabrigiae excuſum eſt. Singulis litteris, ut in *Littletoni Dictionario*, quo de infra, ea praemittuntur de natura, poteſtate et qualitate elementi, quae interiorem litterarum notitiam et reconditam quamdam Philologiam ſapiunt. Auctor gloriatur, ſe ad hoc opus adjutum fuiſſe curis MSS. Cl. Miltoni, quamquam aliunde non nulli didicerunt, Edu. Phillips, Miltoni ex ſorore nepotem, quod magis etiam credibile eſt, avunculi labores applicuiſſe ad conſarcinandum *Speculum Latinae Linguae*, quod ejus cura prodiit.

DICTIONARIVM *Latino-Belgicum, cura et ſtudio B. I. et S. H.* Dordraci et Roterod. 1699. 4.

DICTIONARIVM *Tetraglotton, in quo voces Latinae omnes cum Graeca, Gallica et Belgica interpretatione.* Amſtel. 1645. 8.

DICTIONARIVM *univerſale Latino-Gallicum.* Amſt. 1731. 8.

Haec tria Dictionaria nihil ſingulare praeſtant; poſſunt non niſi pueris inſervire; ut apud nos Neubauerus.

Joh. David. DIETERICI *de genuina τῦ* Quaſi *notione.* vid. ſupra *Caluinus.*

A. DIETHERS *Theſaurus Epiſtolarum contexendarum formandaeque linguae ad imitationem dictionis Ciceronianae.* Colon. Agripp. 1577. 8.

Johannis Michaelis DILHERRI *Apparatus Philologiae.* Jenae 1632. Norimbergae 1660. 12.

Conſtat ex *duabus Partibus. Parte Priori* continentur:
1. *Lipſii Orthographia*, cum adnotat. et obſervationibus *Dilherri.*
2. *Ejusdem Tractatus de Scriptura veteri.*
3. *Ejusdem Tractatus de Nominibus Romanorum.*
Parte Poſteriori continentur:
1. *Erycii Puteani Facula diſtinctionum.* Separatim prodiit Witeb. 1671. 12.
2. *Weitzii Diſſertatio de Philologia.*
3. *Dilherri Diſſertatio de Philologia.*
4. *Caſp. Barthi de Latina lingua Commentatio.*
5. *Weitzii Epiſtola de Critica.*

6. *Dil-*

6. *Dilherri Diſcurſus de Critica.*
7. *Ejusdem Schediaſma de aetatibus Latinae linguae.*
8. *Ejusdem Commendatio Ciceronis et ipſius lectionis.*

EIUSDEM *Manuductio Ariſtotelica ad locos inventionis Rhetoricae deſumta.* Norimb. 1657. 12.

EIVSDEM *Dialogi Philologici.* Norimb. 1661. 12.

EIVSDEM *Libri III. Electorum.* Norimb. 1644. 12.

Bini libelli hi ultimi ſua ſe elegantia commendant. Varia elegantioris doctrinae capita utrobique proponuntur: in priori quidem per luſum quaſi et tamquam in tranſcurſu; in poſteriori autem majori cum ubertate et magis ex inſtituto.

DIOMEDIS *Grammaticae Opus tripartitum. Prima parte membra univerſi continentur ſermonis. Secunda pedeſtris orationis ſtructuram plene uberrimeque demonſtrat. Tertia pedum qualitatem, poematum genera, ac verſuum denique rationem tradit pleniſſime.* Colon. 1518. 4. Exiit etiam ex recenſione *Johannis Caeſarii*, et cum *Donati libello de octo orationis partibus, et barbariſmo,* Haganoae 1526. 8. Prodiit etiam cum Phoca, Capro, Agraecio, Donato Servioque Venet. 1491, 1495. et 1511. fol. it. Pariſ. 1507. 4. Mediol. 1513. fol. Col. 1523. 4. Apud Putſchium occupat locum ſecundum. Editiones reliquas vide ap. Fabricium Bibl. Lat. T. I. p. 728.

Hic Diomedes Soſipatrum Chariſium fere exſcripſit.

Stephani DOLETI *Commentariorum linguae Latinae* Tomus I. Lugd. 1536. Tomus II. 1538. fol.

Inter plagiarios *Rob. Stephani* hic Doletus, Lugdunenſis typographus eruditus, ſimiliter, ut plures alii, referendus eſt; ſed ſubtiliores: namque alia methodo diſpoſuit opus ſuum, et e Stephani materia novum aedificium exſtruxit. Commendari quoque meretur labor illius: nam, quae tumultuarie apud Stephanum, heic diſtincto ſecundum ſignificationes ſuas ordine exhibentur. Neque tamen propterea a plagii crimine abſolvendus eſt, licet ipſemet adhuc illud, ſibi a Carolo Stephano objectum, diluere omni ſtudio ſit adniſus; qua de re legi poteſt *Thomaſius de Plagio litterario* §. 409 — 412. Nempe nimium ſubito creverunt in molem Latinae linguae Commentarii, poſtquam Roberti Stephani Theſaurus exiiſſet; qui Commentarii ante Stephani et Nizolii Theſaurum, magnitudine Laur. Vallae Elegantias non ſuperabant: fruſtraque exſcribendi licentiam Lexicographis conceſſam Doletus praetendit, qui etiam *Barthol. Riccio* inſuper

atque *Lazaro Bayſio* eum in modum turpiter abuſus eſt, nomquam eos nominans, niſi ubi caſtigat. Prodiere *Commentariorum ejus Tomi duo*, Guil. Budaeo nuncupati atque inſcripti. *Tertium* adhuc *Tomum* addere ſibi propoſuerat Auctor, *de collocatione oratoria, compoſito et numeroſo dicendi genere* in univerſum acturum; ſed quo minus deſtinata perficeret, fati acerbitate factum: quippe vivicomburio miſer ob religionem exuſtus eſt, meliori fortuna dignus utique et vir doctus. Exſtat in mortem ejus Epigramma *Thedori Bezae*, quod legitur in *Deliciis Poetarum Gallorum*, ſub nomine *Adeodati Sebae*. Erat unus e praecipuis Ciceronis admiratoribus: quapropter *Eraſmi Ciceronianum*, immoderatius multa dicentem in Ciceronem ejusque imitatores, tum in *Praefatione ſui Operis*, tum in *ipſomet Commentariorum Corpore*, haud raro acriter ſugillat; et ex inſtituto id quidem facit in ſuo *Dialogo de Imitatione Ciceroniana pro* Longolio *contra* Eraſmum, edito Lugd. 1535, 1536. 4. *Morhof.* Polyh. Tom. I. p. 824. Qui tamen hoc opus rectius conſideraverit, uſumque illius perſpexerit; fatebitur, ni fallor, vera eſſe, quae ipſemet Auctor de ſe in Praefatione Tomi I. profeſſus eſt. *At vero*, inquit, *non id ſum ea mente ingreſſus, ut viris doctis compluribus, qui in linguam Latinam ante me multa et ingenioſe et erudite commentati ſunt, laudem in hoc genere praeriperem, (praeripere enim neque poſſim, neque conor) ſed ut, quae ab illis tentata magis ſunt, quam abſoluta, ea pleniora cumulatioraque et ordine commodiori digeſta juventuti traderem.*

EIVSDEM *Commentariorum linguae Latinae Epitome.* Baſil. 1537, 1540. 8.

Quum jam tum, paullo poſtquam exiiſſent, *Doleti* noſtri *Commentarii* nimio venire pluribus viderentur; *hoc Doleti Compendium* vir quidam doctus adornavit: ſuntque etiamnum *Commentarii ipſimet* rariſſimi, quum praeter primam editionem nulla proſtet.

EIVSDEM *Phraſes et formulae linguae Latinae elegantiores, cum Praefatione* Joh. Sturmii. Quibus adjicitur *Connubium Adverbiorum Ciceronianorum Huberti Suſannaei.* Argentorati 1576, 1585, 1596, 1610, 1676. 8.

Ferme *in Commentariorum ſupplementum* ab Auctore ſcriptae ſunt. Voluerat *Doletus* hoc *opus tripartitum* facere: *Primam* illius *partem* ex nomine et verbo locutiones continere; *Secundam* ſignificationes et conſtructiones verborum; *Tertiam* uſum particularum indeclinabilium. Sed praeter *eam partem*, quae Nominum Subſtantivorum felix connubium cum Verbis conciliat, nihil de illo libro amplius in lucem prolatum. *Secundam* partem *Johannes Godeſcalcus* ſuis Latini Sermonis Obſervationibus; *Tertiam* autem *Hubertus Suſannaeus* aliquo modo ſupplevit libello, quem de eleganti Adverbiorum ad Verba applicatione conſcripſit, et *Connubium Adverbiorum* nominavit.

Aelius

Aelius DONATVS reliquit ex Putſchii Collectione I. *Artis Grammaticae editionem priorem*, qua *de voce*, *littera*, *ſyllaba*, *pedibus*, *tonis*, *poſituris* agit p. 1735. II. *Artis Grammaticae editionem poſteriorem*, ubi *de partibus orationis*, *de nomine*, *de comparativo*, *de generibus nominum*, *de pronomine*, *de verbo*, *de adverbiis*, *de participio*, *de conjunctione*, *de praepoſitione*, *de interjectione* praecipit p. 1743. III. *Tractatum de barbariſmo*, *ſoloeciſmo*, *et ceteris vitiis*, *de metaplaſmo*, *de ſchematibus*, *de tropis* p. 1767 – 1779.

Separatim prodiit *Ejus liber de octo Partibus Orationis*, prima editione, Pariſ. ap. Rob. Stephan. 1536. 8. Prodiit etiam una cum *Diomedis Grammatici Opere* Lipſiae 1542. 8.

Prodiit etiam *Donati Minoris Grammatici Declaratio de octo partibus Orationis*. *Lipſ. 1510. 4.* It. *Expoſitio Donati ſecundum viam Doctoris Sancti Lipſ. 1511. 4.*

Marcelli DONATI *Scholia in Latinorum plerorumque hiſtoriae Romanae ſcriptorum locos obſcuriores.* Francof. 1605. 4.

Baptiſtae DONII, Patricii Florentini, *Inſcriptiones antiquae nunc primum editae, notisque illuſtratae, et XXVI Indicibus auctae ab* Antonio Franciſco Gorio. Accedunt *Deorum Arae, tabulis aeneis inciſae, cum obſervationibus et figg.* Florent. 1731. fol.

Caſp. DORNAVII *Ulyſſes Scholaſticus* ſ. *de erroribus, qui in ſcholis, quas appellant, trivialibus admittuntur, Diſſertatio duplex: acc.* Caſp. Hofmanni *de barbarie imminente Oratio.* Hanoviae 1620. 4.

Vir fuit doctiſſimus, et queſtibus indulget haud inanibus aut perfunctoriis. Recuſus liber una cum Mantiſſa Hofmanniana eſt, ſed ſpecie cujusdam additamenti ſubjunctus *Joachimi Negelein Ulyſſi litterario i. e. Orationi de ſingularibus et novis quibusdam ex orbe litterato Norimb. 1726. 8.*

Andr. Julii DORNMEIERI *Diſſertatio de vitioſo Ciceronis imitatore;* cui ob materiae cognationem et inſignem raritatem junctus eſt *Dialogus feſtivus de Cicerone relegato et revocato.* Utrumque ſubjunctum reperimus *Joh. Vorſtii libro de latinitate ſelecta et vulgo fere neglecta.* Berol. 1718. 8.

In

In hac *Dorumeieri Diſſertatione* complures Ciceronis hyperbaſes aliique tanti Oratoris naevi uno quaſi obtutu repraeſentantur. Dialogus, quem Diſſertationi huic ſubjunctum reperimus, jam olim Lipſiae 1534. vulgatus fuit: continetur autem in eo accuſatio Ciceronis et apologia ſubfrigida. Auctorem ejus fuiſſe exiſtimant *Hortenſium Landum*, Medicum Mediolanenſem. Vide Vinc. Placcii Theatrum Anonymorum num. 1440. Sed a Lando videtur auctorem Dialogi hujus diſtinguere Joh. Angelus Odonus in Epiſtola ad Gilbertum Cognatum data a. 1535. Cognati Operibus Baſil. 1562. fol. editis Tom. I. p. 313. inſerta, ut adeo de Lando, tamquam vero auctore hujus dialogi non ſine cauſa dubitet Scriptor novellarum litterariarum Lipſienſium a. 1718. p. 812. Vid. Fabric. Bibl. Lat. vol. 2. p. 166.

EIVSDEM *Lexicon elegantioris latinitatis ex Nepote, Caeſare, Cicerone et Curtio.* Berol. 1710, 1715, 1718. 8.

Sigismundi Friderici DRESIGII De *Novi Foederis Graeci Latiniſmis merito et falſo ſuſpectis.* Lipſ. 1726. 4.

Haec Diſſertatio habita eſt Praeſide *Joh. Erh. Kappio*, adverſarium deinceps nacta *M. Chriſtianum Siegismundum Georgium*, qui ei oppoſuit *Diſſert.* de *Latiniſmis Graecae Novi Foederis Dictioni immerito affictis*, *ed. Witemb. 1732. 4:* quumque *Dreſigius Vindicias Diſſertationis ſuae* illico in lucem miſiſſet; *huic ille* reſpondit illico, nempe eodem anno 1732. per *Apologiam Diſſertationis de Latiniſmis Graecae Novi Foederis dictioni immerito affictis vindiciis admodum nuperis Diſſertationis de Novi Foederis Graeci Latiniſmis merito et falſo ſuſpectis 1726. Lipſiae habitae menſe Januario 1732. editis oppoſitam menſe Martio a. 1732. Wittebergae.*

Joh. Henr. DRÜMELS *Neueingerichteter und unfehlbarer Weg, die Lateiniſche Sprache recht zu faſſen und zu ſchreiben.* Nürnberg 1741. 8.

Car. Andr. DVKERI *Opuſcula varia de latinitate veterum JCtorum.* Lugd. Bat. 1711. 8.

Prodierat Pariſiis 1583. ap. Joh. Houzé in forma, quam vocant, octava, et editioni quartae libri *Nicolai Vallae de Rebus Dubiis*, ibidem eodem anno et ab eodem bibliopola publicatae additus erat liber, cui titulus erat *Veterum JCtorum adverſus Laurentii Vallae Reprehenſiones Defenſio I. C. P. I. C. A*, et praeter hanc Defenſionem JCtorum *tres alios ejusdem Auctoris Tractatus*, primum, *De verbis non ſatis probatae latinitatis, aut non ex recepta ſignificatione, vel contra Grammaticorum regulas, a Jurisconſultis uſurpatis*; alterum *de Repetitis iisdem verbis in Digeſtis*; tertium, *de Etymologiis Juris Civilis* complectebatur. Dukero noſtro quum in ea parte, qua latinitas JCtorum notatur, verba et loquendi genera non nulla immerito notari viderentur; ideo probatorum

rum ſcriptorum, quorum auctoritate ea defendi poſſe exiſtimaret, congerere coeperat.

Deinde accuratius hoc ſcriptum examinare adgreſſus, pleraque, non ſolum *in Tractatu de improbatis JCtorum verbis*, verum etiam *in eorum Defenſione*, ejusmodi eſſe deprehendit, ut ſe illa, niſi ſua appoſita ſententia, edere non poſſe arbitraretur: ne, ſi nihil de iis, quae ſubinde parum recte dicta ſunt, monuiſſet, ea probaſſe quaſi tacito ſuffragio videretur. Quamquam ſic quoque, praeſertim in Defenſione, ſupererant, quae limam deſiderarent: quae quia ad adverſarios JCtorum refellendos non magnopere pertinebant, ſuo loco relinquenda eſſe duxit. Ita autem paullatim ſatis ampla Animadverſionum ſeges ei ſubnata eſt, in quibus hoc praecipue egit, ut vel pluribus argumentis JCtorum veterum Defenſionem confirmaret; vel quae poſt cognitas eorum defenſiones non dum ſatis ab ſe intelligerentur, declararet; vel denique, quid de iis, quae aut minus latine, aut inuſitate, a Juriſconſultis dicta ſint, ſentiret, oſtenderet.

Quae omnia quum non dum juſti voluminis modum implerent, iis *undetriginta poſteriora libri ſexti Elegantiarum Laurentii Vallae capita*, quibus ille JCtorum definitiones et vocabulorum interpretationes quasdam carpit, et *Andreae Alciati adverſus Vallam Apologiam*, una cum *Franciſci Floridi Sabini pro Valla adverſus Alciatum Defenſione*, adjecit. Quam Floridi Defenſionem, quum ipſi Operum illius omnium copia non fuiſſet, *e libro Adnotationum Joannis Theodorici, Longolii, Budaei, Doleti, Eraſmi, Jul. Caeſ. Scaligeri et aliorum in Vallae Elegantias*, quem Baſileae a. 1541. editum Cornelius Bynkershoekius, cui ampliſſimo viro, in Suprema Hollandiae, Zeelandiae et Friſiae Curia Senatori, Dukerus noſter haec opuſcula inſcripſit, habebat, deſcriptam huc contulit. Atque haec quattuor illorum Auctorum ſcripta ita diſpoſuit, ut ſingulis capitibus Reprehenſionum Vallae Apologiam Alciati, huic deinde Defenſionem Floridi pro Valla adverſus Alciatum, et Florido extremo loco Defenſionem JCtorum I. C. P. I C. A. id eſt, ut Dukerus probabiliter hariolatur, Jacobi Capelli, Pariſienſis, Juris Conſulti, Auctoris, cui Defenſoris nomen impoſuit, una cum ſuis Animadverſionibus ſubjecerit. Quod quidem eo conſilio fecit, ut ſub uno velut adſpectu poſita eſſent omnia, quae ad idem caput reprehenſionis pertinebant; et qui haec lecturi ſint, eo facilius rationes partium inter ſe comparare et examinare poſſent. Hinc porro ſequuntur tres illi, quos dixit, Ejusdem I. C. P. I. C. A. Tractatus: quorum etſi duo poſteriores ad latinitatem Juris conſultorum veterum non pertinebant; tamen, quia ab Auctore ſub eodem titulo Defenſionis Juriſconſultorum conjuncti erant, quo integrum hoc ſane quam rarum Opuſculum prodiret, non omittendi viſi ſunt.

Quid autem de iis, quae heic exhibentur, ſcriptis Dukerus ſentiat, ad ſingula fere capita ſatis oſtendit. Hoc in genere pronuntiat, Vallam et hyperaſpiſten illius Floridum ſaepe ea re lapſos eſſe, quod Inſcriptiones Legum vel ignorantes, vel non conſiderantes, et ob id non ſcientes, quo JCti in definiendis atque interpretandis quibusdam vocabulis reſpicerent, ea, quae ex illorum ſententia ad certos articulos ac ſpecies reſtringi debebant, ita acceperint, ac ſi hi interpretationes ſuas nobis pro generalibus

quibusdam pronuntiatis ac regulis, quae omni argumento, omnibusque aliorum ſcriptorum locis convenirent, obtrudere voluiſſent. Quum etiam horum cenſorum argutandi, reprehendendi et verba JCtorum ſugillandi prava libido appareret, quamvis ſe vix primis labris Juris Civilis diſciplinam attigiſſe certiſſimis argumentis demonſtrent; hanc eorum petulantiam Dukerus caſtigat ſubinde eadem lege, quam ipſi ſuis dictis ac factis adverſus JCtos innocentiſſimos ſanxerunt.

Defenſor autem JCtorum, fervore diſputationis ſaepe abreptus, ea profert, quae parum veritati conſentanea Dukero videntur eſſe. Quae autem in JCtorum ſermone, ut non ſatis probatae latinitatis aut inuſitata ab eo notata ſunt, in eo hic Defenſor cenſorem ſe parum aequum et minus ſaepe intelligentem praebet, ut ut cetera vir eſt litteris non leviter tinctus. Habent quidem veteres JCti multa, quae quidem in iis, quae nobis ſuperſunt, ſcriptis auctorum, quorum teſtimonio in his decidendis fides habenda eſt, fortaſſis non reperiuntur; ſed tamen analogia nituntur, et apud ejusdem aetatis, quamvis paullo deterioris notae ſcriptores leguntur. Ea autem, quae ad jus publicum Imperii illorum temporum pertinent, antiquorum teſtimoniis, quibus incognita fuerunt, comprobari non poſſe, quis paullo humanior et eruditae antiquitatis intelligentior aegre ferat? At vero ob ſingularia illa, quae quibusdam locis in Pandectis occurrunt, non eſſe JCtorum ſermonem adſpernandum, facile largientur, qui ſciunt, probatiſſimis quibusque ſcriptoribus ſuos quosdam ac peculiares eſſe dicendi modos, qui ut ad imitandum non proponuntur, ita neque inter ea, quae vitioſa eſſe conſtat, cenſendi ſunt.

Praeter ea autem, quae merito a Defenſore improbantur, alia quoque e Pandectis, quantum nunc, repetita poſt multos annos earum lectione, animadvertere Dukerus potuit, colligi poſſe ipſi videntur, quae ſi quis vel meliorum ſaeculorum uſu trita fuiſſe, vel ad analogiam, aut exactam Lat. linguae normam congruere, vellet oſtendere, ei ſatis ſuperque ſudandum fore ſibi perſuadet: quamquam nec ea omnia ab Jureconſultis veteribus profecta eſſe, adfirmare auſit.

EIVSDEM Oratio *de difficultatibus quibusdam interpretationis Grammaticae veterum ſcriptorum Graecorum et Latinorum.*

Exſtat inter orationes Clariſſimorum virorum ſelectas, cura *Joh. Erh. Kappii*, Lipſ. 1722. 8. evulgatas.

Conradi DVNKELBERGII *Ariadnes Filum ad comtioris latinitatis ſtilum.* Northuſae 1693. 8.

C. F. DVRANTINI *De exſilio Ciceronis et ejus glorioſo reditu.* Lipſ. 1535. 8.

Adami DVRRERI *De Particulis linguae Latinae liber.* Lipſiae 1624, 1674. 12.

Potiſſimas hujus obſervationes *Jacobus Thomaſius* in Turſellinum ſuum tranſtulit.

Chriſt.

Chriſt. Heur. ECKHARDI *Vindiciae optimorum Latinitatis auctorum adverſus iniquum cenſorem C. Aſinium Pollionem.* Jenae 1745. 4.

Thomae ELLIOTAE *Dictionarium Latino-Anglicum.* Londini 1541. fol. Denuo prodiit ibidem 1552. a *Thoma Coopero* 33000 circiter vocibus adauctum.

Pro ſaeculi ſui infelicitate multis ineptiis ſcatet. Ipſe tamen Cooperus, qui egregie de hoc opere meritus eſt, confecit Theſaurum Ling. Rom. Londini 1584. fol. ex Elliota et R. Stephano compilatum. Hos duumviros Elliotam et Cooperum ſequitur infinita turba Lexicorum Latino-Anglicorum, in quibus eminere videntur *Dictionarium Thomae Thomaſii*, quod decies et quater editum ſcimus eſſe, it. *Dictionaria alia* v. g. *Joh. Rideri, Thomae Holyoake* ſ. *de Sacra Quercu, Franc. Gouldmanni*, qui ſe Thomaſium, Riderum et Holyoakum complecti profitetur, *Adami Littletoni*, quo de infra ſuo loco, et *Auctoris Linguae Romanae Dictionarii luculenti novi*, ſ. ut vulgo dicitur, *Dictionarii Cantabrigienſis novi, Cantabrigiae excuſi 1693. 4.*

Helfrici EMMELII *Silva quinquelinguis vocabulorum et phraſium Germanicae, Latinae, Graecae, Hebraicae, Gallicae linguae.* Argent. 1592. 8.

EIVSDEM *Nomenclator quadrilinguis Latino-Germanico-Graeco-Gallicus, in IV. claſſes diſtinctus.* Argent. 1592. 8

EIVSDEM *Nomenclator quadrilinguis Germanico-Latino-Graeco-Gallicus, in IV. claſſes diſtinctus.* Argent. 1592. 8.

EIVSDEM *Nomenclator Latinus propriorum vocabulorum, ut regionum, inſularum,* cet. Argent. 1592. 8.

Hi libri quattuor ex *Calepino* contexti videntur eſſe.

EIVSDEM *Epitheta, antitheta, et adjuncta e Cicerone collecta.* Argent. 1592. 8.

Liber elegans, lectuque jucundus atque utilis.

Jacobi ENGELBRECHT *Complementum Latinae linguae.* Lubecae 1661. 12.

Certae methodi beneficio, derivata et compoſita omnia, e facillima ſuis in claſſibus analogia, ſolo adſpectu tironum memoriae infigere ſtudet. Diſtinguit nimirum voces ſecundum claſſes rerum et terminationes: et ſane in terminationibus, niſi fallor, idea totius linguae latet; ut ego quidem exiſtimem, totam aliquam linguam breviori ſpatio poſſe comprehendi, ſi

quis

quis ad terminationes illas reſpiciat: prout enim ſunt conceptus de rebus, ita paene ipſa natura determinat terminationes, quae ſi reſpiciantur, ſtatim judicari de ipſa vocis ſignificatione poteſt. Primitiva enim et ſimplicia pauca ſunt, quae, ſi memoria teneat puer, et ideam harum terminationum habeat, ipſe ſponte elixiet, et ſine operoſa memoriae defatigatione ſibi familiares reddere poterit voces a primitivis ſecundum hunc ordinem derivatas. Hoc conſilium fuit Engelbrechti, quod in lingua Graeca praeterea ſecutus eſt *Andreas Pauli*, qui *Thematologiam Novi Teſtamenti* concinnavit, qua docet ſecundum hunc ordinem inveſtigare ſignificationes vocum. Conſilii autem hujus ratio explicatur in Praefatione libri. *Morh.* Polyh. T. I. p. 820.

Henr. Chriſt. ENGELHARDI *Pharus cultioris Latii*, oder *Wegweiſer, welcher die groſſen Schwierigkeiten, die der Jugend bey Erlernung der Lateiniſchen Sprache im Wege ſtehen, glücklich zu vermeiden, anweiſet.* Marburg 1737. 8.

EPISTOLARVM Obſcurorum Virorum *ad Dn. M. Ortvinum Gratium Volumina II. ex tam multis libris conglutinata, quod unus pinguis cocus per decem annos, oves, boves, ſues, grues, paſſeres, anſeres etc. coquere, vel aliquis fumoſus calefactor centum magna hypocauſta per viginti annos ab eis calefacere poſſet. Acceſſerunt hac editione multa magiſtralia interlocutoria, quae jam primum valde delectabiliter prodeunt.* Francofurti ad Moenum 1599. it. Hagae Comitum 1742. 8.

Barbarorum hominum ſtribligo per μίμησιν quamdam feſtivam ac jucundam vehementer per has epiſtolas exagitatur. De harum auctore ac miris fatis *Nobiliſſ. Burkhardus Comment. De linguae Lat. in Germania fatis p. 321. ſeqq.* ita ſcribit: *Ulricum ab Hutten* Cl. *Jac. Thomaſius* in Praefat. P. Manutii Epiſtolis praem. (immo etiam Jacobi fil. *Chriſtianus Thomaſius* Tomo I. Obſerv. Halenſium obſerv. 9.) et Cel. *Morhofius* Polyh. Tom. I. l. 1. c. 23. §. 43. *verum obſcurorum virorum ad Ortvinum Gratium Epiſtolarum* habent *auctorem:* quamvis non ignoro, a *P. Jovio* et aliis *Reuchlinum* earum auctorem perhiberi; et *Hamelmannum* edocere nos voluiſſe, *Hermannum Comitem Nuenarium, Ulricum Huttenum, Reuchlinum, Buſchium, Caeſarium*, pluresque, laboris ſocietatem quaſi ineuntes, epiſtolas iſtas in *Ortvini Gratii* invidiam contexuiſſe. Quisquis vero earum fuerit auctor, ſive unus exſtiterit, ſive plures, *cucullatorum Theologorum barbare Latina lingua ſcribentium ſtilus tam accurate* iis *expreſſus eſt*, ut, ubi prius exierant, miro Monachorum exceptae ſint applauſu, avidiſſime ubique ab ipſis coemtae, utpote qui ſibi initio perſuaſerant, eas in *Reuchlini contumeliam, Monachorumque favorem* eſſe emiſſas: et qui, quum vir quidam egregie doctus, at naſutiſſimus, cui rei veritas minus latebat, coram ipſis fingeret,

ſe

ſe ſtilo non nihil offendi, eum conſolati ſunt, dicentes: *Ne ſpectaris orationis cutem, ſed ſententiarum vim.* Nec rei veritatem deprehenſuros eos umquam fuiſſe, niſi quidam epiſtola operi addita lectorem admonuiſſet, rem non eſſe ſeriam, *Eraſmus* l. 22. ep. 31. credidit, addens: *Quis fungus poſſit eſſe ſtupidior?* Poſtquam igitur odorati demum erant Monachi, quomodo res ſeſe haberet, ita debacchati ſunt, ut *Apoſtolicum Breve*, uti loquuntur, magna auri vi extorſerint, quo Obſcurorum virorum Epiſtolas ementes, vendentes legenteſque excommunicarentur. Quo facto, Bilibaldus Pirkheimerus ad Huttenum ſcripſit, ſuaſorque fuit, ut libri titulus mutaretur, et pro *Obſcurorum Virorum Epiſtolis*, *Clarorum Virorum Epiſtolae* inſcriberentur, ut nebulones pecunias dilapidare denuo cogerentur. Ad *Ortvinum Gratium*, ad quem Epiſtolae ſcriptae finguntur, quod attinet; licet is laudatiſſimi *Herm. Buſchii* popularis fuerit atque condiſcipulus, *vir alioquin non indoctus* ab Hamelmanno ipſoque Eraſmo dictus: ſe tamen quam maxime tum opponere coepit, quum Alexandri Doctrinale exploſum iverat Buſchius; et in primis reprehendit, quod hic in *Commentariis ad Donatum* ſcripſerit: eos *magnis etiam Theologis*, *Doctoribus atque Magiſtris utiles fore atque neceſſarios.* Nullam vero aliam ob cauſam a barbarorum Theologorum partibus ſtetit *Ortvinus*, quam ut ampliſſimum ab iis reportaret beneficium, quod *praebendam* appellare ſolent: iccirco cum *Jacobo Hochſtrato* conſilia ſua contra bonum Reuchlinum conſociavit: qui in *Ortvinum* acerbiſſime viciſſim eſt invectus, aſpere ſatis eum tractans, ut hominem, qui vix litteras balbutire noverit analphabetus, quum tamen Oratoriam Poeticamque docere gloriatus fuerat.

Et quamlibet ſcenicus harum Epiſtolarum habitus in cujusvis oculos propemodum incurrat; tamen is, qui a. 1711. eas Londini edidit, easque Iſaaco Bickerſtaff Armigero, Magnae Britanniae Cenſori, nuncupavit, credidiſſe videtur, argumenta Epiſtolarum non ficta, ſed ſeria omnino eſſe. Editorem id ſibi perſuaſiſſe, ex his certe verbis, quae in Dedicatione protulit, non temere aliquis colligere poſſet. *Patere, Cato Britannice, ex obſoletis ſaeculi ſuperioris ruderibus, altaque, quam ſuperſtitio intulerat, ignorantia iſtud Arcadicum hominum ſpecioſo Theologorum Magiſtrorumve nomine inſolenter gloriantium pecus arceſſi; et aeterna licet nocte dignos, a tenebris tamen ad lucem, a mortuis ad vivos provocdvi.* Et quae extrema Dedicatione leguntur: *Praeludant hae Obſcurorum Epiſtolae, quarum elaborata barbaries et ſoloeciſmi legentem in cachinnos ſolvant, et quicquid ridiculi vanaeque levitatis in pectore reſidet, exhauriant. — — Denique obſcuri iſti homunciones, quibus nihil quicquam vixit inſulſius, longo poſt tempore jam tandem reſipiſcunt: famam, quam olim non potuerunt, conantur nunc aucupari; a coaetaneis ſuis audiri vix meruerunt; nunc in ſpem et lectores et emtores ſibi conciliandi veniunt.*

Prodiere etiam hae Epiſtolae Obſcurorum Virorum a. 1556. 12. Romae ſub hoc titulo: *Epiſtolae obſcurorum virorum ad M. Ortvinum Gratium, nil praeter luſum continentes et jocum, in arrogantes ſciolos, plerumque famae bonorum virorum obtrectatores et ſanioris doctrinae*

contaminatores. Denuo vetuſtiſſimo et feſtiviſſimo exemplari prae ceteris editionibus locupletatae et auctae. Ad calcem libri: *Romae ſtampato con privilegio del Papa, et confirmato in lugo, qui vulgo dicitur, Belvedere.*

Deſ. ERASMI Roterodami *Operum omnium, quaecumque ipſe pro ſuis agnovit, Tomi IX.* Baſil. ex offic. Froben. *cum Praefatione B. Rhenani, vitam Eraſmi continente,* 1540. fol. Recuſi ſunt opera *Johannis Clerici.*

Speciatim ad rem noſtram pertinent libri Ejus ſequentes, qui ſeparatim inſuper proſtant, nempe:

EIVSDEM *in Laur. Vallae Elegantiarum libros Epitome.* Ejusdem *Selectiores formulae, ex variis auctoribus decerptae. Farrago* item *ſordidorum verborum per* Cornelium Crocum *denuo multis in locis aucta.* Lipſ. 1530. Pariſ. 1542. ap. Rob. Steph. Colon. Agrippinae 1542, 1546, 1550, 1557, 1562, 1577. Friburgi 1594. 8.

EIVSDEM *De octo partium orationis conſtructione.* Lipſ. 1518. 4. 1526. 8. Hagenoae 1522. 8. Cum Scholiis *Henrici Primaei* Colon. 1541. 8.

Syntaxis Grammatica heic valde breviter; at perſpicue tamen inculcatur.

EIVSDEM *De ratione ſtudii deque pueris inſtituendis Commentariolus.* Pariſ. 1528. ap. Sim. Colinaeum.

Inter multa praecepta ſalutaria hoc etiam occurrit, ut praecepta Grammaticae velit eſſe, quantum fieri poteſt, pauciſſima.

EIVSDEM *Antibarbara.* Argentorati 1522. 8. Coloniae 1534. 4.

Ex Valla Syllogen hanc fecit, multa paſſim de ſuo addens.

EIVSDEM *Apophthegmata, ex optimis utriusque linguae ſcriptoribus collecta.* Colon. 1545, 1547, 1570. 8. Hagae Comitum 1641. Amſtel. 1671. 12.

Homo animal eſt politicum et ſocietatem quaerit. Nihil autem vel jucundius vel fructuoſius ad familiares hominum congreſſus, quam illam hiſtoriarum animam, quae in ſapienter dictis majorum conſiſtit, adferri poſſe, ipſa experientia manifeſte teſtatur. Nihil eſt, quod avidius excipiatur, nihil, quod altius imprimatur animis, quam brevis arguti ſapientisque

tisque dicti energia. Ejusmodi acute dicta praeter hunc Eraſmum noſtrum inter veteres *Xenophon*, *Laertius* ac *Plutarchus*, et e recentioribus *Panormitanus*, *Lycoſthenes*, *Zinkgraefius*, *Harsdörferus*, *Gerlachius*, *Maſenius* aliique quam plurima collegerunt.

EIVSDEM *Adagia*, id eſt, *Proverbiorum*, *Paroemiarum et Parabolarum omnium*, *quae apud Graecos*, *Latinos*, *Hebraeos*, *Arabes*, *cet. in uſu fuerunt*, *collectio abſolutiſſima*, *in locos communes digeſta*. Venet. in aedibus Aldi 1508. Argentorati 1517. 4. Hagae 1521. 4. Baſil. 1513, 1518, 1520, 1523, 1530, 1532, 1540, 1546, 1551. Francof. apud Wechel. 1540, 1573, 1599, 1670. Pariſ. 1579. Hanoviae 1617. fol. Veneta et Baſileenſes editiones ſunt emendatiſſimae: nova editio ceteris locupletior eſt, ſed mendis cooperta.

Continentur autem hoc Adagiorum Opere:

1. Deſ. Eraſmi Roterod. *in ſuas Proverbiorum Chiliades Prolegomena.*
2. Ejusdem *Adagiorum Chiliades quattuor cum ſesquicenturia ſecundum locos communes diſtributae.*
3. Henrici Stephani *in Chiliades Eraſmi Animadverſiones.*
4. Hadriani Junii *Adagiorum centuriae octo cum dimidia*, *ſecundum locos communes Eraſmicis ſubjectae.* Separatim prodiere Baſil. 1558. 8.

Hic *Junius* in hoc colligendi labore et ἀκριβείᾳ uno Eraſmo minor eſt: reliquos omnes ſuperat.

5. Joannis Alexandri Braſſicani *Proverbiorum* σύμμικτα, cum *Appendice Symbolorum Pythagorae*, *ex Jamblicho*, *Junianis ſubjecta.*

Huic *Braſſicano* poſt Eraſmum et Junium in hoc laboris genere proxima laus debetur.

6. M. Grunnii Corocottae Porcelli *Teſtamentum.*
7. Joannis Ulpii *Adagiorum Epitome.*

Hic *Ulpius* Braſſicani laudem propemodum aequat.

8. Gilberti Cognati *Adagiorum Sylloge*, *ſecundum locos communes ſimiliter diſpoſita.*
9. Ejusdem Cognati *nova Adagiorum Appendix ad ſuarum Paroemiarum Syllogen.*
10. *Adagia quaedam* ex Coelio Rhodigino.
11. *Adagia ſelectiora* ex opere Polydori Virgilii.
12. *Adagia ſelectiora ex Proverbiorum libro* Petri Godofredi JCti.
13. *Paucula Proverbia* Caroli Bovilli.
14. Ex Hadriani Turnebi, M. Antonii Mureti, et aliorum ſcriptis, *quaedam Adagiorum miſcella.*
15. *Adagia aliquot Juridica*, *a* Guil. Gentio *collecta.*
16. *Specimen quoddam Adagiorum*, *quae ab* Junio, Canthero, et Giſelino *collecta ſunt.*

17. ***Adagia aliquot*** **Melchioris Neipel Bredenani, numquam antehac edita.**

Horum omnium Auctorum Proverbia ſecundum locorum communium ſeriem, Eraſmicis ſuo quaeque ordine, Auctoris nomine praepoſito, ſubjunguntur.

Quod ſpeciatim ad Eraſmi Adagiorum Chiliadas attinet, in epitomen eae ante haec bina retro ſaecula jam redactae ſunt: quae *Adagiorum Epitome* primitus prodiit Pariſ. cura Jo. Brucherii 1533; hinc Coloniae 1539 et 1553; tum Antwerpiae ex officina Plantiniana 1564; dein iterum Colon. Agripp. 1572; poſt iterum Pariſiis 1583; poſtea apud Guilielmum Laemarium 1593; deinde Wittebergae ſumtibus Andreae Hofmanni 1599; tum Amſtelodami 1663; dein Lipſiae 1678; et tandem ibidem 1696. 12. cura et *cum Praefatione Henrici Börſtelmanni*, *Scholae Iſenacenſis Rectoris*; cujus viri ſtudio etiam acceſſit ex ipſo Chiliadum Eraſmi volumine pluribus in locis Supplementum non minus utile, quam neceſſarium; quum in prioribus Epitomes hujus editionibus ut plurimum ea, quae ad genuinum proverbiorum ſenſum pertinere omnino videbantur, conciſe nimis eſſent tradita.

Eraſmus primus fuit inter Adagiorum collectores, quod opus ipſi ſuo tempore profecto fuit difficillimum: nam credo, illum plus laboris operaeque huic ſcripto impendiſſe, quam multis aliis. Coepiſſe ſe ait hoc proverbiorum argumentum tractare anno 1500, atque ante obitum decies atque amplius auctius ſemper curatiusque divulgavit. Liticulam illi aliquando movit *Coelius Rhodiginus*, quaſi ſurripuerit ſibi aliqua circa adagia meditata: ſed non habet, quo jactet ſe Rhodiginus, quod guttula una vel altera hunc fontem auxerit: paucula enim ſunt, quae in *Opere* ipſius *Antiquarum Lectionum* habentur de quibusdam adagiis. Etiam *Verderius*, nugaciſſimus ille veterum et recentiorum cenſor, in *Cenſionibus* et *Correctionibus ſuis in auctores antiquos et recentiores* p. 158. ungues ſuos in hoc Opere figit, cui ſimilem ille ne paginam quidem ſcribere poterat. Cui noſtra aetate acceſſit vir doctus quidem ac ſagax, ſed interdum tamen ultra id, quod fas eſt, ſapiens, *Joh. Clericus dans ſa Bibliotheque choiſie T. I. p. 1*, ubi collectionem hanc proverbiorum Eraſmicam ſimiliter ſpecioſe quidem, ſed praeter rem tamen exagitat. Conf. *Lexicon Antibarbarum noſtrum editionis iteratae p. 1267.*

Dantur hoc in genere alii praeterea libri. v. g. *Jani Gruteri Florilegium Ethico-Politicum*, adagiis Graecorum, Latinorum, Germanorum, Italorum, Belgarum, Hiſpanorum, Gallorum, Anglorum, refertum; *Joſephi Langii Sylloge*, qua Eraſmi Adagia aliasque ſententias proverbiales, Graecas, Latinas, Germanicas ſub certis locorum communium titulis auctor complectitur, ed. Argentor. 1596. 8; *Valentini Rotmari Centuriae V. et Decuriae III. verſuum proverbialium*, ed. Ingolſtadii 1570. 8, liber infrequens, quo ſub certis titulis collectae ſententiae Virgilianae ſunt, quae ad inſtar adagiorum eſſe poſſint; *Hadriani Barlandi verſus proverbiales ex Virgilio*, Cremonae 1596. 8; *Anonymi* (*Philippi Brietii*, ut Morhofius opinatur) *Acute dicta omnium veterum Poetarum*, Pariſ. 1664. 12: de quibus omnibus vide ſis Morhofium T. I. L. 1. cap. 21.

pag.

pag. 250. ſeqq. Item *Iohannis Buchleri Theſaurus proverbialium ſententiarum*, quo de ſupra ad Buchlerum; *Ioh. Iacobi Denzleri Compendium de Proverbiis*, Ejus *Clavi* ſubjunctum; *Ioh. Fungeri Proverbiorum Farrago; Bartholdi Feindii Florilegium Germanico-Latinum ſententiarum proverbialium; Iohannis Gothofredi Hauptmanni Collectio proverbiorum et ſententiarum inſignium atque uſitatiorum* ed. Gerae 1743. 12; *Paulli Manutii Adagia optimorum ſcriptorum omnia*, liber juſtae magnitudinis, editus Vrſellis 1703. 8; *Ottonis Wilhelmi Schoenheimii Proverbia illuſtrata et applicata*, Lipſ. 1728. 8; *Ioh. Antonii Berlucii Adagia ſelecta*, cum *eleganti Praefatione de methodo uſurpandi, imitandi et inveniendi adagia*, ed. 1632. 8; *Ioh. Georgii Seyboldi Adagia Latino-Germanica*, Norib. 1659, 1669, 1677. 12. in quibus multa lutulenta et plebeja occurrunt; *Ioh. Sartorii Adagiorum Chiliades III*, Lugd. Bat. 1656. it. 1718. 8. et alii minoris notae hoc in genere libelli, a *Tappio Lunenſi*, *Friſchlino*, *Havenreutero*, *Scriverio* et *Maſenio* profecti, et qui praeterea in puerorum potiſſimum gratiam confecti ſunt.

Et auctores quidem hactenus enumerati eorum adagiorum rationem habuerunt, quae in ſenſu ſtrictiori et proprie loquendo id nominis habent, et vel in vita communi fuere uſurpata, vel apud eruditiores ſaltem increbuerunt. Fuerunt autem apud veteres Romanos adhuc alia ac ſollemnia, ut ita dicam, adagia in uſu, ſeu formulae et verba in pompam rei geſtae vel gerendae adhibita, quae immenſo labore congeſſit et ingenti eruditionis antiquariae apparatu illuſtravit *Barnabas Briſſonius*; quo de ſupra egimus.

EIVSDEM *De utraque verborum et rerum copia libri II. ad ſermonem atque ſtilum formandum utiliſſimi.* Editi Jenae, ſine deſignatione anni, 12. Londini 1512. 12. Argentorati 1523. 8. Pariſ. 1528. ap. Colinaeum. *Acceſſione multorum capitum formularumque locupletati, et* M. Veltkirchii *Commentariis enarrati*, Antwerp. 1540, 1557. 8. Colon. 1534, 1551. Francof. apud Wechel. 1541. Amſtelod. 1632, 1645. 12. *Cum Commentario et exemplis edidit* Joh. Micraelius 1655. Editi etiam ſubinde ſunt Baſileae 1565. et alibi locorum.

Libellus aureus atque utiliſſimus, notior nomine, quam uſu frequens, qui optimas profecto dat orationis ornandae atque amplificandae regulas. *Prior Pars* 206 capitibus omnem variandae orationis copiam exhauſit: *Pars Poſterior* 39 capitibus rerum ſupellectilem indicavit. Auctor primus omnium eruditorum hanc aleam tentavit. Nam quod Julius Pollux, Graecus et antiquus auctor, ſingularum rerum vocabula per locos digeſſit, et ſynonyma quaedam ac finitima velut in acervos congeſſit; quis non videt, quam id ſit ab Eraſmi inſtituto alienum? Neque enim Iſidoros, Marios aut Phileſcos libet commemorare, homines in totum alienos a copia, ut ne ſemel quidem, quae ſentiunt, Latine poſſint efferre. Iam vero

 libel-

libellus ille, qui Ciceroni inſcribitur, ſed magis abs quodam Ciceronis ſtudioſo ex illius ſcriptis collectus exiſtimatur, quid, quaeſo, aliud habet, quam tumultuariam paucarum vocum congeriem? Eraſmus noſter formulas quasdam copiae, ceu fontes, oſtendere eſt conatus, ſic, ut a generalibus per gradus ad particulares devenerit. *Lucas Loſſius*, Luneburgenſis, *hunc Eraſmi libellum*, et *Iohannis Rivii*, Athendorienſis, praeceptiones huc ſpectantes erotematice proponit, ac ſubjunxit *Erotematibus Dialecticae et Rhetoricae Phil. Melanchthonis*, Witeb. 1563. 8.

Hunc ingenii Eraſmici fetum et alios hujusmodi libros non nullos huic Bibliothecae noſtrae volui ſimul inſertos, eo quod non modo ad Rhetoricen, cujus partem quamdam illuſtrant, pertinere videantur, ſed etiam linguae Latinae ornatum vel in primis commendant, et arte quadam et inſigni cum judicio oſtendunt.

EIVSDEM *De conſcribendis epiſtolis liber*. Colon. 1540, 1569. Baſil. 1567. 8. Amſterod. 1636. 12. Lugd. Bat. 1642. 12.

Eximius liber eſt, et ad copiam verborum et locutionum, in genere quidem ſcribendi epiſtolari, multum facit. Subjunguntur ei 1. *Ioh. Ludovici Vivis Valentini Libellus* vere aureus *de conſcribendis epiſtolis*. 2. Item *Conradi Celtis Methodus conficiendarum epiſtolarum*. 3. Et tandem *Chriſtophori Hegendorphini Methodus conſcribendi epiſtolas*. Exſtat *hujusmodi alia quaedam ſylloge*, in qua Eraſmus cum hoc libello ſuo itidem primum locum tenet, ſub hoc titulo: *Epiſtolographia* ſeu *Ratio epiſtolas Latinas accurate ſcribendi a Clariſſimis Viris* Eraſmo Roterodamo, Juſto Lipſio *et* Chriſtophoro Schradero *diverſis operibus olim deſcripta*. Item *Rhetorica Ariſtotelis ad Epiſtolographiam accommodata, ſtudio et cura* Juſti a Dransfeld. Oſterodae 1692. it. Göttingae 1693. 12.

Inter artis Epiſtolographicae ſcriptores *Eraſmus* facile principatum tenet, ut qui ſuperet omnem tum veterum, tum recentiorum induſtriam. Illud quoque laudabile eſt, quod etiam minutiſſima quaeque in epiſtola ſcribenda diſpiciat, formulas adnectat, ſollicite epiſtolas ad ſua genera ſingulas revocet, exempla elegantia tum ſua, tum aliena apponat, et quidem ſub titulis quibusdam locorum communium per indicem congeſtis. Nec culpari in eo induſtria haec, qua etiam tironibus inſervire voluit, debet, quod facit *Budaeus*, qui ob illam cauſam μικρολογίας cujusdam eum arguit. *Ludovicus Vives* ſtrictior eſt, et generalia ſectatur: jungi tamen illi poteſt. *Melchior Junius* ſcripſit *Scholas Rhetoricas de ratione contexendarum epiſtolarum*, in quibus illud laudandum, quod Ciceronianas epiſtolas ſub ſuis generibus, quaſi locorum communium titulis, in ordinem redegerit, additis ſemper imitationibus ad epiſtolas Ciceronianas: quem auctorem poſtea cum Scholiis ſuis, ſed ineptis et ſine judicio congeſtis edidit *Philippus Horſtius*, Practicae Philoſophiae in Academia Jenenſi Profeſſor, adhibens praeterea ineptam quamdam et umbratilem curam in definiendis et dividendis orationibus; quod neſcio quam frigidum ſit ac putidum. *Lipſii Inſtitutio Epiſtolica* etiam commendanda heic eſt: meliora enim epiſtolae ſcribendae praecepta dat, quam ipſe ſcribit. In eam exſtat

Com-

Commentarius Chriſtophori Heidmanni Helmſtadt 1630. 8. editus. Eſt et alia *Inſtitutio Epiſtolica* ad methodum Ciceronianam, edita Heidelbergae 1604. 8. *Conradus Celtes* et *Hegendorphinus* inter primos fuere, qui poſt depulſam barbariem hoc in genere facem praeferunt. *Johannes Voëllus Artificio generali orationis componendae* aliquid *de epiſtolis ſcribendis* ſubjecit Coloniae 1611. *Johannes Simonius* de eodem argumento ſcripſit: cui acceſſere poſtea notae quaedam *Johannis Starkii*. *Buchlerus Theſaurum conſcribendarum epiſtolarum* ſcripſit, quibus additae imitationes in Epiſtolas Ciceronis ac formulae non nullae. Habemus praeterea *Georgii Fabricii*, *Angeli Rocca-Camerini*, *Georgii Macropaedii*, *Johannis Mulini*, *Simonis Verrepaei*, *Iodoci Iungmanni*, *Georgii Heiniſchii*, *Joh. Henrici Alſtedii*, *Barthokomaei Keckermanni*, *Henrici Bebelii*, *Rocchi Pilorcii*, *Thomae Sagittarii*, *Johannis Starkii*, *Timpleri*, et aliorum *libros de Epiſtolis conſcribendis* ſcriptos. Plures qui deſiderat, adeat *Conradi Geſneri* et *Draudii Bibliothecas*. E recentioribus *Chriſtophori Adami Ruperti Mercurius Epiſtolaris* non eſt contemnendus, praeſertim ob formulas, quas collegit e Scaligeri et Caſauboni praecipue epiſtolis. Cui adjungi poterit *Samuelis Schmidii Hodegus Epiſtolicus*, in quo plurimae tam veterum, quam recentiorum Epiſtolographorum formulae congeſtae habentur. Eſt et *Iſraelis Clauderi Syſtema Epiſtolicum*, in quo varia habentur exempla argumentorum epiſtolarium. Sed non placet ſollicita iſta ad partes juſtae orationis diſpoſitio. Quamquam in epiſtolis enthymemata etiam oratoria admitti debeant; abeſſe tamen ab illis debet moroſior quaedam ad Regulas Rhetoricas exactio. Exempla talium argumentorum epiſtolarum, ſi quis exercere ſe in iis velit, edidit *Chriſtophorus Schraderus in Diſpoſitionibus ſuis Epiſtolicis*, tertium editis Helmſtadt 1674. 4. Argumenta enim omnia moralium epiſtolarum, quae praecipue requirunt enthymemata oratoria, ille complexus eſt, et propoſita ad imitationem Ciceronianam epiſtola ſimile quippiam ſcribere docet, iisdemque argumentis uti, additis ſemper locis ex Ariſtotele. *Laelii Inſtitutio Epiſtolica* inepta eſt, et ſecum inſanire alios docet. *Rupertum* ob formularum collectionem ſua laude haud volumus defraudari. Atque haec judicia de modo dictis ſcriptoribus huc transſcribere volui ex *Morhofii libello de conſcribendarum epiſtolarum ratione p. 31. ſeqq.* quem ipſum Morhofiani ingenii fetum eodem fere pretio haberem, quo Eraſmi laborem habendum putamus, niſi opus poſthumum foret, luci publicae ab auctore numquam deſtinatum, ac propterea haud ita exaſciatum, prout decuit.

EIVSDEM *Flores* una cum *ſeptem Centuriis ſapienter dictorum*. Amſterod. 1640. 12.

Hi Flores atque hae Centuriae ex Epiſtolis Eraſmianis collectae ſunt a *Simeone Partlicio de Spitzberg*, Marcomanno, Phil. et P. L. C. et ab eodem Friderici, infelicis Bohemiae Regis, quinque Filiis, Carolo Ludovico, Ruperto, Mauritio, Eduardo et Philippo, Londini in Anglia 1627 nuncupatae. Sub certos titulos digeſti ſunt Flores, nec tam verborum elegantia,

gantia, quam potius ſententiarum amoenitate Lectoribus ſeſe commendant.

EIVSDEM *De recta Latini Graecique ſermonis pronuntiatione Dialogus.* Pariſ. 1528, 1547. 8. Colon. 1529. 8. Baſil. 1538, 1558. Lugd. Bat. 1643. 12.

Ipſe *Eraſmus* de hoc ſuo ingenii fetu in Epiſtola ad Johannem Vlatte-num ita judicat: *Quod fatum, aut quis genius hanc malignitatem adjunctam rebus humanis eſſe voluit, ut, quae plurimis placent, eadem multis vehementer diſpliceant? Simul atque eodem, ut ita loquar, nixu nuper emiſimus duos libellos, alterum de pronuntiatione, alterum de Ciceronis imitatione: quorum ille ſicuti neminem offendit, ita minus invenit amatorum; hic quemadmodum avide diſtractus eſt, ita apud aliquos non mediocrem offenſam incurrit.*

Jungantur huic fetui Eraſmiano *De vera pronuntiatione Graecae et Latinae linguae Commentarii doctiſſimorum virorum Theod. Bezae, Jac. Ceratini, Adolphi Mekerchi, etc.* 1587. *ap. Henr. Stephanum* 8.

EIVSDEM *Dialogus, cui titulus* CICERONIANVS, *ſive De optimo genere dicendi: cui honorarii arbitri adjuncti* Petrus Ramus, Joachimus Camerarius, Joannes Sturmius *de Imit. edente et notis illuſtrante* Melchiore Adamo Sileſio. Baſil. 1528, 1538, 1558. Neapoli Nemetum 1617. Lugd. Bat. 1643. 12.

Melchior Adamus in Dedicatione ad Sigismundum Stadniczkium, cui hunc Eraſmi Dialogum inſcribit, ita de eo: Eraſmi Dialogus, ut varius ipſe eſt, ita variis quoque fuit judiciis obnoxius. Prima enim fronte videtur eo tendere, ut omnes fere ſui ſaeculi aut neglectae aut violatae eloquentiae damnet, Ciceronem elevet, ne dicam plane excludat. Sed niſi egregie fallimur, acutus et tectus vir hoc vult: Ciceronem quidem eſſe imitandum, ſed non ſolum; nec tam in voculis ac formulis haerendum, quam in tractatione rerum, cum judicio et delectu Ciceroniano. Quae praeterea attexit de praepoſtero imitandi ſtudio, de ſuperſtitioſa et ſupercilioſa Ciceronianorum ſuae tempeſtatis elegantiae affectatione, et quae alia hujus generis ſunt; ea ſuo loco et judicio ſapientiorum integro relinquimus. Haereſis, opinor, illa Ciceronianorum, qui etiam ſyllabas ad amuſſim Ciceronis admenſi, nec vocula ulla, niſi Ciceroniana, uſi ſunt, exſtincta hodie eſt. Reſtat, ut et nos recte optimum auctorem imitemur, et ut alii imitentur, quantum in nobis, eo modo, quem eruditorum ſententia praeſcribit, allaboremus. Atque in hunc finem Eraſmianae Diatribae arbitros advocavimus: quippe qui illi in omnibus non accedimus.

Morhoſius Polyh. T. I. p. 274. ſeq. ita de eo judicat: Eraſmus junior hunc ſcripſit Dialogum, non tam contra Ciceronem, quam contra malos Ciceronis imitatores. Non potuit enim ferre homo perſpicaciſſimus, Longolium alioſque ſe efferre Ciceronianorum nomine, quaſi illi ſoli Latine loqui

loqui ſcirent, reliqui omnes barbaro ore creparent, quum illi vim imitationis Ciceronianae neutiquam intelligerent, centonum potius ſartores, quam veri imitatores; quorum fetus, ut judicat vir doctus, Ciceroni, non ut homo homini, ſed ut ſimia, ſimilis eſſet. Sed fervore diſputationis abreptus quaedam licentius in Ciceronem dixit, quorum tamen poſtea eum poenituit: nam ipſe non ſemel temeritatem ſuam accuſat. Cauſa tamen nulla erat, quae commovere Jul. Caeſ. Scaligerum ad tam acerbas declamationes potuerit, quas *Eloquentiae Romanae vindices* appellat, in quibus miris modis lacerat Eraſmum. Sed et ipſum poſtea ſuae acerbitatis poenituit, quam invidendo elogio in mortem ipſius conſcripto expiavit; et, filio ejus teſte, in *Excerptis Scaligeranis*, ſuppreſſae ſunt illae orationes, aliaque, quae contra Eraſmum ſcripſerat pater. Hactenus *Morhofius*. Confer ſupra *Iul. Caeſ. Scaligeri Orationes cet.* Moderatius oppugnat Eraſmum *Ioachimus Camerarius*, avus, *Iacobus Pontanus*, et *Stephanus Doletus;* quos ſimiliter vide, illum quidem et hunc infra, iſtum autem ſupra.

Inter Ciceronianos autem eminent *Petrus Bembus*, ſimia Ciceronis, *Chriſtophorus Longolius*, *Marius Nizolius*, *Paullus Manutius*, *Lazarus Bonamicus*, qui dixit, *ſe magis velle loqui, ut Cicero, quam eſſe Pontificem Romanum.* Conf. *Sagittar.* de Imitat. Cicer. p. 52. ſeq. De Bembo praeſertim vide les additions *de Mſr. Teiſſier* aux eloges des hommes ſavans *de Monſ. de Thou.* p. 11. 12. et *Bayle* Dict. voc. *Bembus.*

EIVSDEM *De inſtituendis liberis.* Seleſtadii 1520. 4.

EIVSDEM *Colloquia Familiaria.* Col. Agripp. 1569. 8. Baſil. 1661. 12. Notis perpetuis ad modum Joh. Minellii illuſtrata opera *M. Joh. Paulli Gumprechti.* Lipſ. 1713. 8. Huic poſteriori editioni accedit etiam *Scriverii Coronis Apologetica pro colloquiis Eraſmi, ejusdemque Diſſertatio de colloquiorum utilitate.*

A. ERDMANNI *Elegantiae latinitatis.* Lipſ. 1689. 8.

Jo. Petri ERICI *Principium Philologicum de vocum, ſignorum, punctorum, litterarum maxime ac numerorum origine.* Patavii 1686. 8.

Libellus elegans, ſcituque utilis lectuque admodum jucundus.

EIVSDEM Ἀνθρωπογλωττογονία ſ. *Humanae linguae Geneſis, ubi de particulis quibusdam, et in primis de Pronominibus tam Graecis, quam Hebraicis et Latinis, nec non iis, quae his accidunt, agitur.* Venetiis 1697. 4.

Julii Caeſaris Scaligeri libro de cauſis L. L. et Voſſii Ariſtarcho multum uſus eſſe videtur Auctor.

Joh.

quo numiſmata occaſione utriusque expeditionis in Dacos percuſſa, et ad eorum intellectum ſeries chronologica totius belli Dacici exponitur, praecipue, reſpectu ſaltem Orthographiae veterum, huc ſpectat.

Baſilii FABRI Sorani *Theſaurus eruditionis Scholaſticae*, auctus gradatim per *Buchnerum*, *Cellarium*, *Graevium*, *Stübelium*, *Gesnerum*. Wittebergae 1587, 1605, 1623, 1655, 1664. Lipſiae 1571, 1572, 1587, 1593, 1594, 1599, 1622, 1654, 1668, 1672, 1673, 1680, 1686, 1692, 1696, 1701, 1710, 1717, 1726, 1735, 1749. fol.

Omnium nunc manibus teritur, ac praeſertim in ſcholis regnat, velut in *Calepini* locum ſurrogatus. Secundum ordinem primitivorum diſpoſitus eſt, ſingulisque primitivis ſua derivata, compoſita et decompoſita longo ordine ſubjiciuntur. *Hujus Theſauri* ſui quidem exigua primum ipſe Auctor rudimenta poſuerat, Lipſiae 1571. 8. impreſſa, et repetito ſaepe labore dehinc auxerat; ſed poſt 36 annorum in docendo Erphordiae toleratos labores imperfectum tamen reliquit. Prodiit etiam *Epitome Theſauri eruditionis ſcholaſticae Fabri*, Lipſiae 1595. 8. quam tamen *Andreas Corvinus*, Profeſſor Lipſienſis, quum a. 1605. emendaſſet, libro ita transformato, ut Fabri veſtigia vix in eo amplius deprehendantur, novam prorſus fecit inſcriptionem *Fontis latinitatis bicornis*. Ipſi autem Fabri Theſauro expoliendo jam ante Corvinum admoverat manus *Auguſtus Buchnerus*, et auctariis inſignibus locupletaverat: verum unus vir tam vaſto labori non ſuffecit, quamquam illa, quae adjecit, optima ſint, et ex optimis obſervationibus, tam ſuis, quam aliorum, depromta. *Nova Buchneri additamenta*, poſt Auctoris mortem, ab ejus heredibus Bibliopola editor coëmit; quibus non nulla addidit *Jacobus Thomaſius*. Dicitur et Francofurti ad Viadrum uberior latere vocabulorum collectio, quam *Tobias Magirus* ad Fabrum ſibi collegerit: quod ſi ita ſeſe habet; pro non vulgari habendus fuerit colligendi iſte labor, ſi e ceteris *Magiri*, viri diligentiſſimi, ſcriptis eum judicare velimus. Miramur autem, *Böeclerum Foro Romano*, *Fabrum a Bucknero recognitum* praeferre, in *Diſſertatione de Lexicis*. Quamvis enim illi ſui defectus ſint, quos praeter alios, *Caſpar* quoque *Scioppius* in *Conſultatione ſecunda* notavit; longe plura tamen jure in *Fabro* deſideranda ſunt, adeo, ut cauſa, cur praeferatur *Foro Romano*, nulla omnino fuerit. Reperiuntur quidem in *Fabro* quaedam notatu ſingularia, quaeque alibi fruſtra quaeras: at vero parcior illorum numerus eſt, quam ut Lexici perfecti nomen tueri queat. Quapropter etiam toties, poſt *Bucknerum* atque *Thomaſium*, *Chriſtophorus Cellarius*, et deinde quidem alii, praeſertim vero ac nominatim *Joh. Matthias Gesnerus*, hunc *Fabri Theſaurum* auxerunt, locis innumeris emendaverunt, ac reſecuerunt, quae nihil attinebat poni, auctorum loca diligentius appoſuerunt, atque adeo omnem paene librum recuderunt: nihilominus tamen heic atque illic vel addenda vel corrigenda denuo deprehenduntur: quemadmodum hujus aliquot jam proſtant ſpecimina ſequentia:

Chriſti-

Chriſtiani Falſteri Supplementum linguae Latinae, ſive *Obſervationes ad Lexicon Fabro-Cellarianum.* Flensburgi 1717. 8.

Sigismundi Friderici Dreſigii Animadverſiones in Fabri Theſaurum. Lipſ. 1738. 4.

Ejusdem Animadverſiones in Fabri Theſaurum continuatae. Lipſ. 1739. 4.

Ejusdem Animadverſiones in Fabri Theſaurum iterum continuatae. Lipſ. 1741. 4.

Item:

M. O. F. (*ſub his autem ſiglis latet* Vir Illuſtris Fridericus Otto Menkenius) *Specimen Animadverſionum in Baſilii Fabri Theſaurum eruditionis ſcholaſticae, quibus ſupplenda partim, partim emendanda exhibentur.* Lipſ. 1741. 4.

Ejusdem Specimen ſecundum Animadverſionum in Baſilii Fabri Theſaurum eruditionis ſcholaſticae, quibus ſupplenda partim, partim emendanda exhibentur, et varia veterum auctorum loca explicantur atque illuſtrantur. Lipſ. 1741. 4.

Ejusdem Diſſertatio, exhibens voces aliquot Latinas, quae in Lexicis vulgaribus fruſtra quaeruntur, ex priſcis auctoribus collectas.

Haec Diſſertatio ſexta et ultima eſt *Voluminis Secundi Partis Primae Miſcellaneorum Lipſienſium novorum, ad incrementum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis eruditorum novis actis occupati, per partes publicatorum, quorum edendorum conſilium ſuſcepit, ſua non nulla paſſim addidit, Praefationem praemiſit* Frid. Otto Menkenius Ph. et I. V. D. Lipſ. 1743. 8. Subſecutae deinceps ſunt harum Animadverſionum Continuationes v. g. IV. V.

Item:

Joh. Dieterici Winkleri *Animadverſionum ſubſecivarum in Fabri Theſ. L. L. Spec. 1.* occurrit in Exercitat. Societ. Jen. Vol. 2. n. 3.

Nec poteſt adornari Lexicon juſtum, ſuisque partibus omnibus abſolutum, niſi operas inter ſe conferant viri eruditi, ut unus hunc, alter alterum auctorem prae manibus habeat, et perfectum ſuo ſinguli auctori indicem cum judicio confectum adſiciant, unde Lexicon aliquod ab omni parte perfectum poſtea formetur: quod conſilium eſt *Olai Borrichii.* Tot vero ſunt hodie obſervationes egregiae Grammaticorum atque Criticorum, indicesque luculenti, e quibus confici tale Lexicon poſſet, ut longe maxima laboris parte ſublevatos ſe ſint ſenſuri, quotquot tale opus adgredientur. Diſcernendi tamen indices ſunt, nec promiſcue omnes commendandi: ante omnes alios commendari merentur *Boecleriani* et *Freinshemiani in Hiſtoricos;* quemadmodum *Giſanii in Lucretium:* ceteri non ſunt pari cura congeſti; ſed, contenti nuda nomenclatura, de uſu et acceptione vocum civili nihil monent, quod tamen feciſſe, maxime e re erat. De defectibus indicum iſtorum vide *Vorſtii Praefationem* in Cornelium Nepotem

ab ſe editum. De uſu Indicum in Poëtis legi poteſt *Horatius Tuſcanella in Praefatione* ad Catulli, Tibulli Propertiique opera, a ſe in indices digeſta, Baſil. 1569. *Morh.* Polyh. T. I. p. 826. ſeq.

Hiſtoriam Lexici hujus Fabri, quidque eruditi viri in illud contulerint operae, leges paullo copioſius apud *Walchium Hiſt. Crit. L. L. p. 346. ſeq.* et apud *Joh. Frid. Bertramum* Introd. in litteras élegantiores p. 139-146.

Neque etiam poſſumus non hoc loco commemorare, quae Lexica praeter ea, quorum hoc in libro paſſim mentio eſt facta, nobis ex Actis Scholaſticis Vol. 4. Part. 6. p. 527, auctore clariſſimo Rectore Bidermanno, innotuerint. Ita quidem emiſerunt etiam Lexica *Johannes Serranus* Norimb. 1539. *Petrus Cholinus* Tiguri 1541. *Johannes Piſtorius* Argentor. 1561. *Lucas Iohannes Scoppa* Venet. 1561. *Marcus Aemilius Portus* Heidelberg 1600. *Iohannes Mayr* Vlmae 1643. *Georgius Heinſius* Aug. Vindel. 1616. *Iohannes Schorrius* Antverp. 1568. *Iohannes Servilianus* 1569. *Cornelius Kilianus Dufflaeus* 1631. *Georgius Faber* 1613. *Martinus Montanus* Amſt. 1671.

EIVSDEM *Loci obſervationum ex Epiſtolis Familiaribus Ciceronis.* Lipſ. 1576. 8.

EIVSDEM *Libellus de ſynonymia Terentii.* Lipſ. 1556, 1562. 8.

EIVSDEM *Phraſes Plautinae, cum exemplis imitationum.* Lipſ. 1556. 8.

Tanaquilli FABRI *Epiſtolae Criticae ad emendationem ſcriptorum veterum.* Salmurii Pars I. 1659. Pars II. 1674. 4 prodiit.

Variorum auctorum, praeſertim Ovidii atque Ariſtophanis, loca corrupta emendant, in quibus ille ingenium ſuum ſatis exercet: nam pleraque conjecturis ſuis reſtaurare nititur, ingenioſis quidem, ſed quae ſolae rem non conficiunt ſine MSS. ope, quibus *Tanaquillus* noſter deſtitutus erat: quae tamen ipſi temeritas non numquam feliciter ceſſit, ingenii ſollertia ſaepe praecipienti, quod alii magno labore in MSS. requirunt. *Morh.* Polyh. T. I. p. 295. it. 928.

Epiſtola XLII. Partis I. ad Claudium Sarravium exarata eſt, agens *de ratione ſtudiorum, qualis in ſcholas et facile et magna cum juventutis utilitate introduci poſſit.* Praemittitur etiam *Ioh. Ienſii purae et impurae latinitatis collectaneis.*

EIVSDEM *Methode pour commencer les humanités Grecques et Latines.* à Saumur 1672. 12.

In quo conſiſtat potiſſimum haec methodus, qua ipſe Faber filium ſuum a 10 ad 14 annum, quo, ut fit in pueris diſciplinae rigore ante juſtam aetatem ſapere occipientibus, praematura morbe obiit, in Graeca et Latina lingua

lingua informavit; *Morhofius* Polyh. T. I. l. 2. c. 9. n. 43. ſeqq. uberius docet, Fabri hoc libello in brevem ſummam coacto.

Hujus Tanaquilli filius, *Taneguidus* l. *Tanaquillus Faber*, quem haud recte *Tanaquilem*, muliebri praenomine, multi appellant, *De futilitate Poëtices* libellum 1697. ap. Batavos edidit. Quod eo magis mirandum in viro, qui e gente, Poëticarum litterarum amantiſſima, oriundus, elegantiſſimi Patris filius eſt, et frater doctiſſimae *Annae Daceriae*, quae ad *Nicol. Boaelei* exemplum, acerrimi illius veterum defenſoris, Codrisque ac Baviis timendi vatis, Homeri aliorumque ſcriptorum priſcae aetatis gloriam contra *Mottéum*, Academiae Franciçae ſocium, iniquiorem eorum cenſorem, feliciter tuita eſt ac propugnavit. Sed quam levia torqueat et obtuſa Faber tela, inter alios oſtendere conatus eſt *M. Frid. Guil. Schütz* in *Exercitatione adverſus Tanaquilli Fabri, Tanaquilli Fil. librum de Futilitate Poëtices. Lipſ. 1698. 4.*

Franciſci FABRICII Marcodurani *Adnotationes in ſex Terentii Comoedias, in quibus et vera lectio ratione ſubjecta conſtituitur, et multa interpretatione explicantur.* Lipſ. 1574. 8.

EIVSDEM *Hiſtoria M. T. Ciceronis per Conſules deſcripta et in annos LXIV. diſtincta.* Colon. Agripp. ter prodiit, tertium 1587. Francof. 1590. Helmſt. 1620. 12.

Recudi eam fecit cum *adnotationibus Gronovii* et *Chriſtoph. Cellarii Hiſtoria, explicandis Epiſtolis Ciceronis accommodata*, *Joh. Mich. Heuſinger*, Budingae 1727. 8.

Liber ſcriptis Tullianis recte intelligendis apprime inſerviens.

Georgii FABRICII *Veterum libelli de proprietate et differentia ſermonis Latini.* Lipſ. 1596. Denuo ed. a *Jac. Fabricio*, 1610. 8.

Auctor fuit Philologus pius ac religioſus. Quantopere deteſtatus ſit, et ipſe in ſuis concinne et caſte contextis poëmatibus evitarit ethnicam idolomaniam, pluribus edocet *Melchior Adamus* in vitis Germ. Philoſ. Vol. 1. p. 227. Dedit etiam aliam quamdam ſyllogen, quum *Monumenta varia antiqua* ejus ſtudio collecta, et in *libris duobus Antiquitatum edita ſint Baſileae 1549. 8. apud Oporinum*, ut plures poſteriores editiones omittam.

EIVSDEM *Explicatio caſtigationum in Terentii Comoedias, in quibus multorum locorum obſcuritas explicatur, et veterum imitatio in plerisque oſtenditur.* Lipſ. 1574. 8.

EIVSDEM *Libri VII de Re Poëtica.* Lipſ. 1578. 8.

EIVSDEM *Elegantiae Poeticae ex Ovidio, Tibullo, Propertio, elegiacis.* Lipſ. 1554. 8.

EIVSDEM *Elegantiae pueriles, ex Ciceronis epiſtolis collectae.* Lipſ. 1549, 1562. Baſil. 1555. 8.

EIVSDEM *Elegantiarum ex Plauto et Terentio libri duo.* Lipſ 1560, 1589. Baſil. 1555. 8.

Bini hi libri poſteriores in unum deinceps compacti ſunt, ſub titulo: *Triumvirorum rarioris elegantiae*, ſeu *Ciceronis*, *Plauti*, *Terentii Elegantiae Romanae*, Georgii Fabricii, Chemnicenſis, *opera jam olim collectae, hodie autem ſecundum Alphabeti ſeriem digeſtae, magno ſtudio emendatae, priſtino nitori ſuo reſtitutae, et conjunctim pro Inclyto Gorlicenſium Gymnaſio, Nobiliſſ. et Ampliſſ. ſenatu ſuffragante, editae, Gorlicii 1667. 8.*

Horum autem binorum librorum prior hoc ineunte ſaeculo recuſus eſt, ſub hoc titulo: *Phraſeologia Epiſtolica, quondam a Georgio Fabricio, Chemnicenſe, ex utroque Ciceronis Epiſtolarum volumine collecta, et ſecundum tria genera cauſarum, quas Rhetores vocant, in tres libros diſtributa, nunc reviſa, et omiſſa verſione Germanica locorumque allegatione, quibusdam item phraſibus ac formulis paullo aliter diſpoſitis, conſtructa inſtar Phraſeologiae Gebhardinae.* Brunsvigae 1715, 1733. 8. Nam paullo ante emiſſa in lucem erat talis Phraſeologia Brunsvigae, auctore *Joh. Alb. Gebhardi*, Gymn. Martin. ibid. Rectore, ut in argumentis Latine vertendis tirones illico prae manibus haberent, unde in ſtilo extemporali colorem ducant.

Joannis FABRICII *ad non neminis de Orthographia Latina dubia Reſponſiones*, ſubjunctae *Octavii Ferrarii De Pantomimis et Mimis Diſſertationi*, cura *Fabricii hujus* primum in lucem editae Wolfenbüttelii 1714. 8.

Ad has Reſponſiones Fabritianas *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus Meditationem Orthographicam* edidit, atque adeo curavit inſerendam *Actis Eruditorum Lipſienſibus* a. 1715. p. 16. ſeqq.

Joh. Alberti FABRICII *Bibliotheca Latina, ſive Notitia Auctorum Veterum Latinorum, quorumcumque ſcripta ad nos pervenerunt, diſtributa in libros IV.* Volum. I. Hamburgi 1708. Volum. II. ibid. 1721. Volum. III. 1722. 8.

Auctor, Polyhiſtor ille Hamburgenſis, cujus ſolum nomen ſufficienti ſibi poteſt eſſe encomio, Latinos auctores veteres non Eccleſiaſticos, quorum ſcripta aetatem tulerunt, recenſet univerſos ordine Chronologico, eorumque ſingula, quae exſtant, ſcripta commemorat, et, quantum fieri potuit, quasque ſingulorum, certe praecipuas, adnotat, ac prae ceteris commendat editiones. Praeſtantiores auctores paullo fuſius recenſet, ea addens, quae de iis obſervatu videbantur digniora eſſe: in reliquis, quorum dignitas minor videtur, ſtrictior eſt. Scripta illorum, quae exſtant, ſingula,

ſingula, non tantum, recenſita cujuſvis inſcriptione, commemorat, ſed et genuina diſtinguit a dubiis ac ſuppoſiticiis, idque dat operam, ut de argumento librorum ac ſcribendi genere, et quibus illi ab auctoribus inſcripti ſint, pariter conſtet. Editiones quaſcumque, etiam leviores, in orcheſtram producit, ut quilibet facili opera intelligere poſſit, quantum operae et induſtriae ſcriptoribus ſingulis et per quos ſit navatum. Praeſtantiſſimas autem editiones vocare ſolet, quae vel e MSS. Codicibus primum editae, vel ab Aldis, Stephanis, Juntis, Plantinis et ſimilibus typographorum principibus emendatius excuſae ſunt, vel alio nomine eximii quid habent, vel denique ad uſus ſtudioſorum juvenum, quibus potiſſime hac opera ſua prodeſſe vult, accommodatiſſimae redditae ſunt caſtigationibus, notis et indicibus virorum doctorum: quum praeſertim horum ſtudio effectum etiam ſit, ut, qui Joh. Frid. Gronovii, Joh. Georgii Grævii, Jacobi Gronovii et praeceptorum hujuſmodi, qui noſtra aetate cum judicio et induſtria in his litteris verſati ſunt, editiones habet, antiquas illas non adſpernetur quidem, ſi poſſit illas conſequi, minus tamen deſideret. Ad calcem libri poſtremi ſubjicit notitiam celebriorum typographorum, eorumque nomina, qui prae ceteris laudem et gloriam in libris emendate ad MStos codices ac luculenter imprimendis conſecuti ſunt, aſteriſco diſtinguit. In eodem libro praeterea adnotat, ſi qui viri docti veterum ſcriptorum, quorum integra ſcripta perierunt, fragmenta collegerint, addens inſuper collectiones veterum ſcriptorum Latinorum, Grammaticorum, Rhetorumque et aliorum, non praeteritis JCtis, Medicis et Poëtis Chriſtianis.

Volumine II et III ſupplementa valde locupletata adfert. Quum enim ab eo tempore, quo Bibliothecam ſuam Latinam poſtremum auctibus novis locupletatam, atque inde ſine novis acceſſionibus ſemel iterumque recuſam in lucem edidit, non pauca denuo fuerint ab eo obſervata, ſive quae intra illud duodecennii ſpatium a viris doctis recens in vulgus emiſſa adjungi merebantur, ſive quae ex antiquioribus editionibus auctorem antea fugerant, ſive alioqui non indigna videbantur eſſe obſervatu, et ad notitiam ſcriptorum veterum Latinorum facere: ea noluit ſuis quaeque locis ſtatim inſerere novae voluminis primi editioni, etſi id magis in promtu et hujus lectoribus fortaſſe opportunius futurum erat, ſed quo et hujus et prioris emtoribus ſimul conſuleret, potius ſeparatim emittere in modum ſupplementi, atque paginas, ad quas referenda ſingula ſunt, in ora libelli adnotare. Quod inſuper de Graecis in Graeca Bibliotheca, non improbante doctorum virorum judicio, conſuevit facere, inſeruit paſſim Indices ſcriptorum, qui a Latinis ſcriptoribus priſcis allegantur. Illos indices partim ipſe compoſuit, vel ab aliis compoſitos ex libris ipſis ſupplevit, vel ex editionibus, quas nominat, mutuatus eſt, aut denique debet *Caſp. Barthii* induſtriae, cujus manu conſignatos amicus quidam benevole cum eo communicavit. Barthii itaque nomen praefixum indicibus non nullis videmus: qui, licet plures etiam ſive compoſuerat, ſive manu ſua in eodem Codice deſcripſerat; tamen illis uti Fabricius noſter non potuit, quoniam meliores jam et pleniores accuratioreſque in mundo ei erant. Ex illis indicibus, ſive fragmenta clariſſimorum ſcriptorum aliquis luſtrare geſtiat, quorum lucubrationes nobis temporum injuria ſubtraxit; ſive deperditorum

rum monumentorum requirat notitiam, titulis ipſis atque argumentis, ne dum auctoribus ſuis commendabilem: Lector ſtudioſus et hos et alios illuſtrandae antiquitati uſus poterit capere, praecipue vero hunc, ut, quorum fide atque auctoritate illi, quos habemus, ſcriptores in primis nitantur, haud obſcure conſtet.

Scripſit etiam *Fabricius* noſter *Bibliothecam Latinam mediae et infimae aetatis* Libris XV. Voll. V. Hamburgi 1734, 1735, 1736. 8.

Jo. Andr. FABRICII de *Latini ſermonis vitiis culpae ſcribentium non adſignandis.* Jenae 1738. 4.

Doctiſſ. Auctor eo tendit, ut oſtendat, non ſemper ea minus Latine dici, quae ſaepe non nullis ſic videantur.

Jo. Ludov. FABRICII *Opuſcula varia.* Heidelbergae 1688. 4.

Multa admiſcentur, quae ad politiorem litteraturam et Latinae linguae commendationem pertinent.

Jacobi FACCIOLATI Oratio: *Latina lingua non eſt ex Grammaticorum libris comparanda.* Habita in Seminario Patavino pro ſtudiorum inſtauratione coram Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. Georgio Card. Cornelio, Epiſc. Patav. Accedit *Syntagma breviſſimum* de *linguae Latinae ortu, interitu ac reparatione, deque ejus ſcriptoribus ad ſaeculum usque XVII.* Recenſuit *Jo. Georg. Walchius.* Patavii, ex Typographia Seminarii 1713. Recuſa Lipſiae 1714. 4.

Comparet etiam haec Oratio in *opuſculo X Orationum Facciolati,* quas *Sigism. Iacob. Apinus* 1725. Lipſiae edendas curavit.

Lectori Amico S. Jo. Georgius Walchius.

Linguae Romanae ea gloria eſt atque majeſtas, ut Romanorum imperio per orbem ſe proferente, nulli, quod ad copiam, amplitudinem, uſum inprimis adtinet, quidquam concedat. Iam vetuſtiori aetate per plures provincias uſum ſuum diſſeminaverat, adeo ut in Hiſpania, Gallia, Africa, Britannia mire floreret latinitas; quod Tacitus vita ſoceri ſui Agricolae [r]) de Britannis, et Eumenius [s]) de Gallis referunt. Hoc litterarum ſeculo eam adepta eſt gloriam, ut iſtam eruditionis cultores propriam ſibi vindicaverint, qua loqui poſſint aliisque mentis ſuae ſenſus declarare. Verum id admiror, quod latinitatem non ita colant, ut decus illius atque ornatum, quo Ciceronis et aliorum ingenio clariſſimorum aetate nituit, conſervare

r) Cap. XXI.

s) Panegyrica oratione pro reſtaurandis ſcholis.

vitae et fatu quodam ſeneſcentem ſuſcitare laborent. Cauſſae [3]) varii generis ſunt, quae linguam hanc de faſtigio decoris ac puritatis dejiciunt, ut uſu et conſuetudine in dies ſiat corruptior deteriorque, ac puritatis ſtudium ſepultum paene jaceat et a pluribus datum ſit oblivioni. Ex ſcholis duriora fata ad cultiorem linguae hujus ſtatum ſaepe proveniunt, in quibus rei litterariae minus recte conſulitur, nec teneris annis adoleſcentes ad praeclara ſtudia haec ſtudioſe formantur, ut adeo incipiant marceſcere atque interire. Pluribus diſputatum fuit, qua ratione litterae latinitatis adoleſcentibus tradi poſſint, ut in illis proficiant, atque elegantiae illarum et puritati adſueti, purum et loqui et ſcribere diſcant. Media, per quae in vetus cultiusque Latium transmigrare poſſumus, alia praeparant nobis viam, grammatica quippe, Lexicon, et hiſtoria ipſius linguae [4]); alia ad ipſam Romanorum regionem nos ducunt, lectio, obſervatio et imitatio, quae et loquendo et ſcribendo ſuſcipi poteſt. Litteris grammaticis quod ſtudium, quancunque pretium ſit ſtatuendum, res eſt, qua litterariae rei cultores diſcrepant ſententiis. Veteres Romani [5]) ſtudia haec minus neglexerunt, quod ex litterarum monimentis, quibus antiquitates eorum conſervatas habemus, clarius patet. Verum quum grammatica doctrina eſt, quae ad facilius cognoſcendam atque exprimendam linguam viam praeparat;

3) Conſule Iacobi Burckhardi de *Latinae linguae a majoribus diligenter excultae et adamatae, hodie ex adverſo neglectae atque contemtae cauſſis* oration. Jen. 1714. Addi etiam poteſt doctiſſimi Perizonii, fautoris optimi, Oratio de *doctrinae ſtudiis, nuper poſt depulſam barbariem diligentiſſime denuo cultis et deſideratis, nunc vero rurſus neglectis fere et contemtis*, Lugd. Batav. 1708.

4) Hiſtoriae hujus in ſcholis magiſtri plerumque nullam mentionem habent, quod multis nominibus dolendum. De puritate Latinae linguae nihil certi nobis conſtat, niſi fata illius bene cognita explicataque habeamus.

5) Vid. C. Suetonium Tranquillum de *illuſtribus Grammaticis*; Jo. Wowerium de *Polymathia*, cap. XV. Gerhardum Voſſium *de arte Grammatica* lib. I, c. 4. p. 12. Scioppium de *arte Critica* p. 7. Petri Angeli Sparae *libros quinque de nobilitate profeſſorum Grammaticae et humanitatis utriusque linguae cum eorum elogiis, variis catalogis*. Neapol. 1641. conf. Baillet Tom II. Iud. erud. P. I. Morhofii *Polyhiſt. litt.* Lib. IV. c. 10. Pitiſcum *Lexic. Ant. Rom.* Tom. I. p. 882. Auguſtinum Griſchow *Introduct. in Philolog. generalem* p. 271. 272. & Diatr. noſtr. de *dedicat librorum vet. Rom.* c. 1. p. 9. Quintilianus Inſt. Orat. l. 4. 5. *Eloquentia quoque non mediocri eſt opus, ut de unaquaque earum, quas demonſtravimus, rerum dicat proprie et copioſe. Quo minus ſunt ferendi, qui hanc artem* (Grammaticam) *ut tenuem ac jejunam cavillantur: quae niſi oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quidquid ſuperſtruxeris, corruet: neceſſaria pueris, jucunda ſenibus: dulcis ſecretorum comes: et quae ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quam oſtentationis.*

parat; varia momenta attingenda ſuboriri poſſunt. Ex his quin conſequitur, quod grammatices opes huic addiſcendae linguae non maxime neceſſariae ſint, ac faciant tantum, ut facilius eoque felicius in hoc litterarum ſtudio queamus progredi. Vſu et conſuetudine vim linguarum earumque copiam adſequi poſſumus; praeceptis tamen quibusdam grammatices; iisque ſuperſtructa ſtudioſa ſcriptorum lectione magis ingenium muniri poteſt ac confirmari. Illi, qui ad linguae alienae notitiam tantum uſu loquendi perveniunt; hanc alios docere haud commode poſſunt; in orthographia ſaepe numero labuntur, quod exempla feminei generis abunde offenduntur; ſi accedit lectio, parit illa multum difficultatis; nec puritas verborum horumque ſignificationes, adeo curatius dicendi uſu poſſunt obſervari 6). Ex ſuperioribus, quibus definitur grammatica, elucet quoque, quantum temporis ac ſtudii culturae illius adtribuendum ſit, quoniam viam tantum ad ipſum cultius Latium praeparare ſolet. Namque inconſulte agunt, qui adoleſcentibus grammatices praecepta per multum tempus proponunt, memoriae magno labore tradenda; quod quo fructu fiat 7) oſtendunt miſera illorum exempla, qui tritis omnibus ſubſelliis ab infima usque ad ſupremam claſſem, vel unam περίοδον eleganter ac pure perficere nequeunt. Parvum temporis ſpatium grammaticae relinquendum eſt; plurimum vero evoluendis auctoribus claſſicis tribuendum, qui fons ipſarum regularum ſunt, et unicum praeſidium, cujus ope ingenium noſtrum latinitatis elegantia

6) Alii alia ſunt opinione. B. Lutherus in *Gen. V. p. 85. Tom. VI. Opp. Witt. Lat.* ait: *Dic mihi, quae unquam lingua fuit, quam homines ex grammatices regulis feliciter didicerant loqui? Nonne etiam illae linguae, quae regulariſſimae ſunt, ſicut Graeca et Latina, tamen magis uſu diſcuntur?* Clapmarius *Nobil. Triens.* apud Crenium *Conlect. de erud. compar.* p. 352. *Si multi a pueris hac lingua lalare coepiſſent, iam iſtae grandes declamationes elegantiae et promtitudinis majus haberent pondus. Nunc ſaepe ſenes in ſcholis et in foro haeſitant.* Adde Morhof. *Polyhiſtor.* I, 2, 9. Montanum, celebrem Gallum, ipſius *Eſſais* ſ. Diſſertatt. Lib. I. cap. 25. et Tſchirnhauſen *Medicin. Ment.* p. 252. ſeq. Vernaculam uſu quidem percipimus; maxime tamen lectione eorum ſcriptorum, qui illa excellent, perficitur ac magis magisque perpolitur. Qui ſtudium et legendi et ſcribendi conjungunt, non inconſultius agunt: plus tamen temporis lectioni, eique accuratiori dandum eſſe exiſtimo.

7) Cicero Lib. I. cap. 4. de *Orator. Vſus frequens omnium magiſtrorum praecepta ſuperat.* Intelligit exercitationis atque imitationis ſtudia. Plinius *Lib. VI. epiſt.* 29. n. 4. *Nec me praeterit uſum et eſſe et haberi optimum dicendi magiſtrum. Video enim multos parvo ingenio, litteris nullis, ut bene agerent, agendo conſecutos. Proinde multum lege, ſcribe, meditare, ut poſſis, cum voles, dicere: velis, cum velle debebis.* Adde Cellarii obſervat. p. 330. et Jacobum Prouſt ad Lib. I, 3. *Rhetoric. ad Herenn.* p. 4. L. Annaeus Seneca *epiſt. VI. Longum iter eſt per praecepta, breve et efficax per exempla.*

gantia ac puritate munire poſſumus. Dilucide inde quoque patet, quod grammaticae, quae praeparandi officio ſuo fungi debent, ita conſcribendae ſint, ut non ſint copioſae nec obſcurae & vernacula imprimis conſignatae, ne ſenſus regularum adoleſcentibus ſit ignotus, quod ſaepe fieri ſolet; et tertium ordinem naturae convenientem curatius obſervent. Proh dolor! quam miſera facies eſt plerumque grammaticarum [8]), quarum praecepta juvenes magno labore diſcere tenentur; plenae ſunt ineptiarum et ita perverſe compoſitae, ut magis damni, quam emolumenti ſubinde proficiſcatur. Nugae ſunt, quae de generibus nominum, pronominibus, ſyntaxi praecipue exhibent, ut de aliis hujuscemodi rebus taceam. Diſſerunt de ſyntaxi figurata atque ornata; nec ipſi ſciunt, quid ſibi velint; et eam vocum juncturam dicunt elegantem, quae a noſtra dicendi conſuetudine aliena eſt. [9]) Vt paucis dicam, quid de uſu grammatices ſentiam, non abs re eſſe exiſtimo, ſi adoleſcentes tenera aetate ingenio praeparantur ad latinam linguam ope grammaticae, ita ut paradigmata, quae dicunt, et praecipua communis ſyntaxeos momenta perſpicue teneant memoria. Cui fundamento auctorum ſtudium et eorum obſervatio, quae ad latiniſmos, idiotiſmos, graeciſmos, barbariſmos, cetera pertinent, debet ſuperſtrui; et tertium accedat uſus frequens, ut cuncta, quae leguntur, ſtatim adplicentur ad diverſum quoddam argumentum. Confirmato ſic ingenio noſtro, in aliorum monimentis poſſumus verſari, qui de romanae linguae puritate, junctura et aliis philologiae partibus ediſſeruerunt: Sanctius quippe, Scioppius, Voſſius, Scaliger, Eraſmus, Bangius, Popma, Goclenius, Schorus, Dauſquius, Giſanius, Vorſtius, Stephanus, Buchnerus, Borrichii, Praſchius, Cellarius,

8) Grammaticae compendium ita conſcribendum videtur: quaedam poſſunt praemitti de hiſtoria et cultura grammatices; item de grammatica et philologia univerſali; adi Junckeri *lineas primas eruditton. univerſ.* P. II. p. 74. 75. et Auguſt. Griſchow *Introd. in phil. gener.* Jen. 1715. 8. Prima pars ipſius compendii agat de ſimplicibus vocibus, quae ſanioris Logicae regulis debet inniti; vocum fundamenta ſunt cogitationes; ſunt ideae ſubſtantiarum, hinc nomina ſubſtantiva; ideae accidentium, hinc adjectiva, ut ajunt. Logica tradit etiam doctrinam de idearum junctura; huic reſpondet grammaticae ſyntaxis. Haec eſt vel communis, ac docet, quomodo vernacula conveniat cum romana; vel propria, quae differit de latiniſmis et idiotiſmis; vel rarior, qua de archaiſmis, graeciſmis, ſoloeciſmis et barbariſmis diſputatur. Id tantum obſervandum eſt, quod finxerint homines voces, quae menti nullam excitant ideam, quo pertinent multa ex proverbiis et aliis hujuscemodi particulis.

9) Huc pertinent Hadrianus Cardinalis *de elegantia latini ſermonis.* Nor. 1681. Franciſcus Silvius *elegantia latina*, Docceti 1654. Arnoldus *Ornatu L. L.* Nor. 1679. Reyherus *regul. eleg. latini ſermon.* Lipſ. 1697. Vogelmannus *elegant. l. ſermonis* Lipſ. 1633 cetera. Sed quae proponunt, carent fundamento; et exemplis, quibus regulas firmant, plura alia poſſunt opponi; haec vel illa junctura ab his dicitur elegans, quia recedit a noſtra dicendi forma.

Guntherus et plures alii. Veteres grammatici, quos Gothofredus et Putſchius conlegerunt, non magno adiumento eſſe poſſunt. Sed haec in transcurſu, *Optime lector*.

Exhibeo Tibi *Jacobi Facciolati* orationem: *Latina lingua non eſt ex Grammaticorum libris comparanda*; nova veſte indutam, quam partim ob excellentiam et nobilitatem argumenti, partim cultioris ſermonis nitorem renovare, non abs re eſſe duxi. Nihil de ea ſpeciatim monendum habeo, inprimis quod in ephemeridibus noſtris [10] iam declaravi, quid de iſta ſentiam; quam ob rem id tantum unice rogo, ut benigne prolixam voluntatem noſtram erga elegantiores, latinitatis praecipue, muſas, *Optime Lector*, interpretari velis.

10) Bücher-Saal. Oeffn. XLI. p. 356.

Jacobi Facciolati Praefatio ad Lectorem.

Orationem hanc cum haberem, non defuerunt, qui crederent, me nova moliri, ac de Grammaticis ſtudiis hoc in loco mutandis cogitare. Id me coegit orationem ipſam typis committere, totamque conſilii mei rationem, et cauſſam patefacere. Nec igitur is ego ſum, ut tantum poſſim; nec ſi maxime poſſem, rerum noſtrarum conditio quippiam de veteri inſtituto mutari pateretur. Pueri enim fere omnes, qui huc accedunt, Grammaticen attigerunt; nec juvat curriculi partem emenſos rurſus ad carceres, nova propoſita methodo, revocare. Praeterquam quod nihil unquam tanti erit, ut me ab ea docendi conſuetudine avocet, quam diligentiſſimi Societatis Patres ubique tenent, Emanuele Aluaro duce. Cum enim acutiſſimo ingenio viri juventutis recte inſtituendae vias omnes, ac rationes ſcrutati, unam denique illam inuenerint, quam Italia omnis amplexa eſt, quid nos in tanta virium imbecillitate noui conemur? Satis erit, ſi ductores ſapientiſſimos, quantum labore et ſolertia poſſumus, prope ſequamur; deſperantes poſt tot, tantosque conatus inueniri poſſe meliora. Quid igitur, inquis, in oratione iſthac tua de Grammaticis blateras? Ego vero nihil dixi, niſi exercendi ſtili gratia: in quo ſi quid peccatum eſt, cur non illi peccarunt, qui injuſtitiam, qui muſcam, qui quartanam, qui aſinum laudaverunt? Non eſt ſane idem in civili hominum convictu reprehendere aliquid, et laudare; in Academicis exercitationibus eſt prorſus idem. Quod ſi cui forte aliud agens perſuaſi, aut perſuaſiſſe videor, Latinam linguam non ex infinitis Grammaticorum praeceptis, ſed ex veterum librorum lectione, et imitatione comparandam eſſe, nolo ego illum tanquam in media arena deſtituere. Itaque ejus cauſſa latinorum Scriptorum *Syntagma* Orationi conjungo, ut qui ſint ad legendum et imitandum probatiſſimi, ex ſingulorum claſſibus facile intelligat. Duae porro cum ſint diviſiones celeberrimae, quarum una a quadruplici hominis aetate, altera a metallorum gradibus peti ſolet, nolui tibi omnes Grammaticorum pugnas de illis narrando, immenſae lectionis taedium afferre; ſed quod optimum duxi, in prima Andream Borrichium, in ſecunda Olaum, viros clariſſimos ſecutus ſum. Utrum vero aliquid praeſtiterim, praeter deſcribendi patientiam, malo te ipſum judicare. Verum cui haec? Non illis certe, qui librorum Praefationes

nes cum legerint, ſatis habent; magnoque ſupercilio in triviis, et compitis de ea tota diſceptant: ſed unis illis, qui et patientiſſime legunt, et ſapientiſſime judicant, et humaniſſime monent. Horum aliquem ſi nactus fuero, de graculorum vocibus non laborabo. *Aeſtimanda enim judicia ſunt, non numeranda.*

> *Solum, et quaſi fundamentum Oratoris vides locutionem emendatam et latinam, cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut ſcientiae, ſed quaſi bonae conſuetudinis.* Cic. in Bruto.

Latina lingua non eſt ex Grammaticorum libris comparanda.

Oratio.

Quoties ex hoc ornatiſſimo loco publice dico, ita delector praeſentia veſtra, et celebritate hac literatorum hominum tanta, ut ſatis amplum mihi videar, non unius modo orationis, ſed ingentium laborum fructum collegiſſe. Vnum enim dicere, tacentibus omnibus, cum eſt ubique glorioſum, tum vero ibi maxime, ubi qui audiunt, et frequentiſſimi ſint, et rebus omnibus ad ſubtiliter graviterque judicandum inſtructiſſimi. Non tam hercule olim illuſtre fuit, florente Rep. Romae dicere ſive in foro, ſive in curia, quod nullo delectu habito, promiſcue omnes ſubſellia occuparent, quam eſt hoc tempore, hoc in loco, unde lectiſſimum quemque ex omni literatiſſimae Civitatis ordine circumſpicio, Theologos, Phyſiologos, Medicos, Mathematicos, Juris peritos, atque horum ſane plurimos, qui eloquentiae laudem cum ſua quisque arte conjungunt. Videte, quaeſo, Auditores, in veſtro beneficio quantopere mihi placeam. Ego equidem literarum ſplendorem, ac dignitatem cum Magiſtratuum imperio, ac verenda Majeſtate minime comparo: ſed tamen cum veteres Romanorum ſupplicationes, ovationes, triumphos in mentem revoco, plane non tanti facio, ut ampliſſimae huic, mihique jucundiſſimae dicendi exercitationi praeponam. Nullus enim hic plebi locus eſt, nullus femellis, inſanae clientium turbae ad plauſus et acclamationes plane nullus: ſed et viri totius Civitatis principes ad dignitatem, et Patres omnium ordinum graviſſimi ad honeſtatem, et Doctores Collegiorum omnium ſapientiſſimi ad judicium, et ingenui adoleſcentes ad gratiam, et celebritatem convenerunt: quorum laetae frontes, et ſecunda admurmuratio dicentem poteſt mirum in modum erigere ac beatum prorſus efficere. Verum felicitas haec, humanarum omnium, ut mihi quidem videtur, longe maxima quam eſt infinitis prope difficultatibus ac periculis circumſepta! Cujus eſt, bone *Deus*, tanta ingenii vis, ac fecunditas ad res praeclariſſimas inveniendas, diſtribuendas, ornandas, ut ne leviter quidem ulla in parte deficiat, nusquam incurrat, diſpliceat nemini? Sunt enim eodem tempore praeſtanda multa, diverſa, ac prope contraria, nec ſolum laborandum, quomodo dicas, ſed inprimis, qua de re dicas: ut ſi ſemel in re proponenda alicujus animum offendas, eum deinceps habeas in tota oratione averſum. Eſt, qui nihil velit audire, niſi vetuſtum; quosdam gratia tantum novitatis conciliat; alii Graecas Latinasque eruditiones poſtulant; amplificatione alii delectantur: eoque ſunt ſinguli acumine ingenii, quibus ut imponas, nulla arte conſequaris. Haec me

me reputantem; ac ſaepe antea expertum juſſere denique libertatem illam abdicare, quae ſolet ceteroquin ex hoc ſuggeſtu dicentibus concedi omnibus, ut de re qualibet ſuo quiſque arbitratu verba faciant. Quare quem mihi ordinem ipſa ſtudiorum ratio, ac natura praeſcribit, eum in poſterum religioſe ſervabo, ut hoc quidem tempore de Grammatica, tum de Humanitate, poſt de Rhetorica, deinde de Philoſophia; poſtremo de reliquis, ut quaeque ſolet addiſci, orationem habeam, et quod de ſingulis ſentio, id quotannis exponam. Ita mihi boni ſuperi tantum vitae concedant, ac virium, ut curriculum hoc primum conficiam, deinde non improſpere; libenter tum demum ceſſurus aliis provinciam, quum laboribus, et aetate confectus vel fato fungar, vel in otio honeſto conquieſcam. Interim de Grammaticis ſtudiis, quibus ſolet aetas prima occupari, non raro etiam adulta, aliquando et poſtrema, quid mihi videatur, habete; et qua ſoletis benignitate, diligenter attendite.

Etſi omnes artes, ac diſciplinas in dies amplificari tam eſt rei literariae glorioſum atque utile, quam Reip. augeri opibus et imperio; tamen quod Reipu. accidit, ut nimia creſcendi libidine non raro decreſcat, idem ſolet in hoc literarum quaſi regno evenire. Nihil ego de Platonicae Philoſophiae, nihil de Peripateticae fatis, variaque fortuna diſputo, quarum utraque tum demum vel corruit, vel certe plurimum detrimenti cepit, cum impatienti ſectatorum ſtudio altiſſime evecta in praecipiti ſtetit, ac mole ſua laboravit. Unum illud latinitatis tradendae artificium urgeo, quod Grammaticen communiter appellant: opus ſuapte natura exiguum ac tenue, ſed immodica hominum induſtria adeo amplificatum, ut volenti omnia perſcrutari nihil ſit, niſi Grammaticam tota vita legendum. Conatus hos praeſtantium virorum, ſi eo ſpectant, ut latini ſermonis diligens quaedam hiſtoria extet, non ſolum non reprehendo, ſed etiam laudo: Sin vero nobis latinitatis docendae cauſſa, obtruduntur, longiſſime abjicio, nulliusque eſſe momenti, nullius utilitatis contendo. Prima enim illa Guarini Veronenſis rudimenta ut corrigerent et illuſtrarent, boni praeceptores depravarunt; eoque res demum deducta eſt, ut qui velit latine ſcire, hunc ſibi a Grammaticorum inſidiis cavere maxime oporteat. Quod ut evincam, cum mihi neceſſe ſit de Grammaticorum tricis, antinomiis, ambagibus aliquanto diſputare liberius, quaeſo vos, Auditores, ne me honeſtiſſimo generi hominum infenſum putetis, qui et natura ipſa ad benevolentiam comparatus omnem invidiae ſuſpicionem diligentiſſime fugio, et pro ſuſcepto vitae inſtituto eorum in primis amore delector, qui de literis bene mereri pro virili parte conantur. Sunt enim eorum lucubrationes etſi ad recte loquendum non neceſſariae, tamen ad cognoſcendum non illiberales: neque ego (ita me Dii ament) induſtriam hanc magna cum eruditione conjunctam contemno, ſed nihil ferme latinae locutioni inſervire defendo. Et ſane ubi puer ſingula nominum ac verborum paradigmata memoriae mandavit, paucaſque illas in univerſum regulas probe tenet, quibus tanquam cardinibus tota vertitur latina lingua, quid eſt, cur ſtatim non ad claſſicum ſcriptorem ducatur, quem diu noctuque verſet, memoriae tradat, Italice reddat, habeatque veluti unum ex familia, quocum magiſtri ope et auxilio familiariſſime loquatur, ac vivat? Cum enim ille potiſſimam

mam diei partem in ſcholis traducant, quid in cauſſa eſſe dicamus, ut perpetua rerum latinarum tractatione latine tamen minime diſcat, domi vero minore multo exercitatione, minusque accurata, a parentibus, a nutricibus, a vernis domeſticam linguam aſſequatur? Ego certe ita mihi perſuadeo, tenellos, anguſtosque puerorum animos immenſa illa regularum, appendicum, ſcholiorum farragine teneri, atque opprimi, ut ne reſpirare quidem poſſint, ne dum ſe explicare, latineque interrogando ac reſpondendo naviter audere. Quemadmodum enim ſubitarius miles, ſi in conferti ſſimam hoſtium aciem ſtatim compellatur, periculi magnitudine atque inſolentia deſpondet animum, ſuique prorſus oblitus ne gladium quidem diſtringit; ita literariae palaeſtrae tirunculi ingentes Grammaticorum commentationes aggredi juſſi cogitatione ipſa difficultatis, ac laboris exanimantur, ſpemque omnem evadendi ſtatim abjiciunt. Hinc ſcholae taedium, hinc quaeſiti ſaepe morbi, hinc impatiens vacationum deſiderium, hinc denique commenta illa callidiſſime excogitata ad otium, et ignaviam, ſi fieri poteſt, impune fovendam. Haec ego ſi probem, ad nuces profecto redire videar, et pueris ſimilia facere: ſed tamen quoties animo colligo exſucca illa, frugisque omnia ac delectationis expertia Grammaticorum praecepta, quibus tot annos impalleſcere vivida ingenia coguntur, quadam quaſi miſeratione commoveor, juſtoque dolori libentiſſime parco. Quotus enim quisque veſtrum (juvat praeterita repetere, et memoriam pueritiae renovare ultimam) ita fuit ad omnes literarum labores recte compoſitus, ut ante coeperit aequo animo frequentare ſcholas, ac domeſtico carere otio, quam poſitis Grammaticis, latinos Scriptores tractaret, eorumque lectione et imitatione latine aliquid conaretur? Ego ſane, ut de me dicam, obruebar infinita illa, atque implicatiſſima regularum ſtrue; nec pluribus votis adverſa tempeſtate jactati nautae portum deſiderant, quam ego inde me ut expedirem, et improbi laboris terminum aliquando contingerem, Deorum hominumque opem implorabam. Ut vero ad amoeniora paulo tranſivi, coepique ex oratoribus ac poetis delibare aliquid, tum vero quaſi in novum orbem repente translatus tanto animi ardore latinae linguae ſtudium arripui, ut ludorum ac vacationis oblitus, magno etiam ſaepe cum valetudinis incommodo libris diu noctuque inhaererem. Quod ſi ardentiſſimae illi proficiendi voluntati aliquando reſpondiſſet ingenium, ut certe (magno cum dolore dico) nunquam reſpondit; nec vos hoc tempore plebejo dicendi genere moleſtiſſime detinerem, nec ullus eſſet hac aetate latinus Orator, cui de orationis nitore, numero, perſpicuitate ullo pacto concederem. Nunc autem in magna virium infirmitate ſi quid valeo, ut valeo ſane minimum, totum Ciceroni, Terentio, Livio, Caeſari, Virgilio, Horatio, ceterisque ejus aetatis ſcriptoribus elegantiſſimis debeo. Nihil a me repetundarum jure poſtulet Priſcianus, nihil Valla ſibi vendicet, nihil Donatus, nihil Sanctius, nihil ille ipſe deliciae quondam noſtrae Emanuel Alvarus, quos omnes una cum crepundiis vel abjeci, vel depoſui, nec ex eo unquam in manus ſumſi, niſi per hosce dies, ut huic Orationi materiam compararem. Excidere jam diu animo eorum monita, excidere leges, nihilque mihi poteſt ad ſtilum retardandum contingere infeſtius, quam triſtis quaedam [illegible], ac metus, unde

ſolent

ſolent arida omnia, ſicca, exſanguia proficiſci. Quid enim eſt aliud Grammatice loqui, quam omnino latine non loqui, ſi credimus Praeceptori maximo Quintiliano? (Inſtit. l. I. c. 6.) Nam ut omnia Grammatici vere dicant, utrum aliud efficiunt, niſi ut ſine barbariſmis, ſine ſoloeciſmis ſit oratio? In quo ſi tota laus conſiſtit latinitatis, jam ne ipſe quidem Cicero latinus eſt, cujus libri ſi ad Grammaticorum cavillationes exigantur, ſoloeciſmis non carent. Neque vero id ignorant, ſed quae in aliis magnopere damnant, haec in Cicerone, mutato nomine, figuras appellant, et veluti lumina variandae orationi accommodatiſſima valde commendant. Nituntur enim omnes latinum ſermonem certis complecti legibus, quibus deinde contraria multa apud latinos Auctores cum inveniant, ad ſchemata, metaplaſmos, antiptoſes, archaiſmos, helleniſmos, et id genus alia magnifica figurarum nomina confugiunt, quorum ope non quidem eorum famam tueantur, qui ſine piaculo reprehendi non poſſunt, ſed nobis illudant, ne Grammatica praecepta cum illis ipſis pugnare ſcriptoribus, unde ſumuntur, intelligamus. Fuit olim latina lingua, quemadmodum ceterae, juris plane ſui, ex colluvione multarum gentium Romae nata, populari convictu, communique rerum tractatione aucta, denique uſu ipſo, et forte quadam inveniendi, ligandique verba, non ratione, et conſilio ad hanc copiam propagata, numeriſque ſuis abſoluta. Hanc proinde praeceptis coercere totam, perinde eſt, ac de ſcientia, non de lingua diſputare: quod Varro ipſe analogiae ceteroquin exactor moleſtiſſimus aliquando cum didiciſſet, nullam eſſe obſervationem ſimilium docuit, et in omnibus pene verbis unam conſuetudinem dominari. (Gellius l. II. c. 25.) Id vero quam mirum videri debuit Alvaro noſtro, qui de ſola nominum, verborum, ac participiorum conſtructione quingentas ferme regulas non ſine multis praeterea obſervationibus concinnavit! Fuit ille certe magno ingenio, magna induſtria, magna latini ſermonis peritia, cui ego de re tota libenter concedam, ſi ſuas regulas non dicam omnes, non plurimas, non aliquas, ſed principem illam, ac ceterarum caput de verbo *Amo* adverſus irruentem undique inimicorum impetum defendat, ſartamque tectam ab omni detrimento conſervet. Quid enim primum decernis, Emanuel, de verbo *Amo*? num eſſe activum, et inter activa familiam ducere? At ego ad neutra rejicio: *Hic amat a Lenone*. (Plaut. in Poen.) Quid tum? Num eſſe primi ordinis, nec alium poſtulare caſum, niſi quartum? At ego ſecundi facio, eique genitivum adjicio: *Inſania eſt amare tanti*. Quid poſtea? Anne eſſe primi et ſecundi? At ego ad quartum refero: *Si quicquam me amas*. (Cic. ad Attic.) Quid deinde? Eſſe etiam quarti? At ego in ſextum conjicio: *Equid nos amas de fidicina iſthac*? (Terent. in Eun.) Pro pudor! Ejus rei artem efficimus ac venditamus, cujus fundamenta prima tam facile corruunt. Novi equidem et qui analogiam ſumma ope defenderent, ab ipſa florentis Romae aetate fuiſſe nonnullos; ſed nemo tamen cum hac noſtrorum Grammaticorum turba comparandus, qui, ut nihil intentatum relinquant, ab ipſo mundi exordio, et vetuſtiſſima Hebraeorum lingua Romanarum vocum cauſſas, ſimilitudinem, et originem petunt, petituri altius vel ab Arcadibus, ſi Arcades, quod olim jactare conſueverunt, ante lunam orti fuiſſent. Nihil novi affero apud eos, quibus eſt aliquod cum Voſſio literarum commercium. Cum Voſſio autem? Imo vero cum

viris

viris noſtrae hujus aetatis celebratiſſimis, inter quos duriſſimum bellum atque inexpiabile gliſcit adhuc de voce *Delicatus*, utrum ab Hebraico בל recte ducatur; nec Hebraei ſolum, ſed Syri, Arabes, Graeci nuper de re tantula ſententiam rogati ſunt. Quod ſi quam ſunt ingenioſi ad haec excogitanda, tam eſſent unanimes in tradendis, fortaſſe nos aliquando fefelliſſent. Verum hoc percommode cadit, quod ſibi invicem de rebus omnibus bella movent, ſeque mutuis vulneribus conficiunt: quod ipſum argumento eſt, nihil huic arti ineſſe certi, quae homines procaces efficit, et novarum rerum nimio plus amatores. In ipſo enim ſtatim Grammaticae limine nonne de partibus orationis principes in hac arte viri acerbiſſime pugnant? quodque ridiculum eſt, graviſſimos totius antiquitatis ſcriptores Ariſtotelem, Platonem, Plutarchum, D. Auguſtinum pro ſe quisque ſtare jubent? Perge porro. De pronominum cauſſa, numero, ac natura quam dubia, quam varia, quam ſibi contraria decernunt Varro, Probus, Priſcianus, Donatus, Quintilianus? Hi autem ipſi inter ſe cum caſibus nomina ab officio fuiſſe indita conſentiant, nonne Scaliger tamen negat? Valla caſtigat Priſcianum, quod *ficum* morbum quartae declinationis fecerit: rurſus in Vallam arma movet Petrus Ramus, quod *ficum* fructum maſculo genere extulerit. Scaligero commune genus peſſime a Graecis *ἐπί-κοινον*, optime a Latinis *promiſcuum* appellari videtur: Sanctius Latinos damnat, Graecos abſolvit. Imperſonalia dicit Alvarus *decet*, *poenitet*, *pluit*, et ſimilia; nulla eſſe imperſonalia, teſtatus Deos hominesque, Scioppius affirmat. Si quis verborum modos ſtatuat eſſe quatuor, ecce tibi, qui quinque, qui ſex, qui octo, qui multo plures inducat. Eſt, qui probet *gerundia ac ſupina*: non deeſt, qui pura puta Grammaticorum deliramenta dicat. Alii verbis in OR Praeterita tribuunt, alii adimunt. Quibusdam placent verba Neutra ac Deponentia; quidam toto Latio exulare jubent. Denique in tanta Scriptorum multitudine neminem invenias, qui malit aliorum veſtigiis inſiſtere, quam nova comminiſci, ceterisque omnibus oblatrare. Nolo vos, Auditores, per ſingulas partes ducere, omnesque de Orthographia, de Proſodia, de Etymologia, de Syntaxi controverſias hoc loco explicare, ne graviſſimo officio, ne tempore, ne patientia veſtra nimium abuti videar. Percurrite, ſi vacat, quae ſolent homines libellorum ſuorum initio longiſſime praefari, ubi ceteris, qui ante ſe de re Grammatica ſcripſere, diem dicunt, eorum lucubrationes mendoſas, nugaces, ſordidas, cloacinas (ſit verbo Scioppiano venia) audaciſſime appellant, ſeque ex Deorum immortalium ſede quaſi delapſos allaturos optima pollicentur. Cumque ſinguli, et univerſi eadem recinant, quo ſe vertant miſeri adoleſcentes? cui ſe tanquam duci tradant germana latinitate inſtituendos? Numquid Varroni? At literarum porcus dicitur a Palaemone. Num Priſciano? At Graecum hominem latinae linguae fucum feciſſe exiſtimat Alvarus. Num Vallae? At ejus Elegantias Ramirezius de Prado inelegantes appellat. Num Donato, num Probo, num Servio, num Chariſio? At hos omnes paſſim labi, et monſtra effutire contendit Scioppius. Num denique Scioppio ipſi? At miſerabilis literator dicitur ab Hornio, vir deſultoriae levitatis a Labbeo, canis Grammaticus a Lambecio. Indignamini ad haec Auditores; ſed artis, mihi credite, ſeu vitio, ſeu fato

quodam

quodam fieri ſolet, ut nec ſua quiſquam afferre poſſit, niſi carpat aliena, nec aliena carpere, niſi modum excedat. Quam indecorae, quam pudendae, quam prope inſanae fuere contentiones illae Poggii cum Valla, Politiani cum Merula, Scaligeri cum Eraſmo de rebus his minutiſſimis quaſi de aris et focis! Quam illa ridicula Franciſci Philelphi cum Timotheo quodam Graeco, qui de vi ſyllabae pugnaturi ea lege in aciem ex compoſito deſcenderunt, ut victus barba mulctaretur! O magnas nugas magno conatu actas! O vos miſeros quicunque ab his tanquam ex Tripode de latinae linguae ratione reſponſa petitis! Quos aeſtus, quas tenebras vobis offundent Grammaticae illae Philoſophicae, Minervae, Ariſtarchi, Mercurii, Theſauri, in quibus ad criticam eruditionem multa quidem ſunt acute, ac ſubtiliter excogitata, ad locutionis vero latinae uſum admodum nihil. Eſt illuſtre quiddam latinus ſermo, ingenuum, perſpicuum, tricis et ambagibus carens, quod nemo unquam ex his hominibus pugnaciſſimis conſecutus eſt: nec vero intelligo, ſcriptis ſuis quo pacto fidem concilient, quibus ipſi, quae praecipiunt, praeſtare non poſſunt. Polycletum ferunt, ſtatuarium artificem totius Graeciae peritiſſimum, non ante celebrem illum recte fingendi canona in lucem edidiſſe, quam publice propoſita ſtatua, velut artis exemplo, ſuas ipſe regulas egregie praeſtando confirmaſſet. Ita ſe mihi Grammatici probent: tum vero fatebor non invitus, latine loquendi facultatem eorum praeceptionibus tanquam canone probandam eſſe. Sed profecto quod Carneades apud Ciceronem (l. I. de Orat.) ajebat, oratoriae artis ſcriptorem ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe ullum, idem de Grammaticis affirmare licet, neminem adhuc artem, quam traderet, latine loquendi ne mediocriter quidem calluiſſe. Non eſt hujus temporis, aut loci, multo vero minus mearum virium, ſingulorum vitia commemorare: veruntamen, ne quid gratis ad invidiam afferre videar, prodeant in medium hinc Terentius Varro veterum Grammaticorum, hinc Julius Scaliger noſtrorum ſine controverſia Princeps, quorum alter aurea aetate Deorum beneficio natus, Ciceronis aequalis et amicus, ita tamen ſcripſit, ut cum Livio Andronico Romanae linguae incunabulis exceptus videatur: alter vero Joſepho filio communi omnium conſenſu primas cedit; illi, inquam, Joſepho, cujus neoteriſmos, peregrinitates, barbariſmos, ſoloeciſmos nec unos, nec leves Scioppius collegit, et in ſuo de ſtilo hiſtorico libro poſteritati mandavit. Tametſi latinae linguae laudem (ut ante dixi) neque totam, neque praecipuam in ſoloeciſmis vitandis collocari puto, quod eſt emendate loqui; ſed in curſu quodam, et molli concluſione verborum, ut nihil claudicet, nihil diffluat, nihil fluctuet, ſed tota permiſſa, et temperata numeris aequabiliter, conſtanterque feratur oratio, quod unum eſt, ſi recte ſentio, latine loqui. Numeroſa haec, et concinna verborum comprehenſio nulla definiri arte poteſt, nullis Grammaticorum praeceptis concludi; cujus vel maximum vitium eſt, ſi de induſtria quaeſita ad certas leges operoſe exigatur. In auribus eſt ſingulorum tota, et ad aurium ſenſum judicanda: quod fortaſſe olim praeſtare non fuit valde difficile audientibus, ac loquentibus nihil niſi latine; at vero his temporibus, niſi quis ſe totum veterum ſcriptis dedat, et in eorum lectione et imitatione dies noctesque verſetur, nec tolerabile quippiam latine conabitur,

tur, nec niſi inſipienter judicabit. Hinc fatuae paſſim orationes, in quibus tam eſt perſpicuus Grammaticus labor, ut omnia macra ſint, meticuloſa, hiulca, ſine numero, ſine veneribus, ſine gratiis; quae tamen auditori miſero laudandae ſunt, quod nequeat barbariſmos, et ſoloeciſmos ex Grammaticorum regulis deſignare. O te dementem M. Tulli, qui cum Varronis de re Grammatica libros haberes, linguae tamen nitorem ex perpetua Catonis, Plauti, ac in primis Terentii lectione hauriendum tibi exiſtimabas. Te levem, Demoſthenes, qui Thucydidis hiſtorias cum ſaepe legiſſes, octies inſuper deſcripſiſti. Tantumne tibi a foro, et a curia ſuperérat otii, ut non te potius Grammatico homini traderes, unde Atticam illam ſermonis elegantiam ocyus arriperes? Itane igitur, Auditores? Ne vivam, ſi quis ex noſtris, qui ſe Tullianos profitentur, unam Tullii orationem aut ſemel in vita deſcripſit, aut octies lectitavit. Vel igitur Cicero, in quo eſſet latini ſermonis ratio, Demoſthenes, in quo Graeci, non ſatis intelligebant; vel nos in Grammatico ludo, aliud agentes, quam oporteat, fruſtra laboramus. Valeant Priſciani, valeant Servii, valeant Donati, eosque conſulamus eatenus, ut ab aliquo Pomponio Marcello de ſoloeciſmo poſtulati reſpondere poſſimus. (Sueton. de ill. Gram. c. 22.) Ergo (ut extremum aliquid habeat oratio mea, quo tota hujus generis ratio concludatur) concreditus mihi ad inſtitutionem adoleſcens norit linguam eſſe quandam, quae latina dicatur, Italicae parentem, eique magna parte ſimilem. Hujus ſciat eſſe nomina, eſſe verba, nominumque ac verborum κατηγορίας certis obſtringi legibus, quae ſint memoriter ante omnia diſcendae: Summa Syntaxeos capita altiſſime infigat animo, calleatque probe velut ungues digitosque ſuos: In proſodia verſetur aliquanto magis, quod ratio condendi carminis certior eſt, magisque definita, quam condendae orationis: Denique paucis praeterea ex etymologia, et orthographia delibatis, Grammaticos longiſſime ableget, ſibique valde perſuadeat, non latinum ſermonem ex Grammatica, ſed Grammaticam ex latino ſermone natam eſſe. Quid ita? Nimirum ut aquas ex ipſo fonte hauriat, hoc eſt, latinos Scriptores, legendi, ac ſcribendi exercitatione nunquam intermiſſa, in ſuccum et ſanguinem ſuum convertat; unde ille exiſtit orationis ambitus, ac nitida circumſcriptio, quae ſupra Grammaticorum vires poſita auribus longa diſciplina exercitatis judicari poteſt, verbis explicari non poteſt. Id unum in hac palaeſtra arduum eſt, ac difficile, quod et liberale ingenium poſtulat, et morum conformationem quandam ingenio ſimilem, et illam extremo loco diligentiam, quae ſola in hac arte minimum valet, ceteris tamen adjuncta naturae praeſidiis Tullianum illud dicendi genus efficere poteſt, quod tantopere commendatur. Hoc illud eſt, quod ab ingeniis non tam miti ſidere natis, aut cultis poſtulamus, quae ut carmina edant ſaepe optima, orationem tamen, cujus non eſt, niſi aurium ſenſu definitus modus ac numerus, oſtendent fortaſſe nullam, quae latina dici poſſit. Vos igitur adoleſcentes, quibus in Italia natis, atque altis illud inſuper accedit, quod in Italiae parte nobiliſſima, et ad ingenia excolenda opportuniſſima erudimini, pergite ſtrenue in hoc curriculo, ut majorum veſtrorum laudem retineatis. De bellica Italorum virtute nihil ſane auſim pronunciare. Sed literas quidem certe non amiſimus. Commigrant ad nos quotidie callidi homines

pecunia inſtructiſſimi, et praeclaram illam Muſarum ſupellectilem, optima volumina nobis abripiunt: artes etiam, ac diſciplinas paullatim abducturi alio, niſi ſtudio, ac diligentia reſiſtitis. Veſtrum eſt communis patriae famam, ac ſplendorem ex tanto periculo eripere, veſtrum luctuoſam calamitatem ab hoc ſolo, a nobis, a vobis ipſis prohibere; ut omnes intelligant Romanum imperium Italis auferri potuiſſe, Romanas literas non poſſe. In vos conjecere oculos, vos hortantur, ac impellunt parentes pro familiae honeſtate, cives pro Reip. gloria, Magiſtri pro Scholae fama, ſed in primis Antiſtes Eminentiſſimus pro Religionis cauſſa, quae cum literarum cauſſa conjunctiſſima eſt.

De Ortu, Interitu, ac Reparatione Linguae Latinae.

Quemadmodum aperto Romae aſylo, dataque victis hoſtibus liberaliſſime civitate, diſpari genere homines in unam gentem coaluerunt; ita linguae variae, ac diſſimiles inter ſe commiſtae unam illam pepererunt, quae Romana ab Urbis, Latina a Regionis nomine appellata eſt. Sed quia et primi Urbis incolae Graeci generis fuere, et Romulus ipſe ἐπιγράψας (ut eſt apud Dionyſ. antiq. Rom. lib. 2.) ἑλληνικοῖς γράμμασι τὰς ἑαυτῦ πράξεις, Graecum ſermonem populo commendavit; hinc magna ſimilitudo inter utriusque Gentis literas, et literarum ſonum, atque adeo inter verba ipſa, et verborum conſtructionem. Unde Quintilianus l. 1. c. 5. *Haec diviſio mea ad Graecum ſermonem praecipue pertinet: nam maxima ex parte Romanus inde converſus eſt.* Et Dionyſius ſub finem lib. 1. *Romani ſermone nec prorſus barbaro, nec prorſus Graeco utuntur, ſed ex utroque miſto, accedente plerunque ad Aeolicam dialectum.* Adde, quod per ſaecula quinque et eo amplius vel nullae, vel perrarae fuere Romae literae praeter Grajas: cumque Romanus ſermo ad eam copiam, et elegantiam perveniſſe viſus eſt, ut ad artes, ac diſciplinas transferri poſſet, neſcio qua tamen ſemper verecundia Graecae linguae tanquam parenti honorem detulit; et a victa, debellataque provincia Populus Romanus gentium dominus leges dicendi, ſcribendique accipere non recuſavit. Quod cum reputo, vix mihi perſuadeo fuiſſe ullum, aut eſſe, aut vero unquam eſſe poſſe, qui Graeca ſtudia in homine Latino non probet.

Ex iis, qui latinae linguae tempora in certas aetates velut hominis vitam diſtribuunt, illi nobis videntur probandi maxime, qui Infantiam ejus ad annum Urbis conditae DXIV. coſſ. C. Clodio, et M. Tuditano, perducunt, quo anno Livius Andronicus fabulam dedit, ut tradit Cic. in Bruto, et lib. 1. Tuſcul. Etſi enim et Salios Sacerdotes Numa conſtituit, qui armatos Deos canerent, et Pontifices, qui Romanarum rerum annales conficerent, rudia tamen, et incondita fuere omnia, qualia novi Imperii ſtatus, perpetuis bellis poſt Numam petitus patiebatur. Ejus aevi monumenta partim, incenſa a Gallis Urbe anno CCCLXVI. periere; partim vetuſtate ipſa abſumpta ſunt, praeter legum fragmenta pauca, quorum ſpecimen velut prima balbutientis Romae verba praebemus.

Lex Romuli, et Tatii apud Feſtum in voce *plorare*. *Ex Fulvio Urſino in notis ad Leges, et S. C.*

Sei.

Sei. nurus . . . . ploraſit. ſacra. Deiueis. parentom. eſtod.

Lex Servii Tullii ſexti Romanorum Regis apud Feſtum, ibidem. *Ex F. Urſino in notis etc.*

Sei. puer. parentem. verberit. aſt. ole. ploraſit. puer. Deiueis. parentom. ſacer. eſtod.

Has duas leges in unam concinnavit Joſephus Scaliger, et emendavit hoc modo:

Sei. parentem. puer. verberit. aſt. oloe. ploraſſint. puer. Diueis. parentum. ſacer. eſto. ſei. nurus. ſacra. Diueis. parentum. eſto.

Hoc eſt:

Si parentem puer verberet, aſt illi parentes clamarint, puer Divis parentum ſacer ſit, hoc eſt tanquam maleficii damnatus impune occidatur. *Si nurus, ſacra Divis parentum ſit.*

Anno ab Urbe condita CCLXI. Lex Tribunicia apud Feſtum in voce *Sacer. Ex F. Urſino ibidem.*

Sei. quis. aliuta, faxſit. cum. pequnia. familiaq. ſacer. eſtod. ſei. quis. im. occiſit. paricida. nec. eſtod.

Ex emendatione Scaligeri:

Quei. aliter. faxit. cum. pequnia. familiaque. ſacer. eſto. ſei. quis. em. occiſit. pariceida. nec. eſto.

Hoc eſt:

Qui aliter fecerit, cum pecunia et familia ſua ſacer ſit: ſi quis eum occiderit, parricida ne ſit.

Anno ab Urbe condita CCCIV. Ex XII. Tabulis lex prima de Jure privato, quemadmodum eam F. Urſinus ex Porphyrione, Feſto, et Gellio concinnavit, atque edidit.

Sei. in. ious. vocat. nei. eat. ſtatim. encapito. anteſtarier. Sei. caluitor. pedemue. ſtruit. manom. endo. iacito. Sei. in. ious. vocato. morbos. aeuitasue. vitiom. eſcit. quei. in. ious. vocaſit. iumentom. dato. Sei. nolet. arcerem. nei. ſternito.

Hoc eſt:

Si in jus vocat, ni vocatus eat ſtatim, incipe teſtem appellare. Si moratur, vel pedem fugiendo refert, manum injicito. Si in jus vocato morbus, vel aetatis vitium erit, qui in jus vocat, vehiculum det. Si nihilominus ire nolet, lecticam ne illi ſternas.

Novi ſane, viros praeſtantiſſimos et Romuli leges, et Tribunicias, et ex XII. Tabulis multo nitidiores edidiſſe, ut ſeculo pene aureo ſcriptae videantur, nihil veritos affirmare, ſe illas antiquiſſimis tabulis deſcripſiſſe. Verum ſit earum fides penes ipſos. Ego enim Scriptores ſecutus vel pares,

vel pene pares, non ſolum elegantiora monumenta illiteratiſſimae antiquitati convenire non puto, ſed ne illa ipſa quidem, quae modo attuli, ſatis mihi rudia, et obſcura videntur, ut in ea jurare paratus ſim. Quod ut confirmem, non Ciceronem appellabo, non Quintilianum, non Gellium, non Polybium, qui ejus aetatis ſtilum ita inconditum, et obſcurum dixerunt, ut quaedam vix peritiſſimi interpretes intelligerent; ſed Inſcriptionem afferam aevi multo poſterioris, et ad linguae adoleſcentiam proxime accedentis, quae tamen ruditate verborum allata monumenta, niſi fallor, longiſſime ſuperat: ut ſi quis velit utraque tueri, eum neceſſe ſit affirmare, linguam latinam ad annos usque CCCCXCIV. non modo nihil profeciſſe, ſed etiam declinaſſe.

Inſcriptio L. Scipionis, qui anno ab Urbe condita CCCCXCIV. Conſul fuit.

HOINC. OINO. PLOIRVME. CONSENTIONT. R.
DVONORO. OPTVMO. FVISE. VIRO
LVCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FVETA
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE
DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO

Hoc eſt, ut Jacobus Sirmondus interpretatur:

Hunc unum plurimi conſentiunt Romae
Bonorum optimum fuiſſe virum
Lucium Scipionem. Filius Barbati.
Conſul, Cenſor, Aedilis hic fuit.
Hic cepit Corſicam, Aleriamque Urbem.
Dedit Tempeſtatibus aedem merito.

Per haec, et ſimilia lingua latina tranſegit pueritiam ſuam.

Inde coepit adoleſcere per *Livium Andronicum*, per *Naevium*, *Cethegum*, *Ennium*, *Caecilium*, *Catonem*, *Pacuvium*, *Plautum*, *Accium*, *Afranium*, *Lucilium*, *Terentium*, aliosque praeterea non paucos, quos inter eminet Plautus, ac Terentius. *Livius* itaque *Andronicus* primus fuit Romanorum Poeta, qui Anno V. C. 514. fabulas dare coepit, non tamen dignas, quae iterum legerentur, ut ait Cicero in Bruto. Primus Orator fuit *Cethegus*, ut ex Ennii teſtimonio ſcripſit idem Cicero. Primus Hiſtoricus *Naevius*, qui bellum Punicum primum verſibus Jambicis deſcripſit: quam autem luculente, non erit, opinor, difficile ex hoc ejus operis initio colligere:

Quei terrai Latiai hemones tuſerunt
Vires fraudesque Poinicas fabor.

Hoc eſt:

Qui terrae Latiae homines tuderunt
Vires, fraudesque Punicas, fabor.

Quanto politius Ennius, qui carmine Eroico paucis poſt annis idem bellum eſt perſecutus!

Horrida Romuleûm certamina pango duellûm.

Hic

Hic tamen ipſe cum Catone, et Pacuvio ad infantiam latini ſermonis relatus eſt a Scaligero, Beemanno, Giſanio, et praeterea multis: ſed injuria, ut diſerte oſtendit Andreas Borrichius in ſuis Vindiciis.

Adoleſcentiam excepit virilis aetas, hoc eſt abſoluta illa, et conſtans latinae linguae elegantia, gravitas, pulcritudo; ſed, ut fere ſolent maxima bona, cito intercidit, et in ſenium prolapſa eſt. A Cicerone enim cum coepiſſet, id eſt ab extremis Romanae libertatis temporibus, vix ad tertium Imperatorem pervenit. Sed profecto viſa eſt mirabili quodam ingeniorum foetu numeri damna compenſare, cum *Ciceronem* tulit, *Virgilium*, *Horatium*, *Livium*, *Caeſarem*, *Nepotem*, *Catullum*, *Ovidium*, literarum lumina non ad eam ſolum aetatem, ſed ad omnem poſteritatem illuſtrandam. Adde huc *Salluſtium*, *Varronem*, *Lucretium*, *Vitruvium*, *Manilium*, *Tibullum*, *Propertium*, *Hirtium*, *Gratium*, *Cornelium Severum*, *Cornificium*, *Phaedrum*, *Higynum*, et inſuper multos, quorum vel fragmenta, vel ſola nomina ad nos pervenerunt. Priores tamen tres ſeculi ſui locutionem dedignati κακοζηλίᾳ neſcio qua rudem antiquitatem ſuis ſcriptis repararunt, ut potius ad linguae adoleſcentiam videantur rejiciendi. Cujusmodi ingenia nulla unquam aetate defuerunt, noſtra vero praeſertim, qua viris ceteroquin literatiſſimis nihil Italicum ſapit, niſi ſit ex *Dante* petitum, aut *Paſſavantio*, aut horum aequalibus, hoc eſt ab ipſis Italicae linguae incunabulis.

Jam vero imperante Tiberio, coeperant Romani veteris obliti libertatis demittere animum, et ſimilia facere, ac loqui fortunae ſuae. Hinc ſermonis majeſtas, et gravitas in adulatoriam, ac pene ſervilem formam degenerare, viresque ſenſim amittendo ad ſenium properare. Ecce hic tibi ſtatim *Q. Curtius* dignus etiam meliore aevo, quocunque tandem vixerit, *Vellejus*, *Juvenalis*, *Martialis*, *Perſius*, *Florus*, *Quintilianus*, *Suetonius*, *Celſus*, *Valerius Maximus*, uterque *Seneca*, uterque *Plinius*, *Pomponius Mela*, *Aſconius Paedianus*, *Scribonius Largus*, *Petronius*, *Columella*, *Silius Italicus*, *Valerius Flaccus*, *Statius*, *Apicius*, *Juſtinus*, *Terentianus*, *Frontinus*, *Tacitus*, *Palladius*, *Gellius*, *Apulejus*, ceterique ad Antonini usque Imperatoris mortem Latini ſcriptores. Hic vero ad ſummam ſenectutem perveniſſe Romanus ſermo viſus eſt, nihilque poſtea dignum peperiſſe, quod ad imitandum proponatur.

Sunt qui ad Gordianum usque, non deſunt qui etiam ad Conſtantinum latinae linguae aetatem producant: Sed minorem ſane nobiliſſimae linguae injuriam facit, qui eam interiiſſe, quam qui lutulenter vixiſſe defendit. Juvat nihilominus eos ſcriptores commemorare, qui Antoninum ſubſecuti, conati ſunt aliquid ad ea usque tempora, quibus literae omnino omnes conticuerunt. Hi autem ſunt *Tertullianus*, *Cenſorinus*, *Spartianus*, *Capitolinus*, *Lampridius*, *Arnobius*, *Minutius Felix*, *Lactantius*, *Marcellinus*, *Aurelius Victor*, *Eutropius*, *Auſonius*, *Prudentius*, *Macrobius*, *Servius*, *Claudianus*, *Vegetius*, *Solinus*, *Julius Obſequens*, *Papinianus*, *Pomponius*, *Ulpianus*, *Scaevola*, *Modeſtinus*, *Paulus*, *Marcellus*, *T. Cajus*, *Papirius Calliſtratus*, *Claudius Mamertinus*, *Eumenius*, *Nazarius*, *Pacatus* Huc adde Auctores finium regundorum: Medicos, Rhetores, et Grammaticos veteres. Adde *Juvencum*, *Augu-*

Auguſtinum, *Oroſium*, *Sidonium Apollinarem*, *Boethium*, *Martianum Capellam*, *Priſcianum*, *Caſſiodorum*, *Jornandem*, *Venantium Fortunatum*, *Corippum*, *Iſidorum*, et paucos praeterea, quos non eſt operae pretium referre.

Tacuere deinde literae non latinae modo, ſed omnes usque ad magnam ſeculi XIV. partem, cum excitatae ſunt ab immortali viro *Franciſco Petrarcha*. Ex eo tempore coepit rurſus vires ſumere Latinitas quodammodo renata; jamque ſeculo quinto decimo ad floridam aetatem properabat per *Laurentium Vallam*, *Franciſcum Philelphum*, *Poggium*, *Faccium*, *Vergerium*, *Ambroſium Camaldulenſem*, utrumque *Barbarum*, *Leonardum Aretinum*, *Guarinum Veronenſem*, *Blondum*, *Perottum*, et praeterea multos. At vero ſeculo XVI. ita florere viſa eſt in *Bembo*, *Paleario*, *Mureto*, *Manutio*, *Sigonio*, *Sadoleto*, *Navagero*, *Riccio*, *Amaſaeo*, *Luiſino*, *Alcionio*, et ſexcentis, ut ad auream illam Augusti aetatem proxime acceſſerit. Etſi autem elapſo proxime ſeculo rurſus coeperat declinare, non quidem, ut ante, Magiſtrorum inopia, ſed nimia quadam copia in ejus interitum ſtudiorum ſimilitudine conjurata; tamen hoc tempore, implorata undique ope, reſpirare videtur, et priſtinam rurſus dignitatem obtinere.

Quatuor Linguae Latinae aetates, Aurea, Argentea, Aenea, Ferrea.

Antequam pueri Seminarii noſtri ad hanc tabulam accedant, velim animadvertant, non omnes aetatis aureae Scriptores eſſe aureos, et imitatione digniſſimos. Sunt enim hic etiam, ut in áliis rebus, mala miſta bonis. Itaque in uno primum *Cicerone* diu, multumque verſentur; deinde *Terentium*, *Caeſarem*, *Virgilium*, *Horatium* ſibi adſciſcant; demum *Nepotem*, *Livium*, *Catullum*, et ad carminis facilitatem comparandam *Ovidium*, *Tibullum*, *Propertium* in manus ſumant. A ceteris abſtineant, donec ipſi per ſe judicare poſſint, tanto ſingulos eſſe meliores, quanto ad haec latinitatis exempla propius accedunt. Quosdam vero nunquam attingant, niſi ad eruditionem: ego enim pleroſque affero, non quia probem, ſed quia volenti per ſecula omnia diſcurrere, nihil melius ſe ſe offert. In ſeculis XV et XVI. plura ſane nomina cenſeri poterant; ſed ego legentibus, non bibliothecam conficientibus ſcribere inſtitui.

Aetas Aurea.

Ab Anno Urbis conditae DIXX. ad DCCLXVII. Aerae vulgaris XIV.

Naevius, *Ennius*, *Plautus*, *Cato*, *Caecilius*, *Terentius*, *Pacuvius*, *Accius*, *Afranius*, *Lucilius*, *Lucretius*, *Varro*, *Cicero*, *Caeſar*, *Hirtius*, *Nepos*, *Virgilius*, *Horatius*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Livius*, *Ovidius*, *Salluſtius*, *Vitruvius*, *D. Laberius*, *P. Syrus*, *Severus*, *Manilius*, *Gratius*, *Albinovanus*, *Hyginus*, *Germanicus*, *Verrius Flaccus*.

Aetas

Aetas Argentea.

Ab obitu Auguſti ad obitum Trajani, id eſt ab anno Aerae vulg. XIV. ad CXVII.

Phaedrus, Curtius, Paterculus, Valerius Maximus, Celſus, Scribon. Largus, Seneca uterque, Perſius, Lucanus, Paedianus, Columella, Palladius, Mela, Petronius, Quintilianus, Plinius uterque, Juvenalis, Sulpitia, Suetonius, Tacitus, Frontinus, Statius, Florus, Valerius Flaccus, Silius Italicus, Martialis, Gellius, Terentianus, Pomponius Feſtus.

Aetas Aenea.

A Trajani obitu ad Romam a Gotthis captam, id eſt ab anno Aerae vulg. CXVII. ad CCCCX.

Apicius, Dyctis Cretenſis, Solinus, Apulejus, Tertullianus, Arnobius, Marcellinus, Vegetius, Aemilius Macer, Firmicus, Lactantius, Minutius Felix, Cyprianus, Macrobius, Ulpianus, et ceteri I. C. Cenſorinus, Spartianus, Lampridius, Capitolinus, Trebell. Pollio, Vulcatius, Vopiſcus, Seren. Samonicus, Hilarius, Prudentius, Juvencus, Rhemn. Fannius, Mar. Victorinus, Claudianus, Symmachus, Auſonius, Avienus, Julius Obſequens, Aurelius Victor, Ampelius, Servius, Calphurnius, Nemeſianus, Pacatus, Nazarius, Mamertinus, Eumenius, Damaſus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Rufinus.

Aetas Ferrea, et Lutea.

A Seculo V. usque ad initium XIV. Aerae vulgaris.

Seculum V.

Sulp. Severus, Proba Falconia, Oroſius, Proſper Aquitanicus, Sedulius, Rutilius Numatianus, Dracontius, Mamertus, Sidon. Apollinaris, Gennadius, Salvianus, Maximianus Gallus.

Seculo VI.

Boethius, Fulgentius, Alcimus Avitus, Caſſiodorus, Priſcianus, Helpidius, Jornandes, Victor Tununenſis, Ennodius, Martianus Capella, Juſtinianus, Gregorius Turonenſis, Gregorius Magnus, Venantius Fortunatus, Corippus, Arator.

Seculo VII.

Iſidorus Hiſpalenſis, Eugenius, Drepanius Florus, Marculphus, Adamannus.

Seculo VIII.

Beda, Flaccus Alcuinus, Aldhelmus, Paulus Varnefridus, Eginhardus.

Seculo IX.

Rabanus, Strabus Gallus, Anaſtaſius, Ado, Aimonius, Freculphus, Hincmarus.

Seculo X.

Luitprandus, Odo Severus, Flodoardus, Rhegino, Witichindus.

Seculo XI.

Haymo, Rodulphus, Hermannus, Lambertus, Medici Salernitani, Marbodaeus, Conſtantinus Africanus, Petrus Damiani, Marianus Scotus, Raimundus, Villeramus, Baldericus.

Seculo XII.

Guntherus, Sigebertus, Joannes Sarisburienſis, Otto Friſingenſis, Saxo Grammaticus, Hildebertus, Helmoldus, Gratianus, Hugo, Petrus Abaillardus, S. Bernardus, Petrus de Riga, Guillelmus Tyrius, Petrus Blecenſis, Joſephus Devonius.

Seculo XIII.

Phil. Gualterus, Conradus Abb. Urſp., Matthaeus Pariſienſis, Vincentius Bellovacenſis, Martinus Polonus, Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura.

Initio Seculi XIV.

Joannes Scotus, Alanus de Inſulis, Matthaeus Vindocinenſis, Robertus Beſtonus, Gualterus Burlaeus.

Reparatio Latinae Linguae poſt initium Seculi XIV.

Franciſcus Petrarcha, Joannes Boccaccius, Lombardus Sericus, ſeu de Serigo.

Seculo XV.

Poggius, Trapezuntius, Laurentius Valla, Bartholomaeus Faccius, Flavius Blondus, Franciſcus Philelphus, Beſſario, Theodorus Gaza, Aeneas Sylvius, Nicolaus Perottus, Rodolphus Agricola, Bartholomaeus Platina, Franciſcus Barbarus, Hermolaus Barbarus, Marſilius Ficinus, Nicolaus Leonicenus, Pomponius Laetus, Jovianus Pontanus, Angelus Politianus, Hieronymus Valle, P. Paulus Vergerius, Ambroſius Camaldulenſis, Leonardus Aretinus, Guarinus Veronenſis, M. Antonius Sabellicus, Porcellius, Palmerius, Franciſcus Contarenus, Jo. Antonius Campanus, Joannes Tortellius, Benedictus Accoltius, Janotius Manettus, Leonardus Juſtinianus, Antonius Panormita, Baptiſta Albertus, Baptiſta Mantuanus, Jo. Andreas Laſcaris, Joannes Auriſpa, Georgius Merula, etc.

Seculo XVI.

Jacobus Sanazarius, Ludovicus Vives, Coelius Rhodiginus, Thomas Linacer, Petrus Alcionius, Petrus Bembus, Aonius Palearius, M. Antonius Flaminius, Joannes Catta, Chriſtophorus Longolius, Janus Parrhaſius, Andreas Navagerius, Bartholomaeus Riccius, Jacobus Sadoletus, Balthaſar Caſtilionius, Sebaſtianus Corradus,

Jo.

Jo. Baptiſta Egnatius, Romulus Amaſaeus, Lazarus Bonamicus, Gabriel Faernus, Joannes Sturmius, Pierius Valerianus, Thomas Morus, Gulielmus Budaeus, Melchior Canus, Bernardinus Scardeonius, Lilius Gyraldus, Hieronymus Fracaſtorius, Henricus Glareanus, Andreas Alciatus, J. Caeſar Scaliger, Gaſpar Contarenus, Nonius Pintianus, Reginaldus Polus, Paulus Jovius, Robertus Stephanus, Joannes de Caſa, Joannes Brodaeus, Antonius Goueanus, Petrus Victorius, Hieronymus Vidas, Adrianus Turnebus, Franciſcus Robortellus, Dionyſius Lambinus, Paulus Manutius, Franciſcus Luiſinus, Jo. Baptiſta Pigna, Onuphrius Panvinus, Hubertus Folieta, Antonius Auguſtinus, Gulielmus Canterus, Petrus Ciacconius, Carolus Sigonius, M. Antonius Muretus, Fulvius Vrſinus, Barnabas Briſſonius, Joſephus Scaliger, Henricus Stephanus, Laevinus Torrentius, Douſa pater, et filius, Joannes Paſſeratius, Vbertus Giſanius, Matthaeus Raderus, Horatius Turſellinus, Petrus Perpinianus, Andreas Schottus, Jo. Petrus Mapheius, Bartholomaeus Latomius, M. Antonius Majoragius, Marius Nizolius etc.

EIVSDEM *Orationes X. de optimis ſtudiis cum Commentario de lingua Latina.* Editore *M. Sig. Jac. Apino*, Lipſ. 1725. 8.

Chriſtiani FALSTERI *Cogitationes variae Philologicae tripartitae:* quarum *Pars prima* uſum Philologiae profanae in ſtudiis Theologicis oſtendit; *ſecunda* labores praecipuos complectitur, qui in re Philologica vel deſiderantur vel redundant; *tertia* controverſias graviſſimas Philologorum et Criticorum componit. Lipſ. et Flensburgi 1719. Amſtel. 1729. 8. autem recuſae ſub tit. *Amoenitatum Philologicarum.*

Multa in his cogitationibus occurrunt, quae non de nihilo ſunt, ſed altioris indaginis videntur eſſe: non nulla tamen admiſcentur, quibus vereor ut per omnia accedant eruditi.

Liber omnino dignus eſt, cujus Conſpectum Lectori ſiſtamus:

PARS I.

Cogitatio 1: Male ſentiunt, qui litteras humaniores et lectionem ſcriptorum vett. gentilium procul a ſacris ſtudii Theologici eſſe jubent.

Cogitatio 2: Philologiae et litteris humanioribus prius vacare hominem oportet, quam Theologiae totum ſe tradere.

Cogitatio 3: Quodſi expeditior ſinceriorque fuiſſet priorum ſaeculorum Philologia, emendatior clariorque fuiſſet eorumdem Theologia neceſſe eſt.

Cogitatio 4: Hiſtoriae Eccleſiaſticae qui operam navant, profanam neſcire non debent.

Cogitatio 5: Philologiam ſacram absque auxilio profanae haud facile Theologorum quisquam adſecutus umquam fuit, aut adſequi poteſt.

Cogitatio 6: Theologiae Naturalis ſtudioſi bibliothecam gentilium excutiant, neceſſe eſt.

In hac Cogitatione verba notatu digna occurrunt p. 37, quibus *Severinus Lintrupius* utitur in *Praefatione* ad *Jo. Jan. Suquingii Theologiam Senecae moralem: Incidit*, inquiens, *mihi ſaepius id vel ſuadere vel optare, ut ſuorum in Academiis ſtudiorum ac profectuum ſpecimina daturi excitatiores litterarum elegantium juxta ac diviniorum cultores ingenium atque induſtriam luculentiore cum fructu ſuo et Lectorum applauſu, potius in copioſo eodemque fructuoſo ejusmodi:* reſpici heic debent praecedentia, in quibus opera eorum laudatur, qui Theologiam Naturalem e Philoſophi unius atque alterius ſcriptis excerptam orbi exhibuerunt, ſicut *Platonis* poſt *Plotinum* et *Numenium Marſilius Ficinus, Mocenicus*, *Fr. Patricius*, *Livius Galantes*, *Eſ. Pufendorfius*, *Henr. Fergius* et *J. F. Wucherer*; *Ariſtotelis Hier. Capraedonius*, *J. Fauſtius*, *B. Cellarius*, *A. Haedio*; *Platonis* atque *Ariſtotelis J. Ph. Treunerus*; *Hippocratis J. A. Schmidt*; *Homeri Rechenbergius*; *Ciceronis Treunerus*, *Haferungius* et *Hardtſchmidius*; *Luciani Treunerus* &c.: *aliquo, quam vulgari ac triobolari argumento exercerent, et ſanctiorem hujus aut illius, e Graecis vel Romanis, claſſici ſcriptoris doctrinam colligerent.* Hactenus *Lintrupius*. Atque hinc ipſe auctor conſilii hujus periculum facit, et ex Apuleji ſcriptis hujusmodi excerpta dat Theologiae gentilium purioris v. g. de Deo in genere, de Deo uno, de divinae eſſentiae inviſibilitate, de omnipraeſentia Dei, de omniſcientia Dei, de immortalitate Dei, de immutabilitate Dei, de juſtitia vindicativa Deo eſſentiali, de bonitate Dei, de creationis cauſa efficiente, de fato et providentia, de animae immortalitate, de ſtatu beatorum poſt hanc vitam.

Cogitatio 7: A morali Gentilium Philoſophia abhorrere non debet noſtrum Theologiae moralis ſtudium.

Pars II.

Cogitatio 1: In Bibliotheca Philologica Lexicon aliquod Criticum purioris latinitatis deſiderari mihi videor.

In hac Cogitatione p. 52. in orcheſtram producitur *Chriſtianus Oſtenfeld*, Profeſſor quondam Academiae Havnienſis, cujus *Pharus Latinitatis, varios voçum et dictionum Latinarum ſcopulos indicans*, ineditus in Bibliotheca, codices MSS. 1068 complexa et Hafniae 1726. vendita, Viri Illuſtriſſimi *Friderici Roſtgaard* repertus fuit: atque hujus libri aliquem guſtum dat Falſterus noſter aliquot paginis; ac deinde usque ad finem hujus Cogitationis ipſemet proponit Ideam Lexici Critici purioris Latinitatis, et benevole ſuam operam reip. litterariae offert ad concinnandum opus aliquod Lexicographicum abſolutius.

Cogitatio 2: Doleo ſaepiſſime, juſtam Graecorum Hiſtoriam litterariam ad noſtra usque tempora deſiderari, immo eo vehementius doleo, quo certius habeo, vere magnificum hoc operis genus et in litterariis facile princeps futurum.

Cogitatio 3: In maximo editionum, quae ſponte hodie, velut fungi, naſcuntur, proventu, gravitatem quaſi aliquam annonae et ſterilitatem ſentire mihi videor.

Atque

Atque haec Cogitatio quaſi ſupplementi loco eſſe poſſit ad Bibliothecam Latinam Fabricianam.

Cogitatio 4: Indices Latinitatis auctorum multi habent, ſed affectos magis, quam confectos; alii neque affectos, neque confectos.

Cogitatio 5: In re Philologica redundant variae Lectiones, ſaepiſſime onera et vana tantum ingenii operaeque exuberantis ſpectacula.

Pars III.

Cogitatio 1: De aetatibus et auctoritate veterum Latinorum varie ſentiunt Philologi. Ego auctoritatem ſingulorum non tam aetate, quam eloquentiae et dictionis praeſtantia metiendam eſſe exiſtimo.

Cogitatio 2: De ſcriptis Latinorum dubiis varie ſentiunt Philologi, quos inter facile, uti ſpero, conveniet, ſi exemplo Theologorum ſcripturam profanam in libros canonicos et apocryphos rite diſtinxerint.

Cogitatio 3: De ſcriptoribus Latinis variae nos circumfluunt Philologorum controverſiae, quo malo reſpublica litteraria facile, credo, vacaret, ſi iis contenta eſſet judiciis, quae prudentiſſima rei Philologicae arbitra antiquitas ipſa nobis reliquit.

Cogitatio 4: De recta latine ſcribendi ratione, quam *Orthographiam* vocamus, Gellius *rectam ſcripturam* lib. 13. cap. 24. lemm. non una omnium Philologorum mens eſt. Ego non tam ex Lapidibus, Monumentis aut Nummis veteribus, quam ex analogia, etymologia aut conſuetudine eruditorum petendam eam eſſe exiſtimo.

Cogitatio 5: De Etymologia ſive origine vocum Latinarum varie ſentiunt Philologi. Ego hanc non aliter admittendam eſſe cenſeo, quam Phyſici ſuas hypotheſes, quae nempe cum ratione conſentiunt, neque quicquam ex ea concludendum, niſi quod clare et diſtincte percipitur.

EIVSDEM *Quaeſtiones Romanae,* ſive *Idea Hiſtoriae Litterariae Romanorum, ipſis horum Graecorumque veterum teſtimoniis, nec non Indice neceſſario comitata:* quam claudunt denique *Memoriae obſcurae clariſſimorum quorumdam ingeniorum et monumentorum apud Romanos.* Lipſ. et Flensburgi 1718. 8.

Liber elegantia et perſpicuitate ſua ſingulari ſe commendat. In tres ſingulares libros diſtinguitur. *Libri I. Cap. 1.* agit de linguae Latinae diviſione. *Cap. 2.* de linguae Latinae origine et incrementis. *Cap. 3.* de litteris Romanorum. *Cap.* 4. de Scholis Romanorum. *Libri II. Cap. 1.* de Bibliothecis Romanorum. *Cap. 2.* de Bibliothecariis Romanorum. *Cap. 3.* de bibliopolis Romanorum. *Cap. 4.* de Profeſſoribus Romanorum veterum. *Cap. 5.* de Stipendiis et Salariis litteratorum apud Romanos. *Cap. 6.* de Gymnaſiis Romanorum. *Cap. 7.* de peregrinatione litteraria Romanorum. *Libri III. Cap. 1.* de ſtudio Theologico. *Cap. 2.* de Studio Philoſophico. *Cap. 3.* de Studio Poëtico. *Cap. 4.* de Studio Hiſtorico. *Cap. 5.* de Studio Oratorio. *Cap. 6.* de Studio Jurisprudentiae. *Cap. 7.* de Studio Mathematico apud Romanos.

Memoriae

Memoriae obſcurae, quas huic opuſculo ſuo Auctor ſubnectit, nihil aliud ſunt, niſi clare quaedam ſcriptorum Latinorum nomina, in quae ipſi incidiſſe contigit, quae a nemine recentiorum, quod quidem ſciat, huc usque illuſtrata ſunt: atque ſic *inſtar ſupplementi alicujus eſſe poſſunt* ad *Bibliothecam Latinam Fabricii*, et *ad* inſtructiſſimum *Opus Voſſii de Hiſtoricis Latinis*.

EIVSDEM *Supplementum L. L.* ſive *Obſervationes ad Lexicon Fabro-Cellarianum.* Flensburgi 1717. 8.

EIVSDEM *Vigilia Prima Noctium Ripenſium*, ſive *Specimen Adnotationum in A. Gellium*, *quo liber hujus VIIIvus deperditus ex infimis tenebris in lucem vocatur*, *praemiſſis Prolegomenis ad tuendum γνησιότητα Lemmatum Gellianorum*, *adjectisque ad calcem Specimine Lexici Gelliani et Indice triplici.* Hafniae 1721. 8.

Auctor, illecebris Gellianis captus, et ſummorum inſuper nominum auctoritate compulſus, *Noctes Ripenſes* in Noctes Gellii Atticas una cum Lexico Gelliano, tam Graeco, quam Latino, animo conceperat, poſt praeclaras *Moſellani* alicujus, *Oiſelii*, *Thyſii*, *Carrionis*, *Stephani*, *Phil. Caroli*, *Gronoviorum*, aliorumque interpretum vigilias; cujus quidem laboris praeſens hoc ſpecimen dat in librum VIII Gellii deperditum, multi ſane ſudoris et olei, licet exiguae molis. Lectorem autem orat, ut, ſi quae penes eum ſint clarorum virorum Notae, Emendationes aut Animadverſiones MSS. in Gellium, ſive privatae in mentem ei venerint cogitationes aut animadverſiones, earum ſe expertem eſſe ne patiatur.

In Prolegomenis dicit, Lemmata illa, quae ſingulis capitibus Gellii hodie praefixa eſſe videmus, an Gellio σύγχρονα ſint, ambiguum eſſe *Olao Borrichio* et plerisque eruditis; *Henricum Stephanum* pro ſpuriis et ſuppoſiticiis ea prorſus habuiſſe, qui proinde vapulet a *Phil. Carolo* Animadv. 3. in lib. I. Gell. cap. 1. p. 4. 5. et *Jacobo Gronovio* in Notis ad Gell. p. 12 et 743: ab ipſo autem Gellio profecta eſſe, ſe nullum dubitare, quum praeſertim quattuor argumentis ad hoc credendum inducatur. Haec quattuor autem argumenta ordine profert, et, quod ſingulis robur inſit, uberius commonſtrat.

In ipſa tractatione Lemmata Gelliana, quae capitibus libri octavi deperditi ſuperſunt, doctis ſuis adnotationibus Philologico-Criticis illuſtrat: ad calcem addit etiam *Specimen Lexici Gelliani* in haec ipſa lemmata libri hujus octavi deperditi.

Georgii Friderici FAVLMÜLLERI *Prodromus Lexici Curtiani*, Roſeti *nomine propediem divulgandi*, *una cum praefixa Epiſtola*, *aperiente cum cauſas hujus Lexici ex ſolo Q. Curtio conditi juſtiſſimas*, *tum ipſius ſtructuram in voce* Superbiae, *veluti in tabula pictam.* Nördlingae 1696. 4.

Johan-

Johannis Sturmii conſilia ſecutus

1. Non *ordinem alphabeticum*, ſed *ordinem rerum* ante oculos habet.

2. Ex omnibus partibus orationis tres tantum adſumi vult, abunde ſufficientes; ſcil. *nomen*, plerumque quidem adjectivum, interdum etiam ſubſtantivum, *verbum* item et *adverbium*.

3. Cuivis parti orationis, ſcil. *nomini*, *verbo* et *adverbio*, admovi vult a) *Synonyma*, quae copiam et delectum ſubminiſtrent. b) *Paradigmata* ſ. integrum textum et compoſitiones, prout in comitatu et poſitu leguntur, e quibus tum poteſtatem vocum, tum inflectendi conſtruendique rationem obſervare liceat. c) *Syntheta* ſ. conjuncta, quae apud veteres non inania aut ſuperflua ſunt. d) *Epitheta* ſ. adjuncta, quae pleraque ad praedicamentum quantitatis l. qualitatis pertinent; neque enim quaevis appoſita licita eſſe cenſet cum *Praſchio* in Roſeto p. 40. e) *Phraſes* ſ. actiones, addendo ſive verba, ſicuti in nomine contigit; ſive nomina, veluti fit in verbo; ſive utrumque, ceu adverbiis accidit.

4. Adhaec jungi vult *verſiones vocum Germanicas*, uſitato et accommodato idiomate ſubjectas, atque ex Indice Germanico locupletiſſimo, totius operis clauſula alphabetica, plenius cognoſcendas.

Ipſum autem *Lexicon* hoc *Curtianum* non dum, quod quidem ſcio, lucem adſpexit publicam.

EIVSDEM *Kurzer Entwurf von einer Lateiniſchen ſo genannten Curtianiſchen Profan-Concordanz, welche nach Anleitung der Teutſch-Bibliſchen Concordanz mit ihren locis parallelis aus dem ganzen Curtio operoſiſſime zuſammen getragen, und daraus eine reine, reiche und gleiche Redens- oder Schreibens-Fülle zu erlernen.* Sine loci indicio 1702. 4.

Atque eadem methodo Auctor putat etiam ex Cicerone, Livio, Terentio, cet. utilem hujusmodi vocabulorum Indicem, quem vulgo *Concordantiam* vocant, confici poſſe, ne linguae Latinae addiſcendae ſtudio tot ſcriptores ethnicos perluſtrare neceſſum habeant omnes ac ſinguli, qui eruditorum ordini adſcribi, nec tamen litteris his penitus ſe immergere cupiunt.

M. Bartholdi FEINDII *Hortus Comicus*, id eſt, *Phraſeologia Comica*, *longe omnium locupletiſſima, ex Plauto et Terentio ſummo ſtudio collecta, et in ſex partes diviſa: quarum agit* I. De Rebus Phyſicis et Medicis. II. De Oeconomicis. III. De Politicis. IV. De Ethicis. V. De Scholaſticis. VI. De Theologicis Gentilium. *In uſum et gratiam ſtudioſae juventutis, ad comparandam purioris et elegantioris latinitatis copiam edita. Cum duplici Indice*: I. Latino Titulorum et Capitum. II. Germanico Vocabulorum et Phraſium. Hamb. 1688, 1698. 8.

Quum

Quum Plautus ac Terentius, veluti Comicorum veterum magni illi duumviri, Latinae linguae theſaurum plane incomparabilem prae ſe ferant; tamen quum veſanos adoleſcentum amores, quum meretricum laſcivarum vitia atque impurorum lenonum technas impudico penicillo depingant, praecipue vero Plautus, qui vel hoc nomine etiam e ſcholis fere eliminatus videtur eſſe: operae pretium eſſe Auctor duxit, ne cum Zizaniis iſtis flores ipſos Latialis abjiciamus, hortum hunc, quem heic aperuit, adornare; in quo quidem etiam tirones ſine ullo corruptelae metu legere poſſunt multa, non ubivis obvia, at quae cum ſingulari venuſtate conjuncta tamen ſunt, ac, ſi Lipſio credimus, fruſtra alibi in toto Latio quaeruntur. Rationem ordinis ac diſpoſitionis eam Auctor ſequitur, quam *Joh. Sturmius* inculcat, non adſtrictam nimirum ad alphabeti ſeriem, ſed ad ordinem, quem ipſa rerum natura praeſcribit; niſi quod cum *Johanne Benzio*, qui in *Theſauro ſuo elocutionis Oratoriae* methodum Sturmianam, prout inſtitutum ipſius efflagitare videbatur, non nihil immutavit, paria prope modum fecerit. In eo autem praeſertim ſuam Auctor oſtendit prudentiam, quod cuncta ea, quae proſam orationem minus ornare videantur, abeſſe ab hoc horto ſuo voluerit. Selectu quippe opus erat in talibus colligendis. Infinita enim apud Plautum occurrunt, quae ſingularem notam merentur, quum ſint ad ſeriam et civilem orationem inepta, niſi forte in epiſtolis familiaribus, dialogis, ſatyris, aliiſque ſcriptis ludicris, ea joci gratia inſpergantur; quamvis et heic judicio opus eſt.

Scripſit Auctor etiam *Florilegium Germanico-Latinum ſententiarum proverbialium*, ed. Hamburgi 1720. 8.

Joh. Bapt. FERRETII *Muſae lapidariae, Antiquorum in marmoribus carmina, ſ. Deorum donaria, hominumque illuſtrium monumenta et deperdita Epitaphia: Notis Hiſtoricis illuſtrata.* Veronae 1672. fol.

Opus ſplendidum eſt. *Theod. Ians. ab Almeloven* adnotationes ad hunc librum fecit; quae tamen in MSto adhuc latent.

Michaelis FETTERI *Succus Curtianus.* Witteb. 1668. 12.

J. J. FICHTELII *Hodegus Grammaticus theoretico-practicus.* Stockholmiae 1705. 8.

Sebaſtiani FIGULI, Landavienſis Rhenani, *Epithetorum Oratoriorum farrago, ex optimis et probatiſſimis linguae Latinae auctoribus collecta in uſum eorum, qui ſtilum ſuum ad exempla antiquiſſimorum et politiſſimorum oratorum dirigere cupiunt.* Francof. 1582, 1588. 8.

Hujusmodi *Epithetorum et Adjunctorum farragines* dedere etiam *Jacobus Cellarius, Antonius Jolius, Horatius Tuſcanella*, et, qui inter hujusmodi ſcriptores principatum jure meritoque tenet, *Petrus Johannes*

hannes Nunneſius. Occurrunt etiam *Analecta Epithetorum Ciceronis et Antitheta* in editione *Elegantiarum Vogelmanni Magdeburgenſi,* quae 1609. 8. prodiit.

Caſpari FINKII et *Chriſtophori* HELVICI, Philoſophiae in Academia Gieſſena Profeſſorum, *Grammatica Latina ex praecipuis veterum et recentiorum Grammaticorum, Oratorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, Philologorum, Poëtarum, cet. coryphaeis in legitimum ſyſtema, qua fieri potuit, brevitate redacta.* Gieſſae Haſſorum 1613, 1615. 8. Goslar. 1621. 8.

Eximiis plane obſervationibus abundat. Proſodiam haec Grammatica non attigit, eo forte, quod *Poëticen Gieſſenam,* quae ab his auctoribus itidem profecta eſt, Compendio huic jungi poſſe crediderunt. Vbique veſtigia deprehendas *Scaligeri, Vallae, Verepaei,* in ſubſidium etiam ſubinde vocatis *Rivio, Heinrichmanno, Coelio Rhodigino, Popma, Loſſio, Friſchlino, Giſanio, Adamo, Melanchthone, Bonciario, Perotto, Taubmanno,* aliis.

I. C. FISCHERI Diſſ. *de judicio phraſium ſtili Romani vulgo neglecto,* Jenae 1736. 4.

M. Verrii FLACCI et *Sexti Pompeii* FESTI *Fragmenta et de verborum veterum ſignificatione libri XIX.*

Feſti Fragmenta a Fulvio Vrſino edita et ſchedae a Pomponio Laeto relictae. *Ejusdem librorum XIX de verborum veterum ſignificatione reliquiae* cum *Pauli Diaconi ex iisdem Epitoma* conjunctae, et in unum corpus digeſtae ab Aldo Manutio, Achille Maſeo, et denique ab Antonio Auguſtino, praemiſſa etiam *Paulli epiſtola ad Carolum M. Imp.* Illa Pauli Epitoma primum ſaepius prodierat, tum alibi, tum ad calcem Cornu Copiae Nicolai Perotti. Melior, ordinatior et locupletior Antonii Auguſtini Epiſcopi Ilerdenſis editio cum animadverſionibus prodiit Venetiis 1560. 8. in qua ea, quae Pauli ſunt, et quae Feſti, poſita in margine nota diſtinguuntur, et Verrii Flacci fragmenta praemittuntur. Hanc Auguſtinianam editionem repeti juſſit, et caſtigationibus doctiſſimis illuſtravit Joſ. Scaliger Pariſ. 1575. et 1576. it. Florentiae apud Juntas 1582. 8. ſubjectis etiam ſeorſim notis, quae in Veneta editione antea prodierant. Ab eo tempore Fulvius Vrſinus Fragmenta ipſa Feſti, qualia Manilius Rallus et Pomponius Laetus habuerant, et a Rallo acceperat Politianus, ex Farneſii Cardinalis Bibliotheca publicavit, et cum ſuis notis edidit Romae 1581. Scaligeri et Vrſini editiones junxerunt, et utriusque notas adjecerunt Heidelbergenſes 1583. et dein Genevenſes in Officina Sanct. Andreana 1593. 8. Denique luculentam, emendatam et elegantem Feſti editionem debemus Andreae Dacerio, qui in uſum Delphini illuſtratum edidit Pariſ. 1681. 4. De prioribus autem hoc fert judicium: *Pauca eorum praeſtitit Antonius Auguſtinus, quae praeſtare potuiſſet. In multis divinus Scaliger: ſed,* *dum*

dum ingenio ſuo nimis indulget, ſaepe nubes captat, et nil minus, quam Feſtum, interpretatur. Fulvius Vrſinus, reliquis felicior, utiliorem operam navavit: ſed ſic etiam Feſtum non tam emendatum, quam emendandum et emendari facilem tradidit. Dacerii editio recuſa curante Joh. Clerico Amſt. ap. Huguetanos 1699. et 1700. 4. adjectis notis integris, quae ſingulis paginis ſubſternuntur, Joſephi Scaligeri, Fulvii Vrſini et Antonii Auguſtini, una cum fragmentis et ſchedis atque Indice novo.

Hæc cum quibusdam additamentis noſtris interpolata exſcribere ex Fabricii Bibl. Lat T. I. l. 4. c. 6. p. 764. ſeq. volui, ubi recenſetur Collectio Grammaticorum a Dionyſio Gothofredo procurata, qui etiam huic Syllogae ſuae utrumque Grammaticum noſtrum, Flaccum et Feſtum, inſeruit.

Ad Feſti laudem ſatis eſſe poteſt judicium, quod ſuo tempore Joſeph. Scaliger tulit: *Feſto*, inquiens, *ſcriptorem utiliorem lingua Latina non habet.*

Guil. FLEETWOODI *Inſcriptionum antiquarum Sylloge; cujus Pars I. inſcriptiones ethnicas; Pars II. monumenta Chriſtiana continet.* Londini 1691. 8.

E vaſtis illis *Gruteri*, *Reineſii*, *Sponii*, aliorumque corporibus *Inſcriptionum Syllogen praecipuarum* ſelegit ediditque, quae cupidos antiquitatum talium ſtudioſos, et tamen emendis ſumtuoſis voluminibus impares, juvare poteſt. *Mork.* Polyh. Tom. I. p. 920.

Ethnicas ſingulares et rariores, Chriſtianas vero, quae huc usque innotuere, omnes exhibere ſe profitetur: quod utrumque promiſſum non eſt ita ſtricte intelligendum, ut non multa eum effugerint, vel omiſſa ab eo fuerint. Optandum erat etiam, illum loca, unde ſingulas depromſiſſet, adnotaſſe, indicesque ſubjeciſſe. Nihilominus ita quoque non inutilem operam praeſtitit tironibus, quibus vaſta illa opera evolvere vel non licet vel non vacat.

Burcardus Gotthelf Struvius in Bibliotheca ſcriptorum Antiquitatum Romanarum p. 32. obſervat, *Fleetwoodum* e *Jo Baptiſtae Ferretii Muſis lapidariis* ſuppoſiticias quasdam inſcriptiones ſibi paſſim fuiſſe obtrudi.

Jo. Adami FLESSAE Diſſ. *De cadente Latinitate Orthodoxiae noxia.* Baruthi 1727. 4.

Franciſci FLORIDI Sabini *Apologia pro M. Accio Plauto, aliisque Poëtis Latinis, adverſus linguae Latinae obtrectatores, ex bibliotheca* Joh. Phil. Parei. Accedit ejusdem opera *Libellus de imitatione Terentiana.* Neapoli Nemetum 1618. 8. Subjectam etiam hanc Apologiam videmus *Gifanii Obſervationibus* et quidem quarto et ultimo loco Additamentorum.

Lectiones Ejus *ſubſicivae* inſertae ſunt *Tomo I. Lampadis Gruterianae.*

Claudii

Claudii FOCK *Spicilegium Philologicum* ſ. *Lexicon curioſum, continens perplurima ſcitu et cognitione digniſſima a Lexicis et Indicibus auctorum errata et praeterita, phraſes et vocabula Latina antiqua, antiquata; nova, novata; claſſicorum auctorum ſingularia et rara, obſervanda quidem, ſed non in crebriorem uſum trahenda; τὰ μέσα ſeu media; reciproca ſeu ἀμφιβολικὰ et ancipitia; merito ſuſpecta* ſive *barbara atque inuſitata; falſo ſuſpecta, licet non ita obvia, aureae et argenteae aetatis, nec non aeneae et ferreae, vel idiotismis peregrinis, praeſertim Sueticis et Germanicis analoga; ἑτερόκλιτα ſeu diverſae terminationis et conſtructionis; dubia; Pleonasmos; (horum ſilvulam vide in Vechneri Hellenolexia L. 1. c. 19.) terminos Philoſophicos a Cicerone, Seneca, A. Gellio, Quintiliano, et Apulejo latine expoſitos; differentias vocum phraſiumque veras falſasque;* item *Regulas Syntacticas veras falſasque, collectum primo in uſum domeſticum, deinde in lucem editum.* Cui adiecta *Synopſis Critica Syntaxeos Tiderianae et Scioppianae*, ut et *Epitaphia D. Abelis et auctoris more Rom. ſcripta.* Lincopiae 1728. 4.

Ex Borrichio, Cellario, Popma, Scheffero, Scioppio, Vorſtio et Voſſio praeſertim haec ſylloge conflata eſt. Brevior auctor eſt et adſtrictior pluribus in locis, quam gratum eſſe poſſit lectori harum rerum cupido. In Grammaticis additamentis Sanctiana et Scioppiana ſequitur principia. Eodem auctor tempore idem, quod ego in Lexico meo Antibarbaro, ſecutus propemodum eſt inſtitutum. Conſ. *Nova* litt. Lipſ. Lat. a. 1713. P. V. n. 9.

Vberti FOLIETAE *De linguae Latinae uſu et praeſtantia, libri III.* Romae 1574. 4. Cum *Stephani Doleti Formulis Latinae linguae*, conjunctim prodiit Argentinae 1585. 8. Notas adjecit et *Diſſertationem* ei praemiſit elegantem et lectu digniſſimam *De linguae Latinae cultura et neceſſitate cum vita Folietae Joh. Laurentius Moshemius.* Hamburgi 1723. 8.

Vix Graecae Latinaeque litterae ex tenebris, quibus eo usque velut conſepultae jacuerant, iterum emerſerant, quum in ipſa Italia acerrima inter viros doctiſſimos contentio oriretur, num Latina potius, an Etruſca lingua, in libris, poſteritatis calculum ac ſuffragium relaturis, utendum eſſet? Erant quidem, qui, utriusque linguae ſtudium conjungendum, cenſebant, ut *Jo. Caſa, Petrus Bembus, Coelius Calcagninus*, aliique; ſed pauciores illi, ſi cum iis compararentur, qui aut pro Italica aut Latina lingua pugnabant. Italicam namque, ſpeciatim Etruſcam, quae poſt fata *Petrar-*

O *chae,*

chae, *Dantis* et *Boccatii*, ſpreta quodammodo et derelicta fuerat, revocare iterum, et ad priſtinam evehere dignitatem, conati ſunt *Paulus Benius*, *Franciſcus Alunnus*, *Arioſtus*, *Taſſus*, aliique; ne quid de *Caſa* et *Bembo* dicam, qui utramque linguam, ut modo diximus, conjungendam putabant. Sed hiſce omnibus magno animo ſummiſque viribus ſe opponebant *Muretus*, *Manutius*, *Romulus Amaſaeus*, aliique, ac praeſertim *Hubertus Folieta* noſter in *libello* hoc *ſuo* elegantiſſimo *de linguae Latinae cultura et neceſſitate*. Summe Venerabilis *Moshemius*, qui eum recudi fecit, in Praefatione, quam eidem praemiſit, § 13. p. 31. ſeqq. et in Adnotationibus p. 82. ſqq. de hocce doctorum virorum in Italia certamine uberius agit, et in priori quidem loco, apud alias quoque gentes eamdem motam interdum controverſiam eſſe, obſervat. In Gallis namque *Joannem Labovrerium* (Laboureur) extitiſſe, qui linguae ſuae prae Latina praerogativas peculiari libello, a *Samuele Sorbierio* Paris 1669. *des Avantages de la Langue Françoiſe ſur la langue Latine* edito, explicare ſtuduerit, contra quem *Sluſius*, Mathematicus inſignis, idemque Latine doctiſſimus, duabus epiſtolis, itemque *Iſaacus Voſſius*, tectius quamvis et ſuppreſſo Sorbierii nomine, gloriam Latini ſermonis adſeruerit. Addit deinde: *Hodie, uti dixi, praecipuae Europae gentes, dum ſua patriis commendant litteris, haud eſſe neceſſarium, Latina lingua uti, adfirmant. Quarum exemplo Germanorum plurimi in eam prope ſententiam inciderunt, ut Germanice ſcribere, glorioſum putent, eosque, qui Latino ſermoni nuntium mitti poſſe negant, in hoſtibus patriae, aut certe nugarum et adulterinae eruditionis patronis habendos eſſe, ducunt.* Recte vero etiam monet, eos, qui hiſce conatibus ſe opponunt, haud raro in alterum procurrere extremum, aut ejusmodi pugnare rationibus, quae riſum potius excitare aptae ſint, quam ut alios in illorum pertrahant ſententiam. *Friderici Taubmanni* et *Bernardi Aldrete* Hiſpani hoc probat exemplo, quorum *ille*, Latinae potiſſimum linguae beneficio ſalutem Imperii Romano-Germanici contineri, ſerio graviterque diſputavit; *hic* autem Romanorum ſermonem *labium* illud *electum* eſſe, pronuntiavit, quod Deus interprete Sophonia cunctis terrarum orbis nationibus promiſerit. Addere potuiſſet *Melchiorem Inchoferum*, cujus *Hiſtoriam ſacrae Latinitatis* infra commemorabimus, et de quo *ipſemet* in *Adnotationibus ad Folietam* p. 117. obſervat, eo temeritatis illum proceſſiſſe, ut ipſum Servatorem ſæpius Latine locutum, adſeverare non dubitaret, hac maxime de cauſa, quod veriſimile ſit, eum legibus Romanis, quae ſermonis Latini uſum imperabant, paruiſſe. Nemo autem forte melius, majorique ſermonis elegantia, linguae Latinae cauſam egit, quam ipſe *Hubertus Folieta*, qui *Moshemio* iſtam commentandi occaſionem praebuit. Praecipuum certe, quod *Folietae* opponi poterat, argumentum, non omnia, quae hodie in uſu ſunt, verbis Latinis, iisque puris, et apud veteres Romanos uſitatis, exprimi poſſe, ita diluit, ut copioſe multisque rationibus oſtendat, licere nobis interdum nova vocabula, novaque rerum nomina, in Latinum ſermonem inducere; p. 150. ſeqq. Sed multa quoque alia recte et eleganter de Latina lingua monet, quae legiſſe, poenitebit neminem. *Buddei Iſagoge p. 111. ſeq.*

Nos

Nos quidem pace eorum, qui haec legunt, iis, qui Latinae linguae cauſſam ita egere, ut *ἐις ἀμετρίαν τῆς ἀπολης* propendere videantur, adjungimus *Gabrielem Barrium*, Italum, qui conſcripſit librum *De laudibus Italiae*, item *Libros V. de Calabriae antiquitate et ſitu*, editos Romae 1571. 8, qui utrique inſerti ſunt *Theſauro antiquitatum et hiſtoriarum Italiae, Campaniae, Neapolis et Magnae Graeciae*, in *cujus Tomo IX. ed. Lugd. Bat.* 1723. eos: *Barrius* exorciſmo litterario quaſi ferit, qui ſua ipſius ſcripta in linguam Italicam transferre aliquando audeant, quum haud aliter, ac Latine, apud poſteros loqui cupiat. *Ego illis*, inquit, *qui hos aliosque meos libros, Latine a me editos, in vulgarem ſermonem verſere audebunt, jam nunc Dei iram imprecor, ne exigant annum. Atque ne hae imprecationes in hujusmodi improbos, nefarios et lucriones homines irritae ſint, Deum ipſum vindicem imploro. Nolo enim eas lucubratiunculas, qualescumque hae ſint, in Italia tantum maligni ac ſordidi et imperiti vulgi obtuſo et hebeti judicio exponi ac brevi aboleri: ſed ubique gentium in eruditorum manibus verſari et aeternitati donari. Futurum eſt enim, ut, quantum auguror, e proximo Latina lingua ſimul cum fide et imperio Romano rurſus univerſum orbem permeet. Vulgares autem libelli propediem cum ſuis auctoribus interibunt.* Ita *Barrius*: cujus me ambitionis ſtolidae et ineptiarum eo taedet magis, quum haud verecundetur abuti ſanctiſſimo Dei nomine in gratiam ſuarum, quas ipſemet vocat, lucubratiuncularum.

Balth. Andr. FONTANI *Lexicon Quadrilingue Lat. Germ. Polon. Graec.* Dantiſci 1624. 8.

FORVM *Romanum.* Vide ſupra *Curionem.*

Sebaſtiani FOXII *Libri duo de Imitatione* ſive *de formandi ſtili ratione.* Antwerp. 1554. 8.

Opuſculum ſatis bellum eſt. Edidit etiam Auctor noſter *Libros III. de regni Regisque et Principum inſtitutione, Francof.* 1608. 8.

FRAGMENTVM, *quod Romae ſupereſt, columnae Duillianae:* id quod praeter *A. Manutium* Orthogr. p. 142. ſeq. et *Gruterum* Inſcript. p. 404. n. 1. exhibet *Andreas Schottus* in Itinerario Italiae, edito Amſtel. 1655. p. 349. et *Hubertus Folieta* lib. 2. de L. L. uſu et praeſtantia p. 155. ſeq. ſingulari autem libro explanavit non modo *Rubeus*, doctus Italus, 1635, ſed deinde etiam *Petrus Ciacconius*, Hiſpanus; unde vel nuper adeo *Joh. Nic. Funccius* de pueritia L. L. p. 297. ſeqq. et *Cl. Weberus* Introd. in Hiſt. Lat. ling. p. 59. ſeqq. eam transſcripſit ac mutuatus eſt.

Latinas inter inſcriptiones nihil antiquius habemus. Vno anno poſterior eſt inſcriptio L. Scipionis, filii Barbati; quam una cum Duilliana re-

praeſentavit illuſtravitque modo laudatus *Joh. Nic. Funccius* cap. 5. libri de pueritia L. L. p. 325. ſeqq.

Fragmentum columnae Duillianae primitus quidem *Aldus Manutius* et *Janus Gruterus* ll. cc. exhibent, ſed vitioſe deſcriptum. *Petri Ciacconii* in columnae hujus roſtratae inſcriptionem, a ſe conjectura ſuppletam, explicatio eſt apud *Graevium* Roman. Antiquit. Theſauro, Tomo 4. Ipſa columna aeri elegantiſſime inciſa cum ſupplemento Ciacconii etiam reperitur in L. Annaei Flori editione, quae cum adnot. variorum, ex recenſione *Joh. Georgii Graevii* 1702. 8 maj. lucem publicam vidit, tom. 1. p. 155. Eandem exhibet etiam cum diligenti variantium lectionum examine doctiſſ. *Auctor Adnotat. ad Livium* edit. Oxonienſ. 1708. 8. vol. 6. p. 204; et plures alii, quos ibi nominat. Aliud *ſupplementum* ejus *Iuſtus Lipſius* ad hiſtoriam e Polybio, Zonara, aliisque concinnavit: quod vide ap. *Guil. Fleetwood* Inſcript. antiq. Syll. p. 66. n. 3. Conf. *Lipſii* Ant. Lect. l. 2. c. 14. ubi tanta cura expreſſiſſe omnia, de ſe praedicat, ut non ipſa fides poſſit fidelius. *Petrus Burmannus* Theſauro Antiquitatum et Hiſtoriarum Italiae Tom. 9. Part. 8. inſeruit *Gauges de Goze* Diſſertationem de inſcriptione Columnae roſtratae C. Duillio poſita et in foro Romano eruta.

Jo. Thomae FREIGII *Orthographia.* Francoſ. 1537. 8.

EIVSDEM *Grammatica Latina.* Norimb. 1585. 8.

Eodem fere cenſu habenda eſt, quo P. Rami Grammatica.

EIVSDEM *Notae ad Colloquia* Ludovici Vivis. Norib. 1582, 1594. 8.

Variis refertae ſunt obſervationibus ad L. L. ἀκρίβειαν ſpectantibus.

EIVSDEM *Paedagogus* h. e. *libellus oſtendens, qua ratione prima artium initia pueris tradi poſſint.* Baſileae 1592, 1682. 8.

EIVSDEM *Ciceronianus, in quo ex Ciceronis monumentis ratio inſtituendi locos communes monſtrata, et Eloquentia cum Philoſophia conjuncta, deſcripta eſt, libris decem.* Baſil. 1575, 1579, 1596. 8.

Concinnavit heic *Freigius* e ſcriptis Ciceronis quaſi encyclopaediam aliquam, omnia verbis Ciceronianis apte inter ſe connexis exprimens; in ordine inſtituendo, ut ſolent Ramiſtae, ſatis diligens, cujus ille typum et ſchematiſmum praemiſit. Ad Deum vero et hominem omnia retulit: hominis locos dividit ſecundum partes, cauſas, adjuncta. Sub adjunctis comprehendit omnes artes virtutesque. De rebus moralibus et civilibus diſſertaturo loci Ciceroniani ſtatim patent, quibus exornari oratio, vel rerum argumentis vel verborum delectu poteſt. Numquam enim paene oratio ſcribitur, quin vel tota, vel quadam ſui parte in loco aliquo communi verſetur: atque ſic proderit oratori liber ille, quemadmodum ſacro oratori prodeſſe poſſunt libri de virtutibus et vitiis ſcripti, ut *Peraldi Summa virtutum et vitiorum*, *Creſollii Anthologia de ſelectis piorum hominum virtutibus.* Idem *Thomas Freigius* in iſto libro ſuo p. 508. uberiores

locos

locos communes promiſit. *Haec*, inquit, *habemus ex Ciceronis monumentis, locorum communium demonſtratio fuit: vix juſta unius aut alterius menſis meditatione ſic nobis conſcripta, memoria locos ex aliis alios ſuppeditante. Equidem pleniores illos juſtioresque locos, mentis quadam deſignatione jam delineatos, ex omnibus omnium temporum ſcriptoribus, Poëtis, Hiſtoricis, Philoſophis, Oratoribus, Medicis, Jureconſultis, Theologis congeſtos, aliquando plenius editurum me confido. Vbi enim melius aut vitae humanae utilius hoc litterarium otium, quam diu mihi eo uti licet, collocabo? Interim ejus majoris operis ac laboris ſpecimen hic noſter* Ciceronianus *eſto, qui, qualia cetera futura ſint, aeſtimanda beneuolis lectoribus relinquat.* Sed nihil ex illis, quod ego memini, lucem vidit, magnopere in multis profuturum. Eodem modo e Poëtis moralis doctrinae locos communes *Henricus Stephani* congeſſit. *Morh.* Polyh. T. I. p. 257.

Subjungit *Freigius* Ciceroniano ſuo *Deſiderii Jocotii* libellum *de Philoſophorum doctrina* ex eodem Cicerone collectum, qui a Jacobo Gronovio inſertus eſt Tomo X. Theſauri Antiquitatum Graecarum. Vtinam ibidem recudi feciſſet etiam praeclarum opus *Adami Burſii*, Poloni, raro certe obvium, quod inſcribitur *Ciceronis Dialectica*, quam ex Stoicorum maxime ſententia in ſcriptis diſperſe reliquit. Samoſcii 1604. 4. *Fabr.* Bibl. Lat. Vol. I. p. 148.

Joh. FREINSHEMII *Quaeſtiones Miſcellaneae.* Argent. 1640. 8.

Caroli du FRESNE, Domini du Cange, Regis a Conſiliis et Franciae apud Ambianos Quaeſtoris, *Gloſſarium ad Scriptores mediae et infimae latinitatis, in quo Latina vocabula novatae ſignificationis aut uſus rarioris, barbara et exotica explicantur, eorum notiones et originationes reteguntur; Complures aevi medii ritus et mores, legum, conſuetudinum municipalium et Iurisprudentiae recentioris formulae et obſoletae voces; utriusque Ordinis, Eccleſiaſtici et Laici, dignitates et officia, et quam plurima alia obſervatione digna recenſentur, enucleantur, illuſtrantur e libris editis, ineditis, aliisque monumentis, cum publicis, tum privatis.* Accedit *Diſſertatio de Impp. Conſtantinopolitanorum ſeu de inferioris aevi vel Imperii, ut vocant, numiſmatibus.* Tomi duo. Pariſ. 1678. Francof. ad Moen. 1631, 1681, 1687. Lugd. 1688. Francof. ad Moen. 1710. Editio noviſſima, multo locupletior et auctior, opera et ſtudio Monachorum Ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri 6 Voll. Pariſ. 1733. fol.

EIVSDEM *Appendix ad Gloſſarium mediae et infimae latinitatis*, ſubjuncta *Ejus Gloſſario ad ſcriptores mediae et infimae Graecitatis*. Lugd. 1688. fol.

In eodem argumento verſantur *Gerh. Joh. Voſſius*, in *Gloſſematis Latino-barbaris;* de quibus infra; *Henricus Spelmannus*, in *Gloſſario Archaeologico;* quo de infra: *Guilielmus Sommerus*, in *Dictionario Saxonico-Latino-Anglico;* quo de infra: *Fridericus Lindenbrogius*, in *Gloſſario*, quod *Codici Legum* ab eo edito ſubjunctum 1613 in lucem prodiit: *Johannes Loccenius*, in *Lexico Juris Sueo-Gothici: Gothofredus Wendelinus*, in *Gloſſario vocum Legum Salicarum*, ed. Antwerp. 1649: *Johannes Lydius* in *Gloſſario Latino-barbaro;* quo de infra: *Franciſcus Hotomannus*, cujus *voces feudales quaedam notiores illuſtratae et explicatae* ſubjunctas fere eſſe conſpicimus *Joh. Calvini Lexico Juridico: Cornelius Margarinus* in *Dictionario Longobardico* C. *Dilucidatione verborum et dictionum exoletarum, quae in Longobardicis monumentis haberi poſſunt, ex legibus et tabulis Longobardicis ac probatiſſ. Hiſt. ſelecta, ed. Tuderti 1670. 8.* Ne quid dicam de *Pithoei*, *Pignonii*, *Colvenerii* et *Watſii* huc pertinentibus obſervationibus. Hos autem et alios, qui in explicandis et colligendis mediae et infimae latinitatis, undecumque arceſſitis, vocibus ac locutionibus barbaris occupati umquam fuerunt, Illuſtris Auctor noſter multis paraſangis poſt ſe relinquit.

Hadrianus Valeſius ad hoc Gloſſarium Cangianum latinitatis mediae *obſervationes* dedit, quas exhibent *Valeſiana Lutetiae 1695.* publicata.

Joh. Frid. FRISCHII *Commentatio de Antiphraſi nulla*. Freibergae 1740. 4.

EIVSDEM *De Vſu Participii Praeteriti Romano Obſervationes priores ad Voſſii Lib. VII. de Arte Grammatica.*

Inſertae ſunt Miſcellaneis Lipſienſibus Novis Parti IV. Voluminis IV.

EIVSDEM *De Vſu Participii Praeteriti Romano Obſervationes poſteriores.*

Inſertae ſunt Miſcellaneis Lipſienſibus Novis Parti I. Voluminis V.

Nicodemi FRISCHLINI *Grammatice Latina compendioſe ſcripta, ac in octo libros diſtributa, nec non a pluribus, quam ſexcentis, tam veterum, quam recentiorum Grammaticorum erroribus et innumeris ſoloeciſmis liberata.* Acceſſerunt praeterea ad finem hujus editionis etiam *Paralipomena Grammaticalia, tam docentibus, quam diſcentibus perquam utilia.* Francof. 1586, 1592, 1599. 8. Prodiit etiam aliquoties Tubingae.

Auctor primis Grammatices reformatoribus ſuo quodam merito adnumeratur. Acute ſingula diſponit, et ad trutinam rationis, quatenus haec

etiam in Grammatica regnare debet, examinat. Vetuſtiſſimis ac probatiſſimis regulis inhaeret, et quibus olim pueritiam in ſcholis ſuis inſtituere Fabius, Porphyrius, Gellius, Acro, Servius, Donatus, Diomedes, Chariſius, Priſcianus, Valla, Linacer, Melanchthon, et iſtorum omnium Ariſtarchi, Julius Scaliger, Saturnius, Ruſcellus, Vives et alii paene innumerabiles viri. Vid. *Langius* in *vita Friſchlini*, quae prodiit Helmſt. 1725. 4. p. 75 — 88; et alibi.

EIVSDEM *Diſputatio Grammatica, qua demonſtrantur et refutantur falſae et ſuperfluae regulae, abſurdae item et ab omni ratione alienae definitiones ac diviſiones Grammaticorum.* Argent. 1586. 8.

Secutus iterum eſt optimae notae Grammaticos; ſed ita, ut nulli adſentiatur, ſimpliciter aliquid adfirmanti aut neganti.

EIVSDEM *Prodromus in ſecundum celeſtiſſimi Grammatici Dialogum adv. Mart. Cruſium.* Urſellis 1588. 8. Urſellae, arum, oppidum ditionis Moguntinae in Comitatu Königſteinenſi, a Francofurto ad Moenum binis milliariis diſtans, typographia olim celebre: deflagravit a. 1645 cum ſplendido ſuo templo totum, exceptis domibus duabus, vel ad ſummum tribus.

EIVSDEM *Strigilis Grammatica et Dialogi tres adverſus* Martinum Cruſium *pro ſua* Grammatica et Strigili Grammatica. Urſell. 1586, 1587. Argent. 1594. 8.

EIVSDEM *Poppyſmus Grammaticus pro* Strigili ſua Grammatica, *tributus in duos Dialogos.* Pragae 1587. Argentorati 1588, 1594. 8.

EIVSDEM *Poppyſmi Grammatici Dialogus tertius*, contra Antiſtrigilion. Cruſii. Urſellis 1596. it. Argentorati 1596. 8.

Haec Friſchlini ſcripta oppoſita fuere *Martino Cruſio*, Profeſſori Graecae Linguae Tubingenſi, qui haec fere evulgaverat contra Friſchlinum ſubſequentia:

1. *Libros IV. Animadverſionum in Grammaticam Friſchlini, Argent.* 1586. 8.

2. *Defenſionem neceſſariam adverſus Nic. Friſchlini Dialogos, Baſil.* 1587. 8.

3. *Juſtam, veram et poſtremam Reſponſionem ad Nicod. Friſchlini ſceleſtiſſimum celeſtiſſimum, Baſil.* 1588. 8.

4. *Reſponſionem adverſus Poppyſmi Grammatici Dialogum III. Friſchlini, Francof. 1599. 8.*

Friſchlinus poſtquam Scholae Laubacenſis conſtitutus eſſet, re ſic exigente, et communicato conſilio cum uno et altero ex proceribus, novam conſcripſit *Grammaticam* illam, quam heic in ſcaenam produximus, et quae brevitate et veritate praeceptorum methodique elegantia ſtudiis diſcentium aliquanto aptior et accommodatior eſſet, quam illa compendia, quibus tunc juventus in eo terrarum tractu adſueta erat. Eodem fine ac conſilio poſtea etiam ſcripſit *Strigilim Grammaticam*, in qua diſputatur contra omnes omnium nationum Grammaticos, praecipue vero contra novitiorum quorumdam Grammatiſtarum errores. Hi conatus ut doctioribus paſſim in Italia et Germania valde placuerunt; ita non defuerunt, quibus ſummopere diſplicerent; praecipue vero *Strigilis:* quod in ea aliquanto durius vulgarium Grammatiſtarum errores reprehendi viderentur. Atque in his erat *Martinus Cruſius*, Profeſſor Gr. et Lat. linguae in Academia Tubingenſi, qui ſcriptis his, quorum mentionem injecimus, editis bellum Friſchlino movit plus quam Grammaticale: cujus quidem litis hiſtoriam fuſius exponentem vide *Burkhardum* de fatis L. L. per Germaniam P. I. p. 501. ſeqq.

EIUSDEM *Nomenclator trilinguis Graeco-Latino-Germanicus, continens omnium rerum, quae in probatis omnium doctrinarum auctoribus inveniuntur, appellationes, quarum aliquot millia nusquam ſunt obvia. Opus nova quadam methodo ſecundum categorias Ariſtotelis non ſine labore maximo continuatum.* Francof. 1585, 1594. 8. Spirae 1596. 8.

Optimum erat, quod habebat in animo Friſchlinus, inſtitutum, ipſi Sturmio vehementer probatum. *Tribus* enim *libris* complexus erat omne ſtudium Latinae linguae: *quorum primus* ſingularum rerum et ſubſtantiarum nomenclaturam continere debebat; *alter*, quae ad praedicamentum actionis et paſſionis pertinent, verba complecteretur; *tertius* dialogos ex his ductus confectos: ut adeo mature diſceret juventus puram et propriam latinitatem. Sed infelici morte praepeditus non niſi primum librum, hoc *Nomenclatoris trilinguis* titulo inſignitum, publicae luci expoſuit.

Jo. FRISII *Lexicon trilingue.* Argentor. 1612. fol.

Uti *Doletus* e *Theſauro Stephani* ſua maximam partem hauſit; ſic *Friſius* ſuum hoc penu ditavit potius ex *Foro Romano Curionis.* Auctorum nomina negligenter addit, libris eorum capitibusque omiſſis. Ceteroquin autem optimae notae hoc in genere liber eſt: cum enim verborum et locutionum ordinem ſervat, qui bono Lexico quam convenientiſſimus eſt. Aliis hoc Friſii opere Rob. Stephani Theſaurus in breviorem ſummam contractus videtur.

EIUS-

EIVSDEM *Dictionarium bilingue Latino-Germanicum, et Germanico-Latinum,* conſtans Partibus II. Tiguri 1686. 8. Colon. 1723. Tiguri 1747. 8 maj.

Ex *Lexico* Ejus *trilingui*, tamquam in breviorem ſummam, pro incipientibus contractum eſt: nec deeſt tamen neceſſariarum locutionum copia; cui tamen *Denzlerus* in *Clave ſua* paullo liberalius indulſit. Ad calcem ſubjiciuntur *Arbor*, quam vocant, *conſanguinitatis*, *Index nominum propriorum urbium*, et *non nulla ad artem Poeticam pertinentia*.

Georgii Ludovici FROBENII *Penu Tullianum, decem cellis ſive Indicibus expromens, quicquid uſpiam divitiarum in operibus M. T. Ciceronis Guilielmio-Gruterianis continetur.* Hamburgi ex bibliopolio Frobeniano 1619. fol.

Hoc *Penu Tullianum* i. e. Indices copioſiſſimi in Ciceronem, aptatum eſt ad paginas operis Ciceroniani, quod ex recognitione et cum adnotationibus *Jani Guilielmii* et *Jani Gruteri*, prodiit Hamburgi 2 voll. in folio: quam quidem editionem luculentam et capitibus diſtinctam, emendatamque diligenter eſſe pronuntiat, atque adeo reliquis, quae exſtant, univerſis praeferre non dubitat *Fabricius* Bibl. Lat. T. I. p. 144. Integrum Indicem Frobenius exhibet vocabulorum et locutionum apud Ciceronem quidem occurrentium, quae tamen ſingula non pro gemmulis, quod faciunt non nulli, reputandae, nedum trahendae ad imitationem.

Joh. Nicolai FVNCCII, Marburgenſis, *De Origine et Pueritia Latinae linguae libri duo.* Marburgi Cattorum 1720. *Uterque ſecundum auctior longe et emendatior editus. Accedit Spicilegium litterarium, et Index rerum atque verborum locupletiſſimus.* Ibid. 1735. 4.

Inſigni cum eruditionis apparatu Doctiſſimus Auctor utrumque argumentum perſequitur. *Tractatu priori*, qui originem L. L. veſtigat, Germaniae, ceu matri, primos Italiae incolas, ac proin Romanos, ſuum et genus et linguam debere, ex utriusque gentis antiquitatibus et ipſa populorum migratione demonſtrat. *Decem* ejus conſtituit *capita*. *Capite primo* diſſerit, quaenam diverſi de Latinae linguae originibus ſenſerint. *Capite ſecundo*, de lingua primaeva, Latinae avia. *Capite tertio*, de confuſione linguarum, et quomodo ex ea dicatur Latina oriri. *Capite quarto*, de linguae Celto-Scythico-Germanicae antiquitate. *Capite quinto*, de matre linguae Latinae Germanica. *Capite ſexto*, de Aboriginibus, antiquiſſimis et primis Italiae incolis, e Germania oriundis. *Capite ſeptimo*, de aliis Italiae colonis, qui ex Celtis prodierunt. *Capite octavo*, de priſcis Italiae colonis, qui e Graecia et aliunde trajecerunt. *Capite nono*, de

Aeneae in Italiam adventu. *Capite decimo*, de Latinae linguae poſt diverſarum gentium irruptionem ſucceſſu et mixtura.

Tractatu poſteriori, quo pueritiam L. L. exhibet, priſcus ſermonis Romani, ad uſque bellum Punicum ſecundum, examinatur ſtatus, et diverſa veteris Latii monumenta illuſtrantur. *Capitibus* autem eum abſolvit *quinque*. *Capite primo* agit de Graeca lingua, Latinae magiſtra, cujus ope litteris illa primum initiata fuit. *Capite ſecundo* de diſciplina Graecorum, in Italiam invecta: unde Latina lingua perpoliri coepit. *Capite tertio*, de ſtatu Latinae linguae ſub Regibus ac vili conditione, ex ſuperſtitibus non nullis hujus ſaeculi fragmentis demonſtrata. *Capite quarto*, de ſtatu Latinae linguae puerili, tempore Decemvirorum, ex fragmentis XII Tabularum demonſtrato. *Capite quinto*, de ſtatu Latinae linguae puerili, tempore belli Punici primi et deinceps, ex tabula roſtrata et alia L. Scipionis dilucidato.

Binis his Tractatibus addit ad calcem *Spicilegium litterarium, quo recta probatur legum Decemviralium reſtitutio contra Virum Clar.* Balthaſarem Branchu, *JCtum Lugdunenſem; et Tractatus* de Pueritia L. L. *vindicatur*.

EIVSDEM *De Adoleſcentia Latinae linguae Tractatus, quo juvenilis et creſcens ejus in variis ſcientiis vigor et fata, inde a bello Punico ſecundo uſque ad Ciceronis aetatem, demonſtrantur.* Marburgi Cattorum 1723. 4.

Doctiſſimus Auctor Tractatui huic praemittit lectu digniſſimum *Programma de variis Latinae linguae aetatibus atque fatis;* in cujus §. 8. auctores recenſet, qui L. L. hiſtoriam deſcripſerunt. Ex antiquioribus huc refert *Ciceronem*, qui paſſim, praeſertim in egregio *de claris Oratoribus* Commentario, veterum dicendi ſcribendique modum et priſtinam latinitatis faciem commonſtrare adgrediatur: *C. Jul. Caeſarem*, qui ſcripſerit *de Analogia libros duos* ad M. Ciceronem, quibus de latinitate ejusque hiſtoria optime dicatur fuiſſe meritus, quum temporum injuria libri iſti dudum interciderint: *Auctorem dialogi de cauſis corruptae eloquentiae*, qui vulgo Quintiliano, ab aliis Tacito tribuitur, docteque et eleganter de vario dicendi genere diſputet: *M. Terentium Varronem*, *Pomp. Feſtum*, *M. Verrium Flaccum*, *Nonium Marcellum*, *Iſidorum*, alioſque, qui, quum origines et etymologiam Latinae linguae pertractent, ejus etiam fata haud raro commemorent: *A. Gellium*, qui in *Noctibus* ſuis *Atticis* de Romana philologia paſſim diſputet, nobiſque veterum quam plurima exhibeat monumenta, ipſius maxime ſtudio ab interitu revocata. Magis tamen huc facere ſcripta recentiorum eorum, qui poſt renatas litteras hoc in genere verſati ſint. Quorum quidem in numero collocat *Hadrianum Cardinalem*, qui elegantiſſimo *de Sermone Latino* commentariolo, tractatui *de modis Latine loquendi* praemiſſo, claſſicum auctorem in aetate quemque ſua ſatis accurate examinet: *Fridericum Taubmannum*, qui, in *Diſſertatione de lingua Latina*, obſervationes haud contemnendas hoc quidem in genere in medium proferat: *M. Antonium Sabelli-*

bellicum, qui idem agat in *Dialogo de Latinae linguae reparatione: Obertum Giſanium*, cujus *Obſervationibus in linguam Latinam* adnexa quoque ſint 1. *De ratione diſcendarum linguarum* Diſſertatio. 2. *De Latinae linguae reparatione* Dialogus. 3. *De periodis litterarum et doctrinae* Diſſertatio. 4. *De quinque aetatibus Romanae linguae*, item *De periodis linguae Latinae* Diſſertatio, et denique *Apologia pro Poetis Latinis, in M. Acc. Plauti aliorumque Poetarum et linguae Lat. obtrectatores: Chriſtianum Becmannum*, qui in *Manuductione ad Latinam linguam* et in libro *de Originibus L. L.* multa huc ſpectantia ſuggerat: *Sebaſtianum Corradum*, qui in ſuo *de lingua Latina* commentario, de L. L. mutationibus aliisque multa egregia habeat: *Johannem Nieſſum*, qui in ſuo libello *de ortu et occaſu L. L. cum ejusdem inſtaurandae modo*, itidem hoc cenſu veniat: *Melchiorem Inchoferum*, Jeſuitam Bavarum, qui in ſua *Sacrae Latinitatis Hiſtoria* multa eruditiſſima et ſcitu maxime digna proponat circa ortum, progreſſum et mutationes L. L. per omnia ſaecula, ad ipſam barbariem uſque et recentiora tempora: *Carolum du Freſne*, qui *Praefatione Gloſſarii mediae Latinitatis*, cauſas corruptae latinitatis ſtudioſe examinet: *Gerh. Joh. Voſſium*, qui *Praefatione operis de vitiis Sermonis*, et in ipſis *de Hiſtoricis et Poetis Latinis* Commentariis hujus linguae fata ſollicitius exponat: *Olaum Borrichium* Cogitationes *de variis L. L. aetatibus* evulgaſſe: etiam *Andream Borrichium* multa hoc in genere attigiſſe in *Vindiciis* ſuis *purioris latinitatis: Chriſtophorum Henricum Lauterbachium*, Rectorem primo Scholae Martinianae apud Hemipolitanos, deinde Scholae Senatoriae apud Luneburgenſes, decem diverſis Programmatibus, Luneburgi 1680. 4. conjunctim editis, de claſſicorum auctorum aetatibus egiſſe: *Joh. Henr. Florinum*, Profeſſorem Herbornenſem, ſcripſiſſe *Orationem de quattuor L. L. ſaeculis* Herbornae 1694. 4: *Joh. Danielem Cramerum*, tunc Hanoviae elegantiorum, poſtea Serveſtae ſacrarum litterarum Profeſſorem, *de fato linguae Latinae* peroraſſe, Hanoviae 1694. 4: *Chriſtophorum Cellarium* idem non una Diſſertatione, praeſertim in illa *de fatis Latinae linguae*, edita Halae 1701. 4. deinde Parte II. Diſſertationum Ejus Academicarum, cura *Walchii*, recuſa, et in *Prolegom. Curarum Poſteriorum de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini*, quam ſolidiſſime pertractaſſe: *Danielem Georgium Morhoſium* Polyh. Litt. T. I. lib. 4. cap. 11. ſeqq. *Johannem Clericum* Artis Criticae Tom. I. p. 1. cap 2. *Cyriacum Guntherum* Append. *Latinitatis reſtitutae* Parte I. *Joh. Albertum Fabricium* Biblioth. Lat. *Jacobum Burkhardum* Comment. de L. L. in Germania per XVII. ſaecula amplius fatis, *Janum Vincentium Gravinam*, JCtum Romanum, Dialogo de Latina lingua ad Emanuelem Martinum, item de Inſtauratione ſtudiorum et de Sapientia univerſa Orationibus, *Jacobum Facciolatum* Appendice Orationis de Latina lingua non ex Grammaticorum libris comparanda, et tandem *Joh. Georgium Walchium* in Hiſtoria ſua Critica Latinae linguae, egregie demonſtraſſe, quicquid circa hanc materiam notari ferme poſſit ac debeat. Neque ſilentio praetermiſſum vult *Jacobum Fridericum Reimmannum*, qui Introductionem in hiſtoriam vocabulorum linguae Latinae, a primo

ortu

ortu per certam annorum ſeriem adornarit. Quibus quidem ſcriptoribus nunc accenſendus foret *Joh. Adamus Weberus*, cujus Introductio in hiſtoriam Latinae linguae prodiit Chemnitii 1736. 8. In reliquis Programmatis hujus ſui paragraphis *Funccius* noſter de diverſa aetatum & periodorum L. L. diſtinctione agit, adfirmans: aliis L. L. aetates fuiſſe priſcam, Latinam, Romanam et mixtam; aliis antiquiſſimam, antiquam, perfectam et imperfectam; aliis vitae humanae congruas, pueritiam, juventutem, virile robur, ſenectutem eamque vegetam atque inertem; aliis auream, argenteam, aeneam, et ferream; ſibi interim, de variis Latinae linguae periodis commentari cupienti magis arridere illum fata hujus linguae in aetatibus humanis conſiderandi modum.

Ipſum Tractatum Auctor *ſeptem* abſolvit *capitibus*. Differit autem *capite primo*, quibus modis Latina lingua adoleverit. *Capite ſecundo*, de Poetis, quorum, ut fragmenta docent, laudabili ſtudio Latina lingua adoleverit. *Capite tertio*, de Plauto, Terentio, et Lucretio, Poetis, ex quorum integris operibus linguae Latinae adoleſcentia eluceat. *Capite quarto*, de Grammaticorum et Rhetorum opera, ad promovendum Latini ſermonis decus. *Capite quinto*, de Oratorum ſtudio, quo lingua incrementa ceperit. *Capite ſexto*, de Hiſtoricis Latinis hujus aevi clarioribus. *Capite ſeptimo*, de locutione hujus aevi antiqua.

EIVSDEM *De virili aetate Latinae linguae Tractatus, quo maximus cum robore vigor et gloria ſermonis Romani, a temporibus L. Corn. Sullae et Ciceronis, ad Octaviani Caeſaris Auguſti obitum, demonſtratur.* Marburgi Cattorum 1727. 4. *Pars Tractatus hujus altera* prodiit ibidem 1730. 4.

Pars Prior ſex continetur *capitibus*. *Capite primo* diſputatur, quomodo Latina lingua robur et perfectionem ſuam obtinuerit. *Capite ſecundo*, de viris in Rep. Romana Principibus atque ſummis litterarum promotoribus. *Capite tertio*, de Poetis ſex majoribus, quorum ſcripta Latinae linguae perfectionem demonſtrent, ſcil. de Catullo, Tibullo, Propertio, Virgilio, Horatio et Ovidio. *Capite quarto*, de Poetis quibusdam hujus aetatis minoribus, v. g. Cornelio Sulla, Jul. Caeſare, Octaviano Auguſto, Maecenate, Aſinio Pollione, Cicerone, Hortenſio, Pomponio Attico, utroque Varrone, Cornelio Gallo, Gratio Faliſco, Decimo Laberio, P. Syro, Cornelio Severo, Pedone Albinovano, Marco Manilio, Caeſare Germanico, aliis. *Capite quinto*, de Latinis Grammaticis virili aetate celebrioribus, v. g. M. Terentio Varrone, Nigidio Figulo, Verrio Flacco, Scribonio Aphrodiſio, cet. *Capite ſexto*, de claris hujus aevi Rhetoribus v. g. Cicerone, Auctore ad Herennium, aliis.

Pars altera octo continetur *capitibus*. *Capite primo* agitur, de claris hujus aetatis Oratoribus, v. g. Cicerone, Hortenſio, Cajo Curione, Licinio Calvo, M. Bruto, M. Coelio, T. Caſſio Severo, M. Callidio, L. Torquato, L. Munatio Planco, M. Valerio Meſſala Corvino, T. Labieno, L. Paſſieno Rufo, Aſinio Pollione. *Capite ſecundo*, de M. T. Cicerone, Eloquen-

Eloquentiae-parente et ſummo Oratore. *Capite tertio*, de aevi hujus Jure conſultis, v. g. Q. Mutio Scaevola, Aelio Gallo, Antiſtio Labeone, Publio Alfeno Varo. *Capite quarto*, de Hiſtoricis, quorum monumenta ex aetate L. L. virili ſuperſint, v. g. de librorum Pontificum linteorum fragmento, de faſtis Capitolinis, de monumento Ancyrano, Salluſtio, Jul. Caeſare, Hirtio, Cornelio Balbo, Cajo Oppio, Cornelio Nepote, T. Livio. *Capite quinto*, de Hiſtoricis, quorum monumenta jam nulla vel perexigua aetatis hujus exſtant, v. g. Attico, Hortenſio, Cicerone, M. Terentio Varrone, L. Aelio Tuberone, L. Luccejo, M. Tullio Tirone, L. Arruntio, Trogo Pompejo, Lucio Feneſtella. *Capite ſexto*, de Philoſophis hujus aevi, v. g. Nigidio Figulo, Cicerone, Vitruvio. *Capite ſeptimo*, de ſtilo ejusque diverſitate. *Capite octavo*, de virtutibus atque vitiis Latinae linguae. *Haec duo poſtrema capita* appendicis quaſi loco heic attexuntur, quaſi eorum uberior cognitio non niſi cadere poſſit in eum, qui robur dicendi fecerit ex aetate L. L. virili: *multa* autem *erudita et egregia haec bina capita continent.*

EIVSDEM *De imminente Latinae linguae ſenectute Tractatus, quo decreſcens Romani ſermonis robur et fata ab exceſſu Caeſaris Octaviani Auguſti ad principatum uſque Hadriani Imperatoris deſcribuntur, et notatu maxime digna hiſtoriae litterariae monumenta illuſtrantur.* Marburgi Cattorum 1736. 4.

Undecim conſtituit Auctor *capita. Capite primo* agit de Latinae linguae corruptione et ejus cauſis. *Capite ſecundo*, de Principum hujus aetatis in rem litterariam meritis. *Capite tertio*, de Poetis ſeneſcente Latina lingua illuſtrioribus, v. g. Phaedro, Perſio, Lucano, Seneca, Petronio, Valerio Flacco, Silio Italico, Papinio Statio, Martiale, Terentiano Mauro, Juvenale, Sulpitia Poetria, Columella et Palladio Rutilio. *Capite quarto*, de claris, Latina lingua ſeneſcente, Poetis, quorum monumenta periere. *Capite quinto*, de clarioribus decreſcentis Latinae linguae Grammaticis, v. g. Hygino, Cajo Meliſſo, M. Pomponio Marcello, Remnio Palaemone, M. Valerio Probo, Annaeo Cornuto, Terentiano Mauro, Aſconio Pediano. *Capite ſexto*, de Rhetoribus, Latinae linguae gloria decreſcente, illuſtrioribus, v. g. Hermagora Temnaeo, Ceſtio Pio, Julio Gabiniano, Cornificio, Cornelio Celſo, M. Annaeo Seneca, Virginio Rufo, M. Fabio Quintiliano. *Capite ſeptimo*, de Oratoribus, Latina lingua ſeneſcente, illuſtrioribus, v. g. Tiberio, Alfio Flavo, Argentario, Aſinio Gallo, Julio Baſſo, Quintiliano patre, Clodio Turrino, Q. Haterio, Claudio Marcello Aeſernino, Votieno Montano, M. Aem. Scauro, L. Vinicio, Seneca Rhetore, Junio Gallio, Plinio Jun. *Capite octavo*, de clarioribus, ſeneſcente Latina lingua, Jureconſultis, v. g. Maſſurio Sabino, M. Coccejo Nerva, Patre et Filio, Licinio Proculo, aliis Proculis, C. Caſſio Longino, Coelio Sabino, Pegaſo, Juventio Celſo, Patre, Priſco Javoleno. *Capite nono*, de Hiſtoricis ab exceſſu Auguſti ad Hadriani uſque principatum illuſtrioribus, v. g. Vellejo Paterculo, Valerio

rio Maximo, Q. Curtio Rufo, Pomponio Mela, C. Plinio Secundo, C. Suetonio Tranquillo, C. Cornelio Tacito, L. Annaeo Floro, Sexto Julio Frontino. *Capite decimo*, de Philoſophis, qui ſeneſcente Latina lingua ſcriptis ſuis inclaruere, v. g. Aur. Corn. Celſo, Scribonio Largo, L. Annaeo Seneca, Apiciis tribus, Columella, Palladio. *Capite undecimo*, de ſeneſcentis latinitatis idiotiſmis.

EIVSDEM *De vegeta Latinae linguae Senectute Commentarius, quo decreſcens ejus linguae dignitas atque fata, ab exceſſu Trajani uſque ad principatum Honorii Imperatoris, et Romam a Gothis anno poſt Chriſtum natum 410. expugnatam, deſcribuntur, et notatu maxime digna Hiſtoriae litterariae monumenta illuſtrantur.* Marburgi Cattorum 1744. 4.

Quemadmodum in Tractatu proxime praecedenti, ita et heic *undecim* apparent *Capita*. *Caput primum* agit de vegetae ſenectutis conditione. *Caput ſecundum* de Principum in rem litterariam meritis, quae hoc vegetae ſenectutis tempore exſplenduerunt. *Caput tertium* de Poetis vegeta Latinae linguae ſenectute illuſtrioribus. *Caput quartum* de Grammaticis vegeta Latinae linguae ſenectute illuſtrioribus, praeſertim A. Gellio, Cenſorino, Rhemnio Fannio, Mario Victorino, Ael. Donato, Aurel. Auguſtino, Macrobio. *Caput quintum* de claris vegetae ſenectutis Rhetoribus, praeſertim Julio Severiano, Frontino, Macrino, Graniano, Cypriano, Arnobio, Lactantio, Mario Victorino, Titiano, Hieronymo, Auguſtino. *Caput ſextum* de nobiliſſimis vegetae ſenectutis Oratoribus, praeſertim Calpurnio Flacco, Frontone Cornelio, L. Apulejo, Poſtumio Juniore, Claudio Mamertino, Eumenio, Nazario, Mamertino Juniore, Auſonio, Latino Pacato Drepanio, Symmacho. *Caput ſeptimum* de clariſſimis vegetae ſenectutis Jureconſultis, nominatim Hadriano Imp. Neratio Priſco, Publio Juventio Celſo, Salvio Juliano, Sexto Caecilio Africano, Terentio Clemente, Aburnio Valente, L. Voluſio Maeciano, Junio Mauriciano, Ulpio Marcello, T. Cajo, Papirio Juſto, Q. Cervidio Scaevola, Q. Claudio Saturnino, Tarrunteno Paterno, Q. Septimio Florente Tertulliano, Arrio Menandro, Aemilio Papiniano, Sexto Pomponio, Aelio Marciano, Domitio Ulpiano, Julio Paullo, Herennio Modeſtino, Furio Anthiano, Julio Aquila, Rutilio Maximo, Florentino, Claudio Thryphonino, Q. Venulejo Saturnino, Calliſtrato, Licinio Rufino, Aemilio Macro, Aurelio Arcadio Chariſio, Hermogeniano. *Caput octavum* de vegetae ſenectutis clarioribus Hiſtoricis, v. g. Juſtino, Trogi Pompeji epitomatore, Julio Obſequente, Solino, Cenſorino, Modeſto, Spartiano, Capitolino, Lampridio, Vulcatio Gallicano, Trebellio Pollione, Vopiſco, Aurelio Victore, Eutropio, Sexto Rufo, Ammiano Marcello, Vegetio, Ambroſio, Hieronymo, Ruffino, Auguſtino, Paulino, Oroſio, Sulpitio Severo, Avito, Numatiano. *Caput nonum* de vegetae ſenectutis Scriptoribus Philoſophicis et Medicis, v. g. Apulejo, Siculo Flacco, Aggeno Urbico, Sammonico, Cenſorino, Firmico Materno,

Macro-

Macrobio, Coelio Aureliano, Julio Auſonio, Marcello, Vegetio, aliis. *Caput decimum* de Scriptoribus ſacris, vegetam L. L. ſenectutem illuſtrantibus, praeſertim Tertulliano, Minucio Felice, Cornelio Ep. Romano, Cypriano, Arnobio, Lactantio, Materno, Hilario, Optato, Philaſtrio, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Evidio, Sulpicio Severo. *Caput undecimum* de vegetae ſenectutis in Latina lingua idiotiſmis, quum ea vehementer ſcateat Graeciſmis, Poeticis, Archaiſmis, Hibridis, inepte compoſitis, novis vocabulorum ſignificatibus, novis nominum terminationibus, novis Subſtantivis, novis nominum generibus, novis verborum terminationibus, et id genus aliis.

EIVSDEM *De inerti ac decrepita Latinae linguae ſenectute Commentarius; quo extrema tandem ejus linguae calamitas, ab urbe Roma, ſaeculo ineunte quinto a Gothis expugnata, usque ad Caroli M. Imperatoris obitum, quarumque diſciplinarum commonſtratur defectu, atque cum civilis et eccleſiaſticae, tum litterariae hiſtoriae pars non contemnenda illuſtratur.* Lemgoviae 1750. 4.

Duodecim conſtat *capitibus*. *Caput primum* agit de miſera decrepitae ſenectutis conditione. *Caput ſecundum* de ſummorum Principum in rem litterariam meritis. *Caput tertium* de Poetis L. L. decrepita ſenectute illuſtrioribus. *Caput quartum* de Grammaticis L. L. decrepita ſenectute illuſtrioribus. *Caput quintum* de claris L. L. decrepita ſenectute Rhetoribus. *Caput ſextum* de nobiliſſimis L. L. decrepita ſenectute Oratoribus. *Caput ſeptimum* de clariſſimis L. L. decrepita ſenectute Juriſconſultis. *Caput octavum* de clarioribus L. L. decrepita ſenectute Hiſtoricis. *Caput nonum* de Latinis decrepita ſenectute Philoſophis. *Caput decimum* de claris L. L. decrepita ſenectute Medicis. *Caput undecimum* de ſcriptoribus L. L. decrepita ſenectute ſacris. *Caput duodecimum* de ſenectutis decrepitae in L. L. idiotiſmis.

Eximia autem ſingularium obſervationum copia labores hi Funcciani ſeſe commendant: etiam de ſingulorum ſcriptorum ſtilo ac diverſis editionibus ea ſubinde in ſcenam producuntur, quae alibi fruſtra quaeſiveris.

EIVSDEM *Leges XII Tabularum, ſuis, quotquot reperiri potuerunt, fragmentis reſtitutae et obſervationibus Critico-Antiquariis illuſtratae.* Rintelii 1744. 4.

Haec antiquae ſapientiae linguaeque Romanorum vetuſtiſſimae rudera poſt tot clariſſimorum virorum curas, quibus ea collegerunt atque interpretati ſunt, Auctor noſter denuo in publicam lucem protraxit, quum haud contemnendum exhibeant vetuſtatis monumentum, quo priſca linguae forma et ſimplicitas, quo obſoletae ſcripturae facies, quo complures veterum ritus et conſuetudines, quo Decemvirorum atque ſapientum Romanorum auctoritas, quo legum Graecarum, unde ſua artuum ligamina, primum hoc Juris Romani corpus duxit veſtigia, quo ſacri, publici, privati

juris

juris origo et complura alia, quibus potiſſimum ab aetate pretium accedit, cimelia continentur, ac propterea ipſe Romanae eloquentiae parens, Tullius, has tabulas, rudes quamvis et perpaucas, magnificis theſauris librariis praeferre non dubitet. Ita autem Funccius has legum tabulas edidit, ut lucubrationibus eorum, qui antehac in eas commentati ſint, ſuas ipſius obſervationes quasdam jungeret, et litteratorum animos revocaret ad memoriam eorum, quae cognitu partim jucunda, partim etiam neceſſaria eſſe videantur.

EIVSDEM *De lectione Auctorum claſſicorum ad comparandam Latinae linguae facultatem neceſſaria liber ſingularis.* Lemgoviae 1730. 4.

Caput primum praeliminare agit de litterarum elegantiorum contemtu. *Caput ſecundum*, de Latinae linguae ſtudio neceſſario, et ſervanda methodo. *Caput tertium*, de variis Latinae linguae aetatibus. *Caput quartum*, quo ordine auctores legendi. *Caput quintum*, de litteratoribus, quorum auxilio in claſſicis auctoribus rite verſemur. *Caput ſextum*, de ſubſidiis, quae faciunt ad claſſicorum auctorum intellectum. *Caput ſeptimum*, quomodo ipſa auctorum lectio ad latinitatem comparandam ſit inſtituenda. *Caput octavum*, de obſervationibus Latinae linguae ex auctorum ſollicita lectione. *Caput nonum*, de adſiduitate, in legendis auctoribus claſſicis, et comparanda Latinae linguae facultate, neceſſaria.

EIVSDEM *De litterarum ſtudio earumdemque tradendarum certa ratione, Conſultationes Scholaſticae.* Marburgi et Rintelii 1742. 8.

Exhibentur 1. *Oratio de Scholaſtici Doctoris Officio.* 2. Ad virum Illuſtrem *de ludo litterario recte aperiendo* Conſilium. 3. *Platonica menſa de veterum frugalitate et recta ſtudiorum ineunda ratione*, Dialogus. 4. *De liberorum inſtitutione ſcholaſtica*, Colloquium primum. 5. *De liberorum inſtitutione ſcholaſtica*, Colloquium alterum. 6. *De latinitate comparanda*, Colloquium primum. 7. *De latinitate comparanda*, Colloquium alterum. 8. *De latinitate comparanda*, Colloquium tertium. 9. *De latinitate comparanda*, Colloquium quartum. 10. *De neceſſaria ad facultatem bene dicendi obtinendam exercitatione* Admonitio. 11. Exercitatio Rhetorica *de Periodis*.

EIVSDEM *De Stilo Latino Exercitationes Rhetoricae.* Accedunt *Epiſtolarum et Orationum ideae.* Marburgi Cattorum 1737. 8.

EIVSDEM *pro Phaedro ejusque fabulis Apologia.* Rintelii 1747. 8.

Oppo-

Oppoſita eſt *Joh. Frid. Chriſtio*, qui ſingulari *Diſſertatione* Phaedrum pro ſcriptore ſuppoſiticio habet: quam *uberiori expoſitione* auxit Lipſ. 1747. 8.

Nobiliſſ. *Chriſtius* praeeuntem habet P. Scriverium, qui p. 88. ad Martialem, idem de Phaedro ſtatuit: contra exiſtimat Barthius multis argumentis L. 36. Adv. c. 21. et L. 47. c. 10.

FVNDAMENTA *Latini Eloquii, Praecepta civilitatis morum, Methodus et leges ſtudiorum.* Roſtoch. 1657. 8.

Joannis FVNGERI, Friſii, I. V. D. *Lexicon Philologicum, in quo primigeniae vocum Hebraearum, Graecarum, et Latinarum origines ſummo ingenii acumine inveſtigatae ex auctoribus omni litteratura peritiſſimis ac probatiſſimis.* Lugd. Bat. 1658. 4.

Primitus exiit ſub titulo: *Joannis Fungeri Etymologicum Latino-Graecum*, Francof. 1605. 8.

Non modo ex auctoribus claſſicis, Poetis, Oratoribus et Hiſtoricis, ſed etiam ex Jure civili, arte Medica et litteris ſacris ea in aciem producuntur, quae non vulgarem, ſed interiorem litterarum cognitionem produnt. Antiquitates Romanas ubique multas *Fungerus* in ſua loca conjecit, quo paſſim aliquid adferret Lectori lectu aut notatu dignum ac ſuave. Alphabeticum ſecutus eſt ordinem, non autem, Iſidorum aut Varronem ſecutus, ſingula in certas vocabulorum claſſes digerere voluit; quod quidem fecit ea de cauſa, ut unicuique, quod forte requirere poſſet, benevole et ſimpliciter offerret. Cum *Voſſiano* quidem *Opere* comparari non poteſt; habet tamen ſubinde eas obſervationes, quas et alibi et apud ipſum Voſſium fruſtra quaeſiveris. *Voſſius* etiam et *Becmannus* in concinnandis ſuis *Operibus Etymologicis* multum hoc *Fungeri* labore uſi ſunt.

EIVSDEM *Proverbiorum Farrago.* Lugd. Bat. 1585, 1595. 8.

Adami FVSII *Verborum et phraſium pugnae.*

Joh. de GARLANDIA *Synonyma et Aequivoca.* Colon. 1490. Lond. 1496. 4.

Auctor pro aetate ſua barbara ſatis bonus.

Auguſtini GAMBARELLAE, Mediolanenſis, *Antithetorum amica ſimultas, arbitris Plauto, Terentio, Caeſare et Cicerone.* Mediolani 1606, 1619. 4.

Collegit Auctor voces, quaecumque ſibi aliqua ſaltem ratione opponuntur, ut ſic eo faciliorem vocabulorum proprietatem redderet addiſcendam.

Thomae GATACKERI *Diſſertatio de Bivocalibus ſeu Diphthongis.* Londini 1646.

Auctor ſummi apud Anglos ob inexhauſtam plane doctrinam nominis, non modo diphthongos impugnat, ſed etiam multa ſimul diſſerit de litterarum quarumdam ſono germano, natura genuina, figura nova; idonea ſcriptura veteri atque nova.

Dionyſii GAVLTIERII *Praecepta linguae Latinae et Gallicae*, tribus voluminibus. Pariſiis 1716. et 1718. 12. Conf. infra *Nizolium.*

Jani GEBHARDI *Antiquarum lectionum libri II.* Herbornae 1618. 8.

Inſertae etiam, atque adeo ultimo loco appoſitae ſunt *Syntagmati Critico variorum auctorum* a *Joh. Hermanno Schminkio* Marburgi Cattorum 1717. 4. edito.

Joh. Alberti GEBHARDI *Sylloge Phraſeologica*, ſeu *Copia locutionum et vocum e bonis Latinae linguae auctoribus ſelectarum, accommodate ad uſum diſpoſitarum, et ſtudioſae juventutis commodo publici juris factarum.* Brunſvigae 1711. 8.

Quam *Wendelinus* in ſua *Latinitatis Medulla* ingreſſus eſt, eamdem et hic Auctor noſter viam ingreditur, ſed breviori quadam ſemita. Tituli numeris, excerpta autem litteris alphabeti, eoque bis abſoluto, numeris etiam diſtincta ſunt: quo in ſtili argumentis ex tempore concinnandis facillimum ſit tum praeceptori, cujusque et tituli et excerpti facere indicium; tum diſcipulis, celeriter omnia invenire. Tituli Latini, minoribus litteris exſcripti et parentheſi incluſi, reſpiciunt ad Schönslederi Apparatum Eloquentiae; Germanici autem ad Calviſii Theſaurum Latini Sermonis. *Fridericus Weickmannus*, auctoris in rectura Scholae Martinianae Brunſvigae ſucceſſor, Scholae Ducalis Guelpherbytanae antehac moderator, ſuppreſſo quamvis nomine, praefationem addidit et libellum poſt pia auctoris fata edi curavit.

Alberici GENTILIS *Diſſertatio de latinitate veteris Bibliorum Verſionis male accuſata:* quae cum binis aliis ejusdem Auctoris Diſſertationibus recuſa eſt Helmſtadii 1674. 4.

Prior harum Diſſertationum agit *de libris Juris Canonici*; Poſterior, *de libris Juris civilis. Tertium locum occupat Diſſertatio*, quae heic nobis venit in numerum: quumque in paucorum verſetur manibus, et lectu tamen ſit digniſſima; operae pretium facturi eſſe nobis videmur, ſi eum erudito lectore eam communicemus heic atque adeo interponamus integram. Auctor autem fuit Juriſconſultus doctiſſimus, Bartoli amicus, et

ſaec.

ſaec. XIV. floruit. Alias etiam nuncupatur *Albenrickus Roſatus* ſeu *de Roſate*, *Bergomas* dictus a patria. Ratio ſcribendi Alberici noſtri utinam haberet majorem perſpicuitatem ac ſuavitatem! Sic Diſſertatio haec, quam ad verbum heic inſerimus, minori cum taedio perluſtraretur. Me quidem frequentiores ellipſes, quibus Auctor indulget, atque inconcinnus verborum ordo parum delectat, vel potius ſic offendit, ut ſaepenumero divinare debeam, quid Auctor ſibi velit. Sic autem ipſa Diſſertatio ſe habet:

Alberici Gentilis JCti Profeſſoris Regii De Latinitate Veteris Bibliorum Verſionis male accuſata Diſſertatio ad Robertum F.

Pollicitus aliquando ſum tibi diſputationem de Latinitate Vet. Verſionis Bibliorum: dum diceres tu mihi, accuſari illam a Beza magno non ſemel barbariei. Reſpondebam vero tum, et eſſe in verſione plura, quae ab aliis pariter irridentur. Sed et, defendi poſſe verſionem, adfirmabam. Et adfirmationem iſtam ecce! (nunc pollicitationem praeſto) adfirma tibi, verſionem tueor. Neque tamen, Roberte, probo illam ego, quam improbant plurimi noſtri. Sed diſceptatio haec Grammatica datur tibi. Et placeam in eo mihi, quod videbor clariſſimo amico meo auſcultare, Johanni Druſio, dicenti, *a*) *Qui vulgatam editionem Hieronymi eſſe negant, non minus errant judicio meo, quam qui pure Hieronymi eſſe contendunt.* Hoc ille primum de auctore. Dein de re ipſa, *b*) *Negare nolo: multa vetus interpres prave convertit. Sed idem quaedam melius convertit, quam recentiores.* Et alibi, *c*) *Haud paullo mellus, quam vulgo exiſtimatur.* Vulgus (id tecum ago nunc) flagellat illum interpretem, etiam quia barbarus ſit et ſoloecus. *d*) Atque nuper vidi ſummi Theologi cujusdam noſtri thema compoſitum de barbariſmis et ſoloeciſmis interpretis illius, irridendo eidem. Et fuiſſet quidem irridendus homo, qui totam ſuam verſionem ſcripſiſſet, ut noſter ſcripſit totum thema. Sed qui in volumine magno habet tantum pauca illa, quae noſter notat: homo nec exemplo caret ſcriptorum laudatorum: nec, ſi careret, adeo fuit deridendus impotenter. Facit faciem naevus (quod dicitur) venuſtiorem: quae tota naevus, ſit deformiſſima. Vitia quaedam orationis audiunt figurae, et ornamenta. Sed eadem, ſi eſt vitiis illis tota conſperſa, evadit intolerabilis. * Non ſoloeciſmi ſunt etiam apud politiſſimos utriusque linguae? *e*) Non tibi dixi in Virgilianis? Sic pro Hilario habet Eraſmus, in Praefatione ad eum Patrem. *f*) Ruſticos ſoloeciſmos, et barbariſmos in Apocalypſi agnoſcunt noſtri ſcientiſſimi: et ſic defendunt, quoniam Johannes noluerit nec a verbis diſcedere, quibus plerumque utitur Prophetarum. Quod ego pro verſione illa Latina non ſemel attulerim, ubi idem eſt aliquando quaeſitum, ne a verbis textus diſcederetur. *g*) Sic et Graecorum translatorum dictio magna ex parte Ebrai-

 ca.

a) Druſ. qua. epiſt. 27. *b*) Druſ. 1. miſc. 41. *c*) Druſ. 2. q. 81. *d*) Hunn. cont. 1. lib. 2. c. 14. *) Beza Marc. 12. *e*) Alb. Virg. c. 14. *f*) Beza Praefat. *g*) Druſ. 3. obſ. 21.

ca. *h*) Eſt autem ipſa tota lingua Ebraea barbara Graecis, non ſolus Johannes barbarus iisdem appellatur. Ut non mirum ſit, barbarizare Ebraeos omnes, qui loquuntur Graece. *i*) Attamen nec ſumma illa ſermonis puritas debet his in auctoribus quaeri: et ſemper pro certo loquitur emendate, qui ſequitur auctoritatem Dei. Quae Beza diviniſſime. Ipſe Paulus, et reliqui Apoſtoli quoties ab Hieronymo et Eraſmo audiunt imperiti linguae Graecae, impoliti, inconditi, ſoloeciſſantes, balbutientes! *k*) Etiam et in ſua lingua Prophetae quidam ſic notati. *l*) Sed redi ad Bezae adnotationes majores. Ubi et ipſe admittit, ſic eſſe non numquam. Cauſa autem pro approbanda fidelitate verſionis probatur mihi maxime. Itaque diſplicet immenſum audacia Caſtalionis profana ſimul et puerilis interpretatio. *m*) *Lucullus in ſuis hiſtoriis, quo facilius eas probaret Romani hominis eſſe, iccirco barbara quaedam et ſoloeca diſperſiſſe dicebat:* Et non vetus interpres, quo facilius probaret, de Ebraeo et Graeco textu probe translationem ſe ſuam confeciſſe, iccirco barbaraque, ſoloecaque non nulla intexuerit? aut quaſi una ſit cauſa, cur iſta fiant bene? Facta illa verſio eſt populo: qui non ſolet emendatiſſime loqui. Et igitur nec emendatiſſima ipſa ſit. Et ſic ſcripſi alibi de Arnobio, et aliis, qui populo ſcribebant, aut loquebantur. *n*) Et ſic ipſi Evangeliſtae multa dicendi genera e medio ſumſerunt, ut ſeſe vulgo accommodarent. *o*) Et Hieronymus ſic: *Propter ſimpliciores multum in dejiciendo ſermone laboravimus. Quid cum Apoſtolis Cicero? Omnia munda mundis.* *p*) Atque, ſi cum pueris uti ſermone debemus puerili, et muliebri cum mulieribus: quod feciſſe Pythagoras dicitur, et laudatur: quid non et cum vulgo loqui vulgariter deceat? Ceterum exſtarent utinam ſex, ſeptem Galeni libri contra hos ſcripti, qui in ſoloeciſſantes ſic invehuntur. *q*) Tradebat ille, neminem prorſus ob orationis ſoloeciſmos aut barbariſmos reprehendendum. Quae hactenus ſic ſunt generaliter. Et dicam tamen alia ejus generis adhuc. Sed nunc attingo, quae ſpecialiter reprehenduntur. Spernitur verbum *angariare: r*) quo eſt uſus tamen noſter Ulpianus: itaque et retinendum ſibi quoque cenſuit Beza. Eſt nec infrequens ſcriptoribus aliis Eccleſiaſticis. *) *Simonem Cyrenaeum angariatum portaſſe crucem*, Irenaeus **): qui tamen an ſcripſerit Latine, incertum. Illud certum, quod de ſe ipſe, *Apud Celtas commoramur, et in barbarum ſermonem plerumque avocamur,* in Praefatione. *s*) Sed noviſſime de hoc verbo ſcribit amicus noſter, juvenis eruditiſſimus, Johannes Meurſius, in Criticis obſervationibus. *t*) Et idem hic de *verbo nocendi cum quarto caſu*, quod itidem infamat Theologus, eſſe hoc Plautinum, et elegantiſſimum archaiſmum. *u*). Quod et patrui tui amicus, juvenis itidem

h) H. Jo. 4. anim. 25. *i*) Bez. Lu. 22. Act. 24. *k*) Eraſ. 3. ep. 1. *l*) Bez. Act. 10. *m*) Cic. 1. art. 16. *n*) Beza 17. *o*) Hier. ep. 21. 22. *p*). Rhod. 1. Lect. 7. *q*) Gal. de lib. pro. item de ord. lib. ſui. *r*) L. 4. de vetera. Bez. Matth. 5. *) Iren. c. 23. lib. 1. **) Eraſ. Praef. lib. 1. et 5. *s*) Meurſ. 2. Crit. 3. c. 29. *t*) Meurſ. 1. Cu. ult. et Mil. ult. *u*) Sch. 4. ep. 6.

itidem, eruditiſſimus, Gaſpar Schoppius in ſuſpectis Lectionibus. Ubi et *noceri* paſſive apud Apulejum et Vegetium adnotatur. *x*) Et ab aliis notantur apud Vitruvium illa: *Neque ab ignis violentia nocentur. Larix ab carie, aut tinea non nocetur.* At noſter Theologus flagellat illa magis, *mille paſſus et alia* duo, et ait, Priſciano ſalvo conſtare non poſſe hoc. *y*) Eſt tamen vehementer indignum, ut ſub Donati regulis verba coeleſtis oraculi reſtringantur: inquit Gregorius: neque eas ab ullis interpretibus eſſe ſervatas: et ſe etiam nec devitare barbariſmum. At cum Priſciano defendes interpretem ab iſta accuſatione. *z*) Inquit Priſcianus ad illud Virgilii tui, *Qualis eram, quum Praeneſte ſub ipſa;* redditum τὸ *ipſa* ad intellectum urbis, nam *Praeneſte* ſit neutrum. *Quique altum Praeneſte tenent*, meminiſtin? *a*) Sic autem ſunt alia et in ſacris et in aliis auctoribus: *b*) quae notant alii plures et praecipue Lambinus ad Lucretium, item Giſanius. *c*) *Solent ſaepe*, ait iſte, *veteres nomini in orationis ſerie collocato adjicere aliud genere non reſpondens, ſed aliud potius, quod quidem vi et notione cum illo conveniat et ſono: ut alterum non expreſſum lectori ſtatim ſuccurrat, aut certe difficilem non habeat quaeſtionem.* Et plura ille adfert exempla. Et tu addere de noſtris potes illud: *Fideicommiſſa quocunque ſermone relinqui poſſunt; non ſolum Latina vel Graeca, ſed etiam Punica vel Gallicana, vel alterius cujuſque gentis.* Succurrit heic ſtatim τὸ *lingua*. Succurrit in notato loco ſtatim τὸ *miliaria*, ſive (quod ait Beza) μίλια. Atque ita defenditur etiam alterum notatum, *d*) *principes gentium dominantur eorum.* Ne dicam ſcribentis erratum faciilimum *eorum* pro *earum*: ut in illo alio, *e*) *ventres, quae.* Atque hic multa ſunt, quae lapſum librarii certiſſimum habere videantur. *f*). Quidni alibi *evertit* ſic appareat, quod ſcribi *everrit* debuit? Audi ad tertium Sophoniae Druſium: *Libenter pro* avertit *in vulgata editione legerim* everrit. *Simile mendum in Luca: nam, ubi vulgo* evertit domum, *legendum absque ullo dubio*, everrit: *et ita legitur in uno manuſcripto.* Ait tamen Beza, fuiſſe etiam Gregorio *evertit*: eique, aliisque imperitis Graecae linguae fuiſſe occaſionem ſcribendi parum appoſita. Verum, et erratum librarii tum quoque extitiſſe, probabilius eſt. Aut vetus iſte interpres minus multo novit in lingua Graeca, quam ullus Accurſianus. Ignoro ego, quid Gregorius aut alii ſcribant. Sed hoc dico, eſſe aptiſſimum iſtic verbum *evertit*, ſi non ineptiſſime accipis pro *diruit*, at pro σαροῖ, aut, ut in Virgilii illo, *g*) *evertitque aequora ventis.* Sic nos in Italia, quum dicimus, aliquem quid domi quaeſiſſe anxie et diligenter, non dicimus, eum vertiſſe domum, ſed, domum ſurſum deorſum vertiſſe. Et huc igitur ad vulgarem iſtam formulam Interpres aptaverit Graecum contextum ſignificantiſſime. *h*). Et quod ſumtum de medio eſt, idemque ſignificet aliud,

P 3 quam

x) Philand. 1. Vitr. 7. *y*) Greg. Prae. l. in Joh. et c. 13. diſt. 38. *z*) Priſc. l. 17. *a*) Druſ. quae. Ebr. 52. Car. 2. Emen. 13. *b*) Bez. Col. 2. Scal. de Cauſ. L. L. 182. *c*) Lamb. 1. Lucret. *d*) Matth. 20. *e*) Luc. 23. *f*) Luc. 15. *g*) Virg. 1. Aen. *h*) Lipſ. de Pron c. 3.

ſuo Graeco συγχρῶμαι, *q*) Latini autem ſimili forma habent *coamatores*, *coamicos*, *conivolos*, *coaccedere*, *coaeſtimari*, alia. In verbo *r*) *manicare* ſimplicius reſpondeo Auguſtino etiam, Bezae, et noſtro interroganti, quis umquam legerit? Reſpondeo, me legiſſe. *s*) Eſt ſcilicet a *mano manico*, ut a *fodo*, *fodico*: quod Meurſius docet, et in Chryſologo inventum interpretatur. *t*) Laudatiſſimus ſcriptor iſte Theologus, aevi Imperatoris Marciani, itaque nec longe ab aevo Hieronymi: quem correctorem ejus verſionis vulgaris adfirmant. Fuerunt ſuo cuique ſaeculo ut vitia, ſic verba ſua: quod certum eſt: et ſcribit Pithoeus eruditiſſimus, qui et hujus generis verba ſic notat atque noſtrum hoc ad veteres Perſii et Juvenalis gloſſas: *) *Tribulare*, *minorare*, *anguſtiare*, *plagare*, *manicare*, ſimilia, irriſa noſtro Theologo. *Manicare* poſterioris ſaeculi verbum eſt ὀρθρίζειν, apud Lucam: quod memini notaſſe me apud Auguſtinum in lib. Judicum et epiſtola quadam, quae nunc properanti non ſuccurrit: ait Pithoeus. Et his vero uti vocabulis debuit noſter interpres: quia lex ſit omnibus dicta, *Vtere verbis praeſentibus*. Verba minime Latina et in communi tamen uſu Latine nunc loquentium Gellius dicebat: quod utinam exſtaret praeter indicem, in cap. 1. l. 8. Etiam Gellius nec multo ſenior ſaeculo Hieronymiano: *u*) ſi inferiorem multo Adriani ſaeculo eum recte fecerit Magius. Quid autem ſi ex illo communi uſu hauſit noſter? Quid nos reprehendemur ſcribentem communi populo? Noſter Theologus quid notat *x*) *Zelate Ipſos*, *y*) ſi Auguſtinus de vulgo ſic, *Non fruſtra vulgo dici ſolet*, *Qui non zelat*, *non amat*. Et ipſe alio loco, *Dii non zelant conjuges ſuas*. Et alibi, *Moyſes populum zelans*. *z*) *Calefacimini* notat Theologus: *a*) legere potuit in Vitruvio tamen, *Calefacientur*, *Calefaciuntur*. Quid mihi alii notent haec et in Vitruvio vitioſa? *b*) Etiam alii dixere *facitur*, *parvi facitur*, *ſatisfacitur*. Reprehendit Theologus noſter *c*) *Linguatam*. Sed Tertullianus dixit *civitatem linguatam* tamen in libro de Anima. *d*) An *lingulacam* maluiſſet cum Varrone et Plauto. *e*) *Infrunitum* notat Theologus; quod dixit Seneca in libro de vita beata. Et recitant Lexica: *f*) et nemo hodie non novit vocabulum probum ex Feſto, ac Nonio: adi et Pithoeum. *g*) *In praeſentiarum* notatum habent etiam Lexica. Et erat olim in ſecundo Rhetoricorum ad Herennium. Et hodie legitur in quarto Annalium Taciti, in tertio Floridorum Apuleji, *h*) apud noſtros, *i*) apud Hieronymum. *k*) Noſtri *in praeſentiarum eſt* etiam pro *praeſens eſt*. Notat Theologus *l*) *Nimietatis* vocabulum: quo item uſus eſt Hieronymus in ep. vigeſima ſeptima, Servius Grammaticus in octavo Aeneidos, Arnobius

q) Tit. 4. Scal. 17. Meurſ. Cur. Briſſ. Par. Iſidor. Gloſſ. *r*) Luc. 21. *s*) Meurſ. 2. Crit. 17. lib. 3. *t*) Fab. 3. Sem. 22. Meurſ. c. 9. eo. *) Meurſ. c. 29. eo. *u*) Mag. 4. Miſc. 6. *x*) Pſalm. 36. *y*) Aug. con. Adim. et 3. de Civ. Dei 3. et cont. Fav. 22. c. 79. *z*) Jac. 2. *a*) Vitr. 4. c. 7. et l. 5. c. 10. ubi Philand. *b*) Nov. de mun. con. Alb. Virg. c. 15. *c*) Eccl. 25. *d*) Novel. de comp. do. *e*) Eccl. 23. *f*) Druſ. in Sap. et 14. Obſerv. 4. et Carr. 2. Emend. 6. *g*) Gen. ult. *h*) l. 11. de Interrog. *i*) Hier. ad Algaſ. q. 11. *k*) l. 1. demacon. *l*) Sap. 4.

bius libro ſeptimo, alii latiniores apud Lexicographos. Nec conſuluit Theologus Lexica? aut quae ad vocabularia nos amandat? nam Priſcianum ſat ſcio non illi lectum, at ita nominatim jocoſe cum vulgo reliquo. *m*) *Migrare* notatum eſt, active dictum pro transferre. *n*) Sed ſic tamen dixit Gellius, ipſe Cicero, alii: ut alii obſervarunt. *o*) Saeculo illo Hieronymi dixerunt etiam *exſulare* active. Huc mihi ad ea tempora revoca iſtud examen, quum ea verſio ſcripta eſt. *p*) *Fuerit enim ridiculum, malle ſermonem, quo locuti ſunt homines, quam quo loquantur*: Quintilianus. *q*) *Pari paſſu morum ac litterarum cucurrit licentia. Et perinde ut alii mores, ita alius priſtis exſtitit ſermo: poſtera aetas veluti diſciplinam priſtini ſaeculi, ita et ſermonem faſtidire coepit*: Diomedes Grammaticus. Ne mihi verſionem illam expendant Hunnius, Beza ex ſcriptoribus aliis probatis: quae Hieronymi contenditur, non Ciceronis. *) Ne mihi dicat Beza, ſe non meminiſſe legere apud meliores latinitatis auctores vocem *Caſtorum*, quae eſt in vulgata: ſi ea utitur Arnobius et Minutius. **) Vtitur eadem Trebellius Pollio. Fuit hoc nomen in uſu tum. *r*) *Multa ſunt verba vocabulaque, quae poſt Ciceronem in uſum frequentem recepta ſunt: et quibus ille uti noluit, aut non eſt auſus, aut eſt auſus rariſſime.* Ejusdem quoque nonnulla nec adinodum placuiſſe poſteris viſa. Vt de his tradit alicubi ad Pandectas Budaeus late. Expendatur verſio ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, aliis: dico audenter, eſſe nihil in veteri verſione, quod in illis non oſtendam. Ineptit iſtic cenſor, dum ait; *Odi* in aliis temporibus nullo plane in uſu eſſe apud ſcriptores probatos: et apud veterem interpretem igitur male eſſe *s*) *Odientes*, *Odivit*, *Odite*. *t*) Ego autem legi *odientes* apud Tertullianum. *u*) *Odivi* dixit Antonius. Quid tum, ſi amavit iſte voces a communi alienas uſu? *x*) Sic et *odio*, *odis*, *oditur*, *odiri*, *oſi ſunt*, notant alii uſurpata aliis: ego in eodem legi Tertulliano. *y*) *Oſus ſum*, dicebant: etſi nunc dicimus tantum *exoſus*. *z*) Hieronymus vero, *odiremur a mundo*. Feſtinemus! Notat Theologus *a*) *Partibor* pro *partiar*, *Metibor* dictum eſſe pro *metiar*. *b*) Et nemo haec non novit de Nonio, et his ſimilia: *Vivebo*, *Venibo*, *Dicebo*, *Expedibo*, *Audibo*, *Aperibo*, *Obedibo*, alia. Antiqua ſunt et deſita! *c*) At hujusmodi delectati Tertullianus, Arnobius, Apulejus, alii propiores tempori ejus translationis. Scilicet veridicus ille vates Horatius: *) *Multa renaſcentur, quae jam cecidere.* Tu hodie his non uteris tamen, quae cecidere rurſum, *cadentque*, *quae ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus, Quem penes arbitrium eſt, et jus et norma*

P 5

m) Pſalm. 91. *n*) Gell. 2. cap. 29. Cic. 1. de Divin. Schopp. 2. Suſp. 1. *o*) Meurſ. d. c. 11. *p*) Quintil. c. cap. 6. *q*) Diom. lib. 1. *) Bez. act. ult. **) T. Poll. Valer. *r*) Bud. l. minor. ee min. *s*) Pſalm. 17, 35, 96. cet. *t*) Tertull. 4. ad Marc. *u*) Caſaub. Suet. 2. *x*) Pithoeus in Petro Tert. Apol. *y*) Serv. Aen. 5. *z*) Hier. ep 18. *a*) Pſalm. 59. *b*) Non. de mut. conſ. *c*) Jun. Tertull. Ap. 3. Meurſ. *) ca. 11.

norma loquendi. Idem magiſter et quis non? *d*) *Conſuetudo cum omnium domina rerum, tum maxime verborum.* *e*) Illa aetas vel Graecis libenter uſa eſt dictionibus ad proterviae usque vitium: etiam quum obſcuritas ex Graecis, et eſſent Latina clariora. Sic igitur noſter dicere potuit *f*) *Aporiatos*: quod in reprehenſis Theologo eſt. *g*) De tempore Evangeliſtarum ſcribit Beza, quod multis Graecis vocibus tum vulgus uteretur. *h*) Et illud conſtat, quod in ſermone Latino, qui maxima ex parte converſus ex Graeco eſt, etiam peregrina alia ex omnibus prope gentibus ſunt verba, Gallica, Hiſpanica, Punica. *i*) Pleraque (noſter quidem ſcribit) videntur barbara multis, quum tamen originem ſuam repetant a Graeca vel Latina lingua, ut *aſto animo* percallito, *argo pro ignavo*, etc. Noſter Theologus late flagellat interpretem in abuſu particulae *k*) *Gratis*: quae inſcite ponatur pro *absque cauſa*. *l*) Sed ſic ex particula δωρεὰν, quam exprimit particula *Gratis*: adi ad Bezam. *m*) Sed et Theologi uſi ſunt ad eum modum. Hi ſunt probati auctores Theologis. *n*) Horum (audi) diverſus ſtilus eſt ab aliis. Confer Symmachum cum Ambroſio: Paulinum, Hilarium, alios cum Auſonio, Claudiano, ſimilibus: ne vivam, inquit non nemo, ſi non diverſiſſimo dicas vixiſſe ſaeculo. Heic tibi dicerem medii ejus ſaeculi, et ſcriptorum eccleſiae, et aliorum verba mira; ſi non nollem facere diſputationem nimis verboſam. Tertullianus unus detineret nos diutiſſime. *o*) Licentiam audacius ejus heic notant alii. *Abſolentes* pro ſolitum uſum abdicantes: *Retroſiores* pro antiquiores: *Temporatim* pro ſecundum tempora: *Aſſentari*, *aſſentator*, pro aſſentiri: *Paſſium* pro promiſcuo, a paſſim: quo etiam Hieronymus et alii dicuntur uſi: et *Paſſivitas* pro inconſtantia: et ſic etiam *paſſivus* pro vagante: et paſſivitus, gentilitus, planitus, nativitus. *p*) O elegantiam Africanam, inquit Rhenanus: inquam ego, quaerat Theologus in vocabulariis apud probatos. *) *Originitus* eſt apud Ammianum. Sed is Graeculus. Sequor Tertullianum. *Inveſtis* pro ſine veſtibus et nudus: *Infoederatus* pro non foederatus: *Incriminatio*, *Inalienus*, *Inbonus*, *Inverus*, ubique negante particula *In*. Et Theologus noſter non ſic fert tamen. *q*) *Intrutator*. *r*) Ea particula variat pro locis: ut etiam obſervarunt Grammatici. *s*) *Invocare* pro non vocare, eſt apud Auguſtinum. *t*) *Intemporalis*, *Incorporatus*, contraria ſignificatione pro ſine tempore et factus caro, eſt apud Prudentium. Et tu verba notes *Ineloquaces*, *Illiberis*, pro ſine liberis, ἄπαις, apud eumdem Tertullianum et *Inſpeciata*, *Innuxora virginitas*, *Inorum* et *Inorem* pro ſine: *u*) quod et alii tamen, et *Inauritum*, *Innubem* pro claro etiam alii. *x*) *Inclarum* pro non claro dicit Symmachus:

d) Gell. 12. c. 19. *e*) Hadr. Jun. 2. an. 4. *f*) Eſ. 59. *g*) Beza Matth. 21. *h*) Quintil. 1. c. 5. *i*) Cujac. de feud. 2. *k*) Pſ. 68. etc. *l*) Bez. Gal. 2. *m*) Aug 3. con. acad. *n*) Giſel. ad Prud. *o*) Rhen. Tert. adv. *p*) Rhenan. de Pall. *) Amm. lib. 31. *q*) Jac. 1. *r*) Priſc. lib. 14. Serv. Aen. 1. Diom. lib. 1. *s*) Aug. 12. de Civ. *t*) Prud. hy. epiph. in Ro. *u*) Gell. 7. c. 6. et Jun. ad Tertull. *x*) Sym. ep. 4. ad Iuretum.

chus: et idem *Inhumanum* pro divino: item Apulejus. y) *Impreſſum*, *Inauratum* pro non preſſo, non aurato, alii. *Indelectatum* Petronius. z) Illa mira compoſitio dicta Lambino apud Lucretium et Salluſtium. *Intactus*, *Incultus*, quiddam contrarium tactui et cultui. Vt mirandum ſit, notari a Beza *Inmorigerum*, *Inobedientem:* a noſtro Theologo *Innauxiliatum;* a) nam etiam Priſcianus loquitur de paſſivo *auxilior*. Sed Tertulliani ſunt *Reatio*, *Delinquentia*, *Obvenientia*, *Subſtantiva* et vetus *Valentia*. *Deditor*, qui dedit. *Diligentia delictorum* pro affectu delinquendi. *Significantia* item Subſtantivum. *Oſtenſor*, *Ducator*, *Ducatio*, *Multinubentia*, *Exancillata*, *Ingratia* pro ingratitudine. b) Et hoc tamen Sealiger explodit quoque: quod Alciatus auctoritate Eraſmi admittendum cenſet. *Peccatelam* idem Tertullianus, *Vtenſilitatem*, *Intellectualitatem*, *Novellitatem*, *Nativitatem*. c) *Legitima nativitas ferme decimi menſis ingreſſus eſt*. d) Et ait Beza tamen, non meminiſſe ſe legere alibi, quam apud Vlpianum. e) Et hunc Beza non optimum auctorem latinitatis dicit, quod nolim, f) et Valla nolit dictum: qui Jurisconſultis noſtris omnibus laudem tribuit Latine ſcribendi ampliſſimam, quam Vlpiano detrahit iſte ampliſſime cum ſuo illo modo loquendi, *non optimum* g): de quo modo et alii ſic tradunt, et Alciatus noſter elegantiſſime. Sed de Vlpiano Budaeus *), *Latinae locutionis libenter obſervantis*, *ut tum ferre tempus et profeſſio potuit*. Haec et nos pro vetere Interprete. h) Sed nec Priſcianus (ſi recte memini) reprehendit Vlpiani *fruiturum*, quod ſignat Beza: at inquit, Vlpianum dixiſſe *fruiturum*, non, ut dixit Cicero, *perfructus eſt*. i) Non fuit cauſa, cur in Apulejo alii pro *fruiturum* reponerent *fructurum*. Etiam a diverſa origine poſſunt haec duo eſſe, alterum a *fruor*, alterum a *fruiſcor*. k) Jucundius hoc, quam *fruor*, ait Gellius. Et is Gellius, l) quem Auguſtinus virum elegantiſſimi eloquii, et multae ac facundae ſcientiae dicit, quam multa habet, quae in vocabulariis? *Ignoſcentia*, *Ignoſcibilis*, *Inadulabilis*, *Infortunitas*, *Inſomnia* pro vigilia? m) quod vocabulum uſitatum veteribus, ſed de uſu remotum a Plinio, ſcribit Servius. n) Dixit *res incredulas* Gellius pro incredibilibus, ſi memini. Eequid igitur noſter interpres non dixerit o) *Incredibiles* pro incredulis? Ceterum et vocabularia notant idem vocabulum ſic apud Apulejum in Hermetis Aſclepio, adduntque, vocabulum eſſe ex illorum numero, (*) utor ego verbo Auguſtini) quae utroque verſum dicuntur. p) At Sealiger licentiae deputat poëticae, quod Virg. active dixerit *penetrabile frigus*. q) Etiam *telum penetrabile* pro penetrale, ut ait Servius,

y) Caſa. Suet. 2. z) Lamb. Lucr. 1. a) Priſ. lib. 8. b) Scal. de Cauſ. L. L. 70. Alciat. 9. Parerg. 20. c) Tert. de An. d) Beza Matth. 1. e) Beza Rom. 5. f) Valla 6. Eleg. princ. g) Manut. 2. Verr. 2. Al. 5. par. 17. *) Cod. l. 1. ad leg. In: ma. h) Priſc. l. 10. i) Stew. ap. 2. k) Gell. 17. c. 2. l) Aug. 9. de Civit. Dei 4. m) Serv. Aen. 8. n) Gell. 9. c. 4. o) Tit. 1. *) Aug. 1. de Civ. Dei 55. p) Scal. de Cauſ. L. L. 98. q) Serv. Aen. 10.

Servius. *r*) Et utrumque Latinum eſt, cum aliis ejus generis. Audiſti plura Tertulliani. Cupis aliqua Auguſtini, quem modo nominabam. Videamus, ſi aliquot memini. Et tu exquire, ſi probati, quos dicunt, auctores haec habent: *Magne, Immanenti* pro ſtanti, *Senſa eſt mors*, *Canctim*, *Congregem*: hoc et Prudentius habet, et *ſegregem*: *Siſitum eſt*, *Penſores*, *Inſignitores*. Et dum loquitur de Agara tradita Abrahamo a Sara, *dedit eam foetandam viro ſuo*. Auguſtini eſt, *Principare*, *Tralogare*, *Spernentius*, *Minutularius*, *Dilector*. Hoc et Afri ſui Apuleji. *s*) *In utraque lingua, id eſt, Graeca et Latina, Platonicus nobilis Apulejus Afer*: ipſe ait Auguſtinus. Et nos de ipſo ſatis. Vis de Hieronymo, illo Ciceroniano, *Devirginata*: *t*) Etiam Juriſconſulti alicujus eſt, ſed non Ciceronis. *Impudorata es*, cujus praeterea ſit, neſcio: item *Nuptiator*, *Dulcorare*, *Eſculentiores*. Vis de Arnobio. *Honoratio*, et in eadem ſignificatione *Cultio*, *Muccinium*, linteolum muco naſi capiendo, in patria Sangeneſio *mucciching*. Pro reminiſcentia *Repetentia*, quam Lucretius *retinentiam* dicit. *u*) Vt ita videor mihi adnotaſſe de Lambino, et probaſſe magis, quam aliam Giſanii expoſitionem. Arnobii eſt *Minuties*, *Progenare*, *Gnarivavit*, *Vnita*, *Gnariores*, *Oliditas*, *Nebuloſitas*. Satis, ſatis. *x*) Inquit Manutius de inuſitatis non nullis locutionibus et verbis apud Ciceronem, ea fermo omnia periiſſe ſcripta, in quibus illi dicendi modi frequentius deprehendi potuiſſent. Inquam ego de reprehenſis iſtis apud interpretem noſtrum idem: aut certe, deprehendi poſſe omnia, ſi quis legerit Eccleſiaſticos et eos ſcriptores medii aevi. Ridendus Theologus, qui auctores poſcit claſſicos. *y*) *Popule in Vocativo non reperitur apud claſſicos ſcriptores*, inquit. Sane etiam Priſcianus ſuos ſic: *Fluvius pro fluvie; Populus pro popule, etc.* Idem et Servius. *z*) Hic quoque, quod antiqui omnem Vocativum extulerunt Nominativo ſimilem, quod tu, Atticorum eſſe, nec ignoras, *a*) et in libris de Cauſis linguae Latinae Scaliger adnotavit. Vbi tamen notat ſimul illud Plinii ad Ciceronem, *Salve, omnium primus parens patriae appellate*, quod defendet, reprehenſum Theologo, *Popule meus*. Vtuntur ſcriptores et heic metaplaſmo. Et ſic, (quod apud Priſcianum ſequitur) Vocativus pro Nominativo. *b*) Et metaplaſmum apud veteres non raram notant alii: *c*) *ocle* pro oculus, Auſonio ſollemnem. Et nunc iſtam ibi diſceptationem abſolvi. Diſſerui alibi pro Latinitate Bartoliſtarum. Vellem noſtros Theologos non nugari cum Pontificiis, et tempus fruſtra abſumere, et adverſariis ſophiſtis impudentiſſimis vias evagandi aperire. Annon ſatis argumentorum nobis eſt in quaeſt. de ea verſione abſque iſtis Grammaticis ſoloeciſmorum et barbariſmorum? Et illud unum non eſt ſatis, non eſt invictum, quod ea verſio a manu eſt hominis? *d*) Nam quod non nulli cenſeant, et Marci Evange-

r) Lamb. 3. ad Her. *s*) Aug. 8. de Civ. 12. *t*) l. 21. de offic. praeſ. *u*) Lucr. libr. 3. *x*) Man. 9. fam. 25. *y*) Pſalm. 77. *z*) Priſc. l. 17. Serv. Aen. 11. *a*) Serv. Aen. 8. *b*) Scalig. de Cauſ. L. L. 81. *c*) Scal. in Propert. in Catalecta in Auſon. *d*) Beza Marc. 20. Hunn. 2. Conc. Bell. 7. Dan. Cenſ. lib. 4.

Evangelium Graecum eſſe tranſlationem de Latino: quam tamen non audeat ullus homo hoc argumento rejicere: ego tibi falſum oſtendi illud in alia diſputatione: et neque iſtud ſequi pro iſta verſione Latina. Dixi et de Evangelio Matthaei, et de epiſtola ad Ebraeos: quae itidem volunt aliqui verſiones de Ebraeo eſſe. In diſputatione alia dixi et non nihil de Latinitate Decretalium. Et haec dicta pro iisdem valent. Sed contra eas tamen neque hoc ſolum eſt argumentum a ſtilo, ſed alia fortiora. Adi ad ſecundam, et tertiam, et quartam centuriam Magdeburgenſium, ſingulae caput ſeptimum. A barbaro ſtilo non eſt ſatis firmum, ut audiſti. Ab identitate ſtili non eſt ſatis firmum: quia hodieque, quum Pontifices loqui melius poſſunt, eumdem retinent ſtilum tamen. Et videtur hoc eſſe de ſtilo, ut in his non variet ſtilus; aut quid praeſumeretur contra *) ut ſic Canoniſtae tradunt. Planus autem ejusmodi ſtilus, et velut formularius, facile ſervatur. *e*) Etſi ſtilus alius ſit inimitabilis, ut quidam dicunt: nam alii ſtilum omnem imitabilem faciunt, et qui fingi non difficiliter poſſit.

*) Pan. Dec. t. ad haec de reſcr. *e*) Eraſm. ad Hieron. de ſcr. eccl.

Conradi GESNERI *Onomaſticum propriorum nominum.* Subjunctum eſt *Calepini Dictionario;* quo de ſupra ad *Calepinum.*

Jo. Matthiae GESNERI *Inſtitutiones rei Scholaſticae.* Acceſſit *Praefatio Jo. Franciſci Buddei.* Jenae 1715. 8.

Et ſuis et aliorum cogitatis ac meditationibus gravido pectore haec ſapienter dicta Auctor doctiſſimus et de re litteraria inſigniter meritus effudit. *In Praefatione* enim ipſe profitetur, ſe praeter Quintilianum, *ſcriptores de ſtudiorum ratione* a *Thoma Crenio* aliquot faſcibus *editos*, ac *Joh. Ludov. Vivis libros de diſciplinis*, denique *Erh. Weigelii Commentationes*, quae ad hoc argumentum pertinent, non negligenter pervolutaſſe, tum quae *Thomaſius in Cautelis*, *Joh. Clericus in Arte Critica*, *Joh. Franc. Buddeus* in *Diſp. de cultura ingenii*, alii aliis in locis, habeant inſtitutae huic ipſius convenientia, non neglexiſſe. Libellus *ſex* continetur *capitibus*. *Cap. I.* agit de iis, quae a natura ineſſe debent futuro Praeceptori. *Cap. II.* de eruditione futuri Praeceptoris, ubi agitur de Eruditione in genere, de linguis generatim, de lingua Latina, Graeca, Ebraea, de linguis Europaeorum hodiernis, de arte Oratoria, de Poëſi, de ſtudio antiquitatum, de hiſtoria, et quae ad eam referuntur, de ſtudiis Mathematicis, de Philoſophia reliquisque diſciplinis ſublimioribus. *Cap. III.* de moribus Praeceptoris. *Cap. IV.* complectitur inſtituendi regulas generales. *Cap. V.* agit de publicae et privatae inſtitutionis differentia. *Cap. VI.* de inſtitutione Principum. *Capite ſecundo brevis diſciplinae cujusvis hiſtoria, nexus cum reliquis, utilitas, et diſcendi eam docendique methodus proponitur.*

EIVSDEM *Chreſtomathia Ciceroniana*, ſive *loca ex Tullii ſcriptis ſelecta, cum notis et vita Ciceronis.* Vinariae 1717. 8.

EIVSDEM *Lateiniſche Grammatic und Wörter-Buch.* Göttingae ante aliquot annos prodiit.

EIVSDEM *Novus linguae Latinae Theſaurus.* Tomis VI. Lipſ. 1747. fol. maj.

Roberti Stephani Theſaurum ſic auctiorem reddidit.

EIVSDEM *Invitatio ad Diſputationes in* Jo. Aug. Erneſti Initia ſolidioris doctrinae, *ſingulis Mercurii diebus ab hora I. in Auditorio Philoſophorum a Seminarii Philologici ſodalibus habendas. Obiter verbum* Altercor *cum derivatis, tamquam ſpecimen novi Theſauri L. L. proponitur.* Göttingae 1738. 4.

Caſp. GEVARTII *Electorum libri III. in quibus plurima veterum ſcriptorum loca obſcura et controverſa explicantur, illuſtrantur et emendantur.* Pariſ. ex officina Nivelliana 1619. 4.

Oberti GIFANII (Ital. *Giovanni*) *Obſervationes ſingulares in linguam Latinam, in quibus ex abditiſſimo uſu politioris latinitatis, dictionum, verborum, particularum ſignificatus plane reconditi eruuntur et explicantur.* Accedunt *aliquot Diſſertationes de linguae Latinae reparatione et aliis non abſimilibus argumentis.* Francof. 1624, 1625. 8. Inter *ſcriptores ſelectos de comparanda elegantiori latinitate*, quos uno Volumine in 4to *Richardus Ketelius* Amſterd. 1713. edidit, locum occupat quartum liber hic Gifanianus.

Pretioſiſſimus priſcae ac germanae latinitatis theſaurus eſt. Diſſertationes, quae ei ſubjiciuntur, ſunt:

1. *Schori Diſſ. de ratione diſcendarum linguarum.*
2. *Marci Antonii Sabellici de Lat. linguae reparatione Dialogus.*
3. *Ejusdem Sabellici Diſſ. de Periodis litterarum et doctrinae: de earumdem apud varios populos optimo ſtatu, ἀκμῇ et παρακμῇ, flore et vigore: de earumdem quaſi aetatis flexu et inclinatione, ſilentio et quaſi calamitate.*
4. *Franciſci Floridi Sabini Apologia in M. Accii Plauti aliorumque Poëtarum et linguae Latinae obtrectatores.*

Gifanius hic noſter, JCtus rerum et linguarum peritiſſimus, alicubi dicit: *Emendatus liber eſt vice commentarii.* Vtinam id obſervent, qui hac

hac aetate noſtra libris praeſtantiſſimis adnotationum ſuarum farraginem allinunt, de ipſo interim textu emendate edendo parum ſolliciti, utpote qui ſubinde in hujusmodi libris recuſis adeo corruptus eſt, ut Delio urinatore opus eſſe videatur ad inveſtigandum id, quod per tantam incuriam obſcuratum penitus eſt.

Sam. GLONERI *Proſodia cum auctoritatum ſyllabo.* Argent. 1639. 8.

Inter eos, qui Proſodias et Abacos quantitatum ſcripſerunt, optimus eſt. E *Proſodia Gieſſenſium*, aliisque collegit praecepta neceſſaria; ad quantitates vero ſemper auctorum verſus quoque ſignavit, indicans, quo auctoris loco ſinguli occurrant: quod non facit *Henr. Smetius*, cui propterea fides haberi ſemper non poteſt, eo quod corrupta non numquam ſecutus ſit exemplaria. Parum admodum, *inquit Borrichius Append. de Lexicis Lat. et Graecis*, Lexicographis, quos ego huc usque viderim, omnibus fidei tribuendum, quod ad quantitates ſpectat, quippe ſaepe ſuo, ſaepe imprimentium operarum vitio delinquentibus; paullo quidem tutius *Smetio*, ſed nec illi ſatis tuto, ut jam depravatis codicibus decepto, jam praeter ſpem tacito, jam in analogiam obliquo; tutiſſime *Glonero*, et monitorum *Labbéi* retinentiſſimo *Ludovico Cavallo*. Nam *Ricciolum* ne in eumdem cum exquiſitioribus cenſum referam, licet iterum ad unguem auctoris caſtigatum, adauctumque, non index ejus in culpa eſt, ſic ſatis accuratus, ſed, quod jam ante in Proſodia Bononienſi deteſtatus ſum, vel corruptiſſimi codices, quibus, tamquam fundamentis, quantitates ſuas fulcit firmatque, vel parum fidelis oculi typothetes.

GLOSSARIA. Vide infra *Labbeum.*

Rudolphi GOCLENII *Silva minus probatorum, inſolentium, ſoloecorum et ὑποσολοικιῶν, barbarorum et ſemibarbarorum commutatorum in Latina.* Lipſ. 1624. 8.

EIVSDEM *Obſervationum linguae Latinae, ſive puri ſermonis Analecta, omnibus purae emendataeque locutionis ſtudioſis profutura. Cum quinque libris variorum Problematum Grammaticorum.* Lichae in Comitatu Solmenſi 1598, 1604. Francof. 1601, 1609, 1621. Halae 1610. Lipſiae auctiora et ab ipſo Auctore correctius ultimum edita, 1624. 8.

Liber bonae frugis eſt, ex cujus lectione multum proficere bonarum litterarum cultores poſſint. Occurrunt in eo

1. *Admonitiones de Latini ſermonis ratione generales XXXV* a pag. 1. usque ad pag. 73.

2. His inſerta erant, nunc in finem libri rejecta *Antitheta Ciceronis*, ſecundum Alphabeti ordinem cum aliis ſequentibus digeſta. Lectoris conſpectui ſeſe offerunt a p. 471.

3. *Vo-*

3. *Vocum et phraſium ſelectiorum explicatio*, a pag. 74.
4. *Analecta epithetorum Ciceronis nominalium*, a pag. 491.
5. *Analecta praecipuorum adjunctorum Adverbiorum Ciceronianorum*, a p. 535.
6. *Vocum cognatarum, quae ſignificatione diſtinguuntur, Silvula*, a pag. 236.
7. *Memoriae cauſa quaedam differentiae verſu comprehenſae* a p. 269.
8. *Verborum et phraſium idem fere ſignificantium* ὑλάριον a p. 273.
9. *Excitandi formulae*, a pag. 283.
10. *Periphraſeos*, ſeu *verborum ambitus uſus*, a pag. 328.
11. *Collatio Latinarum et Graecarum locutionum*, a p. 332.
12. *De Relativis et Reciprocis provocabulis*, a p. 365.

Ad congerendos hos Theſauros multum uſus eſt iis, quae hoc in genere plane egregia ſcriptitarunt Aldus Manutius, Auguſtinus Saturnius, Antonius Schorus, Petrus Bembus Cardinalis, Seb. Caſtellio, Caſparus Peucerus, Chriſtoph. Longolius, Coelius Secundus Curio, Eraſmus Roterodamus, Hadrianus Cardinalis, Henricus Stephanus. Jacobus Sadoletus, Joachimus Camerarius, Joachimus Badius Aſcenſius, Joachimus Perionius, Jul. Caeſ. Scaliger, Juſtus Lipſius, Laurentius Valla, Matthaeus Dreſſerus, M. Ant. Muretus, Nicod. Friſchlinus, Nizolius, Paullus Manutius, Petrus Ramus, Rudolphus Agricola, Thomas Freigius, alii.

EIVSDEM *Lexicon Philoſophicum.* Francof. 1613. 4.

Eatenus ad latinitatis ſtudium aliquid confert, quatenus rectam ſapientibusque uſitatam vocabulorum ſignificationem explicat. *Stephanus Chauvinus* in *Lexico* ſuo Philoſophico latinitatis paullo eſt ſtudioſior. Scripſit etiam *Micraelius* hujusmodi aliquod *Lexicon Philoſophicum.*

Jo. GODESCALCI *Latini ſermonis obſervationes, ordine alphabetico digeſtae.* Coloniae Agrippinae 1540, 1545, 1554, 1561, 1581. 8.

Intimam Auctor verae latinitatis medullam exhibet, quippe quae ex probatiſſimis dumtaxat auctoribus decerpta ſit. His et ſimilibus dicendi formulis, quas ex ipſis eloquentiae fontibus inter legendum notent, diſcipulos, vult, ut exerceitent paedagogi, adſidue iis inſtantes, donec eo provexerint, ut jam non modo ſoloeciſmos et barbariſmos evitent, ſed et vernaculam Romanae locutioni miſcere deſueſcant. Edocendum etiam in palaeſtris litterariis vult, quid Oratorium, quid Comicum, quid Hiſtoricum, quid Tragicum, quid Poëticum: inter haec quae Heroicis, quae Lyricis, quae Elegis, quae Satyricis locutio germana: praeterea quanta pro temporum diverſitate facta ſit ſtili mutatio, ne aetas imperitior poſteriorum ſordes cum veterum elegantiis temere commiſceat. Neque diſſimulat Auctor, per quos profecerit. Nimirum *Petrum Artopoeum* in primis verbatim per omnia ſecutus eſt. Adjecit autem huic, quam potuit, breviſſime, quicquid haberet *Valla*, quicquid *Hadrianus Cardinalis*, quicquid in *Apparatu* ſuo *Barthólomaeus Riccius*, quicquid denique offerret in ingenti

genti ſuo *L. L. Theſauro Coel. Secundus Curio.* Locutiones ipſas hunc in modum diſtinguit; primo ordine verba cum nominibus puris conſtructa; proximo haec ipſa cum impuris, hoc eſt, quibus additur praepoſitio; tertio eadem cum adverbiis; quarto quam habent jam dicta ſine adjuncto ſignificatorum diverſitatem, ſeparatim ſuo quaeque loco collocat, ſervato in ſingulis ipſius alphabeti progreſſu, quamvis principio omnia confuſius paullo poſita ſint Applicationem illam, quae fit per Adverbia, et quam Godeſcalcus noſter tertio loco inculcat, paullo enucleatius et uberius perſequitur *Suſanneus* in *Connubio ſuo Adverbiorum Ciceronianorum.*

Henrici GOEBELII *Curtius illuſtratus per phraſeologias, ſententias, imitationes.* Francof. 1715. 8.

Andreae GOEPELII, Iſenaco-Thuringi, M. Dd. et P. L. *Cenſura de Auctoribus Eloquentiae Romanae, qui vixerunt in adulta ſ. aurea aetate, praemiſſa Praefatione.* Iſenaci 1710. 8.

Auctor in Praefatione varias Latinae linguae mutationes exponit: at in periodis ejus conſtituendis aliam inſiſtit viam, quam quae huc usque ab eruditis calcata eſt Nimirum *octo* ejus conſtituit *aetates:* 1. *Infantiam,* cui non niſi exoletas quasdam locutiones ex Legibus XII Tabb. attribuit. 2. *Pueritiam*, in qua Ennium, Pacuvium et Accium collocat. 3. *Iuventutem*, quam Plautus, Terentius et Lucretius ornet. 4. *Aetatem adultam, virilem ſ. auream,* quam extendit usque ad Hadriani tempora, eique inſerit omnem fere auctorum Latinorum cohortem, etiam eos, quos ceteroquin ex Criticorum decretis pro aureae aetatis ſcriptoribus nemo unus agnoſcit. 5. *Senectutem ſ. Aetatem argenteam*, cui oppido paucos inclinatae latinitatis ſcriptores inſerit, ſi excipias eos auctores Graecos, quos neſcio qua mentis vertigine vel ignorantia rerum notiſſimarum abreptus perperam immiſcet, et cum Latinis confundit. 6. *Aetatem decrepitam ſ. ferream,* ubi iterum ex ſaeculis IV. V et VI non nulli ſcriptores Graeci transferuntur in Latinum, et cum Latinis horum temporum permiſcentur. 7. *Aetatem plumbeam,* ad quam refert Auctor Latine ſcribentes ex ſaeculis VIII, IX, X, XI, XII, XIII et XIV. 8. *Aetatem redivivam et reſtitutam*, cui integram eruditorum ſaeculorum inſequentium phalangem ingerit, etiam eorum, quos inter Latine doctos nemo temere refert. Multa inſuper adfert, quae ſine ſuffragio populi dicuntur. v. g. Varronem multa ſcripſiſſe, ſed non niſi ejus de Re Ruſtica libros ſupereſſe; it. Barclaji Argenida ea nitere dictione, quae quam proxime accedat ad elegantiam veterum; et id genus multa alia.

Theophili GOLII *Grammatica Latina*, noviſſime recognita. Argent. 1636. 8.

Huberti GOLZII *De re nummaria antiqua Opera omnia,* V. Tomis. Antverp. 1644, 1708. fol. cum figg.

In re numiſmatica egregiam Auctor operam navavit. Praeſertim autem hoc in genere celebrantur:

1 Ejus *Theſaurus rei antiquariae uberrimus, ex numiſmatum et marmorum inſcriptionibus deſcriptus*, qui jam antehac bis prodierat Antverp. 1579. et 1618. 4.

2. Ejus *Icones Imperatorum Romanorum ex priſcis numiſmatibus ad vivum delineatae et narratione Hiſtorica illuſtratae:* accedit *Impp. Rom. Auſtriacorum ſeries, ab Alberto II. usque ad Ferdinandum III. per annos 200 continuos deducta ſtilo* Gaſperis Gevartii. Antverp. 1557. et 1645. ex officina Plantiniana fol.

Ne quid dicam de *Operibus* ejus *Hiſtoricis*, ſeparatim antea, nunc his V Tomis conjunctim editis, et ex antiquis tum monumentis, tum nummis praeclare illuſtratis. Valde laudari heic meretur *Adamus* a *Rehdiger*, qui e ſupellectili ſua nummaria liberali manu impertivit Golzio, quae grata eſſe poſſint ſtudii numiſmatici cultoribus.

Antonii Franciſci GORII *Antiqua Numiſmata aurea et argentea praeſtantiora et aerea maximi moduli, quae in Regio Theſauro Magni Ducis Etruriae adſervantur, cum obſervationibus.* Florentiae 1744. fol.

Tomum conſtituunt *Sextum Muſei Florentini*, quod *Gorii* hujus ſtudio prodiit in publicum. Auctor melioris uſus ergo ad calcem obſervationum ſuarum *quinque ſingulares Indices* adjecit, eadem adornatos methodo, qua *Joh. Valens* antehac uſus eſt in iis Indicibus, quos ſuis ipſius operibus Numiſmaticis ex eodem inſtituto addidit.

EIVSDEM *Inſcriptiones Antiquae Graecorum et Romanorum, quae exſtant in Etruriae urbibus, cum notis Ant. Mariae Salvinii.* Florent. 1727. fol.

EIVSDEM *Monumentum* ſ. *Columbarium libertorum et ſervorum Liviae Auguſtae et Caeſarum Romae detectum in via Appia 1726. Cum notis Ant. Mariae Salvinii.* Florentiae 1727. fol.

Abrahami GORLAEI *Theſaurus numiſmatum Romanorum, ad familias ejus urbis ſpectantium, usque ad obitum Auguſti:* acceſſere *Ejusdem Paralipomena* 1605. fol. cum tabb. aeneis.

Andreae GÖTZII *Faſciculus Inſcriptionum veterum ex perluſtratione egregiorum operum* Gruteri, Reineſii, Sponii, Fabretti, *compoſitus*. *Accedit* P. Burmanni corpori Gruteriano praemiſſa Praefatio, *itemque* D. G. Morhofii Caput de Inſcriptionibus et denique Notarum ac litterarum ſingularium vocum-

cumque per compendium ſcriptarum interpretatio. Altorfi 1743. 8.

Jacobi GOTHOFREDI *Opuſcula varia Juridica, Politica, Hiſtorica, Critica.* Genevae 1654. 4.

Auctor ut JCtus fuit in litteris humanioribus verſatiſſimus, ita Opuſcula ejus Critica multum laudis ac gratiae apud eruditos habent.

Dionyſius GOTHOFREDVS *Veteres Grammaticos* in unum corpus collegit, ſuasque ad illos notas addidit, Genevae 1595, 1602, 1622. 4.

Auctores illi, quos *Gothofredus* heic conjunctim ſiſtit, et quos inter *Varro de L. L.* et *de Analogia* eminet, Etymologiam potius, quam artis Grammaticae regulas, tractant: ſuntque in iis etymologiis multa eorumdem deliria; quum nemo infelicius in hoc ſtudiorum genere ſit verſatus, quam ipſi Romani, ut ſunt plerique nationis vernaculae Grammatici peſſimi verborum interpretes. Aliud *corpus veterum Grammaticorum*, et quod propius ad artem, prout nunc eam accipimus, accedit, ab *Elia Putſchio* collectum eſt; quo de, itemque de duabus aliis veterum Grammaticorum collectionibus vide infra ad *Putſchium*. Plures alii, apud veteres praeſertim, dantur Grammatici. Ita, quos Gellius in primis lectitaſſe videtur, ſunt Aelius Meliſſus, L. Aelius Stilo, Annaeus Cornutus, Caecilius Gallus, Caeſellius Vindex, Cloatius Verus, Gabius Baſſus, P. Lavinius, P. Nigidius Figulus, Sinnius Capito, Q. Terentius Scaurus, Valerius Probus, Velius Longus, alii, quorum monumenta jam pridem ita perierunt, ut praeter fragmenta, ab uno alterove ſequioris aetatis ſcriptore cuſtodita, nihil eorum ad nos magnopere pervenerit.

Inſcriptio Collectionis Gothofredianae haec eſt: *Auctores Latinae linguae in unum redacti corpus: quorum auctorum veterum et neotericorum elenchum ſequens pagina docebit, adjectis notis* Dionyſii Gothofredi I. C. *una cum indice generali in omnes auctores,* S. Gervaſii. Excudebat Petrus de la Roviere 1610. 4. Recenſionem hujus editionis uberrimam dat *Fabricius Bibl. Lat. T. 1. p. 763. ſeqq.*

GRAMMATICA Marchica ſ. *Vollſtändigere Lateiniſche Grammatica Marchica, in welcher zu den nöthigen Reguln nützliche Anmerkungen und gute Exempel geſetzet ſind.* Berolini 1718. 8. Saepe deinceps recuſa tum in modo dicta urbe, tum etiam alibi locorum e. g. Francof. et Lipſ. 1735, 1740. Francof. 1745. 8.

Ad hanc Grammaticam componendam juſſu Regis Boruſſiae conjunctim operam accommodarunt ſuam Rectores et ConRectores quattuor Gymnaſiorum, quae Berolini florent, poſtquam Grammaticam Langianam tironibus

non ſatis accommodatam eſſe, et provectioribus non ſufficere exiſtimaverunt. Selectu heic cuncta nitent: errores vulgatiſſimi expuncti ſunt: perſpicuitate et exemplorum idoneorum et ſelectiorum copia ſinguli loci illuſtrantur: ac, ne quid omnino accurationi deeſſet, pro re nata etiam variantes auctorum lectiones cum addita quadam epicriſi ſubjunctae ſunt. Grammaticae autem huic pleniori ſuae doctiſſimi ejus concinnatores pro incipientibus ac L L. tironibus praemiſerunt *Compendium Grammaticae Latinae, oder kurzen Auszug aus der gröſſern Lateiniſchen Grammatica Marchica, zur Erlernung der Lateiniſchen Sprache;* quod quidem primitus exiit Berolini, deinde aliquoties Erphordiae, et quidem altera vice 1730. dein etiam Lipſiae 8. Salutari autem conſilio eadem verba, quibus in pleniori illa ſua Grammatica uſi ſunt, retinent. Atque hoc Compendium tantopere arriſit iis, qui Erfordiae ſcholarum juxta Magiſtratum curam gerunt, ut in uſum ſcholarum ſuarum id recudi juberent.

GRAMMATICA *Idſtenienſis Latina.* Francof. 1728. 8.

GRAMMATICA Regia *ſeu Nova et facillima linguae Latinae praecepta diſcendi ratio, pro Chriſtina, Suecorum Regina. Accedit M. Zuerii Boxhornii de Graecae, Romanae et Germanicae linguarum ſymphonia Diſſertatio.* Lugd. Bat. 1650, 1659. 12.

Primitus a vero illius Auctore, *Johanne Matthiae*, Oſtro-Gotho, ſtudiorum tunc Reginae Moderatore, poſtea autem Doctore Theologo, et Epiſcopo Strengnenſi, Holmiae 1635. 12. eſt edita. *Boxhornius* illam, tribus poſt luſtris, adjecta ſua *de linguarum ſymphonia Diſſertatione,* recudi tantummodo curavit. Nil autem praeſtitit Auctor ſingulari laude dignum. Praecepta modo Grammatices in epitomen quam maxime conciſam redigere ſtuduit. Interim recuſa tamen nuper eſt opera *Chriſt. Gottl. Stockmanni*, Getae 1728. 8.

Scipionis GRATIDIANI *Pica cum remedio. Schediaſma ad vindicandam vetuſtae eloquentiae dignitatem ac praeſtantiam.* Vitembergae 1726. 8.

Hic perſonatus ſcriptor in gratiam Jani Camptoni, ſcriptoris itidem perſonati, qui cum Reimmanno altercationis cujusdam Criticae ſerram duxerat, hac Diatribe ſua eumdem Reimmannum petere videtur, qui forte non adeo magnifice de antiqua eloquentia ſenſiſſet, ſuis autem acuminibus et argutiolis ſcribendo indulgeat, ſtiloque proverbiali ſe magnopere oblectet. Quod dum facere adgreditur, ſe tamquam pro Medico gerit, et novos oratores, quibuſcum agendum ſibi eſſe intelligit, pro effeminatis ducit, muliebri nauſea laborantes, cui ad artis Medicae regulas occurrere videtur phyſiologice, pathologice et therapeutice. Commentatiuncula autem haec binis tantum plagulis conſtat, et omnis ejus σύνοψις his theſibus continetur: 1. Veteres non nimis venerandi ſunt. 2. Neque tamen contemnendi. 3. Sunt hodie oratores novi, qui veteres contemnunt, et lepidos cudunt

libellos de Philoſophica et emendata Oratoria. 4. Veterum libri veri veræ eloquentiae fontes. 5. Eloquentiae ſtudium in antiquarum rerum publicarum formis ſumme neceſſarium. 6. Ciceronis orator eſt perfectus. 7. Eloquentiae una, conſtans et certiſſima ratio, idemque fons. 8. Omnes eloquentiae corruptelae a neglectis veterum ſcriptorum fontibus derivandae. 9. Veteres dicendi magiſtri in ſcholas et Academias reducendi. 10. Ratio dicendi cum forma reip. non mutata, itemque de triplici cauſarum genere. 11. Rhetorica eſt ars, et perſuaſio eſt finis Rhetorices. 12. Ciceronis praecepta ſunt neceſſaria, eoque optima & utiliſſima. 13. De tropis et figuris in libellis Rhetoricis agendum eſt. 14. Multa alia adhuc oratores novi reprehendunt. 15. Ratio eloquentiae oratorum novorum inepta eſt. 16. Remedium morbi, quo oratores novi laborant, adhibendum. 17. Hecticander i. e. adverſarius, quicum Auctori lis eſt, monetur, ut rectiora in poſterum doceat, et occaſio commentationis hujus edendae ab Jano Camptono datam eſſe, commemoratur.

Vincentii GRAVINAE JC. *de natura et conſtitutione Poeticae libri duo* (Ital. De Vincenzo Gravina Giuriſconſulto della Ragion Poëtica.) Romae 1708. 4.

Inter alia paganitatem ſermonis Poëtici defendit, ſine qua putat carmen elumbe eſſe et coloris non valde ſani.

Matthaei GRIBALDI *De Methodo ac ratione ſtudendi libri III.* Lugd. 1564. 12.

Johannis Friderici GRIMM *Libellus de Ellipſibus Latinis ad ductum Sanctii in Minerva ejusque commentatorum, Perizonii potiſſimum, politioris latinitatis ſtudioſorum uſui faciliori accommodatus.* Francof. et Lipſ. 1743. 8.

Auctor, Gymn. Iſenac. ConRector, in Praefatione pluribus condocet, diligentiori ellipſium obſervatione opus eſſe iis, qui, praeter vulgarem uſum, in Latium tranſire, nec ſuperficiario tantum modo linguae Latinae cognitione imbui cogitant. Hinc non exiguam earum copiam, ex propria auctorum lectione comparatam, iis adjungit, quas Sanctius in Minerva, et, qui in hanc commentati ſunt, Scioppius ac Perizonius erudita quadam ſagacitate protulerunt. Quumque dentur ellipſes et Grammaticae et Logicae, ſecundum eas librum bipartitum fecit. *Pars Prior* agit *de ellipſibus Grammaticis; Pars Poſterior, de ellipſibus Logicis.* Partis I. Cap. 1. repraeſentat *ellipſes nominum.* Cap. 2. *ellipſes verborum.* Cap. 3. *ellipſes particularum.* Partis II. Cap. 1. ſiſtit *ellipſes ſubjecti.* Cap. 2. *ellipſes praedicati.* Cap. 3. *ellipſes objecti.* Cap. 4. *ellipſes propoſitionum.* Singula capita ita ordinat, ut vocabula, quae paſſim ſubaudiuntur, et quorum ellipſes illuſtrantur, ordine Alphabetico locata videantur. Praemittit opuſculo *Prodromum*, in quo differit 1. *de natura et regulis ellipſium;* 2. *de locis et fontibus ellipſium.*

Auguſtini GRISCHOVII *Introductio in Philologiam generalem una cum ſuccincta ac ſelecta bibliotheca ſcriptorum Philologiae generalis.* Accedit *Protheoria Joh. Franciſci Buddei,* Jenae 1715. 8.

Jo. Frid. GRONOVII *Libri tres Obſervationum.* Amſt. 1639. Lugd. Bat. 1639, 1662. 8.

EIVSDEM *Obſervatorum in ſcriptores Eccleſiaſticos Monobiblos.* Daventriae 1651. 12.

EIVSDEM *Obſervationum Philologicarum liber novus.* Daventriae 1652. 12.

In his libris Gronovianis plurima ſunt ad profanos et Eccleſiaſticos ſcriptores erudite et ingenioſe excogitata: ne quid dicam de aliis ejus Obſervationibus ſeorſim editis in Statium et Livium. Eſt autem *Gronovius* praeſertim in emendandis auctoribus accuratus et felix. *Morh.* Polyh. T. I. p. 928.

Samuelis GROSSERI *Bipartitum linguae Latinae Promtuarium.* Altenb. 1694. 8.

EIVSDEM *Manuductio ad comparandam Latinae linguae facultatem.* Lipſ. 1713. 8.

EIVSDEM *Iſagoge ſtili Romani.* Gorlicii 1703. Lipſ. 1713. 8.

Conſideravit Auctor ſtilum *in abſtracto* et *in concreto. Illud* agit *Parte Generali; hoc, Speciali. Pars Generalis V. capitibus* abſolvitur. *Caput 1,* agit de rectitudine; *Cap. 2.* de puritate et proprietate; *Cap. 3.* de concinnitate; *Cap. 4.* de ornatu; *Cap. 5.* de emphaſi. Subjungitur *Epilogus*, continens Iſagogen in ulteriorem praxin. *Pars Specialis totidem* conſtat *capitibus. Cap. 1.* diſſerit de ſtilo Oratorio; *Cap. 2.* de ſtilo Hiſtorico; *Cap. 3.* de ſtilo Epiſtolico; *Cap. 4.* de ſtilo Philoſophico atque Poëtico; *Cap. 5.* de ſtilo Aſiatico, Attico, Laconico: accedunt *augmenta* quaedam et *illuſtrationes*. Pulchris ubique praeceptis libellus abundat; ſed ita, ut diſcipulum Chriſtiani Weiſii ſimul agnoſcas, id eſt, minus ſollicitum genuinae latinitatis cuſtodem.

Hugonis GROTII *et* aliorum *Diſſertationes de ſtudiis recte inſtituendis.* Lugd. Bat. 1637. Amſtel. 1645. 12.

Chriſtiani GRÜNEBERGII *Verbeſſerter Donatus.* Francof. 1697. 8.

Tantopere a vulgaribus Grammaticorum decretis interdum abit, ut non nullis paradoxologiae vitio laborare videatur.

Jani

Jani GRVTERI *Lampas* ſive *Fax Artium Liberalium* h. e. *Theſaurus Criticus, in quo infinitis locis Theologorum, Juriſconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, Grammaticorum, ſcripta ſupplentur, corriguntur, illuſtrantur, ex otioſa bibliothecarum cuſtodia erutus.* Francof. Tom. I. 1602. Tom. II. III. IV. 1604. Tom. V. et ejus Supplementum 1605, 1606. Tom. VI. 1607. it. 1612. et Tom. VII. 1623. it. 1634. 8. maj. Prodiit etiam haud ita pridem ſplendidiſſima *Operis hujus a Grutero congeſti* editio Palermi, cura *Joh. Felicis Paleſi:* item Tomis III. Florentiae, fol. 1737 -- 1747.

Theſaurus hic *Gruterianus* eſt inſtar Pandectarum Criticarum: continentur enim illo inſigniores aevi ſuperioris Critici, qui non nimis vaſtos Commentarios ſcripſerunt. Nimirum

Tomo I

1. *Angeli Politiani* Miſcellaneorum Centuria prima.
2. *M. Antonii Sabellici* Adnotationes in Plinium, Papinium, Catullum.
3. *Philippi Beroaldi* Adnotationes in Ovidium, Horatium, Martialem, Catullum, Lucanum, Plinium, Livium, Gellium, Ciceronem, Apulejum, Aſconium, Quintilianum, Hieronymum, Caeſarem, Suetonium, Pandectas, Servium.
4. *Baptiſtae Egnatii* Adnotationes in varios auctores.
5. *Johannis Baptiſtae Pii* Adnotationes Priores et Poſteriores in varia auctorum loca.
6. *Cornelii Witellii* in defenſionem Plinii et Domitii Calderini contra Georgium Merulam Alexandrinum.
7. *Jacobi a Cruce Bononienſis* in Ovidium, Virgilium, Perſium, Lucanum, Papinium, Senecam Tragicum, Martialem, Horatium, Rhetor. Ciceronis, Salluſtium, T. Livium, Val. Maximum, Suetonium, Epiſtolas Plinii, plures alios, Fabulas.
8. *Pii Antonii Bartolini* Auctarium, in quo corriguntur LXX loci in Jure Civili.
9. *Jani Parrhaſii* de rebus per epiſtolas quaeſitis, aliaque ad rem Criticam ſpectantia.
10. *Laurent. Abſtemii Maceratenſis* Adnotationes variae in diverſa veterum loca.
11. *Lucii Joannis Scoppae* libri duo Collectaneorum.
12. *Ptolomaei Flavii Anconitani* Conjectaneorum ſive Obſervationum in varios auctores Centuria.
13. *Franciſci Floridi Sabini* Lectionum ſubciſivarum libri tres.
14. *Petri Nannii*, Alcmariani, Miſcellaneorum libri decem.
15. *Franciſci Robortelli* Miſcellanea.

Tomo II

1. *Franciſcus Robortellus* de convenientia ſupputationis Livianae.
2. *Idem* de arte ſive ratione corrigendi antiquorum libros.
3. *Ejusdem* Adnotationum ſive Emendationum libri duo.
4. *Caroli Sigonii* Emendationum libri duo.
5. *Antonii Bendinelli* loci controverſi XXVI.
6. *Bernardini Realini* in varia ſcriptorum loca Adnotationes.
7. *Joh. Brodaei* Miſcellaneorum libri VI. infinitis locis aucti emendatique ante obitum, ipſius manu. Separatim prodiere Baſil. 1574. 8.
8. *Chriſtophori Rufi* Antexegemata.
9. *Johannis Hartungi* locorum memorabilium Decuriae quatuor.
10. *Petri Pithoei* Adverſariorum ſubſecivorum libri duo. Separatim etiam prodiere Pariſ. 1565. 8.
11. *Lucae Fruterii* Veriſimilium libri tres.
12. *Achillis Statii Luſitani* Obſervationes difficilium aliquot locorum Graeco-Latinorum: nunc primum excuſae.
13. *Marci Antonii Mureti* Variarum Lectionum libri XIX. Coaluerunt heic in unum *M. Ant. Mureti Variarum Lectionum libri IV*, ed. Antwerp. 1580, 1586. et recuſae ap. Plantin. 1688. 8. et *Ejusdem Lectiones et Obſervationes variae*, ed. Aug. Vindel. 1600. 8.
14. *Hieronymi Magii* Miſcellaneorum ſive Variarum Lectionum libri VI.

Tomo III

1. *Pauli Leopardi* Emendationum et Miſcellaneorum libri XX. Separatim proſtant Antverp. 1568. 4.
2. *Bartholomaei Barrienti* Adnotationum Silva.
3. *Franciſci Luiſini* Parergon libri III.
4. *Guilielmi Canteri* Novarum lectionum libri IX. Separatim prodiere Baſil. 1564. 12. 1566. 8. et Antwerp. 1571. 8.
5. *Theodori Canteri* Variarum lectionum libri II. Prodiere inſuper ſeparatim Antwerp. ex offic. Plantin. 1574. 4.
6. *Ludovici Carrionis* Antiquarum lectionum Commentarius. Separatim prodierat Antwerp. ex offic. Plantin. 1576. 8.
7. *Ejusdem* Emendationum et obſervationum libri II.
8. *Jani Durantii Caſelii* Variarum Obſervationum libri II. Separatim prodiere Pariſ. 1582. 8.
9. *Jani Guilielmii* Veriſimilium libri III.
10. *Ejusdem* in Plautum Quaeſtiones.
11. *Marſilii Cagnati* Variarum obſervationum libri IV.

Tomo IV

1. *Joh. Brodaei* Miſcellaneorum Pars ſecunda, nunquam antehac excuſa, prompta e bibliotheca P. Petavii, Chriſtianiſſimi Gallorum Regis a conſiliis.
2. *Joachimi Camerarii* Quaeſtiones promiſcuae.
3. *Aldi Manutii* Quaeſita per Epiſtolam.
4. *Adriani Junii* Animadverſionum libri V.

5. Ejusdem

5. *Ejusdem* de coma Commentarius.

6. *Joſephi Caſtalionis* Variae Lectiones. Excuſae etiam ſunt ſeparatim Romae 1605.

7. *Jani Mellerii Palmerii*, Spicilegia.

8. *Jacobi*, Jacobi N. *Schegki* Obſervationum et Emendationum Praemiſſa.

Tomo V

1. *Franciſci Modii* Novantiquae lectiones. Exivere inſuper Francof. 1584. 8.

2. *Lucae Fruterii* Conjectaneorum veriſimilium liber tertius.

3. *Ejusdem* Epiſtolae Philologicae.

Tomi hujus V. Supplemento

1. *Henrici Stephani* Schediaſmatum libri VI. Priores libri III. editi etiam ſunt Pariſ. 1578. et libri II. poſteriores Pariſ 1589. 8.

2. *Jacobi Nicolai Loënſis* Miſcellaneorum Epiphillidum libri novem, et libri decimi priora capita tria.

Tomo VI

1. *Valentis Acidalii* in Plauti Amphitruonem divinationes et interpretationes.

2. *Marcelli Donati, Ponzani Comitis et S. Stephani Equitis Commendatarii*, Dilucidationes in Livii, Taciti, Suetonii, Ammiani Marcellini, Julii Capitolini, Aelii Lampridii, Trebellii Pollionis, Flavii Vopiſci, Aelii Spartiani, Vulcatii Gallicani, diverſa loca.

Tomo VII

Joh. Philippi Parei Analecta Plautina, in quibus M. Accii Plauti editiones Pareanae a virulentis Jani Gruteri cavillationibus ac ſtrophis rite vindicantur. Exierant jam Neapoli Nemetum 1617. 4.

De ultimo hoc Tomo, qui tam magno a prioribus intervallo prodiit, ſciendum, illum non a Grutero fuiſſe procuratum, ut reliqui, ſed ab alio quodam maligne ſuppoſitum. Atque ut editor fraudulentus, qui per Tomi hujus VII. publicationem tum Gruteri manibus illudere, tum etiam lectoris curioſitati imponere voluit, malam fidem ſuam tantiſper tegat; ac primo ſaltem obtutu qualemcumque fucum incauto emtori faciat, in Syllabo voluminum hoc Tomo contentorum, et in averſa frontis pagina commemoratorum apparent etiam

Johannis Branti breves notae in Plautum.

Georgii Reuteri Cenſurae in aliquot loca Plauti.

Caroli Langii Variae lectiones in octo priores comoedias Plauti e tribus MSS. codicibus excerptae;

quae tamen Commentatiunculae modo appendicis inſtar *Analectis Parei* accedunt, atque ad calcem quaſi attexuntur, nec niſi unam itemque alteram implent plagulam. Gruteri exemplum ſecutus eſt *Gaudentius Robertus*, Carmelita Italus, in *Miſcellaneis Italiae eruditis*.

Quod praeterea ad ipſum Gruterum attinet, homo fuit in lectione attentus ac diligens in colligendis iis, quae ſibi animadvertiſſe videtur. Eum critico et ingenio et judicio parum valuiſſe, cenſet Heumannus Praef. Orationibus quibusdam Ciceronis ab ſe emendatis et illuſtratis, atque Iſenaci 1735. 8. editis praemiſſa p. 7: Solam hanc ei laudem relinquendam eſſe, quod diverſam MSS. codicum ſcripturam e Theſauro Palatino produxerit in medium, eaque re gratum Criticis praeſtitiſſe officium.' Inter Criticos praecipuas ſectas eſſe alibi exiſtimat, *Gruterianorum* et *Lambinianorum*, quorum illi non audeant, niſi ducibus libris MSS. quicquam corrigere; hi ingenio non ſolum multum tribuant, ſed etiam judicium Critici longe praeferant librariorum manibus: quod tamen ſine urgentiſſima cauſa faciendum eſſe haud putem.

EIVSDEM *Inſcriptiones antiquae totius orbis Romani, auſpiciis* Joſ. Scaligeri et Marci Velſeri, Heidelbergae 1603. Et ex officina Commeliniana 1616. it. 1622. fol. Splendide recuſae cum *Gudii* et *Graevii* obſervationibus, et *Eduardi Holtheni* caſtigationum ſpicilegio, Amſtelod. 1707. fol.

Reineſius Praefatione ad ſuum Syntagma Inſcriptionum p. 3. haud immerito hanc Syllogen Gruterianam vocat *opus, cui ſimile nec viſum ante, nec poſt videndum.* Praecepturus tamen, *ait Heumannus Via ad Hiſt. Litter. p. m. 303,* hanc palmam Grutero videtur *Antonius Franciſcus Gorius*, ſi telam, quam exorſus eſt, pertexere ipſi contigerit, hoc eſt, eodem modo, quo nuper Florentiae 1727. fol. coepit edere *Inſcriptiones in Etruriae urbibus ſuperſtites*, edere ceteras perrexerit, deſtinatumque ſuae induſtriae agrum percoluerit. *Augerio Busbequio* Inſcriptionem Ancyranam, pluresque alias tum Graecas, tum Latinas, e Graecia Aſiaque comportatas, cum A. Schotto et J. Lipſio ante communicatas, Theſaurus hic Gruterianus debet.

Scaliger ſumma cura, maximoque integrorum decem menſium labore uberrimos Indices in vaſtum hoc opus confecit. Jam ante Gruterum Inſcriptiones antiquas tales colligere coeperunt *Cyriacus Anconitanus, Joannes Marcanova, Andreas Mantinea, Jo. Jucundus Veronenſis, Petrus Sabinus, Franciſcus Philippus Pedemontius, Andreas Alciatus, Sebaſtianus Maccius, Jo. Zaratinus Caſtellinius*, et, quorum collectiones typis exſcriptae exſtant, *Jacobus Mazochius* Romae 1521, *Bartholomaeus Amantius* et *Petrus Apianus* Ingolſt. 1534, *Martinus Smetius* et *Juſtus Lipſius* Lugd. Bat. 1588, *Aldus Manutius* junior in Orthographia a. 1579. et 1581. edita, *Onufrius Panvinius* in Faſtis et Comment. de rep. Rom. de triumpho, ludis Circenſibus etc. Venet. 1557, 1558, 1571. etc. *Hubertus Golzius* in Theſauro rei antiquariae 1579, 1580. et Faſtis magiſtratuum 1566. Antwerp. editis, *Fulvius Urſinus* in Elogiis illuſtrium virorum 1570, et in Comment. de Legibus et Senatusconſultis Rom. 1583. et in aliis ſcriptis, et *Johannes Jacobus Boiſſardus* in Topographia et Antiquitatibus Romae 1597. editis: ſed minor eſt col-

lecta-

lectarum numerus, quam ut cum Gruteriano hoc Opere comparari queat. At vero quum et heic deeſſe adhuc longe plurimas accuratior ſecutae aetatis inveſtigatio demonſtraſſet; *ſupplementum* velut *illius*, eadem plane methodo, adornavit volumen aliud, ferme non minus vaſtum, idque commentariis illuſtravit *Thomas Reineſius;* quo de infra. *Reineſii* veſtigia ſecutus eſt *Raphael Fabrettus*, Italus, qui poſt eximiam *Gruteri* et *Reineſii* meſſem inſigne dedit nobis Inſcriptionum huc usque ignotarum ſpicilegium; quo de ſupra ad *Fabrettum*. Aliud inſuper hoc in genere volumen confecit *Marquardus Gudius*, Gruteriano et Reineſiano longe accuratius: totam enim Italiam perreptavit ad congerendos hoſce theſauros: plus juſto diutius autem in III Tomos diſtinctum, tamquam MS. *ἀνέκδοτον* in bibliotheca Gudiana delituit, donec tandem nuper adeo a *Franciſco Heſſelio* Leovardiae 1731. fol. in lucem publicam protractum eſt; in quo tamen, quod ab eruditis hujus rei naris accepimus, multae etiam inſcriptiones ſpuriae occurrunt. Qui praeter hos poſt Reineſii tempora Inſcriptionum colligendarum edendarumque curam in ſe ſuſceperint, libroſque hoc in genere ediderint; de eo vide infra ad *Reineſium*. Aliquando aberratum eſt ab iis, qui inſcriptiones veteres e lapidibus deſcripſerunt. Exempla ſane ejusmodi lapſuum plurima notavit *Car. Sponius*: plura dare potuiſſet *Marq. Gudius*, ſi correctiones orae exemplaris ſui operis Gruteriani adſcriptas publici juris feciſſet.

EIVSDEM *Suſpicionum libri novem.* Wittebergae 1591. 8.

His jungenda *Dionyſii Gothofredi Reſponſio ad* Janum Gruterum *pro Conjecturis in Senecam*, Francof. 1591. 8. Item *Jani Gruteri Confirmatio Suſpicionum extraord. contra* Dionyſii Gothofredi Conjecturas in Philoſ. Witteb. 1591. 8. Ipſae autem *Suſpiciones Gruterianae* litteraturam ſubinde ſpirant interiorem et reconditam: *earumque liber decimus* 1745. editus eſt in Miſcell. Nov. Lipſ. Vol. 3. P. 3. n. 4.

EIVSDEM *Florilegium Ethico-Politicum.* Francof. 1610. 8.

Aliquot tomis multarum gentium adagia complectitur. Colliguntur in hoc libro ſine ordine breves ſententiae et adagia Graecorum, Latinorum, Germanorum, Italorum, Belgarum, Hiſpanorum, Gallorum, Anglorum: ſed confuſum chaos eſt, et plane non ad uſum; eſſet vero maxime, ſi ſub titulos redigerentur. Uti tamen hoc libro vel ſic poſſumus, et ſi tantum temporis ipſi impendere velimus, redigere eum poſſumus in ordinem. Sed multa heic habentur, quae vix argutae ſententiae laudem merentur: nam effata omnia, vel moralia, vel civilia, in adagiorum cenſum venire non debent. Notulas aliquas breves adjecit, ubi ſententiarum ſenſus obſcurior, praeſertim in Publii Mimi ſententiis, quae omnium ſunt argutiſſimae. Neque gnomae et jambi, quos ipſe confecit, ſunt contemnendi, qui et in *Polyanthea* ejus leguntur, et ſeorſim in libro, cui titulus *Bibliotheca Exſulum*, habentur. *Morhof.* Polyh. T. I. L. 1. c. 21. §. 70. 71.

Andreae

Andreae GVARNAE Salernitani *Bellum Grammaticum Nominis et Verbi Regum de obtinendo in oratione principatu.* Amſtel. 1654. 8. *Ex recenſione* M. Friderici Hildebrandi, Northuſae 1659. 8. Lugd. Bat. 1647. 8. Amſtel. 1678. 12. Coburgi 1739. 8. Witeb. 1534. Primitus ſine mentione auctoris prodierat Lipſ. 1541. et Witebergae 1606. 8.

De variis Criticorum ſuper rebus non magni momenti concertationibus agit, et ſub proelii vel certaminis ſchemate Criticos inſectatur et exagitat. Commemorat eumdem, ſummamque ſimul libelli hujus exhibet *Georgius Paſchius de Inventis nov-antiquis cap.* 2. §. 21, qui et ipſemet plura ejusdem generis adfert. Nimirum ut praeſtantiſſimarum optimarumque rerum; ita et artis Criticae graviſſimus eſt abuſus. Subinde enim ad minutias, immo ineptias, artis hujus magiſtri delabuntur, et in iis omne vitae tempus conſumunt. Saepe etiam conjecturis ſuis nimis indulgendo, corrumpunt auctores, quos emendare volunt, caliginemque et tenebras iis offundunt, quos illuſtrare debebant. In ritibus autem et inſtitutis veterum ediſſerendis ita verſantur, ut inutilia ab utilibus, quaeque ſcire noſtra parum refert, ab iis, quae momentum trahunt, non diſcernant. Ne dicam, quod mores interdum huic ſtudiorum generi adjungant, a quibus viros ſapientes longe alienos eſſe oportebat. Hinc litigia iſta Criticorum et altercationes de rebus minutiſſimis, cum conviciis inſuper et contumeliis conjunctae, quibus dum ſe invicem proſcindunt, et ſibi ipſis, et litteris, quas profitentur, contemtum conciliant. Jam olim inter Criticos ejusmodi homines exſtitiſſe, qui magno conatu nihil agerent, Seneca nos condocet. *Quattuor*, inquit, *millia librorum Dydimus Grammaticus ſcripſit, miſer, ſi tam multa ſupervacua legiſſet. In his libris de patria Homeri quaeritur; in his de Aeneae matre vera; in his libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit; in his, an Sappho publica fuerit; et alia, quae erant dediſcenda, ſi ſcires. Ep.* 88. Ineptos porro iſtos Criticos perſtrinxit in *Menippo* ſuo *Juſtus Lipſius*; in quos etiam acriter inſurgunt *Joan. Barclajus* in *Euphormione* Parte I. p. 95. *Gabriel Naudaeus in Syntagmate de ſtudio liberali cap.* 19, in *Methodis Thomae Crenii* a. 1692. editis, p. 622. ſeq. Non nulla quoque, huc ſpectantia, monet *Rolandus Mareſius lib.* 1. *ep.* 46. Ex inſtituto autem bella haecce Criticorum deſcripſit *Jo. Georg. Walchius* in *Commentatione de nugis et bellis Grammaticorum*, quae in *Miſcellaneis Lipſienſibus* exſtat Tomo I. num. 5. p. 42. ſeqq. Jungenda his *Jo. Laurentii Moshemii* Obſervat. CXXVI. ibid. p. 79. ſeq. it. *Oratio* elegantiſſima, *de eo, quod nimium eſt in ſtudiis linguarum et Critices*, quae in *Obſervationum ejus Sacrarum et Hiſtorico-Criticarum libro primo, Amſtaelodami a.* 1721. *edito* legitur, p. 397. ſeqq. Nec praetermittendus eſt heic *Mathanaſius*, ut vir quidam doctus vocari maluit, in libello Gallica lingua ſcripto, et *le Chef d'Oevre d'un inconnu* dicto, in quo lepidiſſime Criticorum vitia omnium riſui exponit. Addendus etiam his eſt *Lilienthalius*

lius de Machiavelliſmo litterario §. 18. *p.* 110. ita de hoc hominum genere pronuntians: *Frequentiores*, ait, *ſunt inter eruditos, qui per ſingulariſmum in ſtudiis emergere ſatagunt. Nimirum quum variae et diffuſae eruditionis gloriam adſequi deſperant, ut rarioris et non obviae laudem obtineant, adnituntur. Videas illos in minutias et quisquilias Criticas involare, ac certo certius ſibi perſuadere, neminem veri docti nomen tueri poſſe, niſi qui ſecum* de patria Homeri *ſubtiliter diſſerere; item an* haeres *ſive* heres, auctor *vel* autor, conſumtum *vel* conſumptum, quoties *vel* quotiens *etc. ſcribendum ſit, accurate determinare noverit.* Conf. *ſequ. ibid.* et *Menkenii Charlataneria Erud. p. m.* 120. *ſeq.* et *Alethoph. Sinceri Schediaſma de Scarab. Critic. et Hypercritic.* Vide *Buddei Iſagogen p.* 151. *ſeq.* unde haec deſumta ſunt, paucis verbis vel adjectis, vel interpoſitis, vel pro ſcopo et inſtituto noſtro translocatis. Quibus quidem hoc tantummodo adjungimus, Criticos et homines litteratos non raro etiam praeter meritum exagitari. Ridentur ſaepe numero minutiae, in quibus illuſtrandis operam ponunt, quae tamen in ſe ſpectatae pro talibus non ſunt habendae, ſed videntur modo ita, ſi gravioribus diſciplinis comparentur, aut ſi incidant in eos cenſores, qui vitae magis negotiali atque exercitae addicti ſunt, et in ſolo vitae communis uſu et receptis moribus unice adquieſcunt, de interiori veritatis et ingenii cultu parum ſolliciti. Nugae ſunt, fateor, quibus immorari litteratores ſubinde coguntur; ſed *tales* tamen *nugae*, *quae*, ut ille ait, *ſeria ducunt.* Placent verba Hieronymi ep. 7. ad Laedam: *Non, tamquam parva, contemnenda ſunt, ſine quibus magna conſtare non poſſunt.* Id interim in Critices ſtudio tenendum puto eſſe omnibus, ut ne quid nimis, neu neceſſe ſit illud Scaligeri repetere ſuſpirium, Hippon. p. m. 403: *Plus poenitet me temporis, quod impendi in Grammatiſtas et leves locutores, vanas Poetarum atque perditas nugas, quam barbarorum quae leguntur in libris. Haec eſt mearum tota ſumma ſummarum, ſtultum ac ſupinum plumbeique delirii, rebus relictis conſeneſcere in verbis.*

Marquardi GVDII *Antiquae Inſcriptiones, tum Graecae, tum Latinae, olim ab Auctore collectae, nuper a* Joanne Koolio *digeſtae, hortatu conſilioque* Joh. Georgii Graevii *nunc a* Franciſco Heſſelio *editae.* Leovardiae 1731. fol.

Reſpectu hujus praeſtantiſſimi Operis remittimus Lectorem ad ea, quae paullo ante diximus ad Gruteri Inſcriptiones.

B. GVARINI *De ratione docendi et diſcendi libellus.* Jenae 1704. 4.

Jani GVILIELMII *Veriſimilium libri III.* Antwerp. 1582. ap. Plantin. 8.

Guilielmius, Lubecenſis, multa libro huic inſeruit, quae elegantiorem Latini ſermonis habitum, litteras interiores, et magnae ubertatem do-

ctrinae

ctrinae ſapiunt. Edidit etiam Pariſiis, ubi aliquantiſper ſubſtitit, *Quaeſtiones Plautinas*, in quibus ὡς ἐν παρόδῳ multa veterum ſcriptorum, Poetarum praeſertim, et Ciceronis loca varie illuſtravit, correxit, auxit.

Theodori a GVLPEN *Manuductio Studioſae juventutis ad nativam linguae Romanae puritatem: continens phraſes et proverbia.* Amſtel. 1745. 8.

EIVSDEM *Scholaſtica et methodica Latini Sermonis inſtitutio.* Cui accedit *Elegantiarum Faſciculus.* Amſtel. 1745. 8.

EIVSDEM *Enchiridion* ſ. *Linguae Latinae Theſaurus:* cujus *Pars prior praecepta generalia oſtendit; poſterior integritatem Latini Sermonis incorruptam*, et *Miſcellanea* continet. Roterod. 1747. 8.

Cyriaci GÜNTHERI *Latinitas Reſtituta*, ſive *de vitiis Latini Sermonis libellus ſingularis.* Acceſſit Praefationis loco *De recta et antiqua eloquentiae, maxime Latinae, ratione, corruptelis praecipuis et harum remediis Diſſertatio*, auctore *Gothofredo Vockerodt*, Gymn. Goth. Rectore. Jenae 1701, 1717. 12.

Exhibet libellus hic 1. Accuratam deſignationem barbariſmorum, aliorumque vitiorum linguae Latinae vulgaris, nec non formularum, quibus iſta commode poſſint emendari.

2. Syllabum veterum puri inclinatique ſermonis auctorum, cum notatione aetatum, et, quae de iis in vetuſtis et recentioribus eruditorum hominum monumentis perſcripta ſunt, judiciorum, nec non optimae cujusque editionis.

Ex pluribus eorum, qui linguae Latinae corruptelas inſectati ſunt, praecipue autem *Voſſii*, *Scioppii*, *Vorſtii*, utriusque *Borrichii* et *Cellarii* Scriptionibus barbariſmorum deſignatio collecta eſt.

Diſſertatio Vockerodtiana, quae etiam hinc translata inter *Ejusdem Vockerodti Conſultationes de litterarum ſtudiis recte et religioſe inſtituendis, nec non de publicarum Scholarum uſu, pretio, et diſciplina ſanctiore*, editas Gothae 1705. 8. locum occupat tertium, *quindecim* abſolvitur *capitibus*. *Caput primum* agit de occaſione editionis et titulo hujus libelli. *Caput ſecundum*, de orationis virtute, quae in Romana lingua appellatur Latinitas. *Caput tertium*, de cauſis ſermonis recti vitioſique. *Caput quartum*, de corruptae veterum Romanorum eloquentiae et amiſſae latinitatis cauſis. *Caput quintum*, de recta exercendae eloquentiae ratione in ſcholis Chriſtianorum. *Caput ſextum*, de exercendo ſtilo Latino in Chriſtianis ſcholis. *Caput ſeptimum*, de variis ſtili Latini corruptelis, et hodiernae eloquentiae vitiis. *Caput octavum*, de inſtauratis noſtra tempeſtate latinitatis ſtudiis, et praecipuis purae orationis vindicibus. *Caput nonum*, de inſtitutis Illuſtris Gymnaſii Gothani, ad purita-

ritatem Latini ſermonis pertinentibus. *Caput decimum*, de tuenda, in ſcholis praecipue, exacta latinitatis regula; et qui ab ea diſcedant excuſatius? *Caput undecimum*, de pravo eorum inſtituto, qui *liberam latinitatem*, *linguam* eruditorum *vernaculam*, et *novam* fingunt *eloquentiam*. *Caput duodecimum*, de novae linguae et eloquentiae cauſis atque inſtitutis pernicioſis. *Caput decimum tertium*, de ratione vindicandi ſcholas ab iſta diſciplinae depravatione. *Caput decimum quartum*, de libelli hujus tractatione, et comparanda ad ejus ductum purioris Latini ſermonis facultate. *Caput decimum quintum*, quemadmodum barbariſmis adſueti eloquentiae magiſtri, latinitatem diſcere, et ſimul docere poſſint diſcipulos?

EIVSDEM *Latinitatis Reſtitutae Pars altera, continens Latini ſermonis rationes interiores, videlicet dicendi formas cum falſo ſuſpectas, tum male vulgo neglectas, quae ad genera revocari et praeceptionibus comprehendi non poſſunt; ſed ſingulae obſervatione in veterum monumentis inveſtigandae, et ſingulari ſtudio percipiendae ſunt.* Accedit *Praefatio* Gothofredi Vockerodt, *qua hujus libelli inſtitutum et uſus oſtenditur, et Diarii Pariſienſis auctori, Prioris Partis Prolegomena impugnanti, reſpondetur.* Jenae 1708, 1717. 12.

Incorruptae eloquentiae Latinae cupidi homines non ſine ſingulari voluptate in *duabus* his *Latinitatis Reſtitutae Partibus* merito falſoque ſuſpectas et male neglectas Latini ſermonis formas recognoſcent, agnoſcentque, plenius et explanatius argumentum iſtud heic tractatum eſſe, quam a *Joanne Vorſtio*. Hic enim dum Germanicae tantum linguae rationem habet, et huic convenientes quasdam formulas Latinas eſſe, et falſo ex Romano foro proſcribi, contendit; ac praeterea multus eſt in notandis refellendisque erroribus eorum, qui ante eum iſtud argumentum tractare adgreſſi ſunt; facile intelligitur, quid ex his libellis noſtris capi hauririque poſſit, qui generatim et univerſe obſervant et notant, quicquid usquequaque in Latina lingua vitioſum, ſingulare, rarum, bene maleve ſuſpectum, neglectumque eſt.

Nicolai GÜRTLERI *Lexicon quadripartitum, Latinum, Germanicum, Graecum, Gallicum.* Baſil. 1715. 8 maj.

In Parte Latina per varios veterum loquendi modos ſingulis locis qualemcumque lucem adfundit.

Friderici HABERSACK *Nucleus Terentianus, Gnomologia et Phraſeologia Latino-Germanicae, continentes ſententias morales et formulas Latine loquendi in Terentio memoria dignas et quotidiano*

diano uſui maxime accommodatas, concinnatas pró Schola Gryphiswaldenſi. Roſtochii 1655. 8.

Auctor, Scholae Gryphiswaldenſis oppidanae Rector, non ſine judicio ac ſelectu hanc ſyllogen concinnavit.

Iſaaci HABRECHTI *Janua linguarum quadrilinguis Latino-Germanico-Gallico-Hiſpanica.* Argent. 1624. 8.

HADRIANI Cardinalis *De Sermone Latino et modis Latine loquendi.* Ejusdem *Venatio ad Aſcanium Cardinalem.* Item *Iter Julii II. Pontificis Romani.* Baſil. 1518. Coloniae Agrippinae 1522, 1524, 1528, 1533, 1542, 1560, 1566, 1587. 8. 1612. 12. Lugd. 1548. 8. Norimbergae 1618. 12. Dresdae 1654. 8: cui editioni etiam adjunctae ſunt *Gaſp. Scioppii Obſervationes Latinae linguae.* Inter *Scriptores* autem *ſelectos de comparanda elegantiori latinitate,* a *Richardo Ketelio* Amſterd. 1713. 4. conjunctim editos, locum ſecundum obtinet. Eumdem etiam locum habet in *Joh. Verwey Theſauro cultae latinitatis, adornato per clariſſimos linguae Latinae obſervatores, ed. Goudae 1701, 1703. 4.*

Hic *Hadrianus*, Caroli V. Imperatoris, cui etiam hunc libellum ſuum dedicat, praeceptor, factus poſtea Pontifex Romanus, nomen ſuum retinuit, et Hadrianus VI. vocatus eſt: licet id non animadverterit in *Bibliotheca ſua Joſias Simlerus*, ſed ex uno perperam duos fecerit: qui error in Bodlejanum quoque catalogum irrepſit. Hic tanta Eccleſiae Romanae purpura fulgens vir doctus et candidus hoc in opuſculo ſuo Latini ſermonis non vulgares aut circumforaneos locos, ſed intimo Ciceronis et eorum auctorum, qui circa hujus magni Oratoris tempora politum, nitidum et candidum loquendi genus uno propemodum modo, unaque nativa germanaque lingua conſectati ſunt, ſacrario abditos et vetuſtate obrutos eruere et in lucem proferre conatus eſt. *Commentariolum de ſermone Latino* Praefationis loco addit, quo quidem de diverſa L. L. aetate, antiquiſſima, antiqua, perfecta et imperfecta ſcite admodum ac ſapienter diſſerit.

Jo. HAGMEIERI *Variae Lectiones.* Roſtochii 1638. 8.

Martini HAINECCII *Fructus Terentiani*, ſive, ut intus inſcribitur, *Medulla Terentiana*, hoc eſt, *Sententiae Ethicae, Politicae, Oeconomicae, Phyſicae quoque et Hiſtoricae, cum adagiis et proverbiis Comicis e toto corpore ſuperſtitum ſex comoediarum P. Terentii Afri.* Lipſiae 1616, 1625, 1632. 8.

Melius

Melius litterariae juventuti conſulerent, qui Terentium, eo quod minus caſta ſubinde proferat, abhorrent, et neſcio, quem? Terentium Chriſtianum temere ſubſtituunt, ſi hujus loco laborem hunc Hainecciaṇum ſibi commendatum haberent.

EIVSDEM *Medulla Tulliana in locos communes libris VI. digeſta, continens ſententias, apophthegmata, ſimilitudines, pie dicta etc.* Lipſ. 1594. 8.

Etiam hunc librum puto bonae frugis fore in ludis litterariis, ut eo magis allectentur adoleſcentes ad imitandum ſtili Ciceroniani decus.

Frid. Andreae HALBAVERI *Einleitung in die nützlichſten Uebungen des Lateiniſchen Stili.* Jenae 1726, 1730. 8.

Tribus Partibus hic liber conſtat. *Prima Pars* praeparat mentes ad capiendum formandumque ſtilum. *Cap. 1.* exhibet hiſtoriam L. L. *Cap. 2.* fundamenta L. L. *Cap. 3.* fundamenta orthographiae. *Pars Secunda* ipſam ſtili naturam et conſtitutionem exponit. *Cap. 1.* agit de ſtilo generatim ſpectato; *Cap. 2.* de variis Latini ſermonis generibus; *Cap. 3.* de adjumentis ac ſubſidiis ad conſequendum ſtilum neceſſariis. *Pars Tertia* uſum ſtili per exercitationes it ſtabilitum. *Cap. 1.* docet periodi ſtructuram; *Cap. 2.* hiſtoriarum compoſitionem; *Cap. 3.* epiſtolas componendi rationem; *Cap. 4.* dialogorum diſputandique rationem; *Cap. 5.* exhibet orationes ſcholaſticas et civiles; *Cap. 6.* varia ſtili exercitia alia, Inſcriptionum nimirum, Programmatum Proluſionumque, et Poeſios rationem.

Publicavit Auctor *Exercitationes Societatis Latinae, quae Jenae eſt,* Lipſ. 1741. 8. in quibus paſſim non nulla occurrunt, quae ad L. L. cultum ſpectant, v. g. *M. I. V. Brigleb* de potioribus impedimentis ejus, quod pulchrum eſt in ſermone Latino. *I. I. Schatz* de Latina lingua, ex ſola cum Latine loquentibus conſuetudine diſcenda. *I. M. Heuſinger* de pervulgatioribus aliquot erroribus Grammaticis. *M. C. F. Baumeiſter* de ſtudio Latinitatis purae et elegantioris, diligentius, quam vulgo fit, juventuti ſcholaſticae commendando. *M. Car. Langii* Spicilegium ad Joh. Vorſtii lib. de Lat. ſelecta, at vulgo neglecta.

Joannis HARDVINI, e Societate Jeſu Presbyteri, *Opera Selecta, tum quae, jam pridem Pariſiis edita, nunc emendatiora et multo auctiora prodeunt, tum quae nunc primum edita.* Amſtelodami apud Johannem Ludovicum de Lorme, 1709. fol. cum figg. aen.

Libro hoc ſplendidiſſimo continentur

1. *Nummi antiqui populorum et urbium illuſtrati,* ſeparatim antehac editi Pariſ. 1684. it. 1689. 4. Integras huic Operi Auctor Diſſertationes adjecit, ne quid dicam de minoribus additamentis, quae paſſim huic libro inſeruit. Diſſertationes integrae ſe-

quentes ſunt: *De conditione et fortuna Antiochiae et Tyri ſub Auguſtis; De Bithyniae Regibus; De nummis Regum Cappadociae; De bello Judaico ſub Hadriano; De Regibus Mauretaniae; De nummis, qui in epigraphe nomen habent Narbonis; De menſibus Paphiorum; De nummis Ponti Regum; De antiquis Siciliae Regibus;* et *De quibusdam veterum nummorum ſymbolis.* Operi huic ſubjunctus etiam fuiſſet *Antirrheticus de nummis antiquis coloniarum et municipiorum ad Joannem Foy-Vaillant, Medicum,* in lucem emiſſus Pariſ. 1689. 4; niſi emendationibus et additionibus, quae in hoc *opere de nummis antiquis populorum et urbium* occurrunt, minus utilis factus eſſet. Itaque Editor hujus Sylloges Harduineae eum omiſit, ſatis aliunde in hoc Volumine ſuppletum.

2. *Quaeſtio de Baptiſmo triplex:* quod opus auctum nunc eſt nova *Diſſertatione de Baptiſmo pro mortuis;* in qua Auctor illuſtrare adgreditur difficillimum locum 1 Cor. 15. v. 29.

3. *S. Johannis Chryſoſtomi Epiſtola ad Caeſarium,* Graece et Latine, illuſtrata notis et *Diſſertatione de Sacramento Altaris,* cum *Embolis* antea editis, ad quae nunc accedit *tertium de Myſterio fidei in conſecratione calicis.* Subjungitur *Defenſio contra Joh. Clericum,* Scriptorem Bibliothecae Univerſalis, (conſtat autem ea Tomis XXV, quos omnes Joh. Clericus confecit, praeter partem Tomi XX, cujus Joh. Cornandes de la Croſe auctor eſt, et praeter Tomos V. ultimos, quos Jacobus Bernhardus compoſuit) qui contenderat, nihil illic habere Chryſoſtomum, quod Transſubſtantiationi faveat. Pugnat Harduinus in hac Defenſione ſua Andabatarum more, nec intellexit notiones vocabulorum Graecorum, quibus hoc in negotio ſacro Chryſoſtomus, atque adeo Eccleſia Graeca utitur. Confer, ſi placet, Lexicon meum Antib. p. 755. ſeqq. editionis iteratae.

4. *Liber de nummis Herodiadum* emendatior, auctiorque nummis et animadverſionibus permultis. Accedit praeterea *Epiſtola Gallica,* in qua Auctor hoc ſuum opus defendit *contra D. Baſnagium,* Paſtorem Eccleſiae Gallicae Roterodamenſis, ſcriptis multis inſignem, qui in *Hiſtoria Judaeorum Gallice ſcripta* reprehendit, quod de Herodiadum genealogia, terrarum tractu illo, qui in ipſorum ditione fuiſſet, ac de eorumdem religione Harduinus dixerat. Eo autem hic Harduini Tractatus ſpectat, ut Fl. Joſephi fidem elevet. *Proluſio* libro huic de nummis Herodiadum praemiſſa, ſiſtens *Chronologias ex nummis antiquis reſtitutas,* prodierat antehac Pariſ. 1693. 4.

5. *Diſſertatio de ſupremo Chriſti Domini Paſchate,* auctior, cum defenſione ejus. Prodierat antehac Pariſ. 1693. 4.

6. *Numiſmata ſaeculi Conſtantiniani* multo auctiora et emendatiora, cum *Embolo* ad calcem ſubjecto, quo multi alii nummi explicantur, variaque ad rem nummariam pertinentia dilucidantur.

7. *Chronologia Veteris Teſtamenti,* cum permultis emendationibus et additionibus, quibus Opus novum propemodum factum eſt. Hanc Chronologiam ſaepe ſub incudem vocat *la Diſſertation ſecondième* dans *les*

Diſſer-

Diſſertations Hiſtoriques ſur divers ſujets. Haec *Chronologia V. T.* prodierat antehac Parif. 1659. 4 maj.

8. *Numiſmata quaedam Tetrici, Diocletiani et Maxentii, Auguſtorum*, aliquot *Epiſtolis*, *antea Luxemburgi 1700. 8. editis* explanata. Ad eas nunc accedit *Epiſtola antea inedita*, in qua Auctor ſuas explicationes diligenter tuetur contra non neminem, qui eas oppugnarat.

9. *Hiſtoria Auguſta ex nummis antiquis Graecis Latiniſque reſtituta*, quae nunc primum in lucem prodit. Ab Auguſto ad tempora Carini et Numeriani producitur, innumeri nummi in ea explicantur, et multa in Hiſtoria Romana antea inaudita in lucem proferuntur. Suſpecti enim ſunt Harduino Hiſtoriae Romanae ſcriptores, quia, uti putat, cum antiquis nummis in permultis capitibus in concordiam redigi nullo modo poſſunt. Quin etiam auctores profanos omnes, praeter Homerum, Herodotum et Plinium Majorem, putat eſſe vel ſuppoſiticios vel miſere depravatos. Quae peſtifera opinio quo tendat, facile ſubodorantur, qui inter eruditos naris emunctioris ſunt. Conferri interim heic debent *Vindiciae veterum ſcriptorum, contra Harduinum*, Roterod. 1708. 8; item *la Diſſertation ſecondième* dans *les Diſſertations Hiſtoriques ſur divers ſujets, à Rotterdam 1707. 8:* quas binas Diſſertationes doctiſſimas cum immortali nominis ſui gloria conſcripſit *Maturinus Veyſſierius la Croze*.

10. Claudunt agmen *Diſſertatio de LXX hebdomadibus Danielis adverſus R. P. Bernardum Lamy*, emendatior et auctior; deinde *Explicatio nummi ſub Ludovico XII. Francorum Rege cuſi, cum hac inſcriptione: Perdam Babylonis Nomen;* tertio *Explicatio nummi Philippi Auguſti;* quarto *Interpretatio numiſmatis rariſſimi Juſtiniani Imperatoris;* quinto *Interpretatio* Pſalmi LXVII; denique et ſexto *Explicatio Inſcriptionis ſubjectae Veronicae* ſeu *verae iconi Chriſti*. Hae explicationes Gallice in Diario Eruditorum Pariſienſi et Monumentis Trivultianis editae fuerant, ſed ab Auctore heic partim Latine verſae, emendatae et auctae ſunt.

EIVSDEM *Opera Varia, cum Indicibus et Tabulis aeneis.* Amſtelodami apud Henricum du Sauzet, et Hagae Comitum apud Petrum de Hondt 1733. fol. cum figg. aen.

Libro hoc Harduini altero, itidem ſplendidiſſimo, continentur

1. *Athei detecti*, qui ex Harduini mente ſunt *Cornelius Janſenius, Ambroſius Victor*, qui et *Andreas Martin* vocatur, *Ludovicus Thomaſſinus, Franciſcus Malebranchius, Paſchaſius Queſnel, Antonius Arnaldus, Petrus Nicolle, Blaſius Paſcal, Renatus Carteſius, Antonius le Grand, Silvanus Regis:* a pag. 1.

2. *Reflexions importantes, qui doivent ſe mettre à la fin du Traité intitulé:* Athei detecti: a pag. 259.

3. *Platon expliqué, ou Cenſure d'un Ecrit de M. l'Abbé Fraguier:* a pag. 273.

4. *Pſeudo-Virgilius;* ſive *Obſervationes in Aeneida Virgilii:* a pag. 280. Adſertum ire ſtudet, Aeneidem a Virgilio non ſcriptam eſſe:

 deli-

deliberatum ei fuiſſe, poſt edita Georgica prodere carmine res geſtas non Aeneae certe, ſed Caeſaris Auguſti: libros Virgilii Aeneidos, qui hodie exſtent, opus eſſe ſuppoſiticium, quod Severus Archontius, homo Gallus, ſaeculo XIII. confecerit. Quam quidem Harduini ſentiendi petulantiam caſtigavit pereleganti et erudita Diſſertatione *Johannes Fridericus Chriſtius*, Lipſiae 1737. 4. publicata ſub titulo: *Vindiciae ſecundum libertatem pro Maronis Aeneide.*

5. *Pſeudo-Horatius*, ſive *Animadverſiones Criticae in Horatii Opera:* a pag. 328. Qua quidem Commentatione oſtendere conatur, Horatio poetae nihil ſupereſſe genuinum praeter Epiſtolas et Sermones.

6. *Numiſmata Saeculi Theodoſiani:* a pag. 363.

7. *Numiſmata Saeculi Juſtinianei:* a pag. 461.

8. *Antiqua numiſmata Regum Francorum:* a pag. 549.

Profert Harduinus παράδοξα non pauca, eaque valde abhorrentia ab opinione communi, et quae per obliquum ducunt ad ſcepticiſmum Hiſtoricum: quum in rebus Chronologicis et in Hiſtoria plurimum diſcrepare cupiat ab omnibus iis, qui eadem tractarunt; nec deſint, qui exiſtiment, ex pluribus horum in utroque ſinuoſo Volumine occurrentium Operum locis conſectarium aliquid portenti ſimile eſſe, atque in hunc diem prorſus inauditum: exſtitiſſe videlicet aliquando genus hominum audax ſane et impudens, qui, nec bona nec pia voluntate adducti, venerandis ſanctorum Patrum, tum etiam clariſſimis profanorum ſcriptorum, Graecorum et Latinorum, nominibus inſcripſerint fetus ſuppoſiticios et in rei Chriſtianae bonarumque artium perniciem natos. Quo numero etiam contineri eruditi obſervant pleroſque, quos, ut veteres et optimae notae ſcriptores, orbis Chriſtianus, tamquam magiſtros, ſequitur ac ſuſpicit, ſive in perpoliendis litteris, quas humaniores vocant, ſive in tractandis rebus Theologicis. Quod quidem utrum jure, an injuria concludatur ex placitis Auctoris callidiſſimi, qui praeter Sacram Scripturam, unumque item et alterum e profanis auctoribus, nummorum duntaxat et Aſtronomiae fidem, ac nihil praeterea aliud fere attulit ad ſtabiliendam ſententiarum ſuarum in Hiſtoria paradoxologiam, tum utrum habeat partem aliquam in ſe veritatis; ſunt, qui in utramque partem diſputari poſſe exiſtimant. Qui conſecutionem approbant et admittunt eam ex Harduini ſcriptis, contenduntque, non modo nihil inde detrimenti capere rem Chriſtianam aut litterariam poſſe, ſed etiam pura ſic ab omni contagione ac liquida Chriſtianae religionis dogmata nitori antiquo ſuo reſtitui; nimirum hi mihi quidem vel ipſo Harduino pejores eſſe, vel ita ineptire per ambitionem videntur, ut mala arte inclareſcant, quum bonis modis et ratione honeſta id haud poſſint. Rectius itaque ſciſcunt, qui hac, quam Harduinus perperam iniit, ratione doctrinae omnis fundamentum dirui, qui actum eſſe de ſanctiori divinitus revelatae religionis cultu, ſi audiatur Harduinus, eumque eadem litura deleri, qua auctorum plerorumque omnium ſcripta induci ab Harduino cenſent.

Scripſit etiam P. Hardouin *une Apologie d'Homere, ou le veritable deſſein de ſon Iliade, et ſa Theomythogie.* Pariſ. 1716. 8: cui tamen oppo-

oppoſuit *Daceria Homere defendu contre l'Apologie du* P. Hardouin, ou ſuite des cauſes de la corruption du gouſt. Pariſ. 1716. 8.

Michaelis HAVEMANNI *Methodus diu multumque hactenus deſiderata.* Hamburgi 1673. 8.

Sect. II. cap. 3. de L. L. p. 268. poſt Comenii Januam, Colloquia Helvici, Epiſtolas Politiani vel Nepotem, porro Orationes Ciceronis, Plautum, Terentium, Plinium, Salluſtium, Tacitum et Senecam maxime perdiſcendos commendat. In quo tamen intelligentium plauſum minime feret.

M. Chriſtophori HAVPTII, Rectoris Scholae Grimmenſis, *Supplementum Fabularum Phaedri.* Inſertum eſt Tomo I. Miſcellaneorum Lipſienſium p. 258.

Lacunas Phaedrinas ex ingenioſis ſuis conjecturis ſupplet.

Godefridi HECHTII *De formula In praeſentiarum.* Witteb. 1709. 4.

Auctor fuit Lycei Luccavienſis Rector, et multa curioſe coacervavit de natura et indole et ſuſpecta non nullis ratione hujus vocabuli. Praematurum ejus obitum deflet *Tobias Ekhardus* Tomo X. Miſcell. Lipſ. p. 252.

M. Benjamini HEDERICH *Promtuarium latinitatis probatae et exercitae.* Lipſ. 1716, 1729, 1745. 8 maj.

Singulis vocabulis ſua adduntur legitima epitheta, et ii verborum nexus, quibus illa praecipue gaudent. Auctor eſt Rector Scholae Haganoenſis (*zu Groſſen-Hain*) haud procul a Dresda in Miſnia.

EIVSDEM *Lexicon Manuale Latino-Germanicum,* Tomis II. conſtans. Lipſ. 1739. 8 maj.

Promtuario multo eſt locupletius. Quemadmodum *Promtuarium* iis ſubſervit, qui e Germanica lingua in Latinam transferre aliquid volunt; ita hoc *Manuale* verſa vice iis operam praeſtat, qui e Latina lingua in Germanicam transferre aliquid volunt. *Promtuarium* ſyntheſin; *Manuale* analyſin juvat.

EIVSDEM *Progymnaſmata Stili Latini.* Editio ſecunda. Witeb. 1745. 8.

EIVSDEM *Lexicon Mythologicum.* Lipſ. 1724. 8.

Caroli HEIDANI *Theſaurus elegantiſſimus veterum Graecorum, Romanorum et aliorum numiſmatum.* Lugd. Bat. 1697. 8.

Sebald HEIDEN *Formulae latine loquendi pueriles.* Lemgov. 1665. 8.

Chriſtophori HEIDMANNI *Formulae declinationum Latinarum, cum articulis, qui praemitti ferme ſolent:* itemque *Radices Nominum plerorumque Latinorum, et Particularum indeclinabilium.* Subjungitur *Promtuarium omnium paene verborum quatuor conjugationum.* Editio quinta Wolfenbuttelae 1704. 8.

Liber bene et accurate diſpoſitus, et pueritiae litterariae utiliſſimus; at hodie propemodum antiquatus, eo quod recentiorum hujus generis libellorum amatores veterum gratiam interdum nimis deprimunt.

Libellus poſterior, nempe *Promtuarium verborum*, perperam ſolet *Heidmanno*, tamquam auctori, tribui. Proficiſcitur autem ab *Johanne Caſelio*, Viro Excellentiſſimo, *cujus* in *libello Grammatico* primum occupat locum. Exiit enim, ſuppreſſo quamvis *Caſelii* nomine, Commentationum Sylloge quaedam ſequenti ſub titulo:

Libellus Grammaticus tironibus Latinae linguae principio admodum neceſſarius, nec inutilis idem non nullis adultioribus. Prima pars *ad Etymologiam pertinet, continens pleraque verba Latina omnium conjugationum, eorumque compoſita, ſubjectis praeteritis et ſupinis, cum interpretatione Germanica: nec non cetera compoſita, quorum ſimplicia verba aut non exſtant, aut obſoleverunt, indicatis primitivis, quoad fieri potuit.* Secunda *ad Orthographiam, de vitanda inſulſitate multiplici inter pronuntiandum: quod vitiis vitatis ad pronuntiandi elegantiam acceditur propius.* III. *Quemadmodum quaedam praeter regulas citra reprehenſionem, etiam cum laude uſurpemus, ex commentatione* Dabercuſii, *Grammaticorum hujus aetatis accuratiſſimi.* IV. *Epiſtola, quemadmodum praeceptor pueros artem Grammaticam rectiſſime doceat. Helmaeſtadii iterum typis exprimebat* Jacobus Jacobi Tranſylvani F. Lucius, *Typographus Ducis Brunovicenſis Academicus*, 1611. 8.

Ad formam libelli illius Heidmanniani prodiit aliquando Graecae linguae cognoſcendae inſerviens liber, ſub hoc titulo: *Radices nominum et verborum Graecorum, cum praecipuis Derivatis et Particulis indeclinabilibus*, Goettingae 1673. 8. *Johannes Strubius* librum concinnavit: auxit autem illum *Mentho Deichmannus*, ut Praefatio Bibliopolae teſtatur.

Jo. Gottl. HEINECCII *Stili cultioris fundamenta, regulis perſpicuis ſelectiſſimisque ex optimis auctoribus exemplis in uſum Auditorii adornata.* Accedunt *Sylloge exemplorum et Indices rerum et verborum locupletiſſimi.* Francof. et Lipſ. 1726, 1730, 1733. 8.

Prout

Prout inter recitationes Academicas ex ore Auctoris exciderunt, et calamo ab auditoribus excepta ſunt, ita heic typis exſcripta offeruntur, ſed ſecundis tamen perpolita curis, variisque hinc inde animadverſionibus locupletata. Prooemium agit *de inſtituti ratione.* Pars I. *de generalioribus terſae latinitatis fundamentis.* Cap. 1. *de fundamentis ſtili Grammaticis.* Cap. 2. *de fundamentis ſtili Rhetoricis.* Cap. 3. *de fundamentis ſtili Philoſophicis.* Pars II. *de ſpecialioribus ſtili fundamentis.* Cap. 1. *de conſcribendis epiſtolis.* Cap. 2. *de orationibus vel declamationibus.* Cap. 3. *de Panegyricis.* Cap. 4. *de dialogis.* Cap. 5. *de inſcriptionibus.* Pars III. *de variis cultioris ſtili facultatem adſequendi modis ac viis.* Cap. 1. *de auctorum lectione.* Cap. 2. *de imitatione.* Cap. 3. *de variis ſtili exercitiis.*

Hicce libellus: *verba ſunt Cl. Langii in Inſtitut. Stili Romani p. 12. ſeq.:* partim, quod ad ordinem dicendorum ipſarumque materiarum delectum, partim, quod ad elegantem ſcribendi modum attinet, quocum comparetur, vix habet. Cuncta ſunt cum ſuavitate quadam conjuncta, lectoremque alliciunt magis, quam avocant alii. Neque proinde eſt, quod fidem temere habeas viro, multis alias in litterariam aeque ac ſacram remp. meritis conſpicuo, Laur. Reinhardo, celebri Gymnaſii Vinarienſis ConRectori, Heineccium adfirmanti ſua, quae bona habet, ad verbum deſcripſiſſe ex ſchedis Schurzfleiſchii. Ipſa enim ſcribendi ratio, quae Heineccio propria noſtro eſt, ex omnibus ejus ſcriptis elucet, neque in hoc, cujus mentionem facimus, libello diverſa eſt. Accedit, ut, ſi quis *Analecta Stili Romani*, quae ex *B. Schurzfleiſchii* ſchedis *Knauthius* 1725. 8. edidit, cum *noſtri* conferre voluerit *fundamentis*, omnia alia, ni egregie fallar, certo certius animadvertat.

Jacobi HEINRICHMANNI *Grammaticae Inſtitutiones.* Lipſ. 1511. 4.

Dan. HEINSII *Rerum ad Silvam Ducis atque alibi in Belgio aut a Belgis a. 1629. geſtarum hiſtoria.* Lugd. Bat. 1631. fol. min.

Vocabula rei bellicae aliarumque artium nova Latinis vocabulis iisque convenientibus vel elegantibus circumlocutionibus ubique reddere ſtudet. Id omnino tenendum de hoc libro eſt, quod Heinſius in eo ſic per omnia ſequendum Tacitum ſibi propoſuerit, ut, Scheffero judice, in cunctis eum aequet, in quibusdam etiam ſuperet inimitabilem alioquin ſcriptorem.

EIVSDEM Diſſertatio *de Criticae ortu, progreſſu et uſu.* Cantabrigiae 1646. 12.

Nic. HEINSII *Adverſariorum libri IV, numquam antehac editi, quibus varia auctorum veterum, praeſertim Poetarum, loca emendantur et illuſtrantur.* Accedunt *Heinſii notae ineditae in*

Catullum, Tibullum et Propertium: curante *Petro Burmanno.* Harlingae 1740. 4.

Severini HELLINX *Ciceronianae Phraſeos ſeu Dictionis varietas et copia ex* Mario Nizolio, Aldo Manutio, *aliisque ſic digeſta, ut Germanicis Alphabeti ordine poſitis Latina Gallicaque parte ex magna reſpondeant.* Adjecta Praefatione brevi *de linguis addiſcendis et uſu libri.* Colon. 1595. 8.

Valet hic liber pro linguae Latinae perfectione aliqua conſequenda, poteſtque juventus ex eo, ſi cum Grammatica conjungatur, mediocriter Latine diſcere: prout id fieri poteſt ex aliis hujus farinae libris. Auctor fuit origine Aquisgranenſis, et Profeſſor Colonienſis.

Chriſtophori HELVICI *Grammatica Latina.* Vide ſupra *Finkium.*

Scripſit etiam *Colloquia Famil.* de quibus ſupra ad *Comenium:* it. collegit *Libros didacticos Grammaticae Univerſalis, Latinae, Graecae, Hebraicae, Chald. Lat. et Germanicae. Gieſſ. 1619. 4.*

M. Juſt. HENNINGII *Gymnaſium ſtili epiſtolici Ciceronianum.* Magdeb. 1687. 8.

Joh. HENNINGII *Artificium componendi verſus Latinos.* Quedlinb. 1693. 12.

EIVSDEM *Paroemiologia Virgiliana.* Quedlinb. 1694. 12.

Deſiderii HERALDI *Adverſariorum libri II.* Acc. Ejusd. *Animadverſiones in lib. Jamblichi de vita Pythagorae.* Pariſ. 1599. 8.

Non modo in his *Adverſariorum libris,* ſed etiam in *ſcriptis adverſus Salmaſium,* et *Obſervationibus ad Jus Atticum et Romanum,* aliisque ſimilibus, non pauca critica et variam eruditionem ſpirantia cum orbe litterato communicat,

Chriſtoph. Aug. HEVMANNI *Epiſtola Critica de ὀνοματοποιΐᾳ ſive jure linguam Latinam augendi novis vocabulis,* Quintiliani *Dialogo de cauſis corruptae eloquentiae, recognito, emendato et illuſtrato,* Goettingae 1719. 8. adjecta.

EIVSDEM *Poecile* ſ. *Epiſtolae Miſcellaneae ad litteratiſſimos aevi noſtri viros.* Accedit *Appendix, exhibens Diſſertationes argumenti rarioris.* Tomi I, Lib. 1. Halae 1722. l. 2. 1723. l. 3. 1724.

1724. l. 4. 1725. Tomi II. L. 1. 1726. l. 2. 1726. l. 3. 1727. l. 4. 1727. Tomi III. L. 1. 1729. l. 2. 1729. l. 3. 1730. l. 4. 1732.

Praeter complura Critica et Etymologica, quae in hac erudita Sylloge Heumanniana occurrunt, ſequentia praeſertim ad Bibliothecam hanc noſtram ſpectant: Tomo I. p. 427. *De adaugendo Fabri Lexico; it. De civitate Latina Utopica.* Tomo II. p. 177. *Acceſſiones ad Turſellinum;* it. p. 365. *De particula Itaque.* Tomo III. p. 17. ſeqq. ubi in Epiſtola ad Geſnerum de Cyria Johannis occurrunt *non nullae Acceſſiones ad Fabri Lexicon;* it. p. 307. *De latinitate plebeja aevi Ciceroniani;* it. p. 384. *De ſtili Papiſmo;* it. p. 544. *De Franciſci Theodori Kohlii Commentationibus Criticis.* Eodem Tomo l. 4. *De ſectis ſ. haereſibus Grammaticorum,* Programma antehac editum Goettingae 1724. 4.

EIVSDEM *Parerga Critica*, ſive *Hebdomadum Criticarum Hebdomas*, *et Gloſſematum Decas.* Accedit *Emendatio Emendationum aliquot in* V. C. Joannis Clerici *Arte Critica occurrentium*, praemiſſa *Commentatione de Arte Critica*, ſubjunctaque *Diſſertatione Critica ad 1 Joh. 5, 20.* Jenae 1712. 8.

Inſignem Auctoris eruditionem arguunt. Speciatim *Commentatio ejus de Arte Critica* cum magno judicii acumine perſcripta creditur: ante omnia autem celebrantur ea, quae heic de parte Critices therapeutica prudentiſſime proponuntur.

Johannes Clericus dans ſa Bibliotheque choiſie Tome XXV. Partie Seconde p. 405. ſeqq. hunc ingenii Heumanniani fetum nec ſine Auctoris laude, nec ſine bile tamen, qua commotus videtur eſſe, quantumvis eam diſſimulare cupiat, recenſet. Non pigebit, ipſa *Clerici* verba lectitaſſe, et proinde ea huc transſcribam:

Mr. Heumann a raiſon de croire, comme il le temoigne dans ſa Préface, que je ne me facherai point contre lui, de ce qu'il a entrepris de refuter quelques endroits de mon Ars Critica. Comme il paroit, par ſon aveu, que ce livre ne luy a pas été inutile, et qu'il me donne même des louanges, que je ne merite pas; je ſuis perſuadé, qu'il n'a pas voulu me deſobliger. Neanmoins ce titre n'a pas un tour obligeant, et je m'imagine, qu'il ne trouveroit pas fort civil celui-ci: *Falſae conjecturae* C. A. Heumanni, *de operibus* J. Clerico *attributis;* quoique j'euſſe plus de droit d'en uſer ainſi, que lui n'en a eu de traiter de *fauſſes*, des conjectures, fondé ſur d'autres conjectures, qui peut-etre ne paroitrons pas plus vraiſemblables, aux connoiſſeurs; au lieu que je pourrois faire voir demonſtrativement, qu'il ſe trompe, dans les livres, qu'il m'attribue, mal à propos.

Mais je ne veux pas inſiſter là-deſſus, ni même refuter rien de ce qu'il dit, des corrections, qu'il n'approuve pas, ni aucune des Siennes. Le tems et le jugement des perſonnes deſintereſſées decidera du Vrai et du

Faux. Son Ouvrage eſt composé 1. *d'une Diſſertation de l'Art de la Critique* en general, et en particulier de l'Art de corriger les paſſages corrompus, qu'il appelle l'Art Therapeutique, ou de guerir les endroits malades, dont il donne pluſieurs exemples: 2. *d'un Recueuil de corrections ſur divers Auteurs Grecs et Latins;* ſavoir, Ciceron, Zoſime, Jamblique, Tacite, Quinte-Curce, Palephate, et Ovide, dans chacun desquels il corrige ſept paſſages: 3. *de dix exemples d'additions* de quelques paroles ajoutées, mal à propos, dans les Ecrits des Anciens, pour les faire parler plus clairement, ou pour ſuppléer ce que l'on croyoit, ſans raiſon, y avoir été omis: 4. *des endroits*, qu'il croit devoir etre corrigéz, dans mon *Ars Critica: 5. d'une Diſſertation ſur 1 Jean. 5, 20.*

Je ne ferai aucun Extrait particulier de tout cela. Je dirai ſeulement, que l'Auteur ecrit mieux, qu'on ne fait communement en Allemagne, qu'il y a pluſieurs corrections, qui ne deplairont pas et qu'on ne ſera pas fâché d'avoir lû ce Livre; quoiqu'on y puiſſe trouver d'ailleurs des conjectures, dont on ne tombera pas ſi facilement d'accord, que l'Auteur le croit. Mais ſi l'on ſe ſouvient de ce, que veut dire le mot de conjecture; on comprendra que c'eſt aſſez qu'elles ſoient vrai-ſemblables, et l'Auteur lui même n'en peut pas demander d'avantage.

Buddeus, poſtquam in *Iſagoge ſua Hiſtorico-Theologica p. 151. col. 1.* hanc *de arte Critica* Diſſertationem Heumannianam, ut elegantiſſimam lectuque digniſſimam, commendaſſet; *Nec inſpexiſſe*, ait, *poenitebit quemquam, quae* Daniel Maichelius *de arte Critica, paucis quidem, ſed perſpicue et luculenter, diſſerit in Introduct. ad Hiſtoriam Litterariam de praecipuis Bibliothecis Pariſienſibus etc. Part. 2. cap. 3. p. 166. ſeqq.*

EIUSDEM *Programma de orationis Latinae idiotiſmis*, ſive *de latinitate plebeja aevi Ciceroniani.* Goettingae 1726. Recuſum in *Ejusdem Poeciles* Tomo III. lib. 2.

EIUSDEM *Meditatio Orthographica ad* Diſſertationem Fabricianam, qua non nemini de orthographia Latina ſcrupuli eximuntur. Exſtat in *Actis Eruditorum Lipſienſibus A. 1715. p. 16. ſeqq.*

EIUSDEM *Obſervatio de* Nequicquam. Inſerta eſt *Miſcellaneis Lipſienſibus ad incrementum rei litterariae editis, Tomo V. p. 161.*

Primum exemplis docet, *τὸ nequicquam* non aliud eſſe, quam *fruſtra.* Deinde ea loca expendit, quae a Lexicographis adferri videt ad demonſtrandam *τῶ non* notionem. Denique locum quemdam Curtii emendat, in quo pro elegantiſſimo illo *nequicquam* jam olim ſurrepſit *nequaquam*. Illuſtris Puſendorfius ſemper fere *Nequicquam* uſurpat in ſcriptis ſuis pro *Nequaquam.*

Frid-

Friderici HILDEBRANDI *Loquendi genera et vocabula partim illatina et barbara, partim dubia et ſuſpecta.* Francoſ. 1674. Martisburgi 1685. 12.

Emendatione hic libellus indiget in multis, quae recentiorum Grammaticorum opera rectius explanata atque eruta ſunt.

EIVSDEM *Sylloge Latinas quasdam loquendi formulas et vocabula complexa.* Zittaviae 1713. 12.

Jo. Frid. HODANI *Adminicula ſapientiae et eloquentiae ſ. Ars methodice excerpendi.* Hanoverae 1713. 8.

Caſpari HOFMANNI *Libri VI. Variarum lectionum.* Lipſ. 1619. 8.

Rariores ac proinde comparatu difficiliores ſunt: multas autem habent emendationes locorum Dioſcoridis, Athenaei, Plinii, Hippocratis. Auctor Medicus fuit doctiſſimus.

EIVSDEM *Silvula Orationis de barbarie imminente.* Francoſ. ad Oderam 1578. 8. Eſt etiam *J. Negeleins Ulyſſi litterario, Norimbergae 1726. edito,* ſubiecta.

Eruditiſſima eſt, optimis de feliciter inſtituendis ſtudiis praeceptis referta, et digniſſima, quae a bonarum litterarum ſtudioſis diligenter legatur, et quae iccirco prelo ſubiiciatur denuo. Me certe libelli lectione mirifice delectatum eſſe, fatear, neceſſe eſt. *Ita de hac* Silvula Orationis Hofmanniana *judicat* Jacobus Burkhardus de linguae Lat. in Germ. fatis, p. 471. in nota ſubiecta 5.

Gothofredi HOFMANNI *Atrium Latinae linguae,* das iſt, *kurze und deutliche Anweiſung zur Lateiniſchen Sprache, wie die Jugend auf das leichteſte zum Flectiren und Conſtruiren angeführet, und mit einem Vorrathe von den nöthigſten und nützlichſten Vocabulis in Zeiten verſorget werden könne.* Zittau 1728. 8. die dritte Ausgabe.

EIVSDEM *kurze und deutliche Einleitung in die Lateiniſche Sprache, darinnen anfangs Convenientia und Diſcrepantia der Latinität und Teutſchen Sprache unterſuchet, und die Fundamenta Latiniſmorum mit deutlichen Exempeln gewieſen, hierauf allerhand nützliche Lateiniſche Progymnaſmata, welche nach den Oratoriſchen Praeceptis in der Ordnung, wie darinnen informiret werden*

ſolle,

ſolle, eingerichtet ſind, der Iugend zum überſetzen vorgegeben werden. Lauben 1718. Leipzig die fünfte Ausgabe 1735. 8.

EIVSDEM *Ordentlicher und gründlicher Weg zur Compoſition der Lateiniſchen Sprache, in welchem der ſtudirenden Iugend durch deutliche Reguln und richtige Exempel gewieſen wird, wie man im Lateiniſchen anfangs recht und hierauf zierlich conſtruiren lernen, und im übrigen Cultum linguae Latinae durch allerhand oratoriſche Adminicula alſo treiben ſoll, daſs man auch durch eigenen Fleiſs ſich den rechten Grund der Lateiniſchen Sprache bekannt machen könne.* Leipzig die ſiebende Ausgabe 1737. 8.

Auctor, Gymnaſii Zittavienſis Rector, de pubis ſcholaſticae ſtudiis meritiſſimus, his in libellis facilem ac perſpicuam adhibet methodum.

Andreae HOIERI Programma *de vanitate, qua non nullorum de ratione docendi linguam Latinam conſilia laborant.* Slesvici 1739. 4.

Ferd. Car. HOMMEL *Obſervationum Grammaticarum Jus Civile illuſtrantium Specimen I.* Lipſ. 1749. 4.

Thomae HORNE, Artium Magiſtri, Scholae Tunbridgienſis Archididaſcali, *Χειραγωγία ſive Manuductio in aedem Palladis, qua utiliſſima methodus auctores bonos legendi indigitatur.* Londini 1641. 12.

Multa praeclare ac ſapienter Auctor monet. Arrident mihi prae ceteris, quae proponuntur de prima mentis operatione in Grammatices fundamentis ponendis, de ſecunda mentis praeparatione, deſcenſu ad inferiores captus, amovendo difficilia vel jucunda reddendo, de poëſi Oratori inſerviente, de memoriae ſubſidio per iteratam inculcationem; de exercitiis iterum conficiendis, de collectionibus ex auctoribus, de extemporaria locutione, de intellectu memoriae inſerviente, de inſtituendorum numero, cui quamvis copioſo Auctor una et ſimul vult conſultum: de orationibus exercitii gratia in ſcholis contexendis, quas breves, ſaltem haud nimis longas inſtitui vult, ne fatigentur ingenia. Habet tamen libellus hic ſuos etiam naevos, quum e. g. neſcio quid ſubſidii in latinitate addiſcenda capi a pube ſcholaſtica e Comenii libellis poſſe exiſtimet, et p. 48. juxta veteres etiam ſcriptores recentiores v. g. Lipſium, Puteanum, Barclajum, Stradam, Baudium, Cerdam, alios, juventuti ſedulo evolvendos etiam atque etiam commendet: in quo quidem Auctor declarat, quam parum genuinae et candidae latinitatis indolem perſpectam habeat; ne quid dicam de ſordibus, quas ſuo ipſius ſtilo immiſcet. Interim pulchra ſunt plurima praecepta ejus, ſi ex ſe, non ex ſtilo ſordido et perplexo aeſtimentur.

mentur. Praeſertim operae pretium fore arbitror, ſi ea exſcribam, quibus p. 39. ſeqq. ſcholae magiſtrum ornandum cupit.

Quia magiſtrorum mores, *inquit*, et geſtus eximiae inſtitutioni plurimum conferunt, et ſunt quaſi diſcipulis leges loquentes; has regulas proponere, non inutile erit. Animi integri, non vitioſorum morum eſt inſtitutio.

1. Quoscumque litteris et virtute promovere velis, ſerio precare, ut promoveantur.

2. E ſchola te ſubducas, quotiescumque indignatio et ira nimium ebulliunt, et precibus, vel lectioni, vel meditationi vaces.

3. Te divertas ad aliud extremum, ſi ſis ad iram proclivis, videlicet lenitatem; utaris alia poena, quam verberum; qualis eſt reſtrictio, quum ſocii ludunt, exercitiorum auctio, amiſſio loci, etc.

4. In aliis affectibus tibi etiam imperes, ſi irae imperabis; contumelioſa verba evites: acerbant, non corrigunt.

5. Voto humili et genibus flexis facto te obſtringas, poenam tibi imponas, ſi ſaepius in eumdem errorem impingas; nec defendantur errores tui, ſed pie confitere, ſedulo corrigas. Languent affectus, ſi deprimas; inſoleſcunt, ſi indulgeas.

6. Infligenda eſt poena, non ut irae tuae ſatisfacias, ſed ut peccantem emendes. Examina igitur ante poenam, nec ſeparetur poena ab inſtitutione: nam, quum ira deferbuit, multum auctoritatis ab ea poena conciliatur, quae moderate et poſt aliquam moram infligitur.

7. Infirmos patienter toleres, ne ſis clamoſus, nec jocis nimium deditus, praeſertim ſi cum illis rem habeas, qui aliquo corporis aut mentis defectu laborant, eamdem culpam ne nimium incuſes: attamen non inutile eſt, pueros obſervare, te poſſe aliquando veteres culpas in mentem revocare.

8. Hortare, remunera, quotiescumque occaſio ſubſervit, variis ingeniis vario modo te applices; omnes, quae occurrunt, occaſiones arripias, e quibus bonos mores informes; cibo potuque ne tibi indulgeas; ſunt enim enormium affectuum fomenta.

9. Meditare de Dei praeſentia et in te patientia, cujus vicem geris, te tamquam in theatro poſitum eſſe, ut ab omnibus conſpiciare, ut omnibus moderationis, pietatis, prudentiae ſis exemplo. In mente etiam tua revolvas lugubres iracundiae effectus in te et aliis, eorum debilitates, quorum curam ſuſcepiſti, quantum auctoritatis temerariis et abſurdis tuis geſtibus amittatur. Monita amicorum, inimicorum querelas, impedimenta profectus, exempla tam manſuetudinis, quam furoris ante oculos ponas.

10. Ne nimium abſis a ſchola, ſed ſit tua praeſentia perpetuus monitor. Ne ſis nimis facilis aut frequens in venia ludendi concedenda: luſu enim luſus deſiderium accenditur, non reſtinguitur. Sunt generales leges in omni ſchola obſervandae de obſequio, affabilitate, pulchra exercitiorum ſcriptione, de tempeſtiva ſcholae frequentatione, de jurgiis et clamoribus evitandis, de cura in exigenda ratione eorum, quae docentur de ordine conſervando: et haec omnia fideliter, immo et ſevere, exigi debent, ſi quis vel ſcholam conſtituet, vel conſtitutam conſervabit. Quis vero docendi peritus haec ignorat?

Matthiae

Matthiae HOSTI *Hiſtoriae rei nummariae veteris libri V.* Francoſ. 1580. 8.

Joh. HÜBNERI Obſervatio *de duabus Scholarum Peſtibus, Paedantiſmo et Galantiſmo,* inſerta Tomo IV. Miſc. Lipſ. p. 72.

Summa Obſervationis hujus huc redit, ut oſtendat auctor, homines de ſchola poſtquam genio ſaeculi ſe accommodare hodie conati ſint, ſolidioris eruditionis laudem et ſeveriorem ſchdlarum diſciplinam magis magisque in pejus dari.

Jacobi HVGII ſive HVGVES, Inſulani, *Artificium tranſitionum*, ſive *de partibus Latinae orationis ornate, multipliciter aptiſſimeque inter ſe nectendis.* Prodiit primum Colon. Agripp. 1642, dein Moguntiae 1657. Acceſſit *Iuſti Lipſii Inſtitutio Epiſtolica.* Vtrumque libellum recenſuit, notisque ad hanc additis illuſtravit *Georgius Caſparus Kirchmaierus.* Wittebergae 1671. Tandem denuo exiit 1711. 12.

Eo majorem laudem meruit, quo certius conſtat, primum illum connexiones formare docuiſſe per periodos, membra majora et minora, tam per particulas, quam per figuras et formulas, in proſa aeque ac ligata oratione.

Notabilia autem periodorum principia haec ſunt, ut inter legendum occurrerunt conſignata: *Occurrit ex alio aliud. Nec ſum ignarus. Neque vero haec a me ita diſputantur. Non reprehendo illorum ſollicitudinem. Non dum commemoravi. Non alienum erat hoc loco. Ac primo quidem illud praetereundum haud eſt. Iam vero magna circumſpectione opus eſt. Sed ſatius eſſet, haec ſilere, niſi ex ſe magnae calamitates loquerentur. Dubito autem heic, an — an. Opportunum erat hoc loco. Non poterant iſta ſatis occupare induſtriam tuam. Neque vero tantum de hac, ſed et de illo. Quamquam neſcio, magisne - an. Haec autem eſt ratio mea, et ſic animum induco meum. Illud etiam me commovebat. At enim aridam orationem non ſequitur affectus delectationis. Atque adeo mihi concedendum eſt magis, quod. Ad illecebras aetatis accedebat etiam forma. Quid illud quanti tandem faciendum putatis? Et quisquis eſt, qui putat. Niſi Orpheum audire praeſtat. Mihi quidem neque fas videtur. Quamquam ego mihi ſic perſuadeo. Huc accedit. Accedit, quod. Sed de his audietis deinceps. Longum eſt, ire per ſingula. Mitto jam. Non credat hoc quisquam. Praeterea accedit. Quid? quod. Reliquum eſt, ut. Reſtat, ut. Quod reliquum eſt. De reliquo. Sed ne longior ſim.* Haec et multa alia colligi poſſunt, ratione membrorum orationis, ut fecit *Hugues noſter*; aut ſub certis particulis, quibus illae formulae reſpondent, ut fecit *Elias Major in libro de varianda oratione:* et multum adferent ad orationem elaborandam adjumenti.

Hermanni

Hermanni HVGONIS *De prima ſcribendi origine et univerſae rei litterariae antiquitate.* Antwerp. 1617. 8.

Non inelegans liber. Cui tamen jungendi ſunt bini ſequentes:

1. Petri Holmii *Diſquiſitio de Scriptura et variis rationibus ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram, ſive deſuper vel quocumque alio modo ſcribendi*, publicata Lundini Scanorum 1670. 8. et recuſa in *Analectis Philologicis Thomae Crenii* cura editis Amſt. 1699. 8.

2. Balthaſaris Friderici Salzmanni, Argentoratenſis, *Diſſertationes quattuor cum cura elaboratae de Varietate antiquae Scriptionis.* Lipſ. 1661. 4.

HVGVTIO (al. *Huguitio* it. *Vgutio*) Lexicographus, qui ante litterarum παλιγγενεσίαν exſtitit, Papiam exſcripſit. Scripſit autem Librum derivationum ſ. Gloſſarium, quod non dum dicunt typis evulgatum deliteſcere hodieque tamquam MS. in nonnullis bibliothecis.

Laevini HVLSII *Dictionarium 1. Gallico-Germanico-Italico-Latinum. 2. Italico-Gallico-Germanico-Latinum. 3. Germanico-Gallico-Italico-Latinum. 4. Latino-Germanico-Gallico-Italicum. Cum brevi Introductione in dictas linguas.* Mogunt. 1644, 1659. 4.

Liber ſatis bellus pro iſto tempore. Ediderat Auctor *Dictionarium Germanico — Gallicum* et *Gallico-Germanicum;* it. *Dictionarium Germanico — Italicum* et *Italico-Germanicum, Francof. ad Moen. 1618. 8:* quae dein huic Dictionario inſerta ſunt.

EIVSDEM *Romanorum Numiſmatum ſeries a Julio Caeſare ad Rudolphum II. Adjecta eſt breviter ipſorum vita. Cum figg.* Francof. 1605. 8.

EIVSDEM *XII primorum Caeſarum et LX ipſorum uxorum et parentum effigies ex nummis aeri inciſae.* Francof. 1597. 4.

Liber rarior.

Joa. Theod. JABLONSKI *Lexicon univerſale artium ac ſcientiarum.* Lipſ. 1721. 4.

Artium vocabula nomenclaturis ſuis Gallicis ac Latinis ab Auctore admodum ſcienter inſigniuntur ac notantur.

Thomae JACCHAEI, Scoti, *Onomaſticum Poëticum.*

Explicat nominum propriorum Poëticorum, etiam ignobilium, quantitates.

IACVBC *Theſaurus Elegantiarum ac Phraſium Ciceronianarum prorſus novo, aptiſſimo et perpulchro ordine in uſum omnium*

politae

politae et copioſae orationis ſtudioſorum diſtributus. Qui quidem antehac editus, ſed modo ex ipſo fonte Ciceroniano, ſimulque ex Aldo Manutio aliisque viris doctis deſumtus. Plurimis in locis auctus, ita, ut ad faciliorem et elegantiorem captum ſtudioſis viam praeſtet ſecuriſſimam et amoeniſſimam. Coloniae Agrippinae 1662. 12.

Auctor Jeſuita eſſe videtur. Sine praenomine & ſuo prodidit in libri fronte ac titulo. Germanicarum formularum ordine Alphabetico ita digeſtus liber, ut ſimul hi Germanici tituli Gallice verſi appareant.

Danielis Friderici JANI *Philologicum Lexicon purioris et elegantioris latinitatis.* Lipſ. 1730. 8 maj.

Germanice ſcriptum eſt, in uſum praeſertim pubis ſcholaſticae. Integer titulus, lingua vernacula ſcriptus, hic eſt: *Philologiſches Lexicon der reinen und zierlichen Latinität, darinnen nicht nur die Barbariſmi, Soloeciſmi, Archaiſmi, Graeciſmi, Galliciſmi, Italiſmi, Germaniſmi, und viele andere fremde und nicht Lateiniſche Wörter und Redens-Arten, ſondern auch und vornemlich die in Diſciplinen, Civil- und Militair-Sachen heut zu Tage vorkommende Worte nach Alphabetiſcher Ordnung bemerket, derſelben eigentlicher Verſtand erkläret, und mit der beſten Auctoren und bewährteſten Scribenten ſelbſt-eigenen zuſammenhangenden Worten und Redens-Arten, nach der Lateiner Sinn und richtigen Beſchaffenheit, verbeſſert werden; Nebſt nützlichen und zur Lateiniſchen Sprache gehörigen Anmerkungen, auch vollſtändigem teutſchen Regiſter aller hierin vorkommenden Wörter und Redens-Arten, der ſtudierenden Jugend zu ſonderbarem Nutzen mitgetheilet von M. Daniel Friedrich Janus, Schol. Torg. Conrect.*

Liber ſtudioſae juventuti, quae ad puriorem et elegantiorem latinitatem adſpirat, valde utilis ac propemodum neceſſarius. Ipſemet multa inde hauſi ac transtuli in Lexicon meum Antibarbarum.

EIVSDEM *Notitia linguae Latinae.* Dresdae 1726. 8.

EIVSDEM *Diſſertatio de nimio latinitatis ſtudio*, quae cum *Ejusdem Commentario de Doctoribus umbraticis* prodiit Wittebergae 1720. Antehac jam edita Lipſ. 1712. 4.

Multa exempla collegit Auctor eorum, qui linguae veterum Romanorum tantum pretium ſtatuerunt, ut ſibi perſuaderent, univerſae doctrinae illam praeſidium ac munimentum eſſe, ſine qua aliae diſciplinae facile ſubſidant et penitus corruant.

EIVSDEM *Notitia vocum Latinae linguae olim honeſtarum, nunc inhoneſtarum.* Cui acceſſit *Ejusdem Pretium, quod Grammaticae Latinae à doctis ſtatuitur.* Dresdae 1726. 8.

Voces,

Voces, quarum hujusmodi notitiam dat, ſunt: *Factio, Factioſus, Fur, Haereſis, Hoſtis, Latro, Leno, Magus, Obſequium, Comitas, Elegans, Fenerator, Nebulo, Paraſitus, Scurra, Sophiſta, Tyrannus,* et adſcitis illuſtrationis ergo p. 44. ſeqq. Germanicis *Schelm, Schalk, Schuft, Schaulaune, Bärenhäuter, Lanzknecht, Pfaſſe.*

Tractatu poſteriore et quidem binis ejus prioribus paragraphis brevem ſimul Grammaticae Latinae Methodicae contexit hiſtoriam.

Joh. de IANVA Catholicon. Sub ipſis incunabulis typographiae editum eſt, nempe 1456. it. 1460. fol. Recuſum Norib. 1483. it. Lugd. 1506. fol.

Catholicon dicitur ratione Grammaticalium, quae in hoc opere continentur. Ita ſcripſit Probus, Grammaticus antiquus, Catholica ſ. Praecepta Grammaticalia, quibus lucem dederunt G. Merula et Janus Parrhaſius.

Joannis IENSII *Purae et impurae latinitatis Collectanea, variis acceſſionibus et Indice nunc ita adaucta, ut inſtar Lexici ſint latinitatis controverſae.* His praemiſſa eſt cum *Tanaquilli Fabri de ratione ſtudiorum, qualis in ſcholas et facile et magna cum juventutis utilitate introduci poſſit, Epiſtola,* tum *Iſaaci Valkenaeri de vera ratione informandae pueritiae ad elegantiam et caſtitatem Latini ſermonis Diſputatio.* Lipſ. 1728. 8. Prodierant antea Roterod. 1720. 8.

Editioni poſteriori Praefationem adjecit *Johannes Erhardus Kappius,* in qua praeſertim de libri hujus Auctoris praecoci ingenio et variis in lucem emiſſis ſcriptis diſſerit.

Quod ad ipſa haec Collectanea attinet, ſunt illa ex Voſſio, Scioppio, Vorſtio, utroque Borrichio et Cellario in brevem quaſi ſummam congeſta, ſed novis quibusdam Auctoris obſervationibus locupletata. Quo vero Lipſienſis editio cum Belgica certare poſſit, *Nobiliſſ. Kappius* eam non ſolum quibusdam adnotationibus, ſed etiam Indice locupletiſſimo adduxit, in quibus concinnandis opera doctiſſimi cujusdam amici uſus eſt, qui, qua eſt modeſtia, nominari noluit. Emendantur in iis quaedam perperam dicta Auctoris, ſed modeſte tamen: variae etiam obſervationes, hoc argumentum illuſtrantes, cum lectoribus communicantur, quas alibi fruſtra quaeras. Ipſum opuſculum exhibet *quinque Sectiones. Sectio I.* recenſet vindicias vocabulorum vel plane damnatorum, vel quorum ſignificationes quaedam ab eruditis rejectae fuerunt: *Sectio II.* ſiſtit locutiones vel prorſus vitioſas vel inter Germaniſmos et Belgiſmos cenſas, idonea jam auctoritate munitas: *Sectio III.* profert vocabula, quae, ex judicio optimorum latinitatis cenſorum, aliena et minus Latina notione ſunt uſurpata: *Sectio IV.* exhibet vocabula vel nullius, vel non ſatis idoneae auctoritatis: *Sectio V.* explanat locutiones minus Latinas ac dudum eruditorum calculo damnatas.

EIVSDEM *Ferculum litterarium.* Lugd. Bat. 1717. 8.

Non tantum loca aliquot Evangeliſtarum Matthaei et Lucae, publice Dordraci expoſita ſiſtit, ſed etiam *binas* de *Fetialibus* et *Dictatoribus populi Romani Diſſertationes*, bonae frugis pleniſſimas, exhibet.

Jani Dionyſii IERSINI *Grammaticae Latinae praecepta majora, ſtudio* Th. Bangii. Hafniae 1657. 8.

Quo loco olim *Rhenius* vel *Schmidius* in Germaniae ſcholis habitus eſt, eo etiam *Jerſinus* hic apud Danos fuit.

Melchioris INCHOFERI *Hiſtoriae ſacrae latinitatis libri VI. lectiunculis exquiſitis jucundisque narrationibus animum relaxantes.* Monachii 1638. Pragae 1714, 1742. 8.

Optimus profecto liber eſt, multaque proponit eruditiſſima et ſcitu maxime digna, quae ſpectant ad ortum, progreſſum et mutationes iſtius linguae. Statum linguae Latinae per omnia ſaecula usque ad ipſam barbariem et recentiora tempora deducit. Habentur praeterea ſingularia non nulla de cauſis corruptae linguae Latinae, ejusdemque ad noſtra usque tempora conſervationis. Gothos, qui vulgo corruptae latinitatis incuſantur, ille ab hoc crimine abſolvit, eosque potius, ut Latinae linguae conſervatores, honorandos exiſtimat; non omiſſis quoque Curiae Romanae laudibus, quam ſcilicet de propagata, immo canonizata, ut ita dicam, lingua Latina praeclare meruiſſe perſuaſum ipſi eſt: qua quidem in re non omnino fallitur; ſed ſimul tamen, Monachorum ſocordia miſere depravatam linguam pulcherrimam eſſe, negare non poterit. Laudandum, quod lib. 3. c. 10. confutandos ſibi *Laborerium* et *Sorberium* ſumit, Latinaeque linguae praerogativam prae Gallica debitis argumentis extollit. Illud vero perridiculum, quod lib. 5. c. 2, *beatos in coelo Latine aliquando locuturos eſſe*, exiſtimat. Etiam ad alia paradoxa interdum prolabitur nimio latinitatem laudandi ſtudio. *Morh.* Polyh. T. I. p. 817. Confer, quae ſupra occurrunt ad *Folietam.*

INDICES copioſi *in Auctores claſſicos* curatius confecti quantum momenti adferant ad Lexicon aliquod omnibus numeris abſolutum adornandum; de eo jam dictum ſupra ad *Fabri Theſaurum.*

Optimae autem notae Indices ſunt *Nizolii*, *Caroli Stephani* et *Georgii Ludovici Frobenii* in Ciceronem; *Boecleri* in Paterculum et Cornel. Nepotem; *Freinshemii* in Tacitum, Juſtinum, Florum et Curtium; *Parei* in Plautum et Symmachum; *Giſanii* in Lucretium; *Rhodii* in Scribonium Largum; *Baldi Vrbinatis* et *Jo. de Laet* in Vitruvium; *Nicolai Erythraei* in Virgilium; *Pricaei* in Apulejum. Sequioris notae videntur eſſe Indices *Kockerti* in Terentium; *Hermolai Barbari* in Plinium; *Gonſali de Salas* in Petronium; *Laevini Torrentii* et *de Mares* in Horatium; *Joſephi Langii* in Martialem; *Theodori Pulmanni* in Lucanum; *Paſſeratii* in Propertium; *Tuſcanellae* in Catullum et Propertium; aliorum in alios. At vero quum nec *Freinshemianus* vel *Boeclerianus* ullus, nec

Parei

Parei, nec *Giſanii*, nec *Pricaei*, nec aliorum primi ordinis ullus omnibus numeris abſoluti Indicis nomen ſuſtineat; reliquorum autem inſtitutum fere fuerit, conſpectiora potiſſimum et magis ſententioſa decerpere, pauciſſimis ad omnes minutias ſe diffundentibus: operae pretium foret, ſi ab integro omnes boni auctores, ſed ſcrupuloſiſſime emendati caſtigatique retexerentur, et commemorati Indices inde ad ſummam perfectionem usque locupletarentur, diſpertita inter ſe opera a ſcholarum magiſtris ſagacioribus harumque litterarum ſatis peritis.

INSVLANVS: videatur infra *Menapius*.

Ludovici IOBERTI *Notitia rei nummariae ad erudiendos eos, qui nummorum veterum et modernorum intelligentiam ſtudere incipiunt.* Gallice ab Auctore primum ſcripta, ſed deinceps in linguam Latinam hortatu *Frid. Bened. Carpzovii* a *Chriſtiano Junkero* converſa Lipſiae 1695. it. 1698. 8. edita, Gallice vero iterum, et quidem multo auctior impreſſa Pariſiis 1715. 12. voll. duobus: quam editionem Amſtelodamenſes typographi biennio poſt ſub prelum revocarunt. Exſtat quoque ejus metaphraſis Germanica, ab anonymo Lipſiae, vel potius Noribergae excuſa 1718. 8. emiſſa.

Quamvis *Jobertus*, ut iteratam editionem priore auctiorem ſiſteret, adniſus eſt; non aeque tamen allaboravit vineta propria caedere, et, in novos ne raperetur errores, cavere. Stilum enim juſto negligentiorem eſſe, conqueruntur, qui linguae Gallicae norunt elegantiam. Plurima quoque momenta tironibus apprime utilia ſilentio prorſus praeteriit, et contra regulas complures tradidit, partim omnino falſas, partim autem pluribus explicationibus obnoxias; ſicuti etiam amore amici ſui, *Joh. Harduini*, abreptus, hujus conjecturis, vel, ut veriori nomine appellantur, ſomniis nimium tribuit. Tulit hocce judicium de Joberti libello *Joſ. Bimardus*, in re antiquaria univerſa longe verſatiſſimus digniſſimusque, Regiae bonarum litterarum Academiae Pariſinae Sodalis, cui propterea etiam erudita civitas eſt obſtricta, quod memoratum opuſculum in tertia ejus editione, quae 1739 in Galliarum metropoli prodiit, corrigere et perpolire operam dedit haudquaquam ſegnem. Stilum enim emendavit Bimardus paſſim quidem, haud tamen ubique; ſiquidem illa loca, ubi auctor ſententiam ſuam ſine ambiguitate indicaverat, ſpongia curare noluit. Praeterea ſingulis capitibus ſuas aliorumque antiquariorum ſubjecit animadverſiones, quibus Jobertus ſuppletur, ejusque peccata notantur; qua occaſione etiam bene multa producuntur numiſmata antea incognita. Secundae editioni Jobertus addiderat novam *Commentationem de novis in arte numiſmatica inventis*, in qua id tantum egerat, ut Harduini opiniones, tamquam ex tripode profectas, incautis ignarisque obtruderet. Haec effata ingenioſa eſſe, quamvis non diffiteatur Bimardus; accurate tamen ea examinavit, oſtenditque, eſſe eorum

alia certa quidem, ſed ab Harduino aliunde mutua ſumta, alia veritati tantum ſimilia, pleraque autem vana atque omnino falſa. Ingenue quidem laudari meretur haec diligentia viri clariſſimi, qui eo tantum conſilio retexendum ſibi ſumſiſſe dicit Joberti opus, ut Gallorum fervorem bene de re nummaria merendi, quem per annos non nullos deferbuiſſe queritur, iterum accenderet; hoc tamen, noſtro judicio, certius longe feliciusque effeciſſet, ſi ipſi placuiſſet, novo et ab ipſo elaborato artis nummariae compendio orbem eruditum beare; quandoquidem nihil niſi elegans, elimatum omnibusque ferme numeris abſolutum proficiſci poteſt ab eo, qui, ut celeb. Bimardus, tam abundantia quadam ingenii praeſtat, quam litterarum antiquitatisque omnis longe eſt peritiſſimus. Ita judicat Nobiliſſ. *Schlaeger*, Fautor et amicus noſter, in ſua *Praefat. ad Georg. Vionnet Muſeum nummarium ed. Helmſt. 1744. p. 17. 18.* Equidem velim, ut ipſe Schlaegerus pro ſua, qua pollet, facultate hunc ipſum laborem occupet, aut, ſi ipſi videatur, Joberti opuſculum ita emendet augeatque, ut inſervire certiori majorique cum fructu poſſit iis, qui primis rei nummariae rudimentis imbui cupiunt.

Richardi IOHNSONII *Commentarii Grammatici.* Londini 1716. 8.

Multa occurrunt in iis egregia bonaeque frugis. Voſſii Ariſtarchum paſſim caſtigant.

ISIDORI Hiſpalenſis *Originum libri XX*, et MARCIANVS CAPELLA *De nuptiis Philologiae et Mercurii*, *opera* Bonav. Vulcanii. Baſil. 1577. fol.

Iſidori Originum libri ſeparatim etiam prodierunt Venetiis 1483 et Pariſ. 1509, 1520. Quemadmodum autem alii Grammatici veteres, qui origines atque etymologiam Latinae linguae pertractarunt, ut *Varro*, *Feſtus*, *Flaccus*, non adeo felices fuere in indagandis vocibus; ſic ab *Iſidoro noſtro* nihil exſpectandum eſt, quod majorem ingenii laudem habere poſſit, quum praeſertim merus rhapſodus eruditis eſſe videatur, et undecumque ex modo dictis et aliis veteribus ſua compilarit. Vnus *Voſſius* omnium veterum hoc in genere labores et induſtriam vincit; quamvis, ut fit in talibus triciis, haud ſemper etiam feriat, quod arcus illius minatus eſt. Conf. *Thomaſius* de Plagio litterario n. 474.

Jul. Caeſ. Scaliger ejusmodi quoque opus moliebatur 24 libris abſolvendum, ut *Menagius* refert Epiſt. Dedicat. Origg. L. Gallicae. Quid *Martinius*, Gerh. Voſſii praeceptor, hoc in argumento praeſtiterit, nemini temere ignotum eſſe exiſtimo. *Daumius*, usque ad extremam vitae ſuae partem in eodem argumento verſatus, quaedam excluſit *libro de Cauſis amiſſarum quarumdam linguae Latinae radicum Cygn. 1642. 8.* et *Syntagmate Diſſertationum Graevii ed. 1704:* quibus adde *Epiſtolas Reineſio-Daumianas.*

Marcianus Capella reliquit *Satyram, libris novem conſtantem*, quorum *duo priores* continent *delectabilem fabulam de nuptiis Mercurii et Philo-*

Philologiae, quae *Iſidori Originibus* una cum aliis non nullis veterum ſcriptis juncta eſt. *Integrum Capellae Satyricon* prodiit aliquoties: *praeſtantiſſima* autem *ejus editio* eſt, quam *Hugo Grotius*, tum quatuordecim annorum puer, adornavit, ſcriptorem hunc recenſens, notisque illuſtrans doctiſſimis, Lugd. Bat. 1599. 8.

Hadriani IVNII *Nomenclator, omnium rerum propria nomina ſeptem diverſis linguis explicita indicans.* Antverp. 1567, 1577, 1583. Francof. 1591, 1611. Vrſellis 1602. 8.

Prodiit etiam Genevae 1619. 8. hac inſcriptione: *Nomenclator octilinguis, omnium rerum nomina propria continens, ab* Adriano Junio *antehac collectus. Acceſſit huic poſtremae editioni alter Nomenclator e duobus veteribus Gloſſariis,* Hermanni Germbergii *opera et ſtudio.*

Tanta cura adornatus eſt, ut non ignominiae ſibi Auctor duxerit, interdum in media opificum viliorum turba in cauponis ſedere, unaque compotare, quo accuratius vel inter pocula inſtrumentorum proprias appellationes in lingua vernacula ediſceret: teſte *Colomeſio* in *Particularibus Relationibus, quae inter ejus opuſcula habentur, p. 131. ſeq.* qui et addit, *Joh. Sambucum* propterea alieniorem a *Junio* factum, quum cauſam ſordidae ſocietatis ignoraret. Et ſane inhoneſtus et liberali ingenio plane indignus erat proficiendi modus. Melius autem ſe liber haberet, ſi cuncta enucleatius tradita, et barbara a Latinis ſejuncta eſſent. De libri hujus hiſtoria, variis editionibus, praerogativa, naevis et horum cenſoribus, plurima lectu digna congeſſit *Thomas Crenius* Parte *I. Animadverſionum Philologicarum et Hiſtoricarum cap. 3. §. 1—5. p. 33—41.*

Adamus Siberus hunc *Junii Nomenclatorem* redegit in epitomen, Lipſ. 1583. 8. Recuſus eſt hic liber ſub hoc titulo: *Adami Siberi Gemma Gemmarum ſ. Nomenclatoris Had. Junii Epitome, adjunctis Dialogis puerilibus ſcholaſticis et Calendario, Magdeburgi 1588. 8.* Item ſub hoc etiam titulo: *Adami Siberi Gemma Gemmarum, ſive Nomenclatoris Juniani Epitome. Acceſſit de ſignificatione verborum ad jus pertinentium liber ſingularis, Wittebergae 1610. 8:* in quo non ſolum voces rerum, ſed locutiones etiam ubertim inſertae ſunt, ut forte Sebaſt. Meiero hic libellus lectus non ſit, quum queratur in ſui Nomenclatoris Praefatione, in plerisque hujus farinae libellis nomina ſat multa et verba, nullas loquendi formulas ſe reperiſſe.

EIVSDEM *Animadverſionum libri VI.* Ejusdem *de Coma Commentarius.* Baſil. 1556. 8.

Animadverſiones principem locum tenent inter eos libros, qui veteres Latii et Helladis ſcriptores, quod quidem ad intricatiora eorum loca attinet, illuſtrare, et mendas eorum tollere conantur.

Nic. KEDERI *Commentatio de rariſſimo nummo Othoniano.* Lipſ. 1722. 4.

M. Chriſtiani KEIMMANNI *Enchiridion Grammaticum, das iſt, Eine kurze Anweiſung zur Lateiniſchen Sprache, wie ſolche bey jungen Knaben angefangen, und bey heranwachſendem Alter klüglich ſoll vortgeſetzet werden. Vormals zum Gebrauche des Zittauiſchen Gymnaſii etliche mal herausgegeben, nunmehro aber nicht allein mit Regeln und Exempeln merklich erweitert, ſondern auch mit einer ausführlichen Manuduction an die Informatores ſelbſt vermehret.* Dresden 1689. 8.

Auctor meritiſſimus de pube litteraria et de Gymnaſio Zittavienſi Rector fuit: haud nominatur tamen in hoc ipſo libri titulo, ſed in egregia illa *Manuductione*, quae à *Chriſtiano Weiſio* ei praemittitur. Compendium autem eſt, quod ſingulari perſpicuitate non minus, quam brevitate ſe valde commendat.

Chriſtophori KELLERI *Lexicon Phaedrianum.* Bipont. 1743. 8.

Johannis KER *Selectarum de lingua Latina obſervationum libri duo.* Prior inſcribitur: *Latine loquendi norma, hoc eſt, aurei latinitatis ſaeculi Locutio;* Poſterior *Barbare vitioſeque loquendi conſuetudinem inveſtigat, patefacit, emendat. Vterque in uſum juventutis, incorruptae Latini ſermonis integritatis ſtudioſae, confectus.* Londini 1709. 8. Voll. 2.

Liber conflatus uterque eſt tum ex iis auctoribus, qui idem argumentum noſtra et patrum memoria excutiendum ſibi ſumſerunt, et magnam nominis celebritatem inde conſecuti ſunt, tum etiam ex *G. Inſulani Menapii* Obſervationibus ſingularibus in linguam Latinam, *Stephani Doleti* Commentariis linguae Latinae, *Philippi Parei* Lexico Critico, *Franciſci Vavaſſoris* de vi et uſu quorumdam verborum, tum ſimplicium, tum conjunctorum, *Parei* et *Godeſcalci Stewechii* de Particulis linguae Latinae, *Thomae Bangii*, *Buchleri* et *Silvii* libris de elegantia Latinae linguae, *Jacobi Cellarii* et *Parei* Indicibus, *Croci* Farragine ſordidorum vocabulorum, ſive Augiae ſtabulo repurgato, *Looſae* Scopis Latinis ad purgandam linguam a barbarie, *Joh. Nieſſii* de ortu et occaſu linguae Latinae, *Pontani* Sacro Florilegio, *Praſchii* de barbariſmis et *Schotti* Tullianis Quaeſtionibus.

Johannes Clericus dans ſa Bibliotheque choiſie du Tome XXV de Premiere Partie p. 157 et ſuiv. recenſum hujus libri agit. Eum exiſtimat multum utilitatis adferre iis, qui puritati in ſcribendo ſtudeant; ſervire iis etiam poſſe, qui diuturniore veterum auctorum lectione haud ſint imbuti, et ea propter genio linguae ſe non ſatis adſueverint. Vſu fere venire, ut, qui hodie Latine ſcribant, rem, de qua ſcripturi ſint, ante ſecum volvant iis verborum conceptibus, quos lingua ipſorum

ipſorum vernacula ſuppeditet: inde eſſe, ut animi ſui ſenſa praeter opinionem ſuam exprimant ita, ut magis accedant ad linguae ſuae vulgaris proprietatem. Dari etiam ſcriptores e recentioribus, qui nihil impingant in linguae Latinae genium; at raro tamen iis ſingula proferant Latine loquendi modis, quibus tamen veteres procul dubio uſi fuiſſent, in eodem argumento verſati. Id quod elocutionem veteribus propriam ſapiat, ſtatim internoſci ab eo, quod minus ad hanc eorum nativam elegantiam accedat, licet ceteroquin nihil ei inſit, quod cum uſu loquendi veterum pugnet, aut ab regulis recte loquendi abhorreat. Timere inſuper multos, ſi elegantiores latiniſmos adhibeant, obſcuriores ſe fore plurimis, ut qui hujusmodi elegantias vel non intelligant, vel etiam in ſuſpicionem minus recte dictorum vocent. Singulis horum medelam adferri libro harum Obſervationum priori, revocante in uſum latinitatem ſelectam, ſed vulgo neglectam, atque egente cauſam latinitatis falſo ſuſpectae.

Librum Poſteriorem continere vocabula vel ſuſpecta, vel barbara, vel peregrina notione uſitata. Multos eruditos hanc aleam noſtra et ſuperiori aetate jam tentaſſe, quorum tamen laboribus ac curis Auctor noſter uſus ſit, haud ſuppreſſis eorum nominibus, quae tum ad locorum plurimorum calcem, tum in ipſa libri fronte poſita appareant. Vbi in diverſas ſententias ſcriptores hi eant, ibi Anglum noſtrum ſe gerere pro fideli et erudito arbitro. Saepe ab eruditis locutiones probas rejici, quum non ſuccurrat idonea earum auctoritas. Aures eruditorum obtundi linguis recentioribus, eo quód ſcriptores lectu digniſſimi his ſcripſerint: ſcriptores inſuper eſſe alios, qui non ſatis Latine quidem ſcripſerint, et tamen legendi ſint propter res, quas tractent. Illos, qui ſe ſatis Latinos eſſe opinentur, multis ſaepe indulgere locutionibus minus probis. Nos ipſos ſaepe perperam ſcribere ex longa conſuetudine, ac de ſtili natura judicari ſubinde a non nullis haud ex eo, quod rectum ſit, ſed pro cujusque ſenſu, ita, ut ab imperitis ſubinde rejiciantur, ceu minus proba, quae tamen rectiſſime ſe habeant. Hos fere modos eſſe, quibus tandem noſtrum in latinitate diſcernenda ac dijudicanda corrumpatur judicium.

Auctor Anglus ex pervolutatione libri hujus ſui egregium fructum ſpondet. Si duo menſes ejus lectioni impendantur, id magis fore proficuum, quam ſi multum temporis ſoli veterum perluſtrationi tribuatur, praeſertim ab iis, qui jam aliquod robur in dicendo per imitandi modum fecerint. Nihil tamen impedire, quo minus utrumque conjungatur. Stilum interim exercendum eſſe, quo ſine parum profecerint, qui ſic inſtituere laborem velint. Theoriam heic cum perpetua praxi conjungendam eſſe. Adſciſcendum, initio quidem, amicum, quicum elaborationes noſtras communicemus, cujus ductu hortatuque proficiamus, cujus ἀκρίβεια inducat, quae minus apte, minus concinne minusque recte poſita a nobis eſſe deprehendantur.

Clericus heic ſubjungit ſuum ipſius conſilium, quo quam rectiſſime putat adquiri poſſe facultatem recte ac pure loquendi. Si eo usque profecerit juvenis, ut ad legendos auctores aliquo modo inſtructus ſit, et cum aliqua jucunditate ad eosdem feratur; ſolis veteribus eum intentum eſſe vult, ut per diuturnius temporis ſpatium eorum unice fruatur quaſi contu-

bernio, nullo ſcriptorum alio tantiſper admiſſo. Si velit ſcribendo vites periclitari ſuas, non tale argumentum ſumendum eſſe, quod longius avocet a more loquendi apud veteres Latinos uſitato, aut facile ſuggerat modos dicendi apud nos in lingua cujusque vernacula hodie uſitatos; ſed tale argumentum, quod facile Romanorum ori accommodari poſſit. Deliteſcendum eſſe aliquantiſper ac ſeorſim agendum, et linguae Latinae extemporali uſu per certum aliquod temporis intervallum abſtinendum, nec auſcultationi eorum, qui vulgari more Latina proferunt, interea vacandum. Monachis propter ſolitudinem, cui indulgent, ſaltem indulgere debent, ita proficere promum fere ac facile. Lectione vaga ac promiſcua ſtilum Romanorum cum recentiori miſceri, et mirum dicendi chaos parari; conatum autem illum, quo recentiora idearum genera ſatis Latine exprimere allaboremus, ſenſim ſine ſenſu nos abducere ab intuitu veteris Latii et a norma illa dicendi veterum Quiritium. Hinc ſaepenumero fieri, ut ii, qui verborum magis, quam rerum rationem habeant, Latino ſcripturae genere rectius utantur, eo quod non adeo in hominum celebritate verſentur, nec per vitam negotialem atque exercitam tantopere avocentur ab iis loquendi modis, qui ſint in uſu apud eos, qui Romae vixerunt, quum maxime vigeret latinitas. De reliquo non multa, ſed multum; non fuſa et ubertate quadam ſua diffluentia, ſed pauca, et quidem cum inſigni animi attentione ſcribenda eſſe, eaque ipſa, quae ſic in chartam conjiciantur, inſuper neceſſe eſſe, ut limentur ſaepius, vel per eum, qui ſcripſerit, vel per amicum ſagacem et in elegantiori ſcribendi genere ſatis exercitatum.

Subjicit *Clericus* huic conſilio ſuo Problema, an de conſulto ſit, omnibus rebus poſthabitis id agere, ut purioris ſtili facultatem nobis adquiramus? Reſpondet, non e re eſſe communi, ut omnes eruditi tales Latine docti evadant; quum hoc ſtudium facile nocere queat incrementis diſciplinarum, quibus tot faveant ſcripta ſordide exarata, quae prae magno latinitatis ſtudio facile ſic contemnerentur. Optat tamen, ut ſemper exſiſtant Latine docti, quorum ſtudiis ad pure loquendum excitentur alii. Quum magnum talium eruditorum proventum ſub finem ſaec. XV. et toto ſaeculo XVI. exſtitiſſe in Italia et alibi, nemo temere ignoret; ſe non videre, cur eodem ſtudio non in hunc usque diem litteratorum cohors flagrare queat. Optat porro, ut, qui Latine ſcribere aliquando cogitent, ſemel ſaltem in juventute puriorem latinitatem ſibi ita perſpectam reddant, ne deinceps per uſum vulgarium ſcriptorum plane ſordidi iterum fiant, ſed qualicumque ſaltem ſermonis munditie omni vitae ſecuturae tempore ſeſe commendare poſſint.

It denique obviam ſermoni eorum, qui obvertunt, nihil intereſſe, barbarene an Latine ſcribatur, dum modo quilibet mentem noſtram capiat. Dicit enim, pure et eleganter ſcripta ſe magis lectoribus politis commendare, diutius ſervari, ac proinde majorem fructum adferre mortalibus, quam ea, quae horrida facie ac tetrico vultu obvium quemque perterrefaciant, et ſono ſtrepero teretes aures laedant. Interim hoc ſolatii ac bonae ſpei in tanta librorum incomte ac barbare ſcriptorum multitudine ac copia ſitum eſſe exiſtimat, ut, quum multi eorum inutiles, immo ſaepe noxii ſint, tanta moles cum tempore propter ſtilum ſordidum negligatur,

ac

ac tandem felici cum diſpendio pereat. Contra ſi ex decreto ſenatus litterarii in poſterum non niſi pure et eleganter ſcripta jus civitatis obtineant, fore, ut multi inepte ſcribillantes tacere prorſus debeant, quum detrectent animum appellere ad rationem ſcribendi eam, quae imitatione veterum conſtet, atque enixius dare operam ſtudiis dicendi. Quodſi ſemper hac lege cautum rei litterariae fuiſſet; a multis libris ineptis, ſordidis et impiis reſpublica litteraria immunis manſiſſet.

Richardi KETELII *Scriptores ſelecti de comparanda elegantiori latinitate.* Amſterd. 1713. 4.

Continentur hac ſylloge

1. *Antonii Schori* Phraſes L. L. ratioque obſervandorum eorum in auctoribus legendis, quae praecipuam ac ſingularem vim aut uſum habent.

2. *Hadrianus Cardinalis* de ſermone Latino, et modis Latine loquendi ad Carolum, Hiſpaniarum Principem. Accedit Ejusdem Venatio, et Iter Julii II. Pontificis Romani.

3. *Gaſparis Scioppii* Obſervationes linguae Latinae, cum phraſium in linguam Belgicam interpretatione.

4. *Oberti Giſanii* Obſervationes ſingulares in linguam Latinam, in quibus ex abditiſſimo uſu politioris latinitatis, dictionum, verborum, particularum ſignificatus plane reconditi eruuntur et explicantur. Accedunt aliquot Diſſertationes de linguae Latinae reparatione et aliis non abſimilibus argumentis.

5. *Franciſci Vavaſſoris* Obſervationes de vi et uſu verborum quorumdam Latinorum, cum ſimplicium, tum conjunctorum.

6. *Godeſcalci Stewechii* de Particulis linguae Latinae liber, in quo agitur de iis, quibus tamquam nervis nodisque orationis membra vinciuntur et conſtringuntur.

7. *Horatii Turſellini* de Particulis Latinae orationis libellus utiliſſimus, recognitus et locupletatus a *M. Jacobo Thomaſio*, Lipſienſi.

Finem his omnibus imponit Index univerſalis in omnes obſervationes, quo prior editio carebat, quique additus eſt ſecundae huic editioni opera *Richardi Ketelii*, ConR. Scholae Gaudanae, cujus etiam nomen toti huic ſyllogae nunc praefixum eſt. Praemittitur *Regii Bavari* JCti Praefatio utiliſſima de ratione imitandi optimos linguae Lat. ſcriptores.

Joh. Caſpari KHVNII *Animadverſionum ad* Vorſtii *librum* de latinitate merito ſuſpecta *Specimen.* Argentorati 1715. 4.

Omnis haec Diſſertatio tantum viginti et ſex continetur paginis, et vel illuſtrat vel quodammodo vindicat, quae a Vorſtio in dicto libro adferuntur de voculis, *Quiane*, *Puritas*, *Abhinc*, *Alta voce*, *Benefactor*, *Spontaneus*, *Quantocius*, *Incentor*, *Infractus*, *Infucatus*, *Habeo dicere*, *Gratitudo* et *Ingratitudo*, *Profunditas*, *Abs re*, *Abs me*, *Abs nobis*, *Abs ſe*, *Absque*, *Sine omni*, *Tollere oculos ſuos*, *Extendere manus ſuas*, *Inducere animum ſuum*, de *praepoſitione A* Paſſivo adjecta,

nec tamen cauſam efficientem denotante, *Duellum*, *Aegritudo*, *Spectare ad aliquid*, *Adferre equum*, *navem*, *hominem*, *Legare* et *Allegare*, *Confundi*, *Deputare*, *Seducere*, *Hactenus*, *Saltem*, *Vel* et *Sive*, *Communicare alicui*, *Attinet ad*, *Damnare ad aliquid*, *Diſſuadere aliquem ab aliqua re*, *Surgere* pro *Exoriri*, *exſiſtere*, *Accipere perſonam* et *Acceptio perſonarum*, *Benedicere*, *Humilis* et *Humilitas*, *Iuramentum*, *Compati* et *Compaſſio*, *Condolere alicui*, *Sonant ita verba*, *Idem eſt cum illo*, *Quod magnorum tumultuum cauſa exſtitit*, *Videndum, ne non plura ſint*, *Confoederatus*, *Coaetaneus*, *Coaevus*, *Nullatenus*, *Solummodo*.

Quoniam haec Diſſertatio rareſcit, gratiam me ab non nullis initurum eſſe credo, ſi integram huc tranſtulero:

Animadverſionum ad Johannis Vorſtii

Librum de Latinitate merito ſuſpecta ſpecimen, quod divina adnuente gratia praeſide Viro Nobiliſſimo, Ampliſſimo atque Excellentiſſimo Dn. Johanne Caſparo Khunio, Hiſtor. et Eloq. Prof. Publ. celeberrimo, Domino Patrono atque Praeceptore ſuo omni pietatis cultu devenerando, *in ſolenni congreſſu tueri conabitur Joh. Iſaacus Heupelius*, Argentoratenſis, Auctor.

§. I. *Vorſtius* in ſuo de Latinitate merito ſuſpecta libro 1. p. 6. inter vocabula jam olim abolita atque abrogata *Quiane* non recte referre videtur, quoniam praeter *Plautum* in Moſtell. a. 5. ſc. 2. v. 11.

TR. *Promitte: ego ibo pro te, ſi tibi non libet.*
TH. *Verbero etiam virides?* TR. quian' *me pro te ire ad coenam autumo?*

eo uſus eſt etiam Virgilius Aeneid. lib. 4. v. 538.

Iliacas igitur claſſes, atque ultima Teucrum
Juſſa ſequar? quiane *auxilio juvat ante levatos.*

§. II. Non eſſe *Vorſtius* cap. 1. p. 8. et ſeq. affirmat, quod *Cl. Ger. Joann. Voſſius* in ſuo, quem de Vitiis Latini ſermonis conſcripſit, libro, de vocabulo *Puritas* dubitet, an Latinum ſit, quum ipſe Cicero compoſito *Impuritas* in Orat. Philipp. 2. c. 3. §. 6. non abſtinuerit. Sed debili *Vorſtius* nititur fundamento, dum ex uſu compoſiti ſimplicis colligit latinitatem, uti multis exemplis declarat eruditiſſ. *Borrichius* in Cogit. de ſcripto Voſſii de Vitiis ſermonis p. 215. A quo melius vox haec auctoritate *Palladii Rutilii* Tauri, luculenti rei ruſticae ſcriptoris ab ipſo *Scioppio* in Conſultat. de Schol. et Stud. Rat. p. m. 68. inter argentei ſaeculi ſcriptores cooptati, l. 11. c. 14. *Julii Capitolini* in vero Imp. c. 3. *Arnobii* adv. Gent. l. 5. *Symmachi* l. 3. ep. 29. defenditur. Legitur eadem vox etiam apud *Macrobium* in Somn. Scip. l. 1. c. 11. et 13. extr. et *Hieronymum* ep. 13. et ep. 101. c. 1. quod Cl. *Cellarius* in Curis Poſter. de Barbar. et Idiotiſm. Lat. ſerm. edit. 1. c. 3. p. 111. notavit.

§. III. Idem, *Voſſium* de vocabulo *Abhinc*, quod de praeterito tantum, non et de futuro tempore, uſurpari illud poſſe credidit, falſum fuiſſe, cum Scioppio in Animadverſ. ad Voſſ. et Grammat. Philoſ. lib. 2.

part.

part. 2. c. 3. p. m. 217. pronuntiat cap. 2. p. 22. motus teſtimoniis, quae contra Voſſium *Scioppius* diſputans citat, *Ciceronis* in Orat. pro Roſc. Comoed. *Repromittis, tu* abhinc *triennium Roſcio?* et *Pacuvii: Seque ad ludos* abhinc *exerceant.* At *Scioppii* interpretationem loci iſtius Ciceronis non probam eſſe, (quod et *Titius* in Manud. ad Excerp. c. 33. p. m. 167. ſubodoratus eſt) *Borrichius* in Defenſ. Voſſii adv. Sciopp. §. 2. p. 269. oſtendit. Adjicit *Borrichius:* Pacuvius *tamen* Voſſio *contrarius eſt, niſi forſan auctoritatem* Pacuvii *parvi is aeſtimaverit, ut obſoleti ſcriptoris, et Latinis optimi ſaeculi auribus ingrati, de quo* Martialis *lib. II. epigr. 91.* ad Chreſtillum:

Attonitusque legis terrai frugiferai,
Accius et quicquid Pacuviusque vomunt.

Quicquid ſit, ſi mittamur obſoletorum ſcriptorum teſtimonia, et contemplemur meliores, ii ſemper abhinc *de praeterito leguntur uſurpaſſe.* Hactenus *Borrichius. Palladius* tamen etiam de tempore futuro vocabulum illud uſurpavit l. 4. de R. R. cap. 14: *Septimo anno omnes dentes ejus explentur. Latent* abhinc *aetatis notae.*

§. IV. *Altâ voce* pro *clarâ voce*, ſatis Latinum eſſe, contra *Voſſium* e *Scioppio* bene probat *Vorſtius* c. 2. p. 25. auctoritate *Catulli*, qui in epigr. 43. v. 18. et 26. ſic habet: *Conclamate iterum* altiore *voce;* et *Quintiliani*, qui lib. 11. c. 3. dicit: *vocem* altius *attolli.* Addit *Borrichius* in Cogit. p. 44. ipſum *Ciceronem* in Oratore: *Vox attollitur, deſcendit*, altius, *inferius.* Et *Senecam* Tragicum Troad. a. 2. v. 194: -- *Haec ſatur* alte voce: in quo tamen *Farnabius* legit *alta nocte.*

§. V. Vocabulum *Benefactor* ſuſpectum *Voſſio* defendit *Vorſtius* cap. 2. p. 25. ſeq. cum *Scioppio* in Animadverſ. ad Voſſ. et quidem ex analogia Plautini *Malefactor*, Bacchid. 3, 2, 11. Verum recte cenſet *Cellarius* in Antib. denuo recognito Cap. 1. p. 9. ſeq. quum Latinis ſcriptoribus ceteris nec *Malefactor* uſurpatum fuerit, *Benefactor* quoque minus inde defendi poſſe; et illud in obſoletis *Plauti* relinquendum, hoc in novis et inſolentibus ponendum eſſe.

§. VI. Vocem *Spontaneus*, quae minus proba *Voſſio* viſa fuit, reſtituit *Vorſtius* c. 2. p. 26. e *Seneca.* Eadem vox notante *Borrichio* in Cogit. p. 242. deprehenditur etiam apud *Plin.* l. 28. c. 7. *Solin.* c. 8. *Macrob.* in Somn. Scip. l. 2. c. 12. et 16. *Arnob.* l. 3. et l. 7. *Minuc. Felic.* in Octav. *Symmach.* l. 2. ep. 88. et l. 5. ep. 3. et 44. et l. 6. ep. 38. et l. 9. ep. 100.

§. VII. *Quantocius* ex non antiquiore auctore, quam *Sulpicio Severo* producere habuit *Vorſtius* c. 2. p. 27. Reperitur tamen etiam in *Licinii* Imperatoris litteris publicis apud *Lactant.* de morte Perſec. c. 48. §. 8: *Chriſtianis* quantocius *reddant.* Et *Mamert.* Grat. act. ad Julian. c. 2: Quantocius *ad ea, quae propria ſunt, perveniat oratio:* quod obſervavit *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 3. c. 8. p. 318.

§. VIII. Vocem *Incentor Vorſtius* c. 2. p. 29. ſeq. defenſurus adverſus *Scioppium*, ex antiquiore eam non profert auctore *Paulino* atque *Ambroſio.* Placuit tamen etiam antiquiori *Ammiano Marcellino* l. 15. c. 1: *Apodemius, quoad vixerat, igneus turbarum* incentor.

§. IX

§. IX. Docet *Vorſtius* cap. 4. p. 42, non auctores tantum aevi Ciceroniani, ſed et illos, qui aliquot ſaeculis poſt vixerunt, *Infractum* dixiſſe pro *fracto*. Vocabuli *infractus* tamen pro *non fracto* et *forti* uſurpati exemplum exhibet e *Symmachi* l. 1. ep. 3. et *Hieronymi* Vita Pauli Eremitae, *Cellarius* in Curis Poſt. c. 6. p. 181. Legitur etiam eadem notione in carmine adv. Marcion. (quod *Tertulliano* tribuitur) lib. 3. c. 5. v. 151:

Ergo infracta *fides populum regemque furentem,*
Militiam Domini qui deſeruere beatam,
Verberibus, flammis caſtigans hoſtis amaris.

§. X. *Infucatus* pro *non fucato* non dicendum eſſe, ſentit *Vorſtius* c. 4. p. 43. Pro *non fucatus* tamen poſitum invenitur ap. *Arnob.* l. 1. p. 75. et *Symmach.* l. 4. ep. 30. quorum verba exhibet *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 1. c. 6. p. 181.

§. XI. *Habeo dicere*, non idem eſſe, quod *oportet me dicere*, vel *dicendum eſt mihi*, contendit *Vorſtius* c. 6. p. 56. ſeq. Uſus tamen eo loquendi genere eſt *Tertullianus*, cui c. 13. libri adv. Judaeos ita placuit diſſerere: *Unde et manifeſtum eſt, quod civitas ſimul eo tempore exterminari deberet, quum ducator ejus in ea* pati *haberet.*

§. XII. *Gratitudo* et *Ingratitudo* priſcis Latinis plane ignotas voces fuiſſe, tradit *Vorſtius* c. 7. p. 64. Priori tamen, licet alio ſignificatu ab eo, quo vulgo ſolet adhiberi, utitur *Caelius Apicius*, rei culinariae ſcriptor l. 3. c. 4. Poſteriori qui uſus ſit, antiquior non eſt obſervatus, quam *Julius Firmicus* l. 5. Aſtrol. c. 1. ut videre eſt apud *Cellar.* in Antib. denuo recognito c. 1. p. 39. et 54.

§. XIII. Rejicitur a *Vorſtio* c. 7. p. 68. ſeq. vox *Profunditas*, quam tamen in barbarorum numero habere nolim. Obſervatur namque ea apud *Vopiſcum* in Saturnino c. 8. *Tertullianum* de Anima c. 54. *Caſſiodorum* l. 1. epiſt. 45. et l. 2. ep. 21. et *Macrobius* eam paene in deliciis habuit, ut oſtendit *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 3. c. 3. p. 153. ſeq. Exſtat etiam apud *Tertullian.* Scorpiac. adv. Gnoſtic. c. 13: *Neque mors, neque vita, neque virtus, neque ſublimitas, neque profunditas, neque alia conditio poteſt nos a dilectione Dei ſeparare.*

§. XIV. Notat *Vorſtius* c. 8. p. 70. ſeq. non recte ſcribi *abs re*, *abs me*, *abs nobis*, *abs ſe*, vetereſque Praepoſitione *abs* numquam, niſi ſequente C, Q aut T uſos eſſe. Sed ſciendum eſt, ipſum quoque *Julium Caeſarem* dixiſſe *abs ſe*, ut lib. 1. de Bell. Gall. c. 44. v. 8: *Eas omnes copias uno* abs ſe *proelio fuſas ac ſuperatas eſſe.* Et l. 3. c. 9. v. 3: *Legatos quod nomen ad omnes nationes ſanctum inviolatumque ſemper fuiſſet, retentos* abs ſe *et in vincula conjectos.* Scribit etiam *abs re* *Apulejus* de Dogm. Platon. l. 3. p. 57. edit. Woweriaanae, ubi ita legimus: *Nunc dicendum eſt, quemadmodum quattuor illae propoſitiones inter ſe affectae ſint: quas non* abs re *eſt in quadrata formula ſpectare.* *Tertullianus*, ſive quisquis auctor eſt carminis adverſus Marcionem, eamdem praepoſitionem ſequente vocali uſurpat l. 4. c. 4. v. 103:

Quos in Evangelio Dominus quoque dixit, et haedos
Abs ovibus *cerni ſtantes in parte ſiniſtra.*

et lib. 5. c. 5. v. 121:

Unde

Unde etiam potuit baptiſmi dona benigna
Promiſſa abs alio *tamquam ſua promere facta.*

§. XV. Praepoſitionem *Absque* aevo *Ciceronis* pro *ſine* uſurpatam vix inveniri, immo dubium eſſe, an eo aevo vox *absque* omnino uſurpata fuerit; certe in ſcriptis *Ciceronis*, *Corn. Nepotis*, *Virgilii* et *Horatii*, quae exſtant, non reperiri, auctor eſt *Vorſtius* c. 9. p. 78. Reperitur tamen ea ita uſurpata non ſolum apud *Ciceronem* de Invent. lib. 1. c. 36, quem locum exhibet *Cellarius* in Antib. denuo recogn. c. 2. p. 98. ſed etiam in Epiſt. ad Attic. l. 1. ep. 16: *Sed ad ſummas atque incredibiles occupationes meas accedit, quod nullam a me epiſtolam ad te ſino* absque *argumento ac ſententia venire.* Ex antiquioribus *Lucanum* quoque lib. 6. ſic uſum, ipſe adnotat *Vorſtius* p. 79. Eamdem in eadem notione obſervavit *Cellarius* in Quintil. l. 7. c. 2. Vid. ejus Antibarb. recognit. l. c. Reperitur quoque apud *Apulej.* de Habit. Dogm. Platon. l. 2. p. m. 45. extr. *Nec fruſtra eſt, quod ſola virtus fortunatiſſimos poteſt facere; quum* absque *hac ex aliis proſperis non poſſit felicitas inveniri.* Et Metamorph. l. 9. p. 359: *Adſeverans brevi* absque *noxa noſtri ſuapte inimicum ejus violentia ſulphuris periturum.* Auctorem carminis, quod *Eugenium*, virum Conſularem, praeſert, in Petron. Pſeudepigr. p. 232. edit. cum notis Variorum Francof. 1621:

Absque *modo largus, laſcivus, parcus, avarus:*
Laudis Atis, formae Scaeva, Rufinus opum.

Tertullianum de Teſtimonio Animae c. 5: *Numquid ergo credendum eſt, ante litteraturam et divulgationem ejus mutos* absque *hujusmodi pronuntiationibus homines vixiſſe. Ammianum Marcellinum* l. 23. c. 15: *Ad ſummam polliceor univerſis,* absque *omni praerogativa principum, rationem recte conſultorum, vel ſecus ſi quis egerit, redditurum.*

§. XVI. Phraſi *ſine omni* pro *ſine ullo*, praeter Comicos *Plautum* et *Terentium* aliquem optimae notae ſcriptorem uſum eſſe ſubdubitat *Vorſtius* c. 9. p. 81. At *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 3. c. 5. p. 191. profert locum ex Ovidio, in quo ea deprehenditur. Eſt is l. 4. Triſt. eleg. 8. v. 33:

Jamque decem luſtris omni ſine labe peractis.

§. XVII. Latinos non dicere in oratione ſoluta *tollere oculos ſuos, extendere manus ſuas, inducere animum ſuum;* ſed pronomen in talibus omittere, obſervat *Vorſtius* c. 10. p. 84. et pag. ſeq. adſerit, eum loquendi modum aetate adhuc *Auguſtini* a genio linguae Latinae alienum habitum fuiſſe. Verum reperitur pronomen in ſimilibus a boni commatis auctoribus etiam in ſoluta oratione adjectum, quod oſtendit *Borrichius* in Analect. §. 41. p. 38. ſeq. Addo *Senecam* Rhet. Controv. 16. p. 136. edit. cum notis Variorum Pariſ. 1626: *In hoc opere potes* oculis tuis, *potes manibus uti? Tertull.* adv. Judaeos c. 5: *Maledicta terra, quae aperuit* os ſuum, *ad excipiendum ſanguinem fratris tui.* De Reſurrect. Carnis c. 20: *Non aperuit* os ſuum: dorſum ſuum ponens *ad flagella. Lactant.* Inſtit. Divin. l. 1. c. 2: *Nemo eſt enim tam rudis, tam feris moribus; quin* oculos ſuos *in coelum* tollens, etc. Et l. 2. c. 18: *Ipſe ſe ab humo ſuſcitet, et erecta mente* oculos ſuos tendat *in coelum.* L. 4. c. 1. princ. *Cogitanti mihi et cum* animo meo *ſaepe reputanti priorem*

illum

illum generis humani ſtatum. Et paullo poſt: *Deſierunt enim* vultus ſuos *in coelum* tollere, *ſed deorſum mentes hominum depreſſae terrenis inhaerebant.* Libr. 4. c. 11: *Miſi ad vos ſervos meos Prophetas: ante lucem mittebam, et non audiebatis me, neque* intendebatis auribus veſtris. Libr. 6. c. 20: *Alios illis compares dari poſcunt recentiores, ut quam primum* oculos ſuos *ſatient.* Lib. 1. c. 11: *Quid igitur homines* oculos ſuos *in coelum* tollunt? *quid per ſuperos dejerant?* Vide et *Cellarii* Curas Poſter. edit. 3. Append. Miſcell. p. 409.

§. XVIII. *Vorſtius* cap. 13. p. 98. notandum eſſe ait, ſi nomen ſexti caſus, intercedente praepoſitione A, verbo Activo adjiciatur, idem nomen ſexti caſus intercedente eadem praepoſitione verbo Paſſivo adjectum, non cauſam efficientem, ſed idem illud, quod verbo Activo additum denotat, denotare. Quod etſi in multis contingat, neutiquam tamen pro generali praeceptione admitti poſſe, evidentibus teſtimoniis comprobat *Borrichius* in Analect. §. 51. p. 49. et *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 3. Append. Miſcell. p. 421. Quibus addo alia quaedam a me obſervata. *Curt.* l. 6. c. 10. v. 3: *Abeſt quidem optimus cauſae meae judex, qui cur me ipſe audire noluerit, non mehercule excogito, quum illi utrimque cognita cauſa tam damnare me liceat, quam abſolvere; non cognita vero* liberari ab abſente *non poſſum.* Et v. 37: Abducitur *deinde* ab iis, *qui cuſtodiebant eum.* Auctor Epit. *Liv.* l. 69: *Qui, quum* a bonis civibus defenderetur, *ne cauſa malorum certaminum eſſet, in voluntarium exſilium Rhodum profectus eſt.* Et l. 119: *Adverſus C. Caeſarem, qui ſolus e tribus ducibus ſupererat, parum gratus ſenatus fuit, qui D. Bruto, obſidioque Mutinenſi* a Caeſare liberato, *honore triumphi decreto, Caeſaris militumque ejus mentionem non ſatis gratam habuit. Juſtin.* (quem, judice ipſo *Vorſtio* c. 2. p. 27 et 28. ut hiſtoriam ipſam, ita pleraque ex antiquiore ſe *Trogo Pompejo* hauſiſſe veriſimile eſt) lib. 28. c. 4. v. 14: *Nec minori ſibi gloriae fore, ſi* ab eo ſervata *Lacedaemon, a quo ſola capta ſit, proderetur.* Et l. 39. cap. 3. v. 3: *Cleopatra non tam a viro repudiata, quam* a matre *divortio viri* dimiſſa. *Marcell.* Digeſt. de bon. libertorum leg. 32: *Si libertus meus in ſervitutem redactus, poſtea* ab alio liberatus eſt, *praefertur mihi in bonorum poſſeſſione, qui eum manumiſit. Tertullian.* adv. Marcion. lib. 1. c. 24: *Tu tantummodo bonum praefers, non potes autem perfecte bonum oſtendere,* a quo *non perfecte* liberaris. Et de Corona Milit. c. 13: *Sed tu jam* redemtus es a Chriſto, *et quidem magno.* Et paullo poſt: *Nam et tunc liber homini* eras redemtus a Chriſto: *et nunc ſervus es Chriſti, licet manumiſſus ab homine. Lactant.* Inſtit. Divin. lib. 1. c. 10: *Homicida Mars, et per gratiam caedis crimine* ab Athenienſibus liberatur; *ne videretur nimis ferus et immanis; adulterium cum Venere commiſit.* Auctor Panegyr. Conſtantino, Conſtantii filio, dicti c. 19: *Inde omnibus circumfuſis, ut inde excederes, opperiri, proſpicere, optare, ſperare: ut viderentur eum,* a quo *obſidione* liberati fuerant, *obſidere. Pacat.* Panegyr. ad Theodoſ. c. 33. extr. *Quae tandem collatio poſſet eſſe populorum, etiamſi tanta non eſſet diſſimilitudo cauſarum, ut ab illis fuerit Romani imperii appetita captivitas,* ab his repetita *libertas.*

§. XIX.

§ XIX. Nomen Subſtantivum *Duellum* non juſto ſignificatu hodie uſurpari pro *pugna unius cum uno*, (quam *ſolitarium certamen* *Dictys Cretenſis* l. 2. c. 18 et 39. et l. 5. c. 7. appellat) cum antiquis idem fuerit, quod *bellum*, auctor eſt *Vorſtius* c. 14. p. 112. *Cellarius* etiam in Curis Poſter. c. 10. p. 281. ita uſurpatum in barbarorum claſſem conjicit, quorum nulla conſtet auctoritas, quae ſuperior vel ſaltem aequalis fuerit Caroli M. temporibus. Nec ea ſignificatione accipiendum eſſe exiſtimem locum Prudentii in Pſychom. v. 21. de pugna Fidei et Idololatriae:

Prima petit campum dubia ſub ſorte duelli,
Pugnatura Fides.

§. XX. Veteres vocem *Aegritudo* non niſi pro *affectione animi*, et quidem pro *moerore* uſurpaſſe, ait *Vorſtius* c. 14. p. 119; poſteriore aevo autem *aegritudinem* et corpori tributam fuiſſe, auctoritate *Sulpitii Severi*, *Curtii* et *Flori* oſtendit. Sed eodem ſignificatu etiam ab antiquioribus adhibetur, uti exemplis monet *Cellarius* in Antib. denuo recogn. c. 3. p. 146. et in Curis Poſter. c 4. p. 115. ſeq. Adjicio iis duo, quae in *Plinio* reperi, libr. 10. cap. 3. extr. *Oppetunt* (aquilae) *non ſenio, nec aegritudine, ſed fame, in tantum ſuperiore accreſcente roſtro, ut aduncitas aperiri non queat.* Et l 11. c. 37: *Homo creſcit in longitudinem ad annos uſque ter ſeptenos: tum deinde ad plenitudinem. Maxime autem pubeſcens nodum quemdam ſolvere, et praecipue* aegritudine *ſentitur.* Ex poſterioribus uſurpat quoque praeter *Tacitum*, cujus locum affert *Cellarius* l. c. *Apulejus* de Dogm. Platon. l. 1. p. m. 20. extr. *Alioqui invehit* aegritudinem, *invalentiamque et foeditatem.* Idem l. c. l. 2. p. 32: *Eorum, quae declinanda ſunt, quaedam omnibus ac ſemper videri mala, quoniam nocent atque obſunt; ut ſunt vitia et infortunia: quaedam aliis, nec ea ſemper nocere; ut* aegritudinem, *egeſtatem et ſimilia.* Idem de Deo Socratis p. 99: *Magis iſta dinumero. Validus eſt? aegritudine fatigabitur. Pernix eſt? abibit in ſenectutem.* Et Metam. l. 10. p. 379: *At juvenis ſummiſſo vultu rogat ultro cauſas praeſentis* aegritudinis. *Solinus* Polyh. c. 10: *Fontes ſane calidi et ſalubres aliquot locis efferveſcunt, qui ocularias diſſipant* aegritudines. *Spartianus* in Severo p. m. 126: *Hiemali prope tempore quum herbarum radicibus milites viverent, atque inde morbos* aegritudineſque *contraherent.*

§. XXI. A *Cellario* in Curis Poſter. edit. 3. cap. 10. p. 328. *Spectare* pro *pertinere*, in poſſeſſionis deſcriptione, ut, *Belgium ſpectat ad Hiſpanos*, in barbaris ponitur. *Scioppius* in Infam. Famiani p. 55. et ſeq. *Famianum*, quod iſta notione eo verbo uſus eſt, exagitat. *Vorſtius* quoque cap. 16. p. 138. minus Latine ita adhiberi, ſentit. Patrocinari huic ſignificationi *Borrichio* in Analect. § 57. p. 53. videtur *Seneca* l. 6. de Benef. c. 3: *Non ſunt veſtra: in depoſiti cauſa ſunt; jam jamque* ad alium dominum ſpectantia: *aut hoſtis iſta, aut hoſtilis animi ſucceſſor invadet.* De quo tamen ego valde dubito.

§. XXII. *Vorſtius* cap. 16. p. 140. putat verbi *adferre* pravum uſum eſſe, ſi dicatur *adferre equum*, *adferre navem*, *adferre hominem*; ſed *adferre hominem* dici tamen poſſe, ſi homo infans ſit, ac manibus ferri

poſſit,

poſſit, quod ipſum comprobat teſtimonio *Juſtini* l. 4. c. 1. v. 9: *Summis precibus rogas, ſibi adferri oſtendique* puerum. *Afferre ſe* recte quoque aliquis dicitur, quod monuit *Titius* in Manud. ad Exc. c. 33. p. m. 172. et ſeq. et confirmavit teſtimoniis *Plauti* Amphitr. 3, 4, 6: *Ego ſum Jovi dicto audiens: ejus juſſu nunc huc* me affero. *Terentii* Andr. 4, 5, 12: *Haud auſpicato huc* me attuli. *Virgilii* Aen. l. 8. v. 477: *Fatis huc te poſcentibus* affers. Idem loquendi modus occurrit etiam Aeneid. l. 3. v. 345:

— — — Seſe *a moenibus heros*
Priamides multis Helenas comitantibus affert.

§. XXIII. *Vorſtius* cap. 16. p. 142. cum *Hadriano* Cardinale et *Antonio Schoro* hanc differentiam verbo compoſito *allegare* et ſimplici *legare* dat, ut ſimplex dicatur de rebus publicis; compoſitum vero de rebus privatis. *Scioppius* etiam *Famianum Stradam*, quum haec duo invicem aliquando permutaſſet, ea propter notavit in libello, quem inſcripſit Infamiam Famiani p. m. 151. Verum ſimplex de rebus privatis dici poſſe, ſatis demonſtrat illud Catulli Carm. 68. de Coma Berenices v. 57:

Ipſa ſuum Zephyritis eo famulum legarat,
Grata Canopaeis incola litoribus.
Scilicet in vario ne ſolum limite coeli
Ex Ariadnaeis aurea temporibus
Fixa corona foret: ſed nos quoque fulgeremur
Devotae flavi verticis exuviae.

§. XXIV. De verbo *Confundi* ita diſſerit *Vorſtius* cap. 17. p. 148: *Uſurpant hoc pro* pudore adfici, pudore confundi, *atque ita certam perturbationum ſpeciem eo vocabulo deſignant. Quod quidem ita fecerunt exemplo antiqui ſacrarum litterarum interpretis, cujus verſionem ſcilicet multum terunt.* Sed illud vocabulum pro *pudore adfici* ſeu *pudore confundi* viſitur etiam apud antiquiores, *Apulejum* nempe (quem et citavit *Cellar.* Cur. Poſter. edit. 3. cap. 6. p. 240.) Metam. l. 9. p. m. 374: Confuſus *de impotentia deque inertia ſua quicquam ad quemquam referre popularium. Cyprianum* adv. Judaeos l 2. c. 4: *Domine Deus, altum eſt brachium tuum, et non ſciebant: quum cognoverint autem,* confundentur. Et cap. 16: *Qui crediderit in eum,* non confundetur. *Tertullianum* Scorpiac. adv. Gnoſtic. c. 9. extr. *Plus eſt autem, quod et* confuſioni confuſionem *comminatur, qui me* confuſus fuerit *coram hominibus, et ego* confundar *eum coram patre meo, qui in coelis eſt. Sciebat enim a* confuſione *vel maxime formari negationem. Lactant.* Inſtit. Divin. l. 4. c. 13. Confundentur *et reverebuntur omnes, qui adverſantur tibi, et cadent in* confuſionem. In his *Tertulliani* et *Lactantii* locis verbale quoque *Confuſio* eadem notione uſurpatum obſervare licet. Sed et verbum activum eodem modo apud *Tertullianum* reperi: ut de Carne Chriſti c. 4: *Stulta mundi elegit Deus, ut* confundat *ſapientiam.* Et de Fuga in Perſecut. c. 2: *Iniquitas adhibetur, ut juſtitia probetur* confundens *iniquitatem.* Et c. 7: *Si devito paſſionem,* confundo *confeſſionem.* Et *Cyprianum* l. 3 Teſtimon. ad Quirin. c. 6. et Exhort. Martyr. c. 9: *Spes autem non* confundit, *quia dilectio Dei infuſa*

eſt

eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Borrichius in Analect. §. 27. p. 23. et ſeq. vult, *Livio* quoque et *Senecae confundi* eſſe *pudore aſſici.* Verum uterque, ſi non magis, aeque tamen de perturbatione ac mentis ἀπορίᾳ, quam de pudore (licet ſaepe conjungantur) intelligi poteſt; quod obſervavit *Cellarius* l. c. p. 241.

§. XXV. Verbum *Deputare* pro *deſtinare, adſignare, delegare*, poſteriore aevo uſurpatum fuiſſe, teſtimoniis *Sulpicii Severi* et antiqui ſacrarum litterarum interpretis probat *Vorſtius* c. 17. p. 150. Eadem notione uſurpat etiam (praeter *Macrob.* l. 7. c. 14. quem citat *Cellarius* in Cur. Poſt. edit. 1. c. 6. p. 179.) *Tertullianus* de Orat. c. 5: *Illi deputamus, quod ab illo exſpectamus.* Et l. 1. adv. Marcion. c. 16: *Videbimus et Apoſtolus cui auctori inviſibilia* deputet, *quum et illum exploraverimus.* Et paullo poſt: *Non alteri auctori* deputanda.

§. XXVI. Uſum verbi *Seducere* pro *decipere* et *ad malum impellere*, in ſcriptis antiquiorum non obſervari, et ex verſione praecipue ſacrarum litterarum, quam vulgatam dicunt, hauriri, docet *Vorſtius* cap. 17. p. 151. ſeq. Uſurpavit tamen verbum illud ea notione etiam antiquior interprete Latino *Tertullianus* de Pudicit. cap. 16: *Nemo* ſeducat *ſemet ipſum.* Et c. 17: *Nemo vos* ſeducat *inanibus verbis. Quis* ſeducit *inanibus verbis, niſi qui concionatur, remiſſibilem eſſe moechiam.* Idem Scorpiac. adv. Gnoſtic. c. 2: *Prophetes et ſomniator ille morietur: locutus eſt enim ad* ſeducendum *te a Domino Deo tuo. Cyprianus* Teſtim. ad Quirin. l. 3. c. 46: *Adam* ſeductus *non* eſt, *mulier autem* ſeducta eſt. Idem de Exhort. Martyr. c. 11: *Et multi Pſeudoprophetae exſurgent, et* ſeducent *multos.* Idem Epiſt. 55. pag. 110. edit. Brem. 1690: *Habeo adverſus te multa, quod uxorem tuam Jeſabel, quae ſe dicit Propheten, ſinis docere et* ſeducere *ſervos meos.* Conf. eumdem de Lapſis p. 137. Eadem notione nomina quoque inde derivata *Seductio* et *Seductrix* uſurpata ſunt a *Tertulliano:* ille enim de Reſurrect. Carnis c. 45. princ. ita ſcribit: *Monente Apoſtolo, deponere nos veterem hominem, qui corrumpitur per concupiſcentiam* ſeductionis. Et lib. 2. adv. Marcion. c. 2. extr. *Confeſſus eſt* ſeductionem, *non occultavit* ſeductricem. Et de Pudic. c. 17. princ. *Advocatia enim noſtra non ex* ſeductione, *nec ex immunditia.* Et de Praeſcript. adv. Haeret. c. 17: *Videte, ne quis vos circumveniat per Philoſophiam et inanem* ſeductionem. Poſterius placuit etiam *Apulejo* in Florid. prope fin. *Corvus praeda, quam ore geſtabat,* ſeductricem *compotivit.*

§. XXVII. Adverbium *Hactenus* de tempore, pro *usque ad hoc tempus*, perperam adhiberi, adſerit *Vorſtius* cap. 19. p. 155. ſeq. poſteriori vero aevo pro *adhuc* uſurpatum fuiſſe, non negat. Legitur eo ſenſu apud *Pacat.* in Paneg. ad Theodoſ. c. 11: *Parumne me, Theodoſi,* hactenus *diſtulere fata, ut inſuper tentes moras augere fatorum.* Et c. 19: *Itaque quum* hactenus *natura eſſet ſtatutum, ut bona ſua homines neſcirent, etc. tu inveniſti tempus, quod nobis natura ſubtraxerat. Tertullian.* de Pudic. c. 17: *Qui moechabatur* hactenus, *non moechetur, et qui fornicabatur* hactenus, *non fornicetur.* Ita tamen uſurparunt etiam non ſolum *Suetonius, Statius,* et *Tacitus,* ſed et antiquiores *Livius, Virgi-*

Virgilius et *Ovidius*, quorum loca exhibent *Cellarius* in Antib. Latin. edit. 1. c. 2. p. 44. et Antib. denuo Recogn. c. 3. p. 165. *Borrichius* in Analect. §. 38. p. 37.

§. XXVIII. Adverbii *Saltem* uſum pro *tantum* minus probum eſſe, cum *Voſſio* et *Scioppio* de Stil. Hiſtor. p. m. 151. arbitratur *Vorſtius* c. 18. p. 157: a quibus tamen Cl. *Borrichius* in Cogitat. de Voſſ libr. de vit. Lat. Serm. p. 228. et in Analect. §. 19. p. 19. recte diſſentit, ſi non ob alia, quae adfert, loca, in quibus forſan *ſaltem* pro *tantum* accipi non eſt neceſſe, tamen ob ſequentia *Plinii* et *Quintiliani*. Illius libr. 13. c. 11: *Ne terram quidem ipſam totam fuiſſe, quae nunc Aegyptus intelligitur, quum in Sebennytico* ſaltem *ejus nomo omnis charta naſcatur.* Ejusd. l. 2. c. 93: *Motus enim terrae ſileantur, et quicquid eſt, ubi* ſaltem *buſta urbium exſtant.* Et lib. 7. c. 44: *Quis hunc* (Metellum) *jure felicem dixerit, periclitatum ad libidinem inimici, nec Africani* ſaltem, *perire.* Hujus lib. 10. c. 2: *Nec vero* ſaltem *iis, quibus ad evitanda vitia judicii ſatis fuit, ſufficiat imaginem virtutis effingere.* Inveni etiam ita in *Apulej.* Metamorph. lib. 1. p. m. 147: *Immo ſuperſit hic* ſaltem, *qui miſelli hujus corpus parva contumelet humo.*

§. XXIX. Improbat *Vorſtius* c. 18. p. 170. extr. *vel* iisdem rebus diverſo nomine explicandis interpoſitum, quod, quum aequipollentiam vocabulorum denotant Latini, non *vel*, ſed *ſive*, uſurpent. Unde *Cellarius* in Curis Poſter. Append. Miſcell. p. 429. edit. 3. ipſum ſcribit particulis iſtis hanc dare differentiam, ut *ſive* iisdem rebus diverſo nomine explicandis; *vel* rebus interponatur diverſis. Obſervandum vero eſt, differentiam illam inter voculas iſtas non eſſe perpetuam. Nam *Andreas Borrichius* in Append. ad Cellar. Cur. Poſter. Recogn. cap. 11. extr. p. 120. ex idoneis auctoribus, *Varrone* lib. 4. de L. L. *Aſcon. Pediano* Comm. in Verr. 2. et 3. *Tacito* Annal. l. 2. c. 25. et 29. Hiſtor. l. 4. c. 47. exempla profert, in quibus vocula *ſive* rebus interpoſita eſt diverſis.

§. XXX. Phraſin *Communicare alicui* improbat *Vorſtius* cap. 19. p. 172. ſeqq. addit deinde, *Sulpicium Severum* eam, ut varia alia a more ſcribendi antiquiorum abhorrentia, habere. Eamdem tamen uſurpat *Hieronymus* Epiſt. 61. c. 15. adnotante *Cellario* in Antib. denuo Recogn. cap. 5. p. 247, et ante ipſum *Tertullianus* in Apologet. adv. Gentes c. 39: *Uxores ſuas* amicis communicaverunt. De Pudicit. c. 18: *Manus nemini cito imponas, neque* communices delictis alienis. Et paullo poſt: *Nolite* communicare operibus infructuoſis *tenebrarum.* *Cyprian.* Epiſt. 55. p. 106. princ. *Quod paſſim* communicare *ſacrificatis Cornelium tibi nuntiatum eſt, hoc etiam de apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur.* Idem Epiſt. 75. p. 225. extr. *Qui ſic magna et coeleſtia Eccleſiae munera haereticis concedit et tribuit; quid aliud quam* communicat eis, *quibus tantum gratiae defendit ac vindicat?* Conf. Concil. Carthag. §. 81. de Lapſis p. m. 128. Epiſt. 16. p. 37. et Epiſt. 78.

§. XXXI. Conſtructionem verbi *Attinet* perperam facere eos docet *Vorſtius* cap. 19. p. 147, qui dicunt, *Quod me attinet*, pro *Quod ad me attinet.* Eam tamen non refugit *Tertullianus* de Patient. c. 12: Quod

pacis

pacis gratiſſimae Deo attinet diſciplinam, *quis omnino impatientiae natus, vel ſemel ignoſcet fratri ſuo?*

§. XXXII. *Vorſtius* cap. 19. p. 175. verbum *Damnare*; inquit, non ſic conſtrui cum nomine, ut ipſum nomen caſu quarto intercedente praepoſitione *Ad* ponatur. At iſta conſtructione uſus eſt *Trajanus* in Ep. ad Plinium, quae habetur in Epiſtolis Plinianis lib. 10. ep. 41. (al. 33.) *Qui* damnati ad poenam erant. *Lactant.* Inſtit. Divin l. 7. c. 5. extr. Damnabitur *ſententia Dei* ad aeternam poenam, *quia coeleſtibus bonis terrena praepoſuit.* Et c. 27. edit. Thyſ. p. 514: *Dominus illorum cum miniſtris ſuis comprehendetur*, ad poenamque damnabitur. Idem Epit. Inſtit. Divin. c. 8. p. 646: *Impios quoque ſecunda reſurrectione facta Deus excitabit, ut* ad perpetua tormenta damnet. Eadem conſtructione verbale *damnatio* ab eodem adhibetur libr. 2. Inſt. Div. c. 12. p. m. 131: *Mors eſt animarum pro meritis* ad aeterna ſupplicia damnatio. Et l. 5. c. 11: *Non enim honor ille aut provectio dignitatis fuit; ſed hominis* damnatio ad carnificinam, *Dei vero* ad poenam ſempiternam. Ipſa phraſis *damnare ad mortem* deprehenditur apud *Lactant.* Inſt. Div. lib. 2. cap. 2. prope fin. *Quum enim vos terrae ſubmittitis, humilioresque facitis: ipſi vos ultro ad inferos mergitis*, ad mortemque damnatis. Pro *damnare ad mortem, damnare in mortem* dixit *Tertullianus* lib. 1. adv. Marcion. c. 22: *Homo* damnatur in mortem *ob unius arbuſculae delibationem, et exinde proſiliunt delicta cum poenis.* Et *damnare morte*, *Lactant.* Epit. Inſtit. Div. c. 4: *Nec verbo licebit periculum mortis inferre, nec infantem necare, aut exponere, nec ſe ipſum voluntaria* morte damnare.

§. XXXIII. Docet *Vorſtius* cap. 19. p. 179. verbum *Diſſuadere* non recte conſtrui, quum dicitur, *diſſuadere aliquem ab aliqua re.* Veteres enim verbo illi Accuſativum non perſonae, ſed rei adjeciſſe, dixiſſeque, *diſſuadere aliquid.* Compoſitum tamen ſimilis naturae, *perſuadere*; (licet *Scioppius* de Stil. Hiſt. p. m. 91. Soloeciſmi dicam *Burdo Scaligero* ſcribat, quod dixerit: *Perſuaderi me paſſus ſum*, pro *mihi*) cum Accuſativo perſonae conſtructum lego in Fragm. Traguriano, quod *Petronio* tribuitur, edit. Lipſienſ. 1666. pag. 18: *Aliqua die* te perſuadeam, *ut ad villam venias, et videas caſulas noſtras.* Et pag. 33: *Nactus ego occaſionem*, perſuadeo hoſpitem noſtrum, *ut mecum ad quintum milliarium veniat.* Et ap. *Ennium* in fragm. Merulae p. 39: *Quis* te perſuaſit? Et *Tertullianum*, vel quisquis auctor eſt carminis adv. Marcion. l. 1. c. 7. v. 157:

Infandos *omni magicae dementia* plenos
Perſuaſit *ſeſe virtutem dicere ſummam.*

Et verbo ſimplici *Suadeo* ad eumdum modum uſus *Apulejus* Metamorph. l. 9. p. m. 360: Uxorem *ejus tacite* ſuaſi, *ac denique* perſuaſi. Et paucis interjectis: Suadebat maritum, *temporius quieti decedere.* Et *Tertullianus* de Habitu Muliebri cap. 1: *Tu es, quae* eum ſuaſiſti, *quem Diabolus adgredi non valuit.* Etiam *Diſſuadere ab aliqua re* dixit *Tertullianus* Exhortat. ad Caſtitat. c. 4: *Per haec enim, docens, cur non expediat nubere*, diſſuadet ab eo, *quod ſupra indulſerat.*

§. XXXIV. Verbum *Surgere* pro *exoriri*, *exſiſtere*, imitatione Hebraeorum uſurpari, atque ea notione Latine ſcribenti vitandum eſſe, recte tradit *Vorſtius* cap. 20. p. 180. ſeq. Compoſitum *Exſurgere* eo ſenſu obſervari apud *Tertullianum* in Scorpiac. adv. Gnoſtic. c. 2: *Si ipſe Prophetes* exſurrexerit *in te, aut ſomnium ſomnians; ne audiatis ſermonem Prophetae aut ſomniatoris illius.* *Cyprianum* de Exhortat. Martyr c. 11. p. m. 177: *Multi Pſeudoprophetae* exſurgent, *et ſeducent multos.* Et lib. 2. adv. Judaeos c. 10: *Orietur ſtella ex Jacob*, *et* exſurget *homo ex Iſrael:* quae totidem verbis reperiuntur apud *Lactant.* libr. 4. Inſtit. Divin. c. 13.

§. XXXV. In Hebraiſmis habendas, atque huic, qui Latine ſcribere velit, fugiendas eſſe phraſes, *accipere perſonas*, *acceptio perſonarum*, ſcribit *Vorſtius* cap. 20. p. 182. Citat eas ex veteri Scripturae Sacrae interprete. Sed potuiſſet et citare illas ex antiquioribus *Tertulliano* Exhortat. ad Caſtitat. c. 7: *Unusquisque enim de ſua fide vivit*, *nec eſt* perſonarum acceptio *apud Deum.* *Cypriano* Epiſt. 15. prope fin. *Qui* perſonas accipientes, *in beneficiis veſtris aut gratificantur*, *aut illicitae negotiationis nundinas aucupantur.* Epiſt. 69: *Sine* acceptione perſonae *ſuper omnem Dei populum ſpiritalis gratiae munus infundi.* Et Epiſt. 74. p. m. 215: *Nec eſt apud eam* accipere perſonam.

§. XXXVI. Verbi *Benedicere* conſtructionem cum Accuſativo damnat *Vorſtius* cap. 21. pag. 192. et ſeqq. quod analogia requirat, ut caſus huic verbo tertius jungatur, et haec hujus verbi cum caſu quarto conſtructio poſteriore aevo apud antiquum ſacrarum litterarum interpretem, et hunc ſequentes Scriptores Eccleſiaſticos conſpiciatur. Sciendum tamen, ea ſtructura uſum etiam eſſe tum *Apulejum* ad Aſclep. quod *Cellarius* in Cur. Poſter. edit. 1. cap. 6. p. 173. notat, tum *Tertullianum* adv. Judaeos cap. 14: *Effuſa eſt gratia in labiis tuis; propterea* benedixit te *Deus in ſaeculum.* Adv. Hermog. c. 12: *Et vidit Deus*, *quia bona*, *et* benedixit ea *Deus.* Adv. Marcionem lib. 1. cap. 28: *Creator* conjugium *pro rei honeſtate* benedixit, *in incrementum generis humani.* Et l. 5. c. 11: Benedictus *Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti non alius*; *quam creator intelligetur*, *qui et* univerſa benedixit, *et* ab univerſis benedicitur. Conf. l. 3 c. 5. et c. 7. et c. 22. *Cyprianum* lib. 1. adv. Judaeos c. 21: *Faciam te in gentem magnam et* benedicam te. Et lib. 2. c. 11: *Qui* benedicunt te, benedicti ſunt; *et qui* maledicunt te, maledicti ſunt. Teſtim. ad Quirin. lib. 3. cap. 14: Benedicam Dominum *in omni tempore.* Nec aliter interdum conſtruitur verbum *Maledicere,* uti locis ex Petronii Satyrico p. m. 113. et *Arnobio* lib. 2. pag. 74. productis oſtendit *Cellarius* l. c. p. 174: quibus adde *Petronii* Fragm. Traguriàn. p. m. 30: *Cave*, majorem maledicas. Et p. 47: *Itaque Fortunata*, *ut ex quo jus firmum approbaret*, maledicere Trimalcionem *coepit.* *Tertullianum* de Patient. c. 8: *Quum* vos maledixerint, *gaudete.* Et cap. 11: *Exſultate*, *quoties* vos maledicent *et perſequentur.* Et adv. Praxeam c. 29: *Nos autem dicentes Chriſtum crucifixum*, *non* maledicimus illum, *ſed maledictum legis referimus.* *Cyprianum* Epiſt. 3: Principem *populi tui non* maledices. Et Epiſt. 59. p. 135: *Immittam in vos maledictionem*, *et* maledicam benedictio-

dictionem veſtram. In allatis ex *Tertulliano* et *Cypriano* locis verbum Paſſivum quoque *benedicor* et participium *benedictus* deprehendimus, quae in verſione veteris interpretis paſſim conſpici, notavit *Vorſtius* l. c. p. 193. Videatur et *Borrichius* in Cogitat. p. 50. et ſeq.

§. XXXVII. Vocabula *Humilis* et *Humilitas* notióne virtutis apud antiquiores, quod ſciat, non obſervata eſſe, inquit *Vorſtius* cap. 21. p. 194. Idem ad verba Sulpicii Severi in vita Martini cap. 2: Humilitas *illi ultra humanum modum*, adnotat: *Ceterum vox* humilitas *alia notione a noſtro, et ab aliis quoque Scriptoribus Eccleſiaſticis uſurpatur, quam a profanis. Hi quidem* humilitatem *non in virtutibus ponunt, ſed ad fortunam aut genus referunt.* At celeberrimus *Borrichius* in Cogit. p. 120. ſeq. et Analect. §. 13. p. 13. ſeq. multa ex profanis ſcriptoribus, antiquioribus etiam, teſtimonia congeſſit, quae iſtam ſignificationem comprobare credit. Sunt quidem inter ea, in quibus non neceſſe eſt ſignificatione iſta vocem illam accipere, ut et monuit Cl. *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 1. cap. 6. p. 180. In loco certe *Lucretii* ab eo citato non notatur virtus, nec ita interpretatur Lactantium l. 2. Inſtit. Divin. c. 3: haec namque, quae ſequuntur, ibi habet: *Quos homines idem ille Philoſophus ac Poeta graviter accuſat, tamquam* humiles et abjectos, *qui contra naturae ſuae rationem ad veneranda terrena ſe proſternant: ait enim*

Et faciunt animos humiles *formidine divûm,*
Depreſſosque premunt *ad terram.*

Non dubito tamen, eam notionem ſatis a praelaudato *Borrichio* comprobari tum aliorum teſtimoniis, tum *Petronii Arbitri* in Satyr. p. m. 171: *Mirari equidem tam diſcordem libidinem coepi, atque inter monſtra numerare, quod ancilla haberet matronae ſuperbiam, et matrona ancillae* humilitatem: (non aeque *Taciti* Hiſtor. lib. 1. c. 52. v. 3: *Et Vitellius apud Severos* humilis. *Ita comitatem bonitatemque faventes vocabant;*) tum *Spartiani* in Vita Juliani c. 9: *Objecta eſt ſuperbia, quum ille etiam in imperio fuerit* humillimus.

§. XXXVIII. *Vorſtius* c. 21. p. 194. ita diſſerit: *Proprie quidem* humile *dixerunt, quod totum humo proximum eſſet, nec multum ab eadem adſurgeret.* Adjicit porro: *Ciceronem et* humiliatum *vocare.* Ut lib. 2. de Nat. Deor. c. 47: *Animalia* humiliata, *ut cibum terreſtrem facile roſtris contingant.* Ego vero nolim vocem iſtam pro Ciceroniana venditare, quum *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 3. cap. 8. p. 305. teſtetur, omnes libros Tullianos, veteres, novos, quotquot evolvere ipſi licuit, locum iſtum ita exhibere: *Atque etiam aliorum ea eſt* humilitas, *ut cibum terreſtrem roſtris facile contingant. Vorſtium*, credo, decepit Lexicon *Calepini* vel *Fabri* curis Buchnerianis auctum, in quibus locus ille Ciceronis perperam citatus eſt, uti etiam monuit *Cellarius* l. c. Veros autem verbi auctores dat *Cyprianum* Epiſt. 6. (mihi 14.) n. 4. dicentem: *Is exaltabitur, qui ſe* humiliaverit. *Salvianum* lib. 6: *Civitas* humiliatur. *Ammianum* lib. 30. c. 10: *Ad* humiliandam *celſitudinem poteſtatis:* ubi *humilitandam* inſerto T, MSSta referre, Valeſios fratres adnotaſſe, obſervat. Adde *Cyprianum* lib. 2. adv. Judaeos c. 6: *Omnis*

rivus implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Et c. 13: *Habitu inventus, ut homo*, humiliavit ſe. Lib. 3. Teſtim. ad Quirin. c. 5: *Qui ſe extollit*, humiliabitur, *et qui ſe* humiliaverit, *exaltabitur*. De habitu Virgin. p. m. 98: *Et* humiliabit *Deus principales filias Sion. Lactant.* Inſtit. lib. 4. cap. 18: *Hoc paſcha Salvator noſter eſt, et refugium noſtrum: cogitate, et adſcendat in cor veſtrum, quoniam habemus* humiliare *eum in ſigno. Auguſtin.* Tom. 10. Opp. edit. Froben. 1556. Serm. 53. de verbis Domini col. 206: *Denique, fratres mei, audeo dicere, ſuperbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipſo, in quo ſe extollunt*, humilientur. Et col. ſeq. *Factus obediens usque ad mortem*, humiliavit *ſemet ipſum*. Et his antiquiorem *Tertullianum* de Orat. c. 13: *Nam ille publicanus, qui non tantum prece, ſed et vultu* humiliatus *atque dejectus orabat, juſtificatior Phariſaeo procaciſſimo diſceſſit.* De Fuga in Perſecut. c. 2. extr. *Nec hanc ſpeciem permitti Diabolo in ſanctos* humiliandos *per carnis vexationem.* Et c. 3. princ. *Magis tunc probamur, vel reprobamur, et magis tunc* humiliamur *vel emendamur.*

§. XXXIX. Non dubitavit *Vorſtius* cap. 22. p. 200. *Ulpianum* lege 34. §. 5. Digeſt. de Jurejurando, voce *Juramenti* uſum eſſe, quam, uti *Cellarius* in Antibarb denuo recogn. cap. 1. p. 62. obſervavit, Tribonianiſmum eſſe credunt doctiores, ſeu ex ſuae aetatis conſuetudine purioribus *Ulpiani* verbis a *Triboniano* inſertam. Sed ego inducor auctoritate *Tertulliani*, qui ante *Ulpianum* ea voce uſus eſt, ut illam *Ulpiano* non abjudicandam exiſtimem. Haec enim habet *Tertullianus* in Apologet. adv. Gentes cap. 32. extrem. *Id in eis ſcimus eſſe, quod Deus voluit, ideoque et ſalvum volumus eſſe, quod Deus voluit, et pro magno* juramento *habemus.*

§. XL. Antiquiores *Ambroſio, Sulpicio Severo*, et antiquo ſacrarum litterarum interprete, quos in medium proferret, pro defendendis vocabulis *compati* et *compaſſio*, non habuit *Vorſtius* cap. 22. p. 202. Sed obſervare licet illa etiam in antiquiore *Tertulliano* et *Cypriano* reperiri. *Tertullianus* quidem de Reſurrect. Carnis c. 3. extr. *Communes enim ſenſus ſimplicitas ipſa commendat, et* compaſſio *ſententiarum et familiaritas opinionum*. Id. l. 10. cap. 40: *Siquidem* compatimur, *uti et conglorificemur*. Et paucis interjectis: *Porro ſi per carnem* compatimur, *cujus proprie paſſionibus corrumpi, ejusdem erit, et quod pro* compaſſione *promittitur*. Et cap. eodem: *Dehinc ut animae daret* compaſſionem. Iterum: *Ita amborum etiam erit, conglorificari, ſicut et* compati. Conf. etiam Scorpiac. adv. Gnoſtic. cap. 13. *Cypriano* vero lib. 3. Teſtim. ad Quirin. c. 16. fin. *Siquidem* compatiamur, *ut et commagnificemur.* Vid. etiam de Exhortat. Martyr. c. 8. Ep. 5. p. m. 12. et Epiſt. 58. p. m. 120.

§. XLI. *Vorſtius* cap. 22. p. 204. et ſeq. ſcribit: Si dicatur *Condolere alicui*, ſignificeturque illud, quod Graeci dicunt συμπάσχειν τινὶ, et Latini *Dolere vicem alicujus*, et Germani *Mitleiden mit einem haben;* non juſtam eam ſignificationem eſſe. Ea ipſa tamen ſignificatione *Ovidium* uſum eſſe, cum *Cellario* in Curis Poſter. edit. 3. cap. 10. p. 390. exiſtimo. Ita enim ille lib. 5. Triſt. Eleg. 4. v. 32:

Ut

Ut tamen audiſti percuſſum fulmine vatem,
Admonitu matris condoluiſſe potes.

§ XLII. Non dici poſſe videtur *Vorſtio* cap. 26. p. 220. ſeq. *a conſiliis alicui eſſe*, ſed pro eo dici oportere, *a conſiliis alicujus eſſe.* Verum non improbandam penitus eam locutionem exiſtimem, ob auctoritatem *Vopiſci* in Carino p. m. 448: *Qui Diocletiano ab epiſtolis fuit.*

§. XLIII. Verbum *Sonare* non ſatis Latine uſurpari putat *Vorſtius* cap. 26. p. 224. ſeq. ſi dicatur, *ita verba alicujus ſonare*, pro *Verba ita ſe habere.* Praeſidio tamen ei uſui eſt *Solinus* in Polyh. c. 8. p. m. 280: *Praeneſte, ut Zenodotus refert, a Praeneſte, Ulyſſis nepote, Latini filio: aut, ut Praeneſtini ſonant libri, a Caeculo.* Habet etiam ex Poetis Chriſtianis patronum non deterrimae latinitatis *Juvencum*, qui in Hiſtor. Evang. lib. 1. ad Luc. cap. 1. de adnuntiatione Mariae ſic verba facit:

Virgo dehinc: Domino famulam nunc eſſe jubenti,
Ut tua verba ſonant, *cernis ſervire paratam.*

§. XLIV. Pronominis *Idem* cum Ablativo, intercedente Praepoſitione *Cum*, conſtructionem ſoloeciſmum eſſe, pro quo cum ratio, tum clariſſimorum ſcriptorum uſus poſtulet, *Hoc idem eſt* illi; *Idem, quod* illud; *Idem atque illud*, tradit *Scioppius* Judic. de Stil. Hiſt. p. m. 91. Cujus in ſententiam etiam concedit *Vorſtius* cap. 27. p. 231. ſeq. et *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 1. cap 10. p. 295. et Antibarb. denuo Recogn. cap. 5. p. 250. Non quidem notae haec conſtructio eſt optimae, nec tamen plane damnanda, quia ea uſi ſunt ſcriptores nequaquam proletarii, ut ut poſterioris aetatis. *Tacitus* lib. 15. Annal. cap. 2. princip. in oratione Vologeſis: *Hunc ego eodem mecum patre genitum in poſſeſſionem Armeniae deduxi.* *Gellius* lib. 9. Noct. Attic. c. 10. princip. *Annianus Poeta et plerique* cum eo ejusdem *Muſae viri ſummis adſiduisque laudibus hos Virgilii verſus ferebant.*

§. XLV. Soloeciſmi *Scioppius* de Stil. Hiſt. p. m. 101. accuſat *Thuanum*, quod ſcripſerit: *Pulcherrimam rei bene gerendae elabi paſſus eſt:* quod *magnorum deinde tumultuum cauſa extitit*, pro quae *cauſſa extitit.* Item p. 91. *Scaligerum*, quod ſcripſiſſet: Hoc *enim ſolius Nehemiae labor eſt*, pro Hic *ſolius Nehemiae labor eſt*; et *Qui totum librum perlegerit, facile judicabit*, hoc *hallucinationem, non inſcitiam eſſe*, pro judicabit, hanc *hallucinationem, non inſcitiam eſſe.* Quod *Scioppii* judicium ſatis recte ſe habere, *Vorſtius* autumat cap. 27. p. 235. quia auctores veteres ſic, uti *Scioppius* vult, loquantur. At et alter loquendi modus idoneorum veterum ſcriptorum auctoritate non deſtituitur. Eodem enim modo dixit *Florus* l. 1. c. 12. v. 11: Hoc *tunc* Vejentes *fuere.* Similiter Ovidius lib. 5. Triſt. eleg. 15. v. 28:

Quum Deus intonuit, non ſe ſubducere nimbo,
Id *demum* pietas, id ſocialis amor.

Ubi non propter metrum ſic locutus eſt, quum haud repugnante metri ordine dicere potuiſſet:

Haec *demum* pietas, hic ſocialis amor.

Et Epiſt. Heroid. 2. v. 56:

 Debuit

Debuit hoc *meriti* ſumma *fuiſſe mei.*

Et Epiſt. 3. v. 8:

— — *Quamvis* hoc *quoque* culpa tua *eſt.*

Et *Statius* lib. 1. Silv. 4. v. 52:

Non illud culpa *ſenectae.*

Ipſe *Vorſtius* l. c. p. 236. obſervat, *Virgil.* Aeneid. lib. 3. v. 173. ſcripſiſſe etiam:

Nec ſopor illud *erat, ſed coram agnoſcere vultus*
— — — — — *videbar.*

Sed id propter verſum feciſſe conjicit; quod mihi non videtur.

§. XLVI. Reprehendit *Vorſtius* cap. 28. p. 241. ſeq. quod *Jacobus Duportius* Anglus affirmatum aliquid volens ſcripſit: *Videndum, ne non plura ſint*, pro *videndum, ne plura ſint;* omiſſa vocula *non.* Subjungit dein p. 242. rationem his verbis: *Sciendum*, videre *in talibus idem eſſe, quod* vereri; *et quemadmodum poſt* vereri *vocula* ne *adſirmationi inſervit, ita plane et poſt* videre *fieri, obſervamus.* Reperitur tamen ſic *ne non* apud *Lucan.* lib. 7. v. 669. ſeqq. de Pompejo poſt cladem Pharſalicam loquentem:

— — *Nec deerat robur in enſes*
Ire duci, juguloque pati vel pectore letum,
Sed timuit *ſtrato miles* ne *corpore Magni*
Non *fugeret, ſupraque ducem procumberet orbis.*

Legitur quidem et ſic *ne non* hodie apud *Senecam* Suaſor. I. p. 10. in Epiſtola Caſſii ad Ciceronem: *Nos quidem illum deridemus; ſed* timeo, ne *ille* non *gladio* ἀντιμυκτηρίσῃ. Sed juſta ſuſpicio eſt, corruptum eſſe hunc *Senecae* locum, quum locus Caſſii in Epiſt. ad Ciceron. lib. 15. ep. 19. ſic habeat: *Scis, quam ſe ſemper a nobis deriſum Cn. Pompejus putet.* Vereor, ne nos *gladio* velit ἀντιμυκτηρίσαι.

§. XLVII. Vocem *Confoederatus* in latinitatis merito ſuſpectae cenſum refert *Vorſtius* cap. 31. pag. 259. Scriptores enim veteres potius vocabulo ſimplici uſos eſſe, obſervat. Verbum tamen *confoederare* apud *Hieronymum* Epiſt. 5. ad Florentium, et *Prudentium* Periſteph. in Laurentio v. 437. et participium *confoederatus* apud Oroſium lib. 2. c. 4. reperiri obſervavit *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 1. cap. 8. p. 223.

§. XLVIII. Idem judicat *Vorſtius* cap. 31. p. 259. ſeq. de voce *Coaetaneus*, et adjicit porro: exſtare illud in ſcriptore ſuppoſiticio, cui *Porcii Catonis* nomen datum; verum in eo plurima latinitatis jam declinantis argumenta viros doctos obſervaſſe. Habent tamen etiam illud *Iſidor.* Orig. lib. 10. *Hieronymus* in Chron. Euſeb. poſt Praefationem. *Tertullianus* adv. Valent. c. 16. *Apulej.* Metamorph. lib. 8. quos citat *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 1. cap. 3. pag. 101. Et in inſcriptione antiqua haec leguntur apud *Borrichium* in Cogit. p. 63: *Coaetanei ambo.* Verbum quoque *coaetaneare* obſervare licet apud *Tertullianum* de Reſurrect. Carnis cap. 45: *Caro atque anima contemporant fetu, coaetaneant natu.*

§. XLIX. Eadem eſt ratio vocis *Coaevus*, quae ſuperioris, ex ſententia *Vorſtii* cap. 32. p. 260. Vindicavit eam aeneo ſaeculo latinitatis auctoritate

ritate *Prudentii* Cathem. 12. v. 157. *Hieronymi* principio Epiſt. 142. *Aratoris* in Act. Apoſtol. 3, 2. *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 3. cap. 3. p. 137.

§. L. Suſpectum eſt *Vorſtio* cap. 33. p. 265. ſeq. vocabulum *Nullatenus* pro *nequaquam.* Tolerari tamen poſſe opiner, quum non ſolum exſtet apud *Fulgentium* Mythol. Praefat. lib. 2. *Caſſiodorum* ſaepe et Leg. 16. Cod. de teſtam. mil. ut obſervavit *Cellarius* in Curis Poſter. edit. 1. cap. 8. p. 232. et Antibarb. denuo Recogn. p. 70. et ſeq. ſed etiam *Cajum* JCtum in Inſtitut. lib. 1. tit. 4. §. 8: *Qui ex inceſtu vel nefaria conceptione nati fuerint, quamlibet matrem videantur habere, patrem vero* nullatenus *habere cenſentur, et tamquam de adulterio concepti fuerint, computantur.* Pro defendenda eadem voce et illud adjici poſſe videtur, pari plane ratione formatum vocabulum *aliquatenus* probum eſſe, quod multis idoneorum veterum teſtimoniis allatis oſtendit *Borrichius* in Cogitat. p 32. ſeq. Vocem *ullatenus* quoque uſurpavit *Cajus* Inſtit. lib. 1. tit. 1. §. 4: *Nam et Latini et dediticii nec teſtamenta condere, nec ſibi ex teſtamento aliorum aliquid dimiſſum poſſunt* ullatenus *vindicare.*

§. LI. Vocabulum *Solummodo* quamvis hodie multum uſurpetur; non perinde tamen, ut *tantummodo*, antiquum, ſed plane recens viſum *Vorſtio* cap. 32. p. 266. et a recentioribus effictum ex duabus ἰσοδυνάμοις *ſolum* et *modo* ad inſtar adverbii *tantummodo* ex *tantum* et *modo* formati et uſurpati ab antiquis. Atqui, ut animadvertit *Cellarius* in Curis Poſter. cap. 5. p. 158. utitur eo Plinius Major lib. 34. c. 8. Praeterea etiam tritiſſimum eſt antiquiſſimis ſcriptoribus Chriſtianis, quorum loca, quae *Cellarius* citat, transſcribere ſuperſedeo. Adjicio tandem quaedam alia, ubi itidem occurrit. *Tertullianus* Apolog. adv. Gentes cap. 12: *Quantum igitur de diis veſtris, nomina* ſolummodo *video quorumdam veterum mortuorum et fabulas audio, et ſacra de fabulis recognoſco.* Et cap. 39: *Qui non amicorum* ſolummodo *matrimonia uſurpant, ſed et ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant.* Legitur et cap. 40. de praeſcr. adv. Haeret. c. 42. adv. Valentin. c. 3. lib. 1. adv. Marcion. c. 16. et lib. 2. c. 8.

Corollaria.

I.

Subſtantivo ſignificatu cuiquam veterum uſurpatum *aulici* vocabulum, non dum liquere, tradit *Borrichius* in Cogitat. p. 80. At deprehenditur apud *Cornelium Nepot.* 14, 5, 2: *Qua celeritate quum magnam benevolentiam Regis Datames conſecutus eſſet, non minorem invidiam* aulicorum *excepit.*

II.

Studium abſolute, pro *ſtudiis litterarum*, *Das Studiren*, non ſatis Latine poni, arbitratur *Cellarius* in Antib. Recogn. p. 216. At vero illud non refugit ea ſignificatione *Salluſtius* luculentus ſcriptor, qui in Bello Catil. c. 3: *Ego adoleſcentulus initio, ſicuti plerique, a* ſtudio *ad rempubl. latus ſum.*

III.

Hyperbolicae locutiones etiam in Scriptura Sacra occurrunt.

IV.

Abraham non natus eſt anno Therachi LXX, ſed demum anno CXXX.

V.

Fallitur Juſtinus lib. 2. cap. 2. dum Semiramidem habitu virili ſumto Ninyam filium mentitum, et ſub ejus ſchemate imperaſſe tradit.

VI.

Aſtyages non fuit vita exutus a Cyro nepote, quod habent *tabulae Helmſtadienſes.*

VII.

Curtius l. 3. c. 7. in narratione de Siſine Perſa non videtur impleviſſe partes boni Hiſtorici.

VIII.

Philippus Arabs non fuit primus ex Imperatoribus Romanis Chriſtianus.

IX.

Epigramma Martialis lib. 6. epigr. 53:

Lotus nobiſcum eſt, hilaris coenavit, et idem
Inventus mane eſt mortuus Andragoras.
Tam ſubitae mortis cauſam, Fauſtine, requiris?
In ſomnis medicum viderat Hermocratem.

etiamſi ſpeciem magni acuminis praeferat, non meretur laudem boni epigrammatis.

Sthenonis KIERULF *Syntaxis Latinorum decem regulis comprehenſa.* Haſn. 1709. 4.

Georgii KILII *Epitome Dictionarii, in qua comprehenduntur vocabula Latino-Germanica, non tantum in puerilibus lectionibus, ſed etiam gravibus ſcriptis et quotidiano uſu ubique obvia: quibus cognitis puer Latine loqui et ſcribere, omnisque generis auctores cum fructu audire et legere poterit. Ita accommodata, ut quotannis abſolvi queat.* Altera editio, correcta et aucta. Adjectus eſt in fine *jucundus uſus in aliquot dialogis et verſibus ſelectioribus*, una cum *Vocabulario pro pueris tenellis.* Erphordiae 1630. 8.

EIVSDEM *Vocabulariolus pro tenellis puerulis. Priore Parte* exhibet *duobus capitulis ultra quingentas notiſſimarum rerum appellationes, rhythmice et naturali ordine propoſitas.* Ex *Secunda Parte* diſcet tiro *diſcrimen Nominis et Verbi.* Atque *ita fit praeparatio ad Nomenclatorem, Epitomen Dictionarii et ipſam denique Grammaticam aliasque lectiones audiendas ac diſcendas. Qui libellus vel a Parentibus, recreationis cauſa, filiis inſtillari poteſt.* Erphordiae 1635. 8.

Scopus

Scopus Auctoris utrobique ſatis probabilis eſt, atque eapropter commendatus in Epiſtola ad eum exarata, ac priori libro praefixa, *a M. Andrea Wilkio, Scholae Gothanae Rectore,* qui ſimul de publicarum Scholarum pretio, variis earum corruptelis et non nullis remediis, itemque de ſummis in ſimplicem et candidam Latine ſcribendi rationem Agricolae, Eraſmi, Melanchthonis, Sturmii, Camerarii, et aliorum meritis erudite ac ſapienter diſſerit.

Georgii Caſp. KIRCHMAIERI *Latinitas legalis praeter meritum ſuſpecta ex Pandectis Juris eruta et vindicata.* Wittebergae 1687, 1698. 4.

EIVSDEM *Amoenitates latinitatis in dictionibus et formulis ex Pandectis, Juris voluminibus.* Wittebergae 1688, 1698. 4.

EIVSDEM *Latinitas vel praeter meritum vel merito ſuſpecta e Pandect. Juris eruta et recognita.* Wittenb. 1690. 4.

EIVSDEM *Amoenitates et Vindiciae ad Inſtitutionum Juſtinianearum titulos non nullos.* Wittenb. 1698. 4.

EIVSDEM *Poſitionum Philologicarum hexas.* Wittebergae 1687. 4.

EIVSDEM *Artificium tranſitionum.* Witteb. 1671. 8.

Auctor, Eloquentiae Profeſſor Witebergenſis, partim editas aliorum obſervationes ex Pandectis contra Scioppium, Vallam et alios corroborat, partim ea colligit, quae grata poſſint eſſe genuinae latinitatis cultoribus.

Chriſtophori KIRCHNERI *Proſodia Latina completa.* Baſil. 1643. 4.

EIVSDEM *Proſodia Graeca.* Baſil. 1644. 4.

Auctor *Coelemannum* in Graecis, et *Smetium* in Latinis, multis paraſangis poſt ſe relinquit.

Ad. Fr. KIRSCHII *Cornu copiae.* Norib. 1714, 1731. 8 maj. Ratisbonae 1739. 8 maj.

Locutionum exemplis ſingula vocabula eorumque diverſi ſignificatus illuſtrantur: exhibentur ſimul in eo *nomina propria: termini,* ut vocant, *technici; vocabula medii aevi Latino-barbara; Calendarium Romanum; Commentatio de arte Poetica;* et *Arbor conſanguinitatis.*

Herb. Chriſt. KNEBELS *Erleichterte Lateiniſche Grammatica, nach ihren vier Hauptheilen fragweiſe vorgetragen.* Stutgard 1747. 8.

Johan-

Johannis KNOLLII *Lexicon Cornelii Nepotis tripartitum, quo ſecundum Excellentium Imperatorum vitas 1. Vocabula ſimplicia; 2. Phraſes atque formulae; 3. Vocum difficiliorum enucleationes continentur, in eum finem ita digeſtum, ut inde usque a primis ſtudiorum initiis ad auctorem hunc mature cognoſcendum imitandumque pueris expeditior pateat aditus.* Rudolſtadii 1699, 1707. Lipſ. 1713. Editio noviſſima pluribus locis tertium aucta et emendata Lipſ. 1728. 8.

Opuſculum Latinae linguae tironibus valde utile, quum praeſertim viva praeceptoris vox accedat.

M. Joh. Chriſtiani KOCHII *De Satyra e re litteraria eliminanda* Obſervatio, inſerta Tomo I. Miſc. Lipſ. p. 582.

Satyras atque adeo omnem ſtylum ſatyricum rejicit, ut ſalutari emendationi, quam pro ſcopo habeant, parum accommodatas. *Kochio* noſtro ὁμόψηφος eſt *Joh. Georgius Kuntſchkius*, Athen. Guben. ConRector Quaeſtione: *Quid de Satyris ſentiendum?* inſerta eidem Tomo p. 615.

Chriſt. Frid. KOECHERI *Phraſes ex Cornelio, Curtio* et *Caeſare.* Ulmae 1724. 8.

Georgii Matthiae KOENIGII *Gazophylacium latinitatis.* Norimbergae 1668, 1719. 4.

Auctor fuit Profeſſor Altdorfinus. Liber modicus eſt, nec tam diffuſus, ut alia hujus generis Lexica: et multa tamen in eo habentur, quae fruſtra in operoſiſſimis aliis Lexicis quaeruntur, ipſoque adeo Foro Romano. Ipſi *Olao Borrichio* hoc *Lexicon Koenigii* admodum utilem praeſtitit operam in Cogitationum ipſius ea parte, qua barbara vocabula quam plurima contra Voſſium veteri reſtituit Latio. Uſus vero *Koenigius* eſt in concinnando hoc Lexico opera *Chriſtiani Daumii*, qui magnam hac ipſa in re poſuit operam, ac ſollicite diſquiſivit latinitatem genuinam. Comparent in illo voces, ab aliis, ut barbarae, notatae et rejectae, quarum ille auctoritatem diligentiſſime appoſuit. *Morh.* Polyh. T. I. p. 825.

Franc. Theod. KOHLII *Commentationes Criticae in loca ſcriptorum claſſicorum.* Hamb. et Kil. 1727. 8.

Auctor erat Scholae Kilonienſis Rector, vir de re litteraria et de ſcholaſtica pube praeclare meritus. Commentationes ſaltem hae haud proletariam viri hujus et induſtriam et doctrinam arguunt. *D. Heumannus* in has Kohlianas Commentationes non nulla protulit, quibus vel emendari vel illuſtrari quodammodo poſſint, in *Epiſtola ad Sigiſm. Jac. Apinum*, quae Tomo III. Poeciles ipſius p. 544. ſeqq. occurrit.

Gott-

Gottlieb KORTE *De uſu Orthographiae Latinae*, Diſſertationes tres. Lipſ. in ſoma 4ta.

Sebaſtiani KORTHOLTI *De latinitate pura*, *Diſſertatio*. Kilon. 1731, 1733. 4.

Auctor hodie Academiae Kilonienſis Senior eſt et Eloquentiae ac Philoſophiae Profeſſor, filius *Chriſtiani Kortholti*, magni illius Theologi, et pater alterius illius *Chriſtiani Kortholti*, avitae laudis aemuli in Academia Goettingenſi.

Summa hujus Diſſertationis eo redit, ut Auctor inquirat, an Latinis verbis et dictionibus, a ſcriptore aetatis optimae et ſemel tantum uſurpatis promiſcue uti liceat. Quum enim Latinitas nihil aliud ſit, quam obſervatio incorrupte loquendi ſecundum Romanam linguam, et Cicero non ipſe ſolum paullo fuerit in delectu verborum religioſior, verum etiam Imp. Tiberius; non nullius plane momenti haec videtur diſceptatio. Floruit maxime et exſplenduit vera Latinitas Ciceronis aetate, ad quam cum primis pertinent Cicero, Caeſar et qui proxime ad horum et aetatem et dictionem accedunt. Neque tamen hi ipſi triumviri ab inſolentioribus quibusdam vocibus et locutionibus ſunt prorſus immunes. Quid? quod optimi quique ſcriptores optimae aetatis ad unum omnes minimum ſemel adhibuerunt vocabula, a quibus tutius abſtineas. Huc tamen non eſt referendum adv. *apprime*, quod *Heumannus* idiotiſmis ſive Latinitati plebejae inſeruit, quum id praeter Cornelium uſurpaverit Terentius, Varro, Virgilius, quin ipſe Cicero, ſi *Victorii* lectio tenenda eſt. Paullo melius id factum de verbo *pigrari*, quod praeter Tullium tamen habet Lucretius. Huic junxit *Heumannus* verbum *prolatare*, quod vero legimus in Cicerone, Livio, Salluſtio, et nomen *contemtus*, quod Caeſar, Livius, Lucretius, Cicero, Seneca, Fabius, Ovidius, Silius adhibuerunt. Perperam autem a recentioribus Poetis adverbium *temere* ultima producta collocatur, non ſatis caute Ovidii nixis auctoritate. Vox *verſio* pro *interpretatione* frequentiſſime adhibetur, nec eam *Voſſius*, *Vorſtius*, *Borrichius*, et quotquot de pura Latinitate commentarios divulgarunt, reprehendunt, etſi nemo veterum ea uſus eſt umquam. Ejusdem eſt generis nomen *notae* pro *adnotationibus* poſitum, quod jam notavit *Facciolatus*. Multis autem difficultatibus obſtricta eſt cognitio Latinitatis purae, quum etiam nunc inter deſiderata habeatur Lexicon aliquod omnibus ſuis numeris et partibus perfectum. Quod tamen confici faciliori poſſet negotio, ſi auctores ad unum omnes veteres haberemus indicibus, in quibus vocabula ad unum omnia conſpicerentur, inſtructos. Quos tamen hac in parte habemus, iis ita eſt utendum, ne verba ſemel ab antiquis uſurpata promiſcue adhibeant, nec ſeligant nimis et ſectentur eruditi. Errant enim, quibus rara ſemper ſublimiora videntur. Ita conſpectum Diſſertationis hujus ſiſtunt Acta Academica, praeſentem Academiarum, Societatum litterariarum, Gymnaſiorum et Scholarum ſtatum illuſtrantia, ed. Lipſ. ex offic. Langenhemiana 1733. 4. p. 20. ſeq.

Joa.

Joa. KRIEGII *Curtius deartuatus, praecipuas Supplementi et ejus auctoris formulas ſententiasque illuſtres vernacula noſtra donatas exhibens.* Gedani 1696. 8.

J. KWIATKIEWICZ *Suada Civilis.* Caliſſii 1672. 12.

Elegans opuſculum, ſed rarum.

Caroli LABBEI *Gloſſaria Latino-Graeca* et *Graeco-Latina.* Lut. Pariſ. 1679. fol.

Gloſſae ſeu *Gloſſaria* conſtituunt peculiare quoddam Lexicorum genus: ſunt enim Gloſſaria, in quibus peregrinae aut inſolitae voces notioribus redduntur; vid. *Wowerii Polymath. c. 9.* et *Mauſſaci Diſſertatio Critica p. 362. ſeq.* quamvis apud veteres, ipſumque adeo Fabium, Gloſſae ſeu Gloſſaria non exhibeant notentque expoſitiones vocum obſcuriorum et minus frequentium aut etiam peregrinarum, ſed illas ipſas voces, quae tales erant. Verum invaluit nunc penitus conſuetudo, ut priore ſignificatu Gloſſas et Gloſſaria capiamus. Fuiſſe vero priſcis etiam temporibus inſignem Gloſſarum ejusmodi copiam, vel ſola Pariſienſis Regia et Colbertina Bibliotheca luculenter evincunt: quae nimirum *Carolo du Freſne* XXII Gloſſaria variorum generum ſuppeditarunt: partim Grammatica ad Ariſtophanem, Lucianum, Herodotum, Homerum, cet.; partim Exotica, Chemica, Iatrica, Botanica, Juridica; partim Eccleſiaſtica in Athanaſium, Gregorium Nazianzenum, et Biblica; ut adeo nullum ſtudiorum ac doctrinae genus ſine Gloſſis facile explicari aut intelligi ſatis poſſit. Videatur *Index Auctorum Cangii p. 35. ſeq.*

Quanto autem in pretio Gloſſae iſtae ſint, vel ex eo abunde videre eſt, quod ſtatim, ut innoteſcere eruditis ſuperiori ſaeculo coepere, omnium applauſu et elogiis exceptae ſunt. Primus, qui e Monaſterio S. Germani a Pratis Gloſſas Graecas atque Latinas eruit, fuit *Petrus Daniel*, JCtus Aurelianenſis, cui et Servium, Virgilii ſcholiaſten, debemus. Hic primum eas *Adr. Turnebo* et *Cujacio* miſit, apud quem Scaliger illas quoque vidit. Exinde in manus *Henrici Stephani*, quamquam non ex eodem codice, ſimiles Gloſſae pervenerunt: qui quum inſigne illarum pretium perpenderet, et quantum illae vocum antiquarum egregie explicent, non ultra celandum ratus, quod tanto uſui poſſet eſſe, anno 1573 *Gloſſaria duo, unum Latino-Graecum,* et *Graeco-Latinum alterum,* quaſi in ſupplementum ſui Theſauri, anno praecedente editi, cum adnotationibus et excerptis ex ineditis Gloſſariis aliis, evulgavit: quarum quidem Gloſſarum auctorem eruditi tunc temporis Philoxenum eſſe arbitrati ſunt; quae tamen horum opinio non dum ſatis ad liquidum perducta eſt. Poſt *Stephanum eadem Gloſſaria*, ſub Philoxeni nomine, Lugd. Bat. edidit *Bonavent. Vulcanius,* emendationibus munita a. 1600. fol. *adjunctis una Iſidori Hiſpalenſis Gloſſis Latinis,* itemque *Grammaticis non nullis, qui de proprietate utriusque linguae ſcripſerunt*, adjuncta etiam *Collectione vocum Graecarum, in quibus diverſam accentus ſignificationem immutat, et quibusdam aliis.* Longe felicius vero et majore niſu adgreſſus Gloſſariorum editionem *Labbeus* noſter, a *Petro fratre* adjutus, illa inter ſe contulit, et

poſt

poſt emiſſas in lucem primo *Gloſſas Baſilicorum* ſeu *Juris Graeci*, quas e variis Regiis Codd. MSS. collegerat, et notis illuſtraverat, *Pariſ.* 1607. *editas*, univerſa *Cyrilli*, *Philoxeni*, *aliorumque Gloſſaria in partes duas*, *Graeco-Latinam* et *Latino-Graecam*, digeſſit, cum MSS. contulit, caſtigationes adjecit, omnemque adhibuit laborem, quo emendata ſatis et nitida illa in orbem denuo exirent, quamvis poſt *Labbéi* demum mortem, obſtetricante alio quodam viro docto, Pariſ. 1679. fol. in lucem prodierint. *Aliud Gloſſarium Graecum* a vetuſto codice *Janus Rutgerſius* Lugd. Bat. 1618. 4. *una cum libris VI. Variarum Lectionum ſuarum* edidit. Rurſus *aliud MS. Caſpar Barthius* poſſedit: *alludque* allegat variis in locis *Salmaſius*. Neque omnino dubium eſt, *varia adhuc, quae neſcimus*, *Gloſſaria* heic atque illic in Bibliothecis magnorum virorum ac publicis latitare. *Morh. Polyh. T. I. p. 804. ſeq.* Ex his autem et aliis hujus generis Gloſſis qualecumque poteſt ferri judicium de multis vocabulis Latinis, quae in controverſiam veniunt, vel quorum notio interdum dubia ſit atque anceps. Ex iisdem ſubinde auxilium arceſſendum etiam iis eſt, qui ſcriptores βαρβαρίζοντας explicare et interpretari ſtudent.

Philippi LABBEI *Bibliotheca Bibliothecarum.* Accedit *Bibliotheca Nummaria in duas partes diſtributa. I. De antiquis Numiſmatibus. II. De Monetis, Ponderibus et Menſuris*; cum *Mantiſſa Antiquariae ſupellectilis ex Annulis, Sigillis, Gemmis, Lapidibus*, etc. Additus eſt *Seldeni liber de Nummis.* Primum Pariſiis 1664; dein Rothomagi 1672. it. 1678. 8; tum Lipſ. 1682. 12. prodiit; tandem *Antonii Teiſſerii Catalogo auctorum, qui librorum catalogos, indices, bibliothecas etc. conſignarunt*, Genevae 1686. 4. ſubjuncta eſt.

Pars Bibliothecae hujus nummariae *altera de antiquis numiſmatibus, Ebraeis, Graecis, Romanis; altera de monetis, ponderibus et menſuris* agit. Inter auctores autem, quos Labbéus adfert, minima pars eorum eſt, qui de nummis ad antiquitatis illuſtrationem egerunt. Meliora haurire licet ex *Carolo Patino*, quippe qui in *Introduct. ad hiſtoriam numiſmatum, cap. 24*, ordine Chronologico auctores, qui in hocce argumento ingenii vires periclitati ſint, recenſet. Cum primis commendanda *Burcardi Gotthelf Struvii Bibliotheca numiſmatum antiquiorum*, *Jenae 1693. edita*, in qua non tantum auctores, qui de numiſmatibus ſcripſerunt, enumerat, ſed velut introductionem quamdam ad notitiam rei nummariae ſuppeditat. Sed omnium diligentiam ſuperavit *Anſelmus Bandurius*, cujus *Bibliothecam nummariam, ſive auctorum, qui de re nummaria ſcripſerunt*, Operi ejus *de nummis Caeſarum* adjunctam, recudi curavit *Joh. Alb. Fabricius*, qui et notis quibusdam eam illuſtravit, et doctorum quorumdam virorum de eodem argumento Diſſertationes adjecit, Hamburgi 1719. 4: qua quidem cura edendi hujus libri ſua Fabricius effecit,

cit, ut vix quicquam amplius circa notitiam ejusmodi ſcriptorum deſiderari queat.

Scripſit etiam hic Jeſuita doctiſſimus *Catholicos Indices*, qui ab *Olao Borrichio* in *Diatribe de quantitate penultimae Denominativorum in inus et Verbalium in icis*, *Analectis* ejusdem ſubjuncta, et quidem p. 25. pro opere quodam Proſodico valde excellenti habentur, quum in accuratione quantitatum ſollicite deſignatarum juxta Glonerum et Cavallum huic Labbéo noſtro primas deferat.

Curii LANCILOTTI *De Arte Grammatica libri VIII.* ſeu *de Rebus non vulgaribus.* Argentorati 1518. 4.

Auctor Paſio in Ducatu Ferrarienſi oriundus, Regii Lepidi humaniores litteras docuiſſe videtur, et praecipuis bonarum artium reformatoribus accenſendus eſt. Ipſum Vallam heic atque illic modeſte reprehendit et rectiora edocet. Atque omnino prorſus egregia ſunt, et exquiſitae eruditionis plena, quae in hoc libro proponuntur, optimis hoc quidem in genere libris adnumerando: nec etiam titulus mentitur; haud enim vulgaribus Auctor immoratur.

Conſt. LANDI *Selectiorum numiſmatum, praecipue Romanorum, Expoſitiones.* Lugd. Bat. 1695. 4 maj. cum tabb. aen.

Joachimi LANGII *Emendatior et faciliori methodo accommodata Latina Grammatica, tum Paradigmatico et Dialogico Tirocinio.* Recuſa ſaepiſſime Halae Saxonum, in Orphanotropheo. 8.

Compendio huic Langiano non minus ab inſita ipſius praeſtantia, quam ab exſcriptionis typographicae crebra repetitione, ſingulare aliquod accedit pretium, utpote quod hac tempeſtate noſtra omnibus aliis hujusmodi libellis palmam praeripuit. Quantum diligentiae in eo concinnando poſitum, quo judicii acumine cuncta ante ponderata, quantopere etiam perſpicuitatis, brevitatis ac perfectionis illius, in qua nihil temere deſideretur, habita ratio ſit, tum ex Praefationis hujus, lectu omnino digniſſimae, §. 35. et ſeqq. tum ex ipſa libri inſpectione abunde intelligitur. Vniverſa Syntaxis ſeptem modo continetur regulis: qui ſane numerus rei naturae conveniĕntiſſimus eſt, atque adeo Mathematica gaudet perfectione ea, nihil ut omnino deſit, nihilque etiam redundet. Cum principiis quidem Sanctio-Scioppianis ac Voſſianis multa habet communia; ſed ita tamen, ut cum his non numquam certis de cauſis aliquod faciat divortium, iisque plane nuntium remittat. *Bendeleri Syntaxis*, et *Hofmanni Bythnerique Compendia Grammatica* quam proxime ad praeſtantiſſimi hujus libelli ἀκρίβειαν accedunt. Grammaticae huic Langianae cum fructu jungi in ipſa informatione poteſt *Joh. Frid. Lichts Syntaxis Epiſtolica Grammaticae Langianae, oder Briefe nach Art der Syntactiſchen Schulübungen über Langens Lateiniſche Grammatick.* Altona 1745, 1747. 8. it. *Ein Lateiniſch-deutſches Wörter-Buch über Langii Colloquia.* Lipſ. editio 8va 1745. 8.

EIVSDEM

EIVSDEM *Hodegus Latini ſermonis tripartitus.* Berolini 1712, 1715, 1724, 1725. 8.

Parte Prima continentur *Inſtitutiones Stili Latini, quibus non ſolum de natura, adjumentis, diverſitate, variisque ſtili generibus ac regulis preſſe agitur, ſed etiam interpungendi modus oſtenditur, nec non notabiliores barbariſmi ac ſoloeciſmi, ſubjuncto judicio de Latinae linguae aetatibus et auctoribus, ſtrictim exhibentur.*

Parte Secunda continetur *Anthologia, ſ. Latinae linguae floſculi, e claſſicis auctoribus atque optimis Phraſiographis, ſecundum ſeriem ſelectiorum quorumdam verborum collecti, et ita diſpoſiti, ut ſeptem circiter plagulis ſeptem ſelectarum locutionum millia exhibeantur.* Separatim prodierat Berolini 1702. 8. *Lucas Geiger* Halae 1726. 8. Germanicam translationem addidit.

Parte Tertia continentur *Locutionum et ſententiarum Latinarum flores inſigniores, e Latinorum Poëtarum principibus, Virgilio, Horatio et Ovidio collecti,* cum Praefatione Auctoris, *qua docet, qua ratione Paganorum ſcripta in Chriſtianorum ſcholis legi poſſint ac debeant.* Separatim prodierat Berolini 1702. 8.

Jo. Chriſt. LANGII *Tirocinium Eloquentiae.* Heilbronn 1721. 8.

M. Car. Henr. LANGII *Inſtitutiones Stili Romani ſecundum diſciplinam veterum praeceptis et exemplis adornatae.* Lubecae 1735. 8.

Magna accuratione Auctor doctiſſimus hoc argumentum pertractat, nihil temere intactum relinquens, quod ad commendationem elegantis opuſculi pertineat. In *Prolegomenis* agit de natura ſtili, deque auctoribus, qui de ſtilo praeceperunt. *Parte I.* de virtutibus ſtili Latini: *Cap. 1.* de puritate; *Cap. 2.* de perſpicuitate; *Cap. 3.* de ſuavitate; *Cap. 4.* de ornatu linguae Latinae, primo quidem Grammatico, deinde Rhetorico. *Parte II.* de variis ſtili Romani generibus: *Cap. 1.* de ſtilo tenui; *Cap. 2.* de ſtilo mediocri; *Cap. 3.* de ſtilo ſublimi; *Cap. 4.* de ſtilo Aſiatico, Rhodio, Attico, Laconico; *Cap. 5.* de ſtilo Philoſophico, Hiſtorico et Oratorio. *Parte III.* de adminiculis ſtili Romani: *Cap. 1.* de Latinis Grammaticis illarumque uſu; *Cap. 2.* de Lexicis Latinis illorumque uſu legitimo; *Cap. 3.* de auctoribus Latinis legendis; *Cap. 4.* de modo et ordine legendi auctores claſſicos; *Cap. 5.* de genuina auctores Latinos imitandi ratione. *Parte IV.* de exercitiis ſtili Romani: *Cap. 1.* de exercitiis generalioribus; *Cap. 2.* de Chriis conſcribendis; *Cap. 3.* de epiſtolis exarandis; *Cap. 4.* de Orationibus elaborandis.

Petri LANGNERII *Ciceronis inſigniores ſententiae collectae.* Colon. 1652. 8.

Laurentii Ottonis LASII *Quinquefolium linguarum oder fünffacher Verſuch, darinnen, wie die fünf Sprachen, Hebraeiſch, Griechiſch, Lateiniſch, Franzöſiſch und Italiäniſch, auf eine kurze und leichte Art richtig und gründlich ohne die bishero gewöhnlichen Donaten und Grammatiquen von jungen Leuten beiderley Geſchlechts gefaſſet werden können, eine durch eigene Erfahrung bewehrt gefundene Anweiſung.* Budiſſin 1717. 8.

Latini LATINII *Bibliotheca ſacra et profana*, ſive *Obſervationes, correctiones, conjecturae et variae lectiones in ſacros et profanos ſcriptores*, e marginalibus notis codicum ejusdem a Dominico Macro collectae. Romae 1677. fol.

Auctor, vir doctiſſimus, origine Italus, et quidem Viterbienſis, magni apud Pontificios nominis eſt, cujus elogium videas apud Lipſium Cent. 2. Miſcell. Epiſtolarum 39 et 57. Liber hic ejus poſthumus eſt, publicatus Romae e ſchedis ejus, multis tamen eximiis obſervationibus, tamquam pretioſiſſimis gemmis, nitens. Idem Auctor ſcripſit quoque Epiſtolas, Romae 1639. 4. editas, in quibus itidem multa de auctoribus judicia, et locorum quorumdam emendationes, obſervationes et conjecturae occurrunt.

Jani Guilielmi F. LAVRENBERGII *Antiquarius, in quo praeter antiqua et obſoleta verba ac voces minus uſitatas, dicendi formulae inſolentes, plurimi ritus populi Romani ac Graecis peculiares exponuntur et enodantur. Opus ex plurimis Latinae linguae auctoribus multo labore concinnatum, et juxta Alphabeticam ſeriem digeſtum, quod cuivis prolixi commentarii loco eſſe poteſt. Adjecta eſt in fine vetuſtiorum vocum ex Gloſſariis aliquot collecta farrago.* Lugduni Seguſianorum 1622. 4.

Collegit voces antiquas et obſoletas, easque expoſuit. Multa autem deſunt, et alia praeter meritum ad inuſitata et exoleta Auctor refert, quum apud optimos auctores non raro, ſed ſaepius occurrant. Adjecit etiam in fine veteres Gloſſas quasdam Graeco-Latinas, quas ediderat *Henricus Stephanus;* et ex iis tantum excerpſit, quantum ad illuſtrationem hujus ſui Antiquarii facere exiſtimabat. Continentur enim in Gloſſariis illis voces, quarum nec vola, nec veſtigium, in ipſis auctoribus eſt: unde apparet, fuiſſe in ipſa etiam aurea aetate plebejas voces in publico uſu, ſed non ita foro et civitate donatas, ut in orationis civilis uſum adhibitae ſint. Inveniuntur in iis interdum voces, e quibus reſtitui ſuſpecta auctorum loca poſſunt, quum occurrant ibi vocabula, quae homo imperitus facile, ut peregrina et barbara, expungeret, quae tamen genuina et Latina ſunt, quamquam rarioris uſus. Fuere autem non nulli inter eruditos, qui dedita

dita opera et priſcis illis vocibus orationem contexuerunt, ingenii oſtentandi gratia, ut exagitarent homines in rancida antiquitate delicias quaerentes ſuas: inter quos doctiſſimus *Mariangelus Accurſius* in Dialogo, quem *Oſcos et Volſcos* inſcribit; *Jul. Caeſar Scaliger* in *Poëmatibus, libro Teretiſmatum* p. 102. ubi paedagogum aliquem inducit antiquo iſto ſermone loquentem; et *Jacobus Balde* in *Dramate quodam Oſco*. Referendum quoque huc carmen *Philoxeni Gonaei*, ſeu, qui ſe illo nomine texit, *Caſp. Barthii*, obſoleto ſermone conſcriptum, quod *Statuae* ſuae *Mercuriali Henricus Julius Scheurlius* adjecit. *Morh. Polyh.* T. I. p. 818 ſeq.

Neque vero is tantum obſoletorum uſus eſt, ut ex eorum ſufficienti notitia ſuſpecta auctorum veterum loca reſtitui interdum ac ſanari poſſint, ſed etiam ut inde perdiſcamus ſaepe ac penitus cognoſcamus vocabulorum proprietatem, quae ab iis originem ducunt.

Cui in obſoletorum cognitione verſari neceſſum eſt, huic Laurenbergio noſtro Lubinum adjungat, addito, ſi vacat, Feſto Pompejo, non evirato illo Pauli Diaconi, ſed Scaligeriano; et felicius inter priſcorum minusque uſitatorum verborum horrores verſabitur.

Joſephi LAVRENTII, Lucenſis, *Amalthea Onomaſtica*. Lucae 1640. 4. Lugd. 1664. fol.

In Theſauro Philoxeni a Vulcanio edito, Archaeologo Speelmanni, Amalthea Joſephi Laurentii, Lexico Simonis Portii, Dictionario Aelii Antonii Nebriſſenſis, Caſtello Joh. Conr. Merkii, multa quidem occurrunt non contemnenda, quibus ut ſcriptorum βαρβαριζόντων explanatores convenienter, et cum fructu uti poſſunt, certe carere ſine inſigni jactura poteſt caſtior illa Latina lingua, idque tolerabilius, quam Nonio Marcello, judicii, non diffiteor, imbecillimi ſcriptore, a Bentino etiam jam olim caſtigato, ob cuſtodita tamen fragmenta veterum, quae alibi fruſtra quaeſiveris, jure venerando. Sic nimirum judicat *Olaus Borrichius Append. de Lex. Lat. et Gr.* p. 47: in eo tamen nimius, quod Nonium pro homine habeat imbecillimi judicii. Vid. paullo infra, quae ad *Nonium Marcellum* dicemus. Occurrunt autem in hac Laurentii Amalthea voces univerſae abſtruſiores, ſacrae, profanae, antiquae, antiquatae, uſurpatae, uſurpandae, cum Italica interpretatione.

Chriſtoph. Henr. LAVTERBACHII *De latinitate voc. Famigeratus*. Halberſtadii 1677. 4.

Quae *Voſſius* et alii non nulli magni nominis Grammatici de hoc vocabulo inculcant, ea Auctor in hoc Programmate ſuo in unam brevem ſummam cogit.

EIVSDEM *Hiſtoria linguae Latinae et auctorum claſſicorum*, X Programmatibus. Luneburgi 1680. ſeqq.

Pauli LEOPARDI, Iſembergenſis Furnii, *Emendationum et Miſcellaneorum Libri XX: in quibus plurima tam in Graecis,*

quam Latinis auctoribus a nemine hactenus animadverſa aut intellecta, explicantur et emendantur. Tomis duobus. Antverpiae ex officina Chriſtoph. Plantini, 1568. 4.

Liber hoc ipſo in genere praeſtantiſſimis adnumerandus eſt. Eadem ſubinde loca interpretatur et emendat, in quibus illuſtrandis operam collocaverunt ſuam *Victorius*, *Brodaeus*, *Junius*, *Hartungus*, *Sigonius*, *Robortellus* et *Nannius*. Inſertus etiam eſt *Faci, Gruterianae.*

LEXICON *Latinum, maxime Poëticum.* Francof. 1707. 8.

LEXICON *trilingue, ex* Rob. Stephani Theſauro, *et* Dictionario Joh. Friſii *collectum, cum Praefatione* Joh. Sturmii. Argentor. 1586, 1587, 1590, 1609, 1611, 1612. fol. Conf. infra *Sturmius.*

Non inutile illud quidem, iisdem tamen, quibus Roberti Theſaurus, naevis obnoxium, eoque majoribus, quo aridiora heic omnia, et auctorum nomina, ſuppreſſo tractatu, libro, capite, negligentius adjecta.

Chriſtiani Sigismundi LIEBII *Gotha nummaria, ſiſtens Theſauri Fridericiani Numiſmata antiqua, aurea, argentea, aerea, cum figg. aen.* Accedit *Andr. Morelli* et *Ez. Spanhemii* Specimen. Amſtel. 1730. fol.

Liber eſt ſplendidiſſimae formae, in quo non ſolum Nummophylacium Fridericianum accurate deſcribitur, verum etiam delecti inde nummi plurimi, luce indigere viſi, erudite illuſtrantur.

Guil. LILII *De octo Orationis partium conſtructione libellus.* Pariſ. 1523. 8.

Auctor, primus Rector Scholae Paulinae in metropoli Angliae, Londini, ſuo quodam merito in primis Latinae et Graecae linguae reformatoribus eſt.

Thomas LINACER *De emendata ſtructura Latini ſermonis libri VI. recogniti a* Joachimo Camerario. *Acceſſit* Ejusdem Camerarii *Libellus de Arte Grammatica et figuris dictionum.* Pariſ. 1532, 1551, 1559. Witteb. 1532. Magdeburgi 1543. Lipſiae *cum Praefatione Joachimi Camerarii* 1548, 1551. *Cum Praefatione Philippi Melanchthonis* 1545, 1556, 1564, 1569, 1577, 1580. 8.

Hi ſex libri Linacri merae ſunt obſervationes ſyntacticae.

Melanchthoni Linacer poſt Priſcianum unus in arte Grammatica non ſolum diligens, ſed etiam judicii ſollertia et dexteritate excelluiſſe videtur.

Criſ.

Criſ. Melanchth. p. 519. *Ludovicus Vives de Diſcipl. p.* 521. judicat, multa Latinae linguae myſteria in his Linacri libris eſſe oſtenſa. Etiam *Eraſmus in Epiſtolis* in laudando Linacro multus ſubinde eſt: vocat eum virum exacti et ſeveri judicii, qui non quidlibet temere probet; ac, *de Operibus ejus apud Badium imprimendis* loquens, nil ab eo non omnibus numeris abſolutiſſimum exſpectare ſe profitetur. *Michael Neander* in *Praef. ad Erotem. Graecae L. p.* 122. hos Linacri libros vocat copioſos, doctos, et omnium in hoc genere praeſtantiſſimos. *Praſchius* in *Roſeto p. m.* 10. antequam in exemplum aſſumatur bonae latinitatis auctor, vult ante animum diſcentis imbui hoc Thomae Linacri libro, cum Melanchthonis Praefatione, et lectione Rhetoricorum ad Herennium, quae Cornificii putantur. Nam ut lana non imbibat colores, niſi prius imbuta ſucco iſatidis; ſic ingenia, hujus artis amantia, niſi ſic praeparata, vix concipere poterunt.

EIVSDEM *Rudimenta Grammatices Latinae, ex Anglico ſermone in Latinum verſa per* Georgium Buchananum.

Ipſe etiam *Melanchthon* hanc Linacri Grammaticen praetulit ſuae: immo ſuam juſſit deponi, et praelegi Linacrum in ſcholis, referente *Friſchlino Praef.* ad *Strigilim ſuam recognitam.* Praeſertim Linacer Syntaxin tum analogam, tum anomalam et figuratam ita expoſuit, ut omnium aliorum Grammaticorum in eo vincat et induſtriam et ἀκρίβειαν, quin et ipſi magno Voſſio ubique facem praetuliſſe videatur. Hoc etiam ad Linacri laudes pertinet, quod Rex Henricus VII. eum filii Arturi ſtudiis praefecit.

Jo. LINDNERI *Lexicon trilingue, Latinum, Graecum, et Germanicum.* Noviſſime prodiit Lipſiae 1733. 8 maj.

Nimirum tripartitum eſt, et tribus ſingularibus Lexicis conſtat. Atque hinc inſcribitur etiam *Lindnerus trilinguis.* Singulas voces ſecundum ordinem Alphabeti collocat, nec primitivas tantum, ſed etiam derivatas, ne tirones, quibus ſolis accommodatum eſt, quum radices non dum inveſtigare norint, hinc inde vagari, et tempus inutiliter evolvendo terere neceſſum habeant. Vocabula Latina veterum auctorum locutionibus plerumque illuſtrat.

Juſti LIPSII *Opera omnia, nunc primum aliorum Ejusdem auctoris Tractatuum hactenus deſideratorum adjectione locupletata et copioſo rerum Indice illuſtrata.* Tomis IV. Veſaliae 1675. 8. Prodierant antehac Antwerp. 1585, 1600, 1611, 1614, 1636, 1637. Lugd. Bat. 1569, 1596. 8.

Tomo I. continetur *Fama Lipſii poſthuma*, ſeparatim quae prodiit Antw. 1619. 4. in qua ipſius vita ac varia Poëtarum et Oratorum de eo elogia leguntur. Eſt praeterea *hic Tomus Criticus*, complectiturque Opera omnia, quae ad Criticam proprie ſpectant: quorum quidem hic ordo eſt:

Variarum Lectionum libri III. Prodierunt ſeparatim Antwerp. ex officina Plantiniana 1569.

Antiquarum Lectionum libri V: in quibus varia ſcriptorum loca, Plauti praecipue, illuſtrantur aut emendantur. Prodierunt ſeparatim Antwerp. ex offic. Plantiniana 1575.

Epiſtolicarum Quaeſtionum libri V: in quibus ad varios ſcriptores, pleraque ad T Livium, Notae.

Electorum libri II: in quibus, praeter Cenſuras, varii priſci ritus. Prodierunt ſeparatim Antwerp. ex offic. Plantiniana 1680. 8.

Ad Valerium Maximum breves Notae.

Animadverſiones in Tragoedias, quae L. Annaeo Senecae tribuuntur.

Iudicium de Conſolatione Ciceronis.

Satyra Menippaea, Somnium, luſus in noſtri aevi Criticos.

Tomi hujus Appendice continetur

De recta pronuntiatione Lat. linguae Dialogus. Quam gratus reip. litterariae hic liber fuerit, judicatu proclive ſatis eſt ex eo, quod ſubinde ſeparatim etiam exierit: exiit autem ſeparatim Lugd. Bat. 1586, 1591. Antwerp. 1599, 1609, 1686. ex officina Plantiniana 4 maj. Nec ſane protrita ac vulgaria, ſed interiora fere, et quae vix exſpectaſſes, in orcheſtram heic producuntur. Occaſionem Lipſio dedit hujus Dialogi concinnandi pronuntiandi Latina verba modus, qui hodie frequentatur, longe diverſus ab eo, qui olim in uſu fuerit. Neque enim nitor tantum et elegantia Latinae linguae barbarorum converſatione mutabatur, ſed etiam plane aliae ac novae linguae inde exſurgebant, et ipſa pronuntiatio ac ſonus litterarum barbarorum ori fuit accommodatus, ut nunc plane ignoremus, quae priſca et genuina Latinorum fuerit pronuntiatio. Vt enim barbari illi et regiones, quas inſederunt, inter ſe differebant: ſic quoque inter poſteros illorum diverſitas eſt in pronuntianda latinitate. Solae litterae C et G ſunt teſtes luculentae, quae aliter a Gallis, aliter ab Italis enuntiantur: quae diverſitas non alii cauſae videtur imputanda, quam quod illi ex Francorum ore, hi ex Gothorum Longobardorumque aliquid hauſerint. Plura de his traduntur in hoc, qui appendicis loco Tomo I. Lipſianorum operum adhaeret, Dialogo, qui hoc nomine conſulatur. Id modo adjungimus, neminem hodie ſupereſſe, qui veterem Latinorum pronuntiationem revocare poſſit: id, quod in aliis etiam linguis, quae deſierunt eſſe vulgares, praeſertim in Graeca, eſt obſervandum. Satis firmum ejus, quod dixi, eſt argumentum littera Graeca K, Latine per C expreſſa, quae inepte et praeter uſum veterum Latinorum ante certas quasdam vocales ſibilatur, ante alias dure ac Graecorum more pronuntiatur v. g. Κικέρων Cicero, Καῖσαρ Caeſar, Κόρινθος Corinthus, Κάτων Cato.

Tomus II. Epiſtolas continet; *quarum decem* ſunt *Centuriae:*
Miſcellaneae quinque; e quibus quarta et quinta poſthumae.
Centuria ſingularis ad Italos et Hiſpanos.
Centuria ſingularis ad Germanos et Gallos.
Centuriae tres ad Belgas.

Tomi

Tomi hujus Appendicula contiuetur

Epiſtolica Inſtitutio, excepta e dictantis ore, atque Lipſio approbante edita, quae ſeparatim prodiit Coloniae 1596, Antwerp. 1601, Helmſtadt 1613. it. 1619. 8. Witeb. 1671, 12.

Totus autem *hic Tomus ſeorſim prodiit* ſub tit. *Iuſti Lipſii Epiſtolarum ſelectarum Chilias, Lugd. Bat. 1618. 8.*

Tomus III. ad Prudentiam ducit, utpote *Hiſtoricus*, et Antiquitatem omnem, maxime Romanam, varie illuſtrat. Libri, quibus continetur, ſunt ſequentes:

De Militia Romana libri V: Commentarius ad Polybium. *Analecta* ad calcem apparent. Separatim *hic Commentarius* prodiit Antwerp. 1598, 1602, 1646, fol.

Poliorceticωv ſive *de Machinis, Tormentis, Telis libri V.* Exierunt ſeorſim Baſil. 1599. fol. Antw. ex offic. Plantini 1605. 4.

Admiranda ſive *de Magnitudine Romana libri IV.* Separatim prodierunt Baſil. 1599. fol. Antw. ex offic. Plantiniana 1598, 1599, 1671. 4.

Saturnalium Sermonum libri duo, qui agunt de Gladiatoribus. Separatim prodierunt Lugd. 1590. Antwerp. ap. Plantinum 1585. 4.

De Amphitheatro liber: in quo forma ipſa loci expreſſa et ratio ſpectandi. Seorſim exiit Baſil. 1599. fol. Antw. ap. Plantinum 1584, 1585, 1598. 4.

De Amphitheatris, quae extra Romam, libellus: in quo formae eorum aliquot et typi. Hic libellus proxime antecedenti libro adjunctus fere eſt, quoties nempe hunc ſeparatim excuſum deprehendimus.

De Veſta et Veſtalibus Syntagma. Separatim prodiit Antwerp. ap. Plant. 1603. 4.

De Bibliothecis Syntagma.

De Cruce libri III. Separatim prodierunt Antw. ex offic. Plantiniana 1595, 1597, 1599. 8. it. Brunsvigae 1640. 8.

Diva Virgo Hallenſis, beneficia ejus et miracula fide atque ordine deſcripta.

Diva Sichemienſis ſive Aſpricollis: Nova ejus beneficia et admiranda.

Rejectiuncula Sannionis cujusdam Batavi.

Lovanium ſ. Oppidi et Academiae ejus Deſcriptio.

His accedunt Tractatus peculiares, qui in prioribus editionibus deſiderantur, ut:

1. *De Magiſtratibus veteris populi Romani.* Separatim prodiit cum *Andr. Alciati ejusdem argumenti Commentatione* Helmſt. 1637. 8.
2. *De vetere Latinorum ſcriptura:* Interpoſita haec Commentatio *Apparatui Philologiae Dilherriano Norimb. 1660. 12:* quo de ſupra ad *Dilherrum.*
3. *De pecunia veterum Romanorum.*
4. *De nominibus veterum Romanorum.*
5. *De ritu conviviorum apud Romanos.*
6. *De Cenſura et Cenſu.*
7. *De Anno ejusque ratione et intercalatione.*

Tomus IV. proprie *ad Prudentiam et civilem doctrinam itemque ad ſapientiam pertinet.* Continentur in eo

Politicorum ſ. *Civilis Doctrinae libri VI*, qui ad principatum maxime ſpectant. Separatim prodierunt Lugd. Bat. ap. Plant. 1690. 8.

Ad libros IV. Politicorum Notae, et de una religione adverſus Dialogiſtam liber: in quo tria capita libri quarti Politicorum explicantur. Seorſim prodiit Lugd. Bat. ap. Plantin. 1690. 8.

Monita et Exempla Politica. Libri duo, qui virtutes et vitia ſpectant. Saepe ſeorſim recuſi ſunt.

Leges Regiae et Leges Decemvirales.

Diſſertatiuncula apud Sereniſſimos Albertum et Iſabellam, Belgarum Principes.

Commentarius in C. Plinii Secundi Panegyricum Trajano dictum.

De Conſtantia libri II, qui alloquium praecipue continent in publicis malis. Prodierunt ſeparatim ſemel, iterum atque ſaepius, nominatim Lugd. Bat. 1589. 4. ibid. 1652. 8.

Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam libri III. Et

Phyſiologiae Stoicorum libri III, L. Annaeo Senecae, aliisque ſcriptoribus illuſtrandis.

Atque hic eſt recenſus omnium Lipſii Operum, quae Tomis illis quattuor Veſalienſibus continentur. Nec invenio tamen in iis *Ejus Orationem pro defendendo Cicerone in criminibus ei injectis*, quae tamen ſubjuncta eſt *Jul. Caeſ. Scaligeri Orationi pro Cicerone*, typis exſcriptae Heidelbergae 1633. 8. In hac oratione Lipſius Ciceronem magnificis laudibus evehit: nihilo tamen minus ineptos ejus imitatores reprehendit. Circa ſtilum Ciceronis enim in utramque peccatur partem. Alii prae Ciceronis dictione quamvis aliam adſpernantur loquendi formam; quod fecit apud Italos *Longolius* et alii, *Ciceroniani* inde dicti. Alii non ſatis digne de Cicerone judicant: quo quidem nomine *Franciſcus Vavaſſor libro de Epigrammatibus cap. 14. p. 162 ſeq. Robertum Conſtantinum* reprehendit, utpote qui, in Lexico ſuo Graeco-Latino, Budaei Epiſtolas ad lectionem juventuti commendet, quum Tullii noſtri Epiſtolae commendandae ab eo potius fuiſſent; nec ipſi *Lipſio* noſtro parcit, quod in Epiſtolis Angelum Politianum Ciceroni et Plinio ſocium adjungi alicubi jubeat. Alii Ciceronem omnino deprimunt, et, ut ſapere videantur, coelum ipſum vituperant. Sic admodum nuper exortus eſt inter Gallos quidam, qui ut omnem ſuum ſermonem patrium, ita etiam quamcumque gentis ſuae epiſtolam omnibus Ciceronis epiſtolis anteponere haud erubeſcit.

Omiſſa etiam eſt in hac operum Lipſianorum ſylloge opuſculum illud Lipſii poſthumum, quod Schlaeitzae 1676. 12. prodiit ſub hac inſcriptione: *Iuſti Lipſi, viri longe celeberrimi et eruditiſſimi Oratoria Inſtitutio. Opus e dictantis ore exceptum, ac nunc primum e bibliotheca in publicam lucem emiſſum. Acceſſerunt in gratiam ſtudioſae juventutis artificia, ad congruam diſpoſitionis Rhetoricae compagem, ſcitu in primis neceſſaria.* Hoc in opuſculo p. 78. Lipſius monet, *vitandas eſſe in ſtilo periodos hiulcas et parum cohaerentes et ſtudium brevitatis, quum conciſa*

ciſa minutatim oratio eſt, et cui neceſſaria verba interdum deſint: et p. 79. abſtinendum jubet *ab acutis ſententiolis, apophthegmatis, proverbiis, et integris aut dimidiatis verſibus.* Et recte quidem ac vere ſic monet Lipſius: ſed, quod valde mirum videri debet, ab his ſuis regulis prorſus ipſe abiit, quum ſequiore aetate ſua talem ſcribendi modum ſecutus ſit, in quo tamquam de induſtria hoc praeceptum ſuum invertere videtur. Hoc etiam, ni velint eruditi gravius ferre, omnino de Lipſii ſtilo addiderim, eum non ſatis ad Latinitatis purioris amuſſim eſſe exactum.

Haec autem Lipſii ſcripta, praeſertim Critica, ut ſunt *Antiquae Lectiones*, *Epiſtolicae Quaeſtiones*, *Electa*, *Variae Lectiones*, cet. quae ſeorſim prodierunt Lugd. 1596. 8. varia ac multiplici eruditione ſunt referta, et innumeras propemodum auctorum veterum emendationes exhibent. Ejus *Variae Lectiones*, *Electa*, *Animadverſiones in Senecam*, *Saturnalia* et *Politicorum libri*, reliquis ejus ſcriptis palmam praeripiunt. Interim plagii ille accuſatur a multis; et forte non injuria. Nam *Richardus Montacutius* omni adſeveratione adfirmat, eum omnia ſua per plagium tranſcripſiſſe ex *Onuphrio*, numquam eo compellato. Vellem, dixiſſet *multa*; non, *omnia*. *Petrus Faber* olim, Antagoniſtica ſua ab illo in variis libris ipſius, qui ſimilis argumenti ſunt, compilata, et nova tantum ſtili Lipſiani veſte induta eſſe, clamavit. Et *Joſephus Scaliger* refert, *Lipſium* in libris *de Militia Romana* omnia cepiſſe ex *Franc. Patricio*, qui Italice ea de re ſcripſerit, ſcilicet in Tractatu, quem inſcripſit *La Militia Romana di Polibio, di Tito Livio, e di Dionigi Alicarnaſſeo dechiarata, e con varie figure illuſtrata. Ferrara 1583. 4.* Ingenuum de Lipſio judicium eſt *Jul. Caeſ. Bulengeri*, viri alioquin non adeo acuti, quum Hiſtoriarum lib. XII. p. 389. illum, cum Scaligero et Caſaubono comparatum, utroque minorem facit. *Morh. Polyh.* Tom. I. p. 924.

De latinitate Lipſii vide infra ad *Henr. Stephanum.*

Adami LITTLETONI *Liber Dictionarius linguae Latinae quadripartitus. 1. An Engliſch Latine. 2. a Latine proper. 3. a Latine claſſical. 4. a Latine barbarous.* Londini 1703. 4.

Liber bonae frugis et litterariae juventuti in primis ſubſerviens; at in uſum dumtaxat gentis Anglicanae, atque eorum, qui ejusdem linguae nari ſunt. Quae unicuique litterae praemiſit Littletonus de natura, poteſtate et qualitate elementi, ſunt ex ipſis Philologiae adytis petita, et lectu cum jucunda, tum etiam neceſſaria.

Corn. LOOSAE *Scopae Latinae ad purgandam linguam a barbarie.* Mogunt. 1582. 8.

Liber ſatis bellus pro illo tempore, quo ſcriptus eſt.

Joannis Chriſtophori LOSII *Apparatus ſtili liberioris.* Hildeſiae 1690. 8.

Multa habet praecepta, quae doctori ſcholaſtico uſui eſſe queant. In Parte quarta vellem paullo explicatiora eſſe, quae ibi nimis conciſe pro-

ponuntur. Multa etiam in eadem barbariſmorum nomine perperam notantur.

EIVSDEM *Phraſeologia Curtiana.* Hildeſiae 1711. 12.

Eodem auctore prodiit etiam ejusmodi alia quaedam Sylloge ex Cornelio Nepote excerpta.

Lucae LOSSII *Erotemata Grammaticae Latinae.* Francof. 1564. 8.

EIVSDEM *Adnotationes in Grammaticam D. Philippi Melanchthonis Latinam, tam docentibus, quam diſcentibus profuturae: non ſolum ad explicationem hujus libri Grammatici, ſed etiam aliorum.* Francof. 1565, 1571. Octavum editae ibid. 1581. 8.

Auctor, Luthero amiciſſimus, qui, ut Rector ludi Luneburgenſis, juventutem ultra quinquaginta annos docuit, quum intellexiſſet, ad Grammaticam Melanchthonis plene intelligendam duo adhuc deſiderari, vocabulorum interpretationem, et locorum, quae fere imperfecte citata ſint, ut ſententia Auctoris intelligi ex iis difficulter poſſit, abſolutionem; utrique huic defectui hoc labore ſuo medelam attulit ita, ut ſimul egregium optimarum L. L. obſervationum penu exhibeat.

Eilhardi LVBINI *Obſervationes de elegantia Latini ſermonis.* Bremae 1618. 8

EIVSDEM *Fax Poëtica ſ. Genealogiae et res praecipuae geſtae deorum gentilium, illuſtrium virorum, Regum Graecorum et Caeſarum Romanorum, perpetuis tabulis illuſtratae.* Roſtochii 1517. 8.

Opuſculum, Hiſtoricorum ac Poëtarum lectioni potiſſimum inſerviens.

EIVSDEM *Antiquarius,* ſive *priſcorum et minus uſitatorum vocabulorum brevis ac dilucida interpretatio.* Amſtel. 1594. Francof. 1601. 8. Colon. 1609. 12.

Laurenbergius, quo de paullo ante, in expoſitione hujusmodi exoletorum multo eſt copioſior ac dilucidior, quam hic *Lubinus* noſter, utpote qui indicat potius hujusmodi vocabula, quam explicat. Accidit etiam Lubino, quod accidere ſolet exoletorum ruſpatoribus, ut ſubinde in antiquatis ſcribat, quae ab eleganti veterum uſu ſatis commendantur. Praeterea et Laurenbergio et Lubino multa deſunt, quae obſoletorum nomine veniunt.

Ludovici LVCII *Aerarium* ſive *Theſaurus Latinae linguae.* Francof. 1613. fol.

Quemad-

Quemadmodum *Nizolius* e ſolo Cicerone, ita *hic* ex pluribus auctoribus, immo etiam ex Poëtis hujusmodi florum latinitatis cumulos exſtruxit. Prodiit hoc *Lucii Aerarium* etiam Baſileae et Francofurti 1631, ſubjunctum *Theſauro Nizolii*: quae utriusque Operis conjunctio duobus Tomis in fol. continetur, et *Opus Baſileenſe* vocari vulgo ſolet.

Jacobi Friderici LVDOVICI *De Grammatica mala*. Halae 1720. 4.

Diſſertatio Academica, et quidem Juridica eſt, habita auctore reſpondente *C. Chriſtiano Leyſnero*. Recenſentur autem vitia non nulla contra regulas artis admiſſa eum in finem, ut disquiratur, an haec et ſimilia intuitu juris, quod ipſo verborum contextu continetur, nocere poſſint, nec ne? Paragrapho XXII origo adducitur modi illius loquendi, quo pro Germ. *Vnſer Vater*, dicimus *Vater unſer*, et qui ſic a longo tempore increbuit, ut immutare eum Evangelici in vita communi noluerint, quum faciat nihil ad rem, ne adverſariis criminandi occaſionem darent, quaſi inani emendandi ſtudio tenerentur. Enimvero in omni re gravi ac valde ſeria cavendum eſt, ne περὶ μικρὰ σπουδάζειν videamur. Ipſe paragraphus ſic habet: *Vagedes in Decad. Quaeſt. Philoſoph. Hiſtoricarum* (Operibus ejus Academicis ſubjunctarum) *Quaeſt. 3. p. 255. oſtendi, quaenam ſit origo hujus diſcriminis, quod alii orationem Dominicam a* Vater unſer, *alii ab* Vnſer Vater *exordiantur.* Scilicet rudioribus adhuc ſaeculis apud Germanos oratio Dominica e lingua Latina in Germanicam ita ad amuſſim transferebatur, ut, ubi in Latino vox Adjectiva poſtponitur, idem tenor ſitusque in Germanico retineretur. Ita *Pater noſter* vertebatur, *Vater unſeer: Sanctificetur nomen tuum, wihi Namun dinan: Adveniat regnum tuum, Queme Rihi din: Fiat voluntas tua, ſicut in coelo, ſic et in terra, werde Wille din, ſo in Himile, ſoſa in Erdu,* &c. *Ex hoc etiam factum, ut apud omnes haec oratio nomen Vadrunſer obtinuerit. In Bibliis Wittebergenſibus, aliisque, ad minimum recentioribus, Grammatica bona reperitur: initium enim orationis Dominicae eſt:* Vnſer Vater.

M. Thomae LVNDII Flensburgenſis, *Grammatica metrica nova, continens praecepta Etymologiae et Syntaxeos, non ad orationis analyſin tantum, ſed etiam geneſin accommodata; in qua nobiliſſima quoque doctrina de elegante verborum in Participia et Gerundia commutatione: una cum Proſodia metrica: verſibus perſpicuis, terminis uſitatis, exemplis ſelectioribus, ordine facilioris cognitionis confecta.* Hafniae 1627. 8.

Melanchthonis praecepta ſecutus eſſe Auctor videtur. Compendio huic hoc proprium eſt, ut regulas ad metrum hexametri ubique cogat, et doctrinam, qua juventuti praeitur via ad elegantias Participiorum, perſpicua quadam ratione inculcet.

Sigism.

Sigiſm. LVPVLI, *Rudimenta prima Latinae Grammaticae.* Argent. 1560. 8.

EIVSDEM *Syntaxis.* Argentor. 1557. 8.

Joannis LYDII *Gloſſarium Latino-barbarum vocabulorum obſcuriorum, quae in Clemange atque aliis ſequioris ſaeculi ſcriptoribus inveniuntur et lectori remoram injicere poſſunt.*

Gloſſarium hoc acceſſit *Operibus Nic. de Clemangis*, opera et ſtudio ejusdem Lydii Lugd. Bat. 1613. 4. editis. Hic *Lydius* vocatur quoque *Joannes Martini Lydius*, quia eſt *Martini Lydii* filius.

EIVSDEM Proluſio de *Acuminibus ſpuriis in arte Poëtica vitandis.* Helmſt. 1725. 4.

Vna plagula conſtat ſcriptio. In theſi auctor recte ſentit: at in hypotheſi non nihil hallucinatur. In Virgilio neſcio, quos? naevos deprehendere ſibi videtur: qua tamen in cenſura ſua plus ſemel prodit ignorantiam ſuam Latinae linguae.

Polycarpi LYSERI *Diſſertatio de ficta aevi medii barbarie.* Helmſt. 1719. 4.

Hoc paradoxon *Lyſerus* iterum propugnare ſtuduit initio *Hiſtoriae Poëtarum medii aevi*, ſequenti anno editae.

Oppoſuit ei *Johannes Fridericus Bertramus* Diſſertationem *de vera aevi medii barbarie*, in *Meletematibus litterariis* p. 179. ſeqq. Aevo medio h. e. a ſaec. VI usque ad ſaeculum XIV. noctem et caliginem et ſpiſſam barbariem operuiſſe remp. litterariam, Lyſerus ex eo praecipue negat, quod in omni ſcientiarum genere, praeſertim in poëſi, hoc temporis ſpatio non nulli inclaruerint, quorum etiam ſpecimina venae non contemnendae et edita et inedita profert. At ſi una vel altera hirundo non facit ver, ac ſi a potiori fieri debebat denominatio, communi potius omnium eruditorum, quod etiam Bertramus tuetur, judicio hac ipſa in cauſa ſtandum fuerit. Multo autem copioſius confutatus eſt Paradoxologus noſter ab *Jacobo Burkhardo Parte II. de fatis L. L. per Germaniam* a p. 63 usque ad p. 94.

Johannis MABILLON *De re diplomatica libri VI, in quibus, quidquid ad vetera Inſtrumenta et inde ad antiquariam hiſtoricam forenſemque diſciplinam pertinet, explicatur et illuſtratur.* Pariſ. 1681. Editio ſecunda ab ipſo Auctore recognita, emendata et aucta. Ibid. 1709. fol. maj. cum erudita *Theodorici Ruinarti Praefatione.*

Opus ſplendidum, ex quo omnino videre eſt, quibusnam mutationibus per ſingula ſaecula usque ad recentiorem temporis tractum obnoxiae fuerint Romanarum litterarum figurae, et quoties eodem tempore variaverint.

Auctor

Auctor enim doctiſſimus, Presbyter et Monachus Ord. S. Benedicti e Congreg. S. Mauri, ſpecimina veterum ſcripturarum *libro V. Operis hujus ſui* ex codicibus MSS. per varias aetates incredibili induſtria collegit. Adde *Eduardi Bernhardi Litteraturam*, charta majore patente vulgatam Oxonii 1689. Habes etiam non nulla huc ſpectantia apud *Dan. Papebrochium* in *Actis Sanctorum* propylaeo ad T. 2. Aprilis, et in *Claudii Molineti Hiſtoria atque fortuna litterarum Romanarum* e variis monumentis antiquis deſcripta Pariſ. 1684. Gallice; tum in *Georgii Hickeſii* doctiſſimo et admirandae induſtriae atque ingenii opere, quod *Linguarum veterum ſeptemtrionalium Theſaurum Grammatico-Criticum et Archaeologicum* inſcripſit Oxonii 1705. fol. *Mabillonium* quidem in adſignanda diplomatum antiquitate lapſum et incertas propoſuiſſe regulas dubiaeque fidei archetypa, contendit *Bartholomaeus Germon* S. I. in *Diſceptatione de veteribus Regum Francorum diplomatibus, et arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis*, Pariſ. 1703. 12. Reſpondit tamen Germonio, licet ſuppreſſo adverſarii nomine, *Mabillonius* in *Supplemento librorum de re diplomatica*, in quo archetypa in his libris propoſita ipſaeque regulae denuo confirmantur, novisque ſpeciminibus et argumentis adſeruntur et illuſtrantur, ibid. 1704. fol. *Germonii ſecunda adverſus Mabillonium Diſceptatio* lucem vidit Pariſ. 1706. 12. Mabillonii cauſam interim alacriter defenſitantibus triumviris eruditis *Juſto Fontanini Foro-Julienſi* in *Vindiciis antiquorum diplomatum adverſus Bartholomaei Germonii Diſceptationem de vett. Regum Francorum dipl.* Rom. 1705. 4; *Theodorico Ruinarto* in *Eccleſia Pariſienſi vindicata* Pariſ. 1706. 12. et *Petro Couſtant* in *Vindiciis MSS. Codicum*, ibid. 1706. 8. et 1737. 8 maj. denique *Germonius novas Diſceptationes* 1712. 12. edidit, quibus Fontanino et Ruinarto reſpondere conatur, et Dominico Lazzarino atque Antonio Gatto, qui editis epiſtolis Germonium, ut certiſſima quaeque labefactare conantem, perſtrinxerunt. Poterunt etiam conſuli, quae adverſus γνησιότητα Diplomatis Lindavienſis ejusque ὑπερκριτικὴν Wagnereccium diſſeruere *Heiderus* atque *Conringius*. *Emanuelis* vero *Schelſtrateni librum*, quo modum ex forma characterum, ſive Latinorum, ſive Graecorum, vetuſtatem ſcripturae dignoſcendi tradere inſtituerat, una cum auctore intercidiſſe, dolendum eſt. *Fabricii Bibl. Lat. Vol. I. p. 750 ſeqq.* Conferatur *Buddei Iſagoge Hiſtorico-Theologica* p. 197. ſeq. *Hiſtoire des conteſtations ſur la Diplomatique avec l'Analyſe de cet ouvrage compoſé par R. P. Jean Mabillon. Joh. Petri de Ludewig Praefatio de uſu et praeſtantia Diplomatum et Diplomaticae artis, et de bellis Diplomaticis* etc. praemiſſa *T. I. Reliquiarum MStorum omnis aevi diplomatum. Caſpari Beretti Iſtoria della guerra diplomatica. J. G. von Meyer Beſchreibung des im vorigen Saeculo angegangenen und bis auf unſere Zeiten vortgewährten Diplomatiſchen Krieges*, in Praefat. *T. III. Actorum pacis Weſtphalicae* praemiſſa.

Quae Germonius et alii ad labefactandam veterum Diplomatum fidem in medium protulerunt, alicujus momenti futura eſſent, ſi, quae diplomata pro veris et normae loco habentur, in uno vel altero Archivo tantum, non in pluribus, cum loco, tum hominum animis disjunctiſſimarum provin-

provinciarum et regnorum tabulariis ſanctioribus exſtarent; atque ſi diplomatum integritas vel falſitas ex uno vel altero ſigno dignoſcenda eſſet, quorum contra tantus eſt numerus, ut falſum diploma accurati et attenti cenſoris notam vix effugere poſſit. Argumenta Germonii, et qui ab ejus partibus ſtant, conditiones ponunt, quae pro ſitu locorum atque hominum affectione et ſtudiis dari nequeunt, nempe omnes loco et animis disjunctiſſimos homines ad condenda falſa diplomata conſpiraſſe vel Architectis fraudum ad omnia omnium provinciarum et regnorum tabularia aditum patuiſſe. Mabillonius in Supplemento Librorum de re Diplomatica cap. 1. §. 2. *Primo*, inquit, *pernego, tam multa eſſe, ut adverſarii criminantur, falſa vel interpolata inſtrumenta. Deinde non unius duntaxat provinciae, ſed multarum eccleſiarum et regionum veteres libros, chartularia et authentica monumenta perluſtravi.* Non externa tantum diplomatum ſigna et criteria, nimirum lingua, ejusdem genius, litterae, litterarum ductus, notae numerales ſeu citrae, monogrammata, ſigilla, liquor et materia, in qua ſcriptum eſt, ſed etiam interna ſunt conſideranda, nempe res, quae in diplomatibus continentur, et quidem tum in principio, tum in medio, tum in calce, quo pertinet ſubſcriptio Pontificum, Imperatorum, Regum, cet. nec non Cancellariorum, loci et temporis adnotatio, ſigilli appoſitio et alia; quae poſt *Zilleſium* in Defenſione Abbatiae Imperialis S. Maximini, et *Conringium* in Cenſura Diplomatis, quod Ludovico Imp. fert acceptum Coenobium Lindavienſe, ſumma cum accuratione explicarunt *I. Mabillonius* in hoc ejus, cujus heic recenſionem inſtituimus, Opere admodum ſplendido, *B. de Montfauçon* in Palaeographia Graeca, *Joh. Nicol. Hertius* de fide diplomatum Germaniae Imp. et Regum in opuſc. T. II. p. 189. ſeq. *I. Pereſius* in Diſſertationibus de re diplomatica, quibus pleraque ad rem diplomaticam ſpectantia accurate diſcutiuntur, *B. G. Struvius* Diſſert. de criteriis MStorum, et Commentario de Dagoberto Rege, *Juſtus Fontaninus* in Vindiciis antiquorum Diplomatum paullo ante jam a me laudatis, *Daniel Papebrochius* in Propylaeo antiquario circa veri et falſi diſcrimen in vetuſtis membranis, *Theodoricus Ruinartus* in Eccleſia Pariſienſi vindicata adverſus R. P. Barth. Germonii duas Diſceptationes, *Dominicus Lazzarinus* in Epiſtola ad amicum Pariſienſem pro vindiciis antiquorum diplomatum Juſti Fontanini, et in Epiſtola contra Germonium de veteribus Regum Francorum Diplomatibus, et in Defenſione in Germonium edita, *Antonius Gattus* in Epiſtola ad Jacobum Bernardum pro Vindiciis antiquorum Diplomatum, *Maturinus Veiſſerius de la Croze* in Vindiciis veterum ſcriptorum contra Harduinum, *Joh. Frid. Schannat* in Vindiciis quorumdam Archivi Fuldenſis diplomatum, *G. Beſſelius* in Chronico Gottvicenſi ſeu Annalibus liberi et exemti Monaſterii Gottvicenſis, Ordinis S. Benedicti, Inferioris Auſtriae, *M. Hergott* in Genealogia diplomatica gentis Habsburgicae T. I. Diſſertatione praeliminari, et alii, quos recenſet *Daniel Eberhardus Baring* in Clavi Diplomatica, ed. Hanoverae 1737. 4. V. Joh. Wolfg. Kippingii Diſp. de Hiſtoriae ejusque nominis abuſu, Helmſt. 1745. 4. p. 18. ſeqq. Notandum etiam, ex Baringii libro citato tamquam in compendio exhi-

exhiberi ea, quae de diverſis characterum ſcribendi mutationibus apud Mabillonium copioſe occurrunt.

Dominici et *Fr.* MACRI *Hierolexicon* ſive *Sacrum Dictionarium.* Romae 1677. fol. Recuſum Bremae 1692. 4

Eccleſiaſticae voces, earumque etymologiae, origines, ſymbola, caerimoniae, dubia ac barbara vocabula, Sacraeque Scripturae et SS. Patrum phraſes obſcurae, ut titulus prae ſe fert, explicantur. Auctor hujus operis eſt *Dominicus Macer*, ſeu, ut alii vocant, *Macrius*, ejusque frater. In editione Bremenſi ſeorſim apparet hoc Hierolexicon: in editione autem Romana conjunctum eſt cum *Dominici Macri Contradictionibus apparentibus et conciliationibus S. Scripturae*, quae ceteroquin etiam ſaepe ſeorſim, praeſertim autem ſub hac forma cum acceſſionibus opera et ſtudio *Jacobi le Fevre* Pariſ. 1683 et 1685. 12. editae ſunt.

Georgii MACROPEDII *Methodus conſcribendi epiſtolas, ſecundum veram artis rationem tradita.* EIUSDEM *Epitome praeceptionum de paranda copia verborum et rerum, per quaeſtiones: item de novem ſpeciebus argumentationum Rhetoricarum, rem omnem breviter explicans.* Acceſſit *Chriſtophori Hegendorphini Epiſtolas conſcribendi methodus.* Dillingae 1567. Colon. 1582. 8.

Auctor, Scholae Ultrajectinae reformationis Eccleſiaſticae tempore Rector in Belgio praeclare meritus, ſic hos libellos conſcripſit, ut optimis hoc quidem in genere ſuccenſeri queant.

Patricii MACROTHERISTRI *Pretioſum a vili* ſive *De latinitate merito et immerito reprobata.* Aug. Vindel. 1720. 8.

Scipionis MAFFEI *Origines Etruſcae et Latinae linguae.* Lipſ. 1731. 4.

Hieron. MAGII *Variarum Lectionum* ſeu *Miſcellaneorum libri IV.* Venet. ap. Ziletum 1564. 8.

Varius ille ac multiplex eruditionis apparatus, quem in his Miſcellaneis eruditi deprehendunt, facit, ut Auctor ad Turnebi et Victorii laudem quodammodo accedat.

Tobiae MAGIRI *Eponymologicum Criticum.* Francof. ad Moen. 1644. 4.

Marci Antonii MAIORAGII *Libri II. Reprehenſionum contra Nizolium.* Mediolani 1549. 4.

Scripſerat *Coelius Calcagninus* initio ſaeculi XVI, quo vixit, diſputationes ſ. diſquiſitiones Baſil. ap. Frobenium 1644 editas, quibus paullo liberius

berius Officia Ciceronis reprehendebat. Continuo id male habuit doctos viros, Tullii cultores, ex quibus Jacobus Gripholus Romae apud Aldum, et M. Antonius Majoragius Mediolani Ciceronis defenſionem edidere. Majoragius quidem a Nizolio eam ob cauſam vehementer laudabatur. Poſtea vero quum ipſe Majoragius Ciceronis Paradoxa ſugillare videretur, et adverſus eumdem *Antiparadoxa* ſcriberet, acerbiſſimam ad illum Epiſtolam propterea ſcripſit Nizolius; qua irritatus Majoragius primo *Apologiam*, deinde *duos hos libros Reprehenſionum* adverſus Nizolium edidit, ſatis dentatos. Liti huic tandem interceſſerunt Sebaſtianus Corradus, vir politiſſimae latinitatis, et Johannes Oporinus, doctiſſimus ille Baſileenſium typographus, concordiae inter celeberrimos hos duumviros conflandae conciliandaeque uterque ſtudioſiſſimus. Vid. *Morh.* Polyh. T. I. L. I. c. 25. §. 26. cet. *Joh. Petri Kohlii* Praefat. de vita ſcriptisque Majoragii Deliciis Epiſtolicis ab illo editis Lipſ. 1731. 8. praemiſſa p. 38. ſeqq. it. *Krauſius* in notis ſuis ad Pauli Manutii Epiſtolas p. 1065. ſeqq. Acerbiſſimam illam, quam modo memoravi, Nizolii ad Majoragium Epiſtolam vide in *Deliciis Epiſtolicis* a *Kohlio* emiſſis p. 297. ſeqq. Omnis autem haec lis non ipſam Ciceronis eloquentiam, ſed proponendi ac philoſophandi modum reſpicit, quem non more Dialecticorum inſtitutum eſſe exercitii gratia adſciuerat Majoragius. Inter *Ejus Orationes ac Praefationes* ed. Venet. 1582. 4. Lipſ. 1606. et 1628. 8. exſtat Oratio in Gaudentium Merulam recitata, quam modo dictus *Kohlius* Deliciis Epiſtolicis p. 310. ſub *Apologiae* titulo ſubjunxit, in qua quidem tam variae obſervationes L. L. admodum eleganter parumque obviae occurrunt, ut jucunde non minus, quam utiliter ab eo, qui puritatem ſtili amat, Latinique ſermonis proprietatem ſectatur, legi poſſit.

Eliae MAIORIS *De varianda oratione liber.* Jenae 1684. 8.

Georgii MAIORIS *Sententiae veterum Poetarum*, et *Antonii* MANCINELLI *De Poetica virtute.* Lugd. 1573. 8.

MAMMOTHREPTI *Lexicon Biblicum*, prodiit Mogunt. 1470. Venet. 1479. ap. Nicol. Jenſon. 4. et alibi ſaepius.

Hoc Lexicon, quia velut infantulis mammae ad inſtar ſugendum erat, *Mammothrepton* inſcriptum eſt: quae appellatio inde in auctorem recidit.

Antonii MANCINELLI *Opera Grammatica.* Venet. 1492. Baſil. 1508. 4.

Auctor eſt Italus, et Grammatices ſtudium primus fere omnium poſt antecedentium ſaeculorum barbariem ſuae reſtituit luci. Exhibet in hoc libro 1. Libellum artis Grammaticae. 2. Labores. 3. Summam declinationis. 4. Theſaurum de varia conſtructione. 5. Spicam voluminum quattuor. 6. Verſilogum. 7. Carmen de floribus. 8. Carmen de figuris. 9. Virtutem Poeticam. 10. Silvam vitae ſuae. 11. Epitomen Elegantiarum ex Valla. 12. Limam decorationis in Vallam. 13. Commentariolum in Rhetori.

toricam Ciceronis. 14. Scribendi orandique modum. 15. Vocum proprietates ex Donato, Gellio, Aſconio Pediano, Macrobio, Rhetoricis Ciceronis, Tullianis Quaeſtionibus, Vegetio de re militari, Capro, Pompejo Feſto, Nonio Marcello, Tullio de nat. deor. it. de divinat. Lactantio Firmiano. Operam etiam ſuam collocavit editioni Donati, quem emendatum et auctum edidit 1487. fol, Collegit item *illuſtrium Poetarum flores*, Argent. 1567. 8.

Aldi MANVTII Junioris, Paulli F. *Orthographiae ratio, ex libris et monumentis antiquis collecta.* Antv. 1564. 12. 1597. 8. Venetiis ex officina ejusdem 1561, 1566, 1591. 8. Aucta a *Caſp. Rothio*, Lipſ. 1607. 8. Aucta a *Valer. Andrea*, Duaci 1610. 12. Ad calcem libri apparet *Fragmentum ex epiſtola quadam Giſanii de quorumdam verborum Orthographia.*

Liber inter illos, qui orthographiam veterum perſcrutati ſunt, ſingularem obtinens auctoritatem, utpote cujus decreta *Cellarius* praecipue ſecutus videtur. Auctor aetatis ſuae anno decimo quarto eum conſcripſit, referendus proinde inter ingenia praecocia. Prodiit *Ejus Epitome* Venet. 1575. et Antwerp. ex offic. Plantin. 1579. 8. quam etiam videmus ſubjunctam *Jo. Caſelii libro de pronuntiatione Lat. Sermonis*, Han. 1651 8. recuſa etiam denuo eſt Veronae 1738. 8, quemadmodum hoc videre eſt ex Catalogo librorum venalium, quem Jo. Baptiſta Recurti attexuit Lexico meo Antibarbaro, quod Venetiis 1743 recudit.

EIVSDEM *Inſtitutionum Grammaticarum* libri IV. Pariſ. ex off. Rob. Stephani 1500, 1531. Venet. 1523. 4. 1558. 1581. 8.

Inter primos renaſcentium litterarum labores referendae ſunt. Arguta-tur in iis Auctor interdum nimis ſubtiliter, et valde minuta parumque profutura conſectatur.

EIVSDEM *De veterum notarum explanatione.* Ex offic. ejusdem 1566. 8.

EIVSDEM *Phraſes elegantes et copioſae L. L.*, cum eleganti et utili Praefatione *Joh. Caſelii.* Colon. 1569, 1571, 1582. 8. 1589. 1594. 12. Francof. 1610. Lipſ. 1592. 8.

Libellus eſt hoc quidem in genere notiſſimus et optimae notae. Scripſit etiam Aldus noſter *Quaeſita per Epiſtolam*, ubi multa occurrunt, quae ad reconditiorem litteraturam pertinent.

EIVSDEM *De vitiata vocalium ac diphthongorum prolatione.* Colon. 1529. 8.

EIVSDEM *Theſaurus Elegantiarum, prorſus novo, eoque aptiſſimo ordine, in uſum omnium politae et copioſae orationis ſtudioſorum diſtributus.* Libellus ſaepiſſime recuſus. Editio vigeſima prima prodiit Coloniae 1694. 12.

Huic editioni acceſſere etiam *159 Elegantiarum Regulae, cum quibusdam orationis variandae formulis:* adhaec *copioſiſſimus Elegantiarum Ciceronis Commentarius,* opera *Johannis Buchleri.*

Paulli MANVTII *Commentarius in Epiſtolas Ciceronis, quae vocantur Familiares, Tomis II. conſtans.* Francof. 1580. 8.

EIVSDEM *Commentarius in Epiſtolas Ciceronis ad T. Pomponium Atticum.* Francof. 1580. 8.

Uterque obſervationibus Criticis ac Philologicis, per loca plerumque parallela illuſtratis et maximam partem linguae Latinae puritati atque elegantiae inſervientibus abundat. Commentatus etiam auctor hic eſt *in Ciceronis Rhetoricam et Philoſophiam,* item *in ejus Orationes et libros de officiis: emendationes* etiam edidit *in omnia Ciceronis Opera,* quorum etiam ab ipſo procurata editio pro omnium optima et accuratiſſima habetur.

EIVSDEM *Commentarius in Cic. Orat.* Voll. 3. Colon. Agripp. 1582. 8.

Nonii MARCELLI *De proprietate ſermonis lucubrationes multae ac variae, multisque locis antehac corruptis reſtitutae.* Adjectae ſunt ad calcem τȣ *Cornu Copiae Nic. Perotti, ed. Baſil. 1536. fol.* de quo infra; quum *prima eorum editio Venetiis 1483. fol.* et deinceps etiam *una cum Varrone et Feſto Tuſculani 1522.* fuiſſet procurata. Praeter alios etiam notis has Marcelli Lucubrationes illuſtravit *Joſias Mercerus* Pariſ. 1614. 8.

Judicii, judice Olao Borrichio, *imbecillimi ſcriptor, caſtitati linguae Latinae parum adjumenti adferens, a Bentino etiam jam olim caſtigatus, ob cuſtodita tamen fragmenta veterum, quae alibi fruſtra quaeſiveris, jure venerandus.* Sed, quod notandum, *Olaus* heic ita judicat, ut eorum eruditorum, qui ipſum Nonium curatius inſpexerint, adſenſu non magnopere laetari poſſit. Habet Nonius utique naevos ſuos; at imbecillitatem judicii in eo videre mihi non videor. Multa nitent in ejus obſervationibus et plura, quae profert, haud de nihilo ſunt. Accidit heic Olao, quod magnis viris accidere ſolet, ut interdum laudent, quae minus laudabilia ſunt, quum, ut exemplo utar, laudare haud erubeſcat Decimatorem, hominem verae et genuinae latinitatis ignariſſimum, propter eximia in Latialem ſermonem merita; deprimant autem, qui laude ſua haud defraudandi erant, in quorum numero Nonius noſter collocandus merito videtur eſſe.

Marii

Marii VICTORINI *De Orthographia et ratione carminum.* Ex officina Sanct-Andreana 1584. 8.

MARMORA OXONIENSIA, *ex* Arundellianis, Seldenianis, *aliiſque conflata, recenſuit et commentario explicavit* Humphredus Prideaux: *accedit* Sartorius Urſatus *De notis Romanorum Comment. Appoſitis* ad eorum non nulla *Seldeni* et *Lydiati adnotationibus*, Oxonii 1676. et Londini 1732. fol.

Primus auctor hujus operis erat *Johannes Seldenus.* Hic marmora Arundelliana (ſic dicta, quia ingenti ſumtu Comitis Anglicani, Thomae ab Arundell, ex Oriente in Angliam translata ſunt) Graece inſcripta, una cum aliis vetuſtis Inſcriptionibus, commentariis ſuis illuſtraverat Londini 1629. 4. His poſtmodum non parum auctis ſuas quoque notas adjiciebat *Humphredus Prideaux*, eaque in theatro Scheldoniano ſplendide recudi fecit: quae augmentatio conſtituit librum hunc, quem heic recenſemus.

Marmora Arundelliana, longe ante natum Chriſtum condita, continent notatu digniſſima Athenienſium et Smyrnae, quo colonia Attica conceſſerat. Viſuntur hodie in originali Oxonii, in theatro Scheldoniano, muro ibidem inſerta.

MARMORA PISAVRENTIA, *notis illuſtrata.* Piſauri 1738. fol.

MARMORA FELSINEA, *innumeris non ſolum Inſcriptionibus exteris huc uſque ineditis, ſed etiam quam plurimis doctiſſimorum virorum expoſitionibus roborata et aucta a* Car. Caeſare Malvaſia. Bononiae 1690. fol.

Conf. infra *Reineſium.*

Bern. MARTINI *Variarum Lectionum libri IV.* Pariſ. 1605. 8.

Matthiae MARTINII *Lexicon Philologicum, praecipue Etymologicum.* Bremae 1623. Editio altera auctior prodiit Francof. 1655. fol.

His binis prioribus editionibus longe melior eſt editio tertia, quae prodiit cura *Joh. Georgii Graevii*, Trajecti ad Rhenum 1697. fol. II. voll. Ei acceſſit praeter *vitam Auctoris*

1. *Ejusdem Cadmus Graeco-Phoenix*, ſive *Etymologicon*, liber doctus et juventuti litterarum ſtudioſae perutilis, quamvis antea jam cognitus, in quo explicantur et ad ſuas origines, tamquam ad Cadmeos ſive orientales fontes, reducuntur principes Graecae voces, et eae, quae cum alibi, tum maxime in Veteris Teſtamenti metaphraſi LXX virorum, aliorumque, itemque in Novo Teſtamento videntur obſcuriores, multae quo-

que notabiles voces aliae, vulgo a Lexicographis praetermiſſae, et in Gloſſariis alibique latentes in lucem protrahuntur, illuſtrantur et emaculantur.

2. *Iſidori Hiſpalenſis Gloſſarium*, quod antea non niſi in *Operibus Iſidori ac Gloſſarum ſcriptoribus a Bonaventura Vulcanio editis*, itemque *in Collectione Auctorum linguae Latinae a Dionyſio Gothofredo vulgata* reperiebatur. Ei in hac editione notae atque emendationes doctiſſimae additae ſunt ab *Joh. Georgio Graevio*, qui hac occaſione maximum Martiniano huic Operi decus conciliavit.

3. *Auctarium et Collectanea rariorum obſervationum in Gloſſarium Iſidori*, quae ex bibliotheca ſua Medicus et Polyhiſtor laudatiſſimus *Theodorus Janſonius* ſuppeditavit.

Sic autem *recuſum, ac denuo ab Joh. Clerico locupletatum, prodiit Tomis II. Trajecti ad Rhenum 1711. fol.*

Hoc Martinii Lexicon Philologicum atque adeo Etymologicum munditiarum Latinae linguae ſtudioſis non inutile, ferreae autem et figlinae aetatis ſcriptoribus enodandis eſt accommodatiſſimum. Id interim non diſſimulandum, virum eruditum, dum in vocum origines apparatius inquirit, etiam barbararum, haud raro umbram pro Junone captare. Sed hoc crimen cum Varrone et Verrio Flacco ipſi commune, et Graevianis curis heic atque illic emendatum eſt.

Tandem et illud notandum fuerit, *Franciſcum Gregorium* Sylburgii, Martinii hujus noſtri et aliorum obſervationes Philologicas redegiſſe in compendium, ſub tit. *Etymologici parvi.*

Jacobi MASENII *Palaeſtra ſtili Romani, quae artem et praeſidia Latine ornateque quovis ſtili genere ſcribendi complectitur.* Colon. 1659, 1684, 1686. 8.

Auctor verae et antiquae eloquentiae diſcendae ac docendae fuit peritiſſimus. *Quinque* conſtituit *libros*. *Liber I. decem capitibus* de lectione et imitatione auctorum praecipit. *Liber II. capitibus 26.* omnem de elocutione doctrinam complectitur. *Liber III. capita 5.* de eruditione Romana ex Graecis continet. *Liber IV.* compendium antiquitatum et Graecarum et Romanarum comprehendit, ſiquidem 49 capitibus de ornamentis eloquentiae ab antiquitate Graeca et Romana agit. *Liber* denique *V.* de ratione legendi ſcribendique dialogos, epiſtolas et hiſtoriam 17. *capita* conſtituit.

EIUSDEM *Palaeſtra Eloquentiae ligatae, novam ac facilem tam concipiendi, quam ſcribendi quovis ſtilo Poetico methodum ac rationem complectitur, viamque ad ſolutam eloquentiam aperit.* Colon. Agripp. 1661, 1682. 12.

Non ligatae tantum, atque ad metrum adſtrictae, ſed etiam ſolutae eloquentiae optimam certiſſimamque viam ſternit, quum praecipuus ſolutae orationis ſuccus ex Poetarum amoenis viridariis floribusque decerpatur,

et

et iisdem naſcatur extollaturque libera dictio fontibus, quibus ligatae vim dignitatemque Auctor depromſit. Non numquam laudatiſſimos veteris famae aetatisque Poetas ſub cenſuram vocat liberius, praeſertim altero Partis I. de elocutione libro. Quum autem in aliis hoc factum vix ſit, niſi quos lectu digniſſimos Auctor habuit, non ſtudio obtrectandi, ſed uſum eorum commendandi, melioraque a deterioribus ſecernendi id ab ipſo laboris ſumtum eſt: ne juventus rudior veterum heic atque illic admixta vitia pro virtutibus amplecteretur ac dediſcenda diſceret. Neque enim laudare hos poteſt, qui priſcos quosdam auctores vel univerſim damnant, vel ab omni errore abſolvunt.

Conſpectus libri hujus ſpiſſioris hic eſt: In *tres* nimirum *Partes* diſtribuitur. *Partis I. Liber I.* rationem univerſim poetice aliquid concipiendi tradit, cum artificio Homeri et praeſertim Virgilii, eorumque in concipiendo virtutibus ſimul ac vitiis expoſitis. Cui acceſſit brevis veterum Mythologia in ordinem hiſtoricum redacta, et per indicem ad uſum ſcribentium directa. *Liber II.* rationem optimae elocutionis inveſtigat et exponit, traditque praecepta tam ornate, quam copioſe in Poeſi loquendi. *Liber III.* artem Proſodicam in quantitate vocum et carminum cognitione poſitam nova et ſtricta methodo complectitur. *Pars II.* prodiit 1682, complectitur Poeſin Elegiacam, Heroicam et Lyricam. *Pars III.* prodiit 1683. complectitur Poeſin Comicam, Tragicam et Comico-Tragicam. *Utraque Pars poſterior* praeceptis et hiſtoriis rarioribus, cum exemplis ſingularum Poematum eſt illuſtrata.

EIVSDEM *Palaeſtra Oratoria praeceptis et exemplis veterum lectiſſimis inſtructa, et nova methodo in* Progymnaſmata Eloquentiae, *atque* Exercitationes Rhetorum proprias, *ad lectionem ſimul et imitationem, diſtributa.* Cum *Reſolutione et Artificio Tullianarum Orationum adjuncto.* Colon. Agripp. 1659. 8. 1661, 1682. 12. 1678, 1707. 8.

Doctiſſimus Jeſuita operam ante omnia dedit, ut inventionis ordinem, in paucos diſtributum fontes, naturae lege cohaerentes, perſpicue ſatis repraeſentaret. Preſſit in hoc negotio, quantum licuit, antiquorum veſtigia, Ciceronis praeſertim ac Quintiliani. Unam materiam per ſingulos inventionis fontes diducit, ut, qua quisque locus differat ab altero ratione, ejusdem inflexione atque excuſſione rei, conſtet potiſſimum. Exempla ubique addit ex Cicerone, Plinio, Tyrio, non mutila aut ab ipſo orationis corpore avulſa, ſed ſua in connexione rei cujusvis propoſitae imaginem exhibet, reſectis tantum iis, quae vel minus florida, vel a re propoſita magis videantur aliena. Aphthonii tandem Progymnaſmata, nec diſtributionis nec methodi reſpectu ſatis accurate et belle digeſta, rectiori ordine praemittit, iisque exempla ſubjicit, non ad Aphthonianas ubique leges inflexa, ſed communibus potius Rhetorum praeceptis ordinata, atque ex ſcriptis eloquentiſſimorum depromta. Multa paſſim, praeſertim *lib. I. De praeparatione ad eloquentiam*, habet monita, puriori latini-

 tati

tati apprime inſervientia. Quae exempla imitationum propoſitarum heic atque illic occurrunt, quibus, ut Eccleſiae ſuae ſerviat, traducit mox Lutherum, mox Calvinum, mox Zwinglium, facile immutari poſſunt et traduci ad alia.

EIVSDEM *Familiarium Argutiarum Fontes, honeſtae et eruditae recreationis gratia excitati.* Colon. Agrippinae 1650, 1660, 1687, 1688. 12. it. 1711. 8.

Quicquid Auctori per varias hiſtorias oberranti venuſtum ſimul argutumque occurrit, hoc in ſuos diſtributum fontes ea lege exhibet, ut et ſua origine innoteſcere, et grata poſſit exemplorum amoenitate delectare. Praeceptionibus inhaerere preſſius ipſi non lubuit, ſed has per nudas plerumque exponit regulas, quod easdem in Epigrammatum dederit Argutiis magis explicatas: ad quas pleniorem inſtructionem deſiderantem remittit.

EIVSDEM *Ars nova argutiarum eruditae et honeſtae recreationis, in duas partes diviſa: quarum prior eſt Epigrammatum, poſterior Inſcriptionum argutarum.* Colon. Agripp. 1649, 1660, 1687, 1688. 12. et 1711. 8.

Argute dicendi vibrandique ſententias vim multum et ornamenti et delectationis ad eloquentiam adferre, ſemper exiſtimavit Auctor: praeſertim quum ex illa, non ſola elocutionis, verum et conceptuum ratio magnopere illuſtretur, ſua cum varietate, tum elegantia. De elocutione, praeſenti id ſatis tractatu, docemur. De conceptibus id magis intelliges, ubi Maſenii hujus de re Emblematica, Epica, Lyrica, Comico-Tragica, Oratoriaque tractatus inſpexeris: nihil enim quavis in arte magis afficit, occupatque hominum animos, quam, quum velut inſidiis circumventi, ad inexſpectata deducuntur; quod, ut in Tragoedia Comoediaque, ſic in quavis paene actione aut conſilio humano, quum oratione explicatur, locum obtinet. Haec vero ad inexſpectata deductio aliis, quam quibus hoc opere Jeſuita noſter viis inceſſit, inſtitui vix poterit. Exemplorum illorum ſubjecit copiam, ut tenuioribus ſubveniret ingeniis, quibus per exempla faſtlior via, quam praeceptis, aperitur. Qui artem hanc totam in compendio oculis animoque ſubjici voluerit, huic ſatis fuerit, unum illud, quod de Juda exemplum dedit, per adjuncta ſua ponderare, eo modo, quo cap. 7. parte 1. Bembum inſcite depictum ſuis attributis expendere voluit.

Georgii MATTHIAE *Novum locupletiſſimum Manuale Lexicon Latino-Germanicum et Germanico-Latinum*, cum Praeſ. *I. M. Geſneri.* Halae 1749. 8 maj.

Eminet inter Lexica, quae Scholaſticae juventuti potiſſimum inſerviunt.

Joh.

Joh. Marii MATTII *Libellus de Orthographia.*

EIVSDEM *Opinionum libri III, in quibus plurimi auctores explicantur et emendantur.*

EIVSDEM *Additiones ad Calepini Dictionarium et Nizolii Theſaurum.*

Guil. MECHOVII *Hermathene,* hoc eſt, *Mercurii ac Palladis Simulacrum, De recta inſtitutione juventutis ſcholaſticae, Libellus tripartitus.* Francof. 1673. 12.

Optimis ſane ac ſaluberrimis conſiliis litterariam civitatem munire ſtudet, atque in primis ſervandae latinitatis purioris ſtudium heic atque illic pro re nata, et praeſertim in copioſa Dedicatione contra praepoſtera Comenii, Hiſpani hominis, conſilia commendat. Libellus in tres Tractatus diſpeſcitur, et totus ejus conſpectus hic eſt:

Tractatus I.

Cap. I. *De utilitate, neceſſitate ac difficultate inſtitutionis.*
Cap. II *De deſcriptione inſtitutionis, quid ea ſit, et quae ad eam pertineant.*
Cap. III. *De officio magiſtratus erga ſcholas.*
Cap. IV. *De officio Inſpectoris.*
Cap. V. *De officio parentum.*
Cap. VI. *De officio Praeceptoris.*
Cap. VII. *De officio diſcentium.*

Tractatus II.

Cap. I. *De diſcendis.*
Cap. II. *De cauſis inſtitutionis.*
Cap. III. *De praeceptis artium ac diſciplinarum generatim.*
Cap. IV. *De praeceptis ſigillatim.*
Cap. V. *De uſu praeceptis adjungendo.*
Cap. VI. *An ſcriptores ethnici, quos vocant, legendi? item an recentiores?*
Cap. VII. *De exercitatione.*
Cap. VIII. *De auditione.*
Cap. IX. *De lectione et interpretatione.*
Cap. X. *De colloquio.*
Cap. XI. *De ſcriptione et deſcriptione.*
Cap. XII. *De verſione.*
Cap. XIII. *De imitatione.*
Cap. XIV. *De exercitatione proprio Marte inſtituenda.*
Cap. XV. *De paraphraſi.*
Cap. XVI. *De Amplificatione.*
Cap. XVII. *De variatione.*
Cap. XVIII. *De exercitiis oratoriis.*
Cap. XIX. *De cogitatione ſive meditatione.*

Cap. XX. *De ediſcendis.*
Cap. XXI. *De retractatione.*
Cap. XXII. *De collatione.*
Cap. XXIII. *De emendatione.*
Cap. XXIV. *De repetitione et interrogatione.*
Cap. XXV. *De concertatione juventutis.*
Cap. XXVI. *De recitatione.*
Cap. XXVII. *De docendo.*
Cap. XXVIII. *De ſtudio excerpendi.*

Tractatus III.

Cap. I. *De loco ſtudiis apto.*
Cap. II. *De tempore diſcendi.*
Cap. III. *De anteſcholanis, qui ſcholas nondum frequentant.*
Cap. IV. *De amphithalamo encycliorum*, (von dem Vorzimmer der Aufwärterinnen) i. e. de primis litterarum rudimentis, quae Palladi dominae ſ. ſapientiae ancillantur.
Cap. V. *De palatio humanitatis*, i. e. de ipſis litteris humanioribus, quibus impertiri juventus ſtudiis dicata debet.
Cap. VI. *De legibus juventutis.*
Cap. VII. *De praemiis ſcholaſticis.*
Cap. VIII. *De poenis ſcholaſticis.*
Cap. IX. *De morbis ſcholarum.*
Cap. X. *De bibliotheca litteraria.*
Cap. XI. *De exercitiis corporis.*

Speciatim Auctor noſter doctiſſimus inſurgit Tractatu 2. cap. 6. contra *Henricum Ernſtium*, Academiae Soranae tunc Profeſſorem, qui in libro Σοφία ἄσοφος inſcripto iniquiorem animum erga ethnicos ſcriptores oſtenderat: ſed *Joh. Franc. Buddeo in Iſagoge Hiſt. Theol. p. 147.* ab altero extremo non adeo procul remotus videtur. Cui ἐπιχειρήσει ſuae ſubjungit ſequentia: Singulari, *inquiens*, utique heic opus eſſe circumſpectione, negari nequit, quum facile contingat, ut, qui ethnicorum ſcriptis toti veluti immerguntur, ethnicum plane alienumque a religione Chriſtiana inde referant animum. Magnorum virorum, eorum praecipue, qui circa initium ſaeculi XVI, in Italia, in Graecis Latiniſque litteris reſtituendis elaborabant, hoc teſtantur exempla; notaque ſatis ſunt, quae de impiis vocibus moribusque *Aretini*, *Poggii*, *Politiani*, *Bembi*, *Bonamici*, aliorumque, paſſim commemorantur. Ipſe hac de re ſubinde conqueritur *Deſiderius Eraſmus Roterodamenſis*, et Ciceronianos iſtos, uti tum vocabantur, in Italia id agere, ait, *ut pro Chriſtianis reddamur pagani. Et animadverto*, inquit porro, *juvenes aliquot*, *quos nobis remittit Italia, praecipue Roma, non nihil adflatos hoc veneno*; l. 29. ep. 21.

Quae quum ita ſint, primum quidem magno ſtudio id agendum, ut illos gentilium libros, qui obſcena, turpia, et pravos affectus irritare apta, continent, prorſus fugiamus. Ad reliquos quod attinet, qui talia tractant, quae ſine periculo legi poſſunt; animo tamen ſatis purgato firmatoque ad eos accedendum; nec ita iis inhaerendum, quin ſaepiſſime mentem revocemus ad meliora, et per Scripturae Sacrae diligentem tractationem abſtergamus,

gamus, quicquid forte impuritatis nobis adhaeſerit, aut tepidos languidosque in vero Numinis cultu nos reddere queat. Copioſius jam hunc in modum haec expoſui *in Diſſert. de cultura ingenii cap. 3. §. 8. 9.* Plura etiam dabunt *Claudius Eſpencaeus de profectu ex gentilium librorum lectione percipiendo;* itemque *Johannes Michael Dilherrus* in *Diſputatione Philologica de uſu lectionis ſcriptorum ſaecularium et antiquitatis, quem in altiori etiam litteratura praeſtant,* quae *Tomo I. Diſputationum ejus Academicarum* exſtat num. 8. p. 100. ſeqq. itemque *Thomas Crenius, in notis ad Leonardum Aretinum de ſtudiis et litteris,* in *Methodis ejus, a. 1692. editis,* p. 458. ſeqq. Hactenus *Buddeus* recte pieque. Quod autem ad Mechovium attinet, mihi quidem prudenti ac religioſo animo cauſam, cui ſervit, agere, nec *εἰς ἀμετρίαν τῆς ἀντέλξεως* prolapſus ullo modo videtur. Juſtis utitur contra Ernſtium rationibus; rem autem ipſam tam moderate ac ſapienter perorat, ut, quid ipſi magnopere exprobrari aut vitio verti poſſit, equidem exputare haud poſſim. Neque etiam ſcriptores ethnici per ſe in culpa ſunt, ut viri quidam docti in homines ethnicos transformentur, ac transformati apud nos et exteras gentes ſubinde ſint; ſed profana docendi diſcendique methodus, ac mens ipſorum impia ac proeax fecit, ut occaſionem pravas ſuas cupiditates accendendi undecumque arripere maluerint, quam inter legendum meditari ac proferre ea, quae Deo placeant, et ſanctitati vitae promovendae apta ſint. Damna, quaeſo, quae in ethnicorum ſcriptis impie proferuntur, iis rationibus, quae aculeum in animis diſcentium relinquunt; adhibe in conſilium prudentiam et timorem Domini, quum doces; lauda, quae bene ac ſapienter dicuntur, et doce, quanto haec rectiora exſiſtant, et quanto ſereniori luce fulgeant, ſi ab homine Chriſti ſenſu mitigato proficiſcantur; orna cathedram ſancta quadam gravitate, nec, quod multi gratiae captandae ergo faciunt, per luſum et jocum abutere auctoritate loci illius, quem tenes: tunc ſane videbis, non obeſſe, ſed multum prodeſſe civitati Dei ſcriptorum ethnicorum tractationem. *Taubmannus de Lat. Lingua p. 72:* Lectionem Poetarum Scaliger mari comparat: in eo ſunt ſcopuli; ad quos tamen peritus nauta numquam navem offendit. Ita in poeſi ſunt quaedam non bona dicta, in quae numquam pius animus offendit, ſed ea ſtrenuus ſecure praetervehitur. Et quo pacto ejusmodi Poetas citra noxam legas, docuit etiam magni Julii Caeſaris Scaligeri magnus doctor Caelius Rhodiginus Antiq. Lectionum libris. *Idem p. 76:* Nulla femina, cui oris concinnior venuſtas, in publicum prodeat. Quare?

Nempe parum cautae mulier ſpecioſa juventae
  Inſidioſa oculis, imperioſa animis.

Princeps Saxoniae ne ſignet monetam. Quare? Quia avaros reddit; et, ſecundum Sulpicium Lupercum,

Divitis eſt ſemper vel turpes quaerere gazas,
  Ulla nec in lucro cura pudoris ineſt.

Ecce! coeli hujus pulcherrima facies occaſionem olim praebuit *εἰδωλολατρείας.* In te latitat, qui te corrumpit, in te. Quid alium foris accuſas corruptorem? *Haec Taubmannus;* cujus tamen verba opponi nolim rectis eorum monitis, qui loca veterum obſcena, tamquam fomenta libidinis,

nis, tenerae aetati ſubtrahi jubent, praeſertim ſi ita comparata ſint, ut ad ea merito erubeſcamus.

EIVSDEM *Antiphila de nativa ac genuina latinitate in ſcholis retinenda.* Adjuncta eſt *Diſſertatio de ſtudiis litterarum et lectione ethnicorum, an tuto poſſint uſurpari in ſcholis Chriſtianorum.* Cellis 1677. 8.

Quam cauſam Auctor obiter et quaſi in tranſcurſu in Hermathena ſua contra *Ernſtium* egit; eam heic ex inſtituto contra *M. Joannem Gabrielem Drechslerum*, *SS. Theol. Baccalaureum*, *et Gymnaſii Halenſis Collegam*, denuo agit cum inſigni eruditione ac facundia. Et *Ernſtius* et *Drechslerus* et alii, qui eadem cum his ſentiunt, pio quidem judicant animo; ſed conſilium, quod promovendae pietati aptum eſſe arbitrantur, praeceps eſt, et ſic tandem comparatum, ut ſalutari ipſorum ſcopo magis noceat, quam in fine reſpondeat aliquando.

EIVSDEM *Tulliola*, id eſt, *Praecepta bene dicendi ex optimis hujus artis Scriptoribus*, *Cicerone praeſertim*, *ſingulari ſtudio electa.* Cell. 1670. 8.

Compendium Rhetorices eſt, eleganter et cum ſingulari judicio perſcriptum. Nolui id hoc loco omittere; quamvis ad Bibliothecam noſtram non uſque quaque pertineat. Paullo ante Auctor conſcripſerat *Paraeneticen*, quae ſub tit. *Philoſophiae Paraeneticae* Francof. 1671. 8. poſtea recuſa prodiit, quaſi quamdam vivendi diſciplinam, ut habeat tenera aetas, poſtquam certis ſtudiis ſatisfactum eſt, magiſtram quamdam vitae, quae, quid homo ſit, quibus partibus conſtet, quibus rebus ſubornatus in vitam venerit, quid ſummum, quid ultimum habeat, quae heic officia peragenda ſint, quid poſt fata futurum, et quae alioquin humanam conditionem circumſtent, ex ipſis fontibus Graecae et Latinae ſapientiae depromit. Huic nunc adjunctam vult hanc *Tulliolam* ſuam, ut juventus litteraria utriusque conſiliis pareat, id eſt, ut et ſapienter vivere et ſapienter loqui diſcat.

Hieron. MEGISERI *Dictiontrium IV Linguarum*, *videlicet*, *Germanicae*, *Latinae*, *Illyricae* (quae vulgo Sclavonica appellatur) *et Italicae ſ. Hetruſcae.* Graecii Styriae 1592. 8.

Henr. MEIBOMII *De nummorum veterum uſu.* Helmſt. 1674. 4.

Mich. MEISNERI *Hortulus Romanus ex Cicerone collectus*, *cum notis Auctoris.* Curiae Variſcorum 1623. Erfurti 1647. Jenae 1649. Lipſ. 1679, 1687. 12.

Exhibet hiſtorias, ritus et Apophthegmata Ciceronis cum notis Philologico-Politicis. Noſtra memoria auctior prodiit Lipſ. 1704. 12. cum Praefat.

fat. *M. Joh. Heinr. Erneſti*, Scholae Thomanae apud Lipſienſes Rectoris, ſub hoc titulo: *Michaelis Meiſneri Hortulus Romanus continens ſex Plantaria Romanae eloquentiae Centifoliis referta: ita, ut e M. T. Cicerone exhibeantur in Centuria 1. Gemmulae ſeu Hiſtoriae: 2. Corollae; 3. Floſculi: 4. Apophthegmata: 5. Parabolae: 6. Sententiae: cum Notis Auctoris in Gemmulas et Corollas Philologico-Politicis, Titulis materiarum, rerumque ac nominum propriorum Indicibus. Acceſſit nova ad gemmulas et ſententias ex Nepote et Terentio locorum parallelorum Centuria, praemittiturque Praefatio, quibus et Hortulus commendatur, et novae acceſſionis ratio exponitur.*

Philippi MELANCHTHONIS *Grammatica Latina, cum ex aliis, tum ex* Jul. Caeſ. Scaligero, Petro Ramo, Nicodemo Friſchlino, Joſepho Scaligero, Johanne Wankelio, Johanne Rhenio, *recognita et locupletata.* Prodiit, cum ſaepe alias, tum Viteb. 1653. Goslar. 1648. 8. Lipſ. 1689, 1706, 1714. 8.

Subjunguntur *Hypomnemata et alia quaedam ad hanc Melanchthonis Grammaticam pertinentia, pro uſu adultiorum et docentium ſeorſim edita* Viteb. 1619, 1653. Lipſ. 1688, 1690, 1706, 1714. 8.

Utrumque librum juſſu Electoris Saxoniae Johannis Georgii ad hanc formam redegit, paſſim emendavit, copioſiori exemplorum apparatu ac ſermone illuſtravit atque adeo locupletavit *Eraſmus Schmidius*, Profeſſor Wittebergenſis, de re litteraria meritiſſimus, Graece praeſertim doctiſſimus, adjutus opera *Rotenburgii*, *Siberi*, *Jeremiae Spigelii*, *Auguſti Buchneri*, aliorumque.

Syſtema hoc Grammaticum quamlibet haud ad principia Sanctio-Scioppiana exactum eſt, et magna regularum multitudine tumet; multis tamen eximiis obſervationibus abundat, eaque ſubinde ſuggerit, quae vel in optimis aliorum compendiis fruſtra quaeras. Separatim quondam *Henrici Decimatoris in Phil. Melanchthonis Grammaticam Latinam adnotationes* prodiere Magdeburgi 1598. 8.

Ipſe Melanchthon vetuit augeri hanc ſuam Grammaticam. Nam ad Egenolphum typographum Tom. II. Declam. ſelect. p. 218. de ea ita ſcribit: *In mea prima editione quaedam deſiderabantur. Quamquam autem adjici illa prodeſt: tamen modus adhibendus eſt in locupletandis praeceptis, ne deterreantur adoleſcentes prolixitate.* Hactenus Melanchthon. Nunc autem (verba ſunt *Andr Wilkii* Praef. in Muret.) ex centum et duodeviginti pagellis: tot enim verum Philippi Grammaticae ſyſtema conſtructum eſt: ſexcentas: convaſatis undique laciniis, et vel ex orco conſcriptis fabulis conſuunt et compilant. Quaſi meritorium ſit et utile artificium, quod non praeparat, ſed detinet; non expedit, ſed impedit; non juvat, ſed dejuvat ingenia.

Saniori ergo conſilio conſcriptum videtur eſſe, quod reſpectu perſpicuitatis et facilioris methodi commendari in exemplum poſſit, et a Troetdorfio,

ſio, viro de re ſcholaſtica olim meritiſſimo, concinnatum et initio ſuperioris ſaeculi recuſum eſt ſub ſequenti titulo: *Compendium Praeceptionum Grammaticarum Philippi Melanchthonis in uſum Scholae Gorlicienſis gnoriſmata regularum in Syntaxi et formae applicandi exempla omnia tradita et feliciter uſurpata a* Valentino Trocedorfio *in Schola Goldbergenſi, edita opera* Laurentii Ludovici, Leobergenſis, Gorlicii 1634. 8. Item illud Compendium, quod a Scholae Martinianae Brunſuicenſis Rectore *Sigiſm. Strophio* confertum ſic inſcribitur: *Elementa Grammaticae Latinae Phil. Melanchthonis, quae juxta priſtinam brevitatem continent praecepta communiora et uſitatiora prorſus ad conformitatem regularum et exemplorum conſcripta per* Sigismundum Strophium. Brunſvigae 1604. 8. Item *Valentini Weinrichii Grammatica Philippo-Linacri*, et *Ejusdem Manuductio ad eam.*

Aegidii MENAGII *Juris Civilis Amoenitates.* Pariſ. 1677. Francof. et Lipſ. 1680. 8.

Praeſertim caput 39, quod agit de Etymologiis JCtorum, cauſae noſtrae ſervit.

Guil. Inſulani MENAPII *Silva obſervationum ſingularium linguae Latinae.* Colon. 1523. 8.

Pro illo ſane tempore, quo conſcriptus eſt, liber valde exaſciatus.

Karoli MENNICKEN *Formulae Epiſtolarum in omni genere ſcribendi, ex familiaribus M. T. Ciceronis et Aeneae Silvii extractae.* Sine mentione loci 1490. fol.

Joh. Conradi MERKII *Caſtellum Sermonis Latini.* Conf. ſupra *Joſeph. Laurentium.*

Georgii MEYWALDI *Uſus praepoſitionum ex toto Ovidio excerptus.* Budiſſae 1691. 8.

Hier. MERCURIALIS *Variarum Lectionum libri VI.* Pariſ. 1585. 8. Baſil. 1676. 8.

Varia pertractat, quae ad Criticam potiſſimum ſpectant, et Palaeographiam.

Johannis MEURSII *Exercitationes Criticae.* Lugduni Batavorum 1599. 8.

Pars prior emendationes in Plautum; Pars poſterior miſcellanea continet.

Jo. MICRAELII *Tractatus de copia verborum et rerum.* Stetini 1656. 8.

Eraſmi veſtigia premit.

P. Frid. MINDANI *De lingua Latina Opus abſolutum.* Baſil. 1592. 8.

Octaviani

Octaviani MIRANDVLAE *Illuſtrium Poetarum flores, in locos communes digeſti.* Argentorati 1567. 8. 1588. 12. Baſil. 1583. 8. Bremae 1619. 8.

Selectiſſimum hoc quidem in genere, et juventuti ſcholaſticae utiliſſimum penu exhibet. Vellem, recuderetur in uſum ſcholarum.

M. Adami Erdmanni MIRI *Elegantiae Latinitatis, tam verbales, quam reales.* Lipſ. 1691. 8.

Ultimae caveae liber, hoc quidem in genere, quum Valla, Eraſmus, Schorus, Silvius, Pareus, Hadrianus, atque horum inſignes rhapſodi Reyherus et Vogelmannus abunde ſufficiant.

EIVSDEM *Lehrart von den Inſcriptionibus argutis.* Budiſſae 1716. 12.

Franciſci MODII *Nov-Antiquae Lectiones.* Francof. 1584. 8.

Inſertae etiam ſunt Tomo IV. Theſauri Gruteriani. Tributae hae Lectiones Nov-Antiquae Modianae in Epiſtolas centum, et quod excurrit: in quibus infinitis locis Latini auctores, qui ſoluta ac ligata ſcripſerunt, ſupplentur, emendantur, notantur.

Jo. Joach. MÖLLERI *De verſu inopinato in proſa.* Lipſ. 1688. 4.

Auguſtini Mariae de MONTE, Savonenſis, *Commentatio de quibusdam Sacrae Scripturae locutionibus, quae imperitis et indoctis parum Latinae videntur:* quam cum aliis Ejusdem Auctoris Commentationibus *Johannes Erhardus Kappius* recudi curavit Lipſiae 1723. 8.

EIVSDEM *Latium reſtitutum ſ. Latina lingua in veterem reſtituta ſplendorem, Partes IV.* Romae 1720. 8.

EIVSDEM *Minerva Sanctiana impugnata,* cum *Ejusdem Grammaticorum Apologia.* Vide infra *Sanctii Minervam.*

Andreae MORELLII *Specimen univerſae rei nummariae antiquae,* cum *Ezech. Spanhemii ad Andr. Morellium Epp. V.* cum figg. aen. Lipſ. 1695. cum figg. aen.

Specimini huic ſucceſſit *Theſaurus Morellianus, ſive Familiarum Romanarum Numiſmata omnia, undique conquiſita.* Accedunt *Nummi miſcellanei urbis Romae, et Golziani dubiae fidei omnes, cum Commentariis* Havercampi. *2 voll. cum figg.* Amſt. 1734. fol. Auctor, Illuſtris.

luſtriſſimi quondam Comitis Schwarzburgici, Antonii Güntheri II. Antiquarius, ad munus ſuum ornandum ſtrenuae admodum incubuit, atque adeo in ſtudio numiſmatico excelluit.

Guil. MORELLI *Theſaurus vocum omnium Latinarum, ordine Alphabetico digeſtarum, quibus Graecae et Gallicae reſpondent.* Aurel. 1608. Pariſ. 1622. 4. Egrod. 1721. 4.

Hujus generis Vocabularia prodiere in Germania complura v. g. *Nomenclator Latino-Germanicus*, hoc eſt, *Latinae linguae Compendium in uſum ſcholae Hamburgenſis concinnatum et excuſum, Hamburgi 1659. 8.* Ordinem tenet hic Morelli Theſaurus non alphabeticum, ſed quem conditio rerum omnium ſuggerit. Eſt autem diſtributus in locos 128.

Theodorici MORELLI *Enchiridion ad copiam verborum haud infrugiferum.* Lugd. 1536. Colon. Agrippinae 1529, 1534, 1537, 1572, 1577, 1581, 8. it. 1616. 12.

Ex aureo Eraſmi de copia verborum et rerum libro maximam partem concinnatum eſt.

Danielis Georgii MORHOFII *Polyhiſtor litterarius, Philoſophicus et Practicus, cum acceſſionibus virorum Clariſſimorum* Joannis Frickii *et* Joannis Mölleri, Flensburgenſis. *Editio tertia, cui* Praefationem, notitiamque Diariorum litterariorum *praemiſit* Jo. Albertus Fabricius, *SS. Theol. D. et Profeſſor in Gymnaſio Hamburgenſi.* Lubecae 1732. 4.

Tomi I. libri tres priores, ab ipſo Auctore recenſiti, caſtigati ac locupletati, ipſo ſuperſtite prodierunt Lubecae 1688. 4. Reliqui libri quatuor ejusdem Tomi I. auſpiciis *Friderici Benedicti Carpzovii*, Germaniae noſtrae Peireſcii illius, cura viri cujusdam docti, cui Carpzovius laboris hujus ſuſcipiendi auctor fuerat, prodierunt, ſed varie interpolati, ſine ullo ſigno diacritico, quid Morhofio, quid editori eorum anonymo debeatur. Tomus II. et III. ex diverſis ſchedis, MSS. et Commentationibus Polyhiſtoricis Morhofianis, per *Joannem Müllerum*, ſcholæ Flensburgenſis Rectorem, conflatus eſt. Atque tantis augmentis locupletatus Polyhiſtor hic Morhofianus ſecundum prodiit Lubecae 1704. 4. In his, quae poſt pia Morhofii fata acceſſerunt, praeſertim quod ad Tomos binos poſteriores attinet, minor perfectio, minor ſelectus, minor judicandi ἀκρίβεια, nec ea ineſt dictionis puritas atque elegantia, quae in Tomi I. libris prioribus, ab ipſo Morhofio editis, regnat. Prima editio, ut ut imperfecta, in pretio tamen haberi debet, eo quod ab ipſo Morhofio procurata eſt, et mendis vacat; quorum in hanc ultimam editionem infinitus prope irrepſit numerus.

Ad cauſam noſtram praecipue ſpectat Tomi I. Libri II. Caput IX. *De Methodo in linguis, Latina praecipue et Graeca, diſcendis tenenda.* Caput

Caput X. *De Curriculo Scholaſtico*, quo non tantum varia ſaluberrima monita de educatione et ludis aperiendis, ſed etiam §. 28. 29. 30. 31. 32. 33. ea occurrunt, quae latinitatis addiſcendae methodo ſubſervire poſſint. Caput XII. *De Paedagogia Regia*, ubi §. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. praecipue heic in cenſum veniunt. Caput XIII. *De Exercitationibus in ſoluta oratione inſtituendis.* Caput XIV. *Exempla imitationum* exhibens. Caput XV. *Syllogen* ſiſtens *exemplorum*, *ſtrictiore imitatione ex Epiſtolis Ciceronis, quas Melchior Junius ſecundum omnia genera collegit, expreſſorum.* Caput XVI. *De Exercitationibus in oratione ligata inſtituendis.* Et Libri III. Cap. II. *De Excerptis Phraſeologicis.* Caput IV. continens *Exempla Excerptorum, Lexicorum et Obſervatoriorum.* Caput V. *De Excerptis Criticis, Exegeticis, Antiquariis.* Caput VI. *De Excerptis ornatae orationis.* Caput VII. *De Excerptis copioſae orationis.* Caput VIII. *De Excerptis Oratoriis ſyſtematicis.* Caput IX. *De Excerptis Oratoriis Enthymematicis.* Caput X. *De Excerptis Poëticis.* Caput XI. ſiſtens *Ideam Lexici Poëtici pro translatis.* Et Libri IV. Caput I. *De linguis et ſcriptura.* Capitis III. §. 5. ubi *Jacobi Hugonis* abſurdi pro Latina lingua et in Romae Italiaeque originibus veſtigandis labores exploduntur. Caput IX. *De lingua Latina.* Caput X. *De Grammaticis linguae Latinae.* Caput XI. *De linguae Latinae auctoribus aureae aetatis.* Caput XII. *De auctoribus Latinae linguae ex aetate argentea.* Caput XIII. *quo auctores aetatis aeneae Latini recenſentur.* Caput XIV. *quo auctores Latini aetatis ferreae recenſentur.* Et Libri V. Caput I. *De ſcriptoribus Criticis.* Caput II. *De ſcriptoribus Antiquariis.*

EIVSDEM *De Patavinitate Liviana liber.* Kilon. 1684. 1685. 4.

Aureus ſane liber eſt, non modo quod prae auro nitet, ab exquiſita arte et ingenio profectus, ſed etiam quod auream aetatem veterum auctorum, et praeſertim Livium defendit contra Aſinii Pollionis aliorumque ſciolorum iniquas cenſuras. In *Volumine Diſſertationum Ejus Academicarum, Hamburgi 1699. 4. edito*, denuo publicatus eſt, a p. 471. usque ad p. 592. locum ſuum occupans.

EIVSDEM *Commentatio De diſciplina argutiarum.* Sine loci mentione edita 1693. 12. Recuſa ſub titulo *Tractatus de arguta dictione* Lubecae 1705. 8.

Haec et binae ſubſequentes Commentationes referendae ſunt inter monumenta ingenii Morhofiani poſthuma. Conſtat *Commentatio haec* tribus ſectionibus, et Lectiones Morhofii noſtri de arguta dictione Academicas exhibet; quas ille publice quidem, in *Commentario de Lingua et Poëſi Germanica vernaculo*, litteratis jam erat pollicitus, ſed facie haud dubie, ſi vixiſſet, longe cultiori, ac limam expertas accuratam, dediſſet. In lucem autem, inſciis heredibus, incertum, a quo, protruſae ſunt, neque tamen tot, ut *Möllerus* in *Prolegom. in Polyh. Morh. p. 53.* et *in ſubjecta nota, quae Tomo I. p. 981. occurrit*, adfirmat, ſphalmatis graphi-

cis

cis et typographicis foedatae: *Polyhiſtor* ſaltem longe pluribus ac gravioribus ſcatet, quantum quidem ad editionem ejus tertiam. Prodiit inſuper etiam habitu cultiori Lubecae 1731. 8. cum Praefat. *Joh. Henr. a Seelen.* Recenſum ejus ſiſtunt *Lipſienſes*, in *Actis Eruditorum, M. Sept. 1693*, atque *opuſculum hoc*, ut ſolent, quae Morhoſium agnoſcunt parentem, *eruditione plane ſingulari, egregiisque animadverſionibus, maxime Oratoriis, eſſe refertum*, pronuntiant. Et *Thomas Crenius* Parte I. Animadv. cap. 7. §. 4. p. 122. *commentationem* vocat *doctiſſimam.*

EIVSDEM *Liber de pura dictione Latina, ex recenſione* Joh. Laur. Moshemii. Hannoverae 1725. 8.

Sedecim omnino ſunt *capita*, quibus exhauſtum voluit omnem de pura dictione laborem. *Primum* praecipit, quid ſit pura dictio: *Cap. 2.* de characteribus externis purae dictionis: *Cap. 3.* de pura dictione conſiderata ratione characterum interiorum: *Cap. 4.* de proprietate vocum: *Cap. 5.* de proprietate vocum ex uſu aeſtimanda: *Cap. 6.* de nomenclatoribus: *Cap. 7.* de Lexicorum et Indicum ſcriptoribus: *Cap. 8.* de phraſibus earumque ſelectu et phraſiologicis ſcriptoribus: *Cap. 9.* de vocibus barbaris et Germaniſmis: *Cap. 10.* de verbis et phraſibus civilibus et formulis L. L: *Cap. 11.* de obſervatione puritatis inſtituenda: *Cap. 12.* de translatis, quae loco propriorum adhibentur: *Cap. 13.* de Particulis earumque accurata obſervatione inſtituenda: *Cap. 14.* de Particulis connectentibus, expletivis earumque variatione: *Cap. 15.* de puritate dictionis ratione formae conſideratae: *Cap. 16.* de ſententia puri ſermonis.

EIVSDEM *De legendis, imitandis et excerpendis auctoribus, libellus poſthumus*, editus cura Prof. *Kohlii.* Hamburgi 1731. 8.

Petri MOSELLANI (Schadii) *Tabulae de Schematibus et Tropis in Rhetorica* Phil. Melanchthonis, *et in* Deſ. Eraſmi *libellum de duplici copia.* Pariſ. 1529. ex off. Rob. Stephani.

Speciatim Auctor, Profeſſor Lipſienſis, amicus Melanchthonis, metaphorarum erat obſervantiſſimus, earumque ex Cicerone aliisque optimis ſcriptoribus collectarum, inſtar Adagiorum Eraſmi, editurus opus, ſi annos aliquot ſupervixiſſet.

Ludovici Antonii MVRATORII *Novus Theſaurus veterum Inſcriptionum in praecipuis earumdem collectionibus hactenus praeteritarum*, cum figg. Tom. III. Mediolani 1730. fol.

Conf. infra Opus Inſcriptionum Reineſianum.

M. Ant. MVRETI *Variarum Lectionum libri IV.* Antwerp. 1580, 1586. apud Plantin. 1688. 8.

EIVSDEM *Lectiones et Obſervationes variae.* Aug. Vindel. 1600. 8. Haec bina opuſcula inſerta etiam vides Tomo II. Facis Gruterianae.

EIVSDEM *Variarum Lectionum libri VIII.* Venet. ap. Zilettum 1559. 4.

EIVSDEM *Variarum Lectionum libri XV.* Lugd. 1594. 12.

Ciceronis praeſertim plura loca, quae vel in vitio cubant, vel controverſiis eruditorum praebent materiam, mox ſanare, mox illuſtrare conatur, et quidem pro eximio ſui judicii acumine fauſto plerumque ſucceſſu.

EIVSDEM *Orationes III de ſtudiis litterarum;* Venet. 1555. ap. Aldum. 4.

Johannis MVRMELII *Opuſcula duo ad puerorum uſum diligentem recognita, extremaque manu abſoluta, unum de verborum compoſitis, alterum de verbis communibus ac deponentalibus;* Monaſterii 1504, *ab Auctore in Praefatione* Ludolpho Heringo Hammonio *nuncupata, ſed 1515. per* Valentinum Dammendrum, *impreſſoriae artis ſtudioſiſſimum, impreſſa,* in 4to. Recuſa Hamburgi 1587. 8.

EIVSDEM *Loci communes aurearum et elegantiſſimarum ſententiarum ex elegiis Tibulli, Propertii et Ovidii collecti.* Hildesh. 1655. 8. Acceſſerunt *Frid. Taubmanni ſententiae et libellus metricus,* opera *M. Henning. Proſenii,* Lipſ. 1619, 1666, 1712. 8.

EIVSDEM *Scoparius in barbariei propugnatores et oſores humanitatis.* Colon. 1518. 4.

Liber eſt apprime eruditus. Auctor fuit Eraſmi et Buſchii condiſcipulus, Alex. Hegii auditor.

Frid. MVZELII *Clavis veſtibuli Marchici ac totius latinitatis,* ſive *Lexicon ſecundum colloquia.* Berol. 1747. 8. Scripſit etiam *Compendium univerſae latinitatis* 1738, 1745. 8.

Abrah. MYLII Tr. *de lingua Belgica ſ. de illius communitate tum, cum pleriſque aliis, tum praeſertim cum Latina, Graeca et Perſica.* Lugd. Bat. 1612.

Joh. Chriſtoph. MYLII Diſſ. *de ſancta quorumdam in abolendis l. mutilandis auctoribus claſſicis elegantioris latinitatis ſimplicitate.* Jen. 1741. 4.

Mich. NEANDRI, Ioachimici, *Methodorum in omni genere artium brevis et ſuccincta* ὑφήγησις. Baſil. 1556. ex off. Joh. Oporini. 8.

EIVSDEM *Formulae Epiſtolarum familiarium.* Lipſ. 1591. 8.

EIVSDEM *Sylloge locutionum et formularum Latino-Germanicarum.* Lipſ. 1598. 8.

Aelii Antonii NEBRISSENSIS *Grammatica.* Compluti 1524. Lugd. 1541.

Inter primos Grammaticae artis reformatores eſt. Verum et genuinum ejus nomen eſt *Antonius de Lebrixia*, et obiit diem ſupremum 1522. Ipſe ſibi nomen Aelii adſcivit, atque hinc vulgo *Ael. Antonius Nebriſſenſis* vocatus eſt. De hac ejus Grammatica et reliquis operibus copioſe tractat *Morhofius* de pura dictione cap. 15. §. 6. p. 265. *Ludovicus de la Cerda* veſtigia Nebriſſenſis hujus ſtrenue tuitus eſt, quandoquidem *Ejus Grammaticam* retexuit, multaque de ſuo addidit, nova aliqua methodo, noviſque commentariis artem illam proponens.

EIVSDEM *Lexicon Juris civilis.* Antverp. 1527. 8.

EIVSDEM *Dictionarium.* Hiſpali 1612. fol.

EIVSDEM *Dictionarium propriorum nominum.* Madriti 1612. fol.

Joh. NEMII *Orthographiae ratio.* Antw. 1572. ex officina Plantin.

EIVSDEM *Adnotationes in Syntaxin Eraſmi.*

Dionyſii NESTORIS Novareni *Opus Grammaticum.* Venet. 1496. fol.

Multis, pro tempore illo, ſuperfluis, immo et quisquiliis, non nullis ſcadet. Auctor tamen referendus merito quodam ſuo eſt inter eos, qui poſt depulſam quodammodo barbariem bonis litteris lumen aliquod accendere conati ſunt. Dedit etiam *Dictionarium* ſeu *Vocabula ſecundum Alphabeti ordinem*, *Ludovico Sfortiae* dicatum, in lucem emiſſum Venet. 1488. recuſum poſtea Pariſ. 1496. et Argentor. 1502 et 1507. fol. in quo Lexico ſuo Papiae et Vgutionis, Hugutionis l. Huiguitionis barbarorum Lexicographorum ſomnia, quae appellat, omnibus prope paginis redarguens ſatis docet, quam copioſum modo dicti bini ſcriptores pro iſta temporum ratione lolium tritico ſuo inſperſerint.

Chriſtiani NEVBAVERI, Erfurtini, *Enchiridion linguae Latino-Germanicae e probatiſſimis Auctorum tum antiquorum clariſſimo-*

riſſimorum, tum recentium celeberrimorum Lexicis ſerie vocum Latinarum Alphabetica concinnatum, cumque Indice Dictionum Phraſiumque Germanicarum locupletiſſimo. Erfurti 1691. Francof. et Lipſ. 1651, 1679, 1687, 1706. 8.

Pro incipientibus modo ſcriptum eſt: Quum enim *Calepinus*, *Friſius*, *Daſypodius* voces eo collocarint ordine, quem connexio litterarum poſtulat, nulla diſtinctione inter radices ſ. primitivas habita; et *Faber*, *Corvinus* et *Merkius* ordinem quidem Alphabeti tenuerint, ſed ita, ut diſtinctionem inter vocabula primigenia et derivata adhibuerint; *Junius* autem, *Golius*, *Chytraeus*, *Friſchlinus*, *Beurhuſius*, *Benzius* et *Calviſius* ordinem verborum, neglecta litterarum ſerie, conformarint ad rerum ordinem: ſimpliciſſimam illam methodum ſecutus eſt, quae elementorum inſiſtit ordini, et ſub eodem etiam derivata continet. Quum autem Auctor paullo ſterilior ſit in explicatione vocabulorum, quam par eſt; ei praetulerim non ex hac tantum, ſed aliis etiam rationibus Lexicon illud, quod ex principiis Neubaueri conflatum cum augmentis eſſe videtur, atque ita inſcribitur: *Studioſae juventutis commodo Dictionarium novum Latino-Graeco-Germanicum, Germanico-Latinum, et Graeco-Latinum; ad diſcendas haſce tres linguas methodo facillima adornatum, et operoſa induſtria ex optimis hujus generis libris congeſtum, additis iis, quae in aliis Lexicis uſus quotidiani deſiderabantur, amplius longe et plenius ſollerti et ſumtuoſa cura Joh. Davidis Zunneri, Francof. ad Moen. 1692. 8.*

Reineri NEVHVSII *Examen Philologicum.* Amſt. 1654. 12.

EIVSDEM *Manuale Philologicum.*

EIVSDEM *Florilegium Philologicum.* Amſt. 1650, 1658. 12.

EIVSDEM *Synopſis Etymologica* ſive *De originibus linguae Latinae.* Amſt. 1642, 1652. 12.

Libelli ſunt, ex Voſſii operibus potiſſimum conflati, at ea ſingulos locos brevitate ſiſtentes, ut viva magiſtri voce interprete egere videantur.

Jo. NICOLAI *Tractatus de Siglis veterum, omnibus elegantioris litteraturae amatoribus utiliſſimus, in quo continentur, quae ad interpretationem numiſmatum, inſcriptionum, juris et fere omnium artium requiruntur, cujus ſubſidio facile litterae explicari poſſunt.* Lugd. Bat. 1703. 4.

Liber elegantiori litteraturae illuſtrandae valde inſerviens. Siglarum enim notitiam omnibus eruditis maxime neceſſariam eſſe, qui veterum monumenta explicare, et numiſmatum impreſſiones intelligere laborant, nemo facile negabit, niſi elegantioris eruditionis ſit oſor et contemtor.

Johannes NIESS *De ortu et occaſu Latinae linguae, cum ejusdem inſtaurandae modo.* Dillingae 1627. 12.

Non ea diligentia, qua poterat, argumentum hoc tractavit, judice Morhoſio.

Chriſt. NIRMVNTANI *Dictionarium harmonicum de harmonia linguae Latinae cum Graeca, Gallica et Italica.* Francoſ. 1625. 8.

Marii NIZOLII *Theſaurus Ciceronianus*, ſeu, ut primo vocabantur, *Obſervationes in Ciceronem.* Prodiit primum Baſil. 1520, 1535, 1548, 1551, 1559, 1563, 1572 et 1583; Venetiis ab Aldo Juniore 1548, 1561, 1563, 1570; tum poſt *Baſilii Zanchii* et *Coelii Secundi Curionis* operas inſigni acceſſione auxit eum *Marcellus Squarcialupus* Plumbinenſis, et hac nova facie prodiit rurſus Baſileae 1576. et 1583; tandem locupletiorem prodire fecerunt *Jacobus Cellarius*, Auguſtanus, *Chriſtophori* Smalcaldienſis, qui latinitatis cauſam his noſtris temporibus egit quam ſtrenuiſſime, proavus, Lugd. Bat. 1588. Baſil. 1583, 1595. Francoſ. 1613. fol. et *Alexander Scot ſ. Schottus*, Lugd. 1608. Pariſ. 1622. Gerae 1627. 4.

Huic *Theſauro Nizoliano*, tamquam Tomum alterum, *Aerarium* ſuum Francoſ. et Baſil. 1631. editum adjecit *Lud. Lucius*, in quo reliquorum etiam auctorum dictionem ex *Foro Romano* compilavit et contraxit. Prodiit autem hac facie ſub titulo *Marii Nizolii Latinae linguae Theſauri bipartiti ex edit. Lud. Lucii.*

Etiam hoc addendum eſt, quod hic *Theſaurus Nizolii Ciceronianus*, dicatur etiam *Apparatus Latinae locutionis Ciceronianus ex M. T. Ciceronis libris collectus, auctior factus ab* Alex. Scot, *acc.* Franc. Silvii Progymnaſmatum in artem oratoriam *libellus*: hoc enim ſub titulo prodiit Lugd. 1607, 1608. Coloniae 1612 et Genevae 1642. 4. Reſpondent ei Sectiones Operum Ciceronis, quae cum adnotationibus *Dioniſii Gothofredi* edita ſunt: quibus *Apparatus* ille Repertorii loco eſſe poteſt; magis etiam futurus, ſi in nominibus propriis par cura adhibita eſſet: quae tamen nomina propria in *Theſauro Ciceroniano Caroli Stephani* Pariſ. 1556. edito, itemque in *Penu Tulliano Georgii Ludovici Frobenii* (Indice in Opera Tullii, editionis Guilielmio-Gruterianae, tertio) diligentius collecta ſunt. Prodiit etiam alia ſub forma et titulo ſubſequenti: Marii Nizolii *Lexicon Ciceronianum, ex recenſione* Alex. Scoti *nunc crebris locis refectum et locupletatum: acc. Phraſes et Formulae linguae Latinae ex comment.* Steph. Doleti. *Patavii 1734. fol.*

Quam

Quamquam vero hic *Theſaurus Nizolii* omnem latinitatem Ciceronianam complectatur, et *inſtar Ciceronianae*, ut ita dicam, *Concordantiae* eſſe poſſit; tamen ejus Auctor vim et naturam dictionis Ciceronianae non usque quaque adſecutus ubique videtur eſſe. Saepe haeſitavit etiam in lectionibus antiquis; quod praeter alios non nuper demum animadvertit *Johannes Vorſtius*, ſed dudum vidit, et multis quoque exemplis declaravit *Henricus Stephanus*, cujus *Nizolio-didaſcalus* ſive *Monitor Ciceronianorum Nizolianorum* hanc in rem legendus eſt, *ex ipſius officina 1578. 8. in lucem emiſſus*, et difficulter hodie comparandus. Huc etiam referri poteſt *Ejusdem Stephani Pſeudo-Cicero*, ſive *Dialogus*, in quo non ſolum de multis ad Ciceronis ſermonem pertinentibus, ſed etiam quem delectum editionum ejus habere, et quam cautionem in eo legendo adhibere debeat, Lector monetur: editus autem hic *Dialogus* itidem eſt ex ejusdem officina 1567. it. 1577. 8.

Hic Nizolius noſter integro decennio ſomnum oculis ſuis haud vidit, quod ex *Heurnii* de morb. capit. c. 16. refert *Joh. Jonſtonus* in Thaumatographia naturali p. 492.

EIVSDEM *Defenſiones aliquot locorum Ciceronis contra Disquiſitiones* Calcagnini. Subjunctae ſunt ad calcem *Ciceronis libris tribus de Officiis, Catoni Maj. Laelio et Paradoxis, cum* Petri Marſi, Franc. Maturantii, Omniboni, Mart. Philetici, *et* Aſcenſii *Commentariis et aliorum doctiſſimorum Virorum adnotationibus*. Venet. 1568. fol.

Plenius et perfectius Theſauro hoc Nizoliano *Ciceronianum Lexicon* adornandum in ſe ſuſcepit *D. Georgius Petrus Schulze*, Profeſſor in Academia Francofurtenſi Viadrina. Vid. Neubeſtellter Agente Tom. 3. pag. 611. ſeq. *Dionyſius* quoque *Gaultierius*, ille cujus *Praecepta linguae Latinae et Gallicae* viderunt lucem *Pariſiis 1716. et 1718. 12. tribus voluminibus*, ſpem fecit vulgandarum a ſe *Concordantiarum Ciceronianarum*. Vide Ephemerides Pariſienſes, Journal des Savans A. 1718. menſe Dec. pag. 697. et A. 1719. Maj. pag. 595. Non dum tamen per famam ad aures noſtras pervenit, utriusque quicquam hoc in genere exiiſſe.

Nicolai NOMESSEII, Charmenſis Lotharingi, *Parnaſſus Poëticus biceps. Cui, poſt ſacram Poëſin, ad novem priores Muſas, decima, nullo viſa oculo Echo, acceſſit. Vltima editio, omnium, quotquot ſunt, terſiſſima, plurimis locis a* Johanne Buchlero *aucta*, Officina Poëtica ejusdem *ſub finem addita. Cum duplici verborum omnium Indice.* Colon. Agripp. 1619. 8.

Locupletiſſimum ac ſelectiſſimum ac bene digeſtum Excerptorum Poëticorum penum exhibet, quod mirifice adjuvare conatum eorum poſſit, qui animum ad haec ſacra appellunt, et ſani coloris carmina conſcribere ali-

quando cupiunt. Denuo autem hic liber prodiit Moguntiae 1629. 8 majtitulo ſic aliquantulum immutato: Nicolai Nomeſſeji, Charmenſis Lotharingi, Parnaſſus bicollis, ab ipſo auctore recognitus, multis phraſibus ac periphraſibus Poëticis auctus, nec non 148 circiter novorum titulorum acceſſione locupletatus, quos 15 pagina indicabit. Acceſſit ad priores novem Muſas decima Echo, multis quam antea modis perfectior, in gratiam eorum, qui rariorum ac difficiliorum carminum ſunt ſtudioſi. Editio omnium ultima, cui, poſt ſacram poëſim, noviter addita eſt Farrago diverſorum vocabulorum ad compoſitionem Echus neceſſariorum copioſiſſima.

Henrici NORISII, Cardinalis, *Cenotaphia Piſana Caji et Lucii Caeſarum.* Venetiis 1680. fol.

EIVSDEM *Latinitas et Orthographia utriusque Piſanae Tabulae*, Schurzfleiſchii Orthographiae *ſubjuncta.* Vitembergae 1707. 8.

Hujus non minus dignitate, quam eruditione Eminentiſſimi Cardinalis *Opera omnia quattuor Tomis in folio* prodierunt *Veronae 1732:* quorum quidem *Tomus I.* continet Hiſtoriam Pelagianam; Diſſertationem de Synodo Aquilienſi; Vindicias Auguſtinianas; Adventoria Franc. Maced. etc. *Tomus II* Annum et Epochas Syro-Macedonum; de nummis Mediceis; Faſtos Conſulares Anonymi, etc. *Tomo III.* Cenotaphia Piſana; Apologias Monachorum Scythiae; Anonymi ſcrupulos; Veteres Janſeniani erroris calumnias etc. *Tomus IV. continet non dum vulgata*, ſcilicet Hiſtoriam Donatiſtarum; Lectiones Noriſianas, Hiſtoriam Gotheſcalcanam; Epiſtolas varias; Appendicem ad Noriſii Editionem etc.

EIVSDEM *Duplex Diſſertatio de duobus nummis Diocletiani et Licinii, cum auctario Chronologico de votis decennalibus Imperatorum ac Caeſarum.* Patavii 1676. fol.

Joh. NORWEGI *Promtuarium Grammaticum.* Acceſſit *Nomenclator Grammaticus* ſ. *Bibliotheca Grammatica.* Francof. 1621. 8.

NOTITIA *Auctorum veterum aureae praeſertim et argenteae aetatis, ubi de rebus eorumdem, ſcriptis, dictione atque editionibus diſſeritur.* Praemittitur *Conſilium de optimis ſubſidiis ad comparandam Latine ſcribendi facultatem.* Jenae 1710. 8.

Libellus hic ἀνώνυμος prodiit: videtur autem opus poſthumum viri cujusdam eruditi eſſe, quum Cap. 3. De Catone p. 61. veterem editionem Bibl. Lat. Fabricii citet, et ex eadem Fabricium erroris cujusdam incuſet, quamquam in eo auctor ſibi non ſatis conſtet, ſibique ipſi contradicat; quumque porro Cap. 5. de M. Terentio Varrone p. 80. dicat, ſe eamdem Bibliothe-

bliothecam Latinam Fabricii emendatiorem et magno apparatu locupletiorem exſpectare, quum tamen haec ipſa iterata editio jam a. 1708. prodierit.

In ipſo libro notitia ſuppeditatur Ciceronis, Plauti, Catonis, Terentii, Varronis, Corn. Nepotis, Salluſtii, Jul. Caeſaris, A. Hirtii, Livii et Phaedri, et quidem totidem capitibus, id eſt, undecim. In conſilio, quod libello praemittitur, recenſentur praeſtantiora Lexica, Etymologica et complures libri, qui de ſtilo, Orthographia, genuina et ſpuria latinitate, de differentia vocum, de Particularum uſu et de media infimaque latinitate agunt. Ipſe liber non niſi ſpecimen aliquod exhibere videtur talis laboris, cujus telam vellemus ab auctore pertextam fuiſſe. Sphalmatis typographicis vehementer ſcatet: nomina praeſertim auctorum propria ita ſubinde depravata intuemur, ut minus exercitatis caliginem objiciant ac nebulas valde hiſpidas.

NOUVELLE METHODE *pour apprendre facilement la langue Latine: contenant les regles des Genres, des Declinaiſons, des Preterits, de la Syntaxe, de la Quantité, et des Accents Latins, miſes en François, avec un ordre tres-clair et tres abregé: preſentée au Roy, augmentée d'un grand nombre des remarques tres-ſolides, et non moins neceſſaires pour la parfaite connoiſſance de la langue Latine, que pour l' intelligence des bons Auteurs. Tirée de tous ceux, qui ont travaillé ſur cette langue, avec plus de ſoins et plus de lumiere: avec un Traité de la Poëſie Latine, et une brieve Inſtruction ſur les regles de la Poëſie Françoiſe.* A Paris 1601, 1655, 1667, 1696, 1714. 8 maj. A Bruxelles 1677. 8.

Haec Grammatica compendioſa quidem eſt, ſed copioſa tamen ſimul et egregia quadam ubertate commendabilis. Proficiſcitur ab auctore anonymo, in uſum Gallicanae juventutis, Gallice: in quo quidem ſecutus auctor eſt *Rolandi Mareſii*, ſui conterranei, aliorumque prudentiſſimorum virorum conſilium, qui Grammaticam linguae ignotae eadem lingua ſcriptam pro abſurda et inepta re habent. *Placcius de Scriptoribus Anonymis p. 109. ſeq.* hoc Grammatices compendium mirifice probat, qui etiam *D. Trigny* ejus auctorem facit, et digniſſimum judicat, qui, a capite ad calcem in Latinam linguam translatus, ab eruditis legatur, quum ejus Auctor *Sanctii*, *Scioppii*, *Voſſii*, aliorumque praeſtantiſſimorum Grammaticorum placita in unum quaſi redegerit corpuſculum. Eodem etiam auctore exiiſſe videtur *Nouvelle Methode pour apprendre facilement la langue Grecque.* Paris 1696. 8.

NOUVELLE METHODE *pour apprendre facilement la langue Latine par Meſſieurs de Port-Royal.* Avec *un Traité de la Poëſie Latine* et *une brieve Inſtruction ſur les Regles de la Poëſie Françoiſe.* Edit. VIII. Pariſ. 1696. Amſterd. 1698, 1709. 8.

Pro eleganti et ſalutari opuſculo habetur. Ab eodem auctore habemus etiam librum huic ſimilem, conſilia ad linguam Graecam addiſcendam ſuppeditantem, inſcriptum: *Nouvelle Methode pour apprendre la langue Grecque par Meſſ. de Port-Royal.* Paris 1682. 8. Amſterdam 1709. 8.

Petri Joannes NVNNESII *Epitheta M. T. Ciceronis.* Lugd. 1571. 8. Colon. 1571, 1572. 12. Barcinone 1588. 12.

Nunneſius gente eſt Hiſpanus: Hiſpanis autem in reſtitutione latinitatis multa debemus. Hanc noſter latinitatis elegantioris particulam, quam hoc libello ſuo tractat, multo melius edocet, quam *Seb. Figulus;* quo de ſupra. Scripſit etiam *Antonius Jolius* Epitheta Ciceroniana.

OBSERVATIONES *ſingulares circa Latinam linguam.* Francof. 1694. 12.

Adolphi OCCONIS *Imperatorum Romanorum Numiſmata a Pompejo M. ad Heraclium:* accedunt *Inſcriptiones quaedam veteres, Arcus triumphales, et alia ad hanc rem neceſſaria.* Antwerp. 1579. 4.

M. Nicolai OELSCHLEGELII Scholae Provincialis Rutheno-Geranae Collegae, *Centuria controverſiarum Grammaticarum et Lexicarum, continens quaeſtiones non tam utiles, quam jucundas, ſolide ſimul et ſuccincte deciſas, e Grammaticorum coryphaeis aliorumque ſcriptorum monumentis collecta.* Gerae ad Elyſtram 1614. 8.

Per *controverſias Lexicas* intelligit *Etymologicas* ſive *Exegeticas.* Plurima, quae explicat, valde vulgaria ſunt; non nulla haud ubivis obvia: nec ad Latina ſolum, ſed etiam ad Graeca non numquam, et Hebraica delabitur.

Jac. OISELII *Theſaurus ſelectorum numiſmatum antiquorum Romanorum a C. Julio Caeſare ad Conſtantinum M. usque, cum ſingulorum deſcriptione et accurata enarratione.* Amſtel. 1677. 4 maj. cum figg. aen.

M. Johannis OLDEWELT *contra Latiomaſtiges de linguae Latinae antiquitate, amplitudine, ubertate, utilitate, etc.* Diſſertatio: in qua inter alias haec quaeſtio tractatur: *An Graeca Romanae linguae praeferri debeat.* Roſtochi 1611. 4.

Contra eos praeſertim Lat. linguae obtrectatores directa eſt, qui hanc neſcio cujus inopiae verborum ac dictionis ſterilitatis inſimulant, Graecam linguam Latinae longe hoc nomine anteponentes.

Viro

Viro Magnifico et ampliſſimo Hajoni a Neſſa, JC. Patrono meo S. D.

Sic res agitur in plerorumque, principum aulis, vir Magnifice: ne ſc. otio plane marceſcant, alii ad voluntatem et voluptatem omnium omnia loquuntur ac faciunt; alii majores effuſe laudant, minores contumelioſe rident, pares ſcelerate diffamant: alii vel amicorum abſentium ſaluti immenſae capacitatis pocula perniciter abſorbent, vel de bellis, militibus, equis, canibus, ſclopetis, &c. ridicule altercantur. Qui auro et honoribus ſitientiſſime inhiant, mitto; quippe quos a vulgo etiam notari intelligimus. Praeter hos autem ſunt, Themidi et Aſtraeae operam qui navant ſedulam; ita tamen, ut litteras humaniores, ſine quibus ad Divas illas accedere non potuerunt, vel obliviſcantur, vel certe parvi aut nihili faciant. Hinc videas incedere tumidos, elatos, bucculentos, anſatos, in neminem humiles, niſi vel principem, vel ſi quae paullo eſt venuſtior, mulierculam. Tertium genus eorum eſt, qui ſeverioribus ſcientiis et actionibus ſtrenuis adjungunt humanitatem, eamque minime fucatam, ſed veram, ſinceram, inque litteratos omni faventia propenſiſſimam. Hos, ſi quis tam ferae mentis eſt ut non obſervet et veneretur, nae eum merito, non ex hominum modo, ſed vivorum etiam numero exturbandum, homines ſani judicarent. Quum itaque nuper, ampliſſime et conſultiſſime vir, conſiderarem, in tam ſancto ordine te jure optimo vel primum poſſe locum occupare, lapidem et ſaxum me arbitrabar, niſi obſervantiae, quam melior mei pars jamdudum exercet, in te meae argumentum qualecunque quam primum emitterem. Tametſi enim quidquam tua Magnificentia dignum in hac naturae donorum tenuitate, inquae tam aerumnabili fortunae (ſi tamen hanc homini Chriſtiano adpellare fas eſt) caecitate nec exhibere poſſum nec oſtentare: tamen magni cujusdam viri (quem honoris cauſſa multa cum laude nominarem, niſi modeſtiae ipſius parcendum eſſet) jucundiſſimo de te colloquio facile ſum adductus, ut exiſtimarem; M. T. nec magna a me, qui ſum omnium minimus, exſpectaturam, nec parva, ſi quae obferrem, repudiaturam. Quapropter hanc de lingua latina diſſertationem, publice in tuorum Principum Academia a me nuper recitatam, munus profecto tenue et perexiguum, ſi pondus adſpicias et dignitatem, grande et longe maximum, ſi dantis animum, obſervantiae in te meae ſymboli loco accipies, et mihi, quod te tantisque diſtentum negotiis, ut vix libere queas reſpirare, interpellavi, ignoſces.

De lingua Latina Diſſertatio.

Si in minimis rebus, Patres et cives Academici, teſtimonium homines ampliſſimi dicere, quod id vel ex more majorum non liceat, vel amplitudini ſuae et authoritati incommodet, erubeſcunt; nae mihi, homini minimo, de re dicturo maxima, multo magis erubeſcendum eſſe, praeclare intelligo. Quae enim res dicenti imprimis neceſſariae ſunt, eae mihi videntur deeſſe ſingulae. Requiris, Marce Tulli, authoritatem et gravitatem? Neutra in me vel ob aetatem eſſe poteſt, vel ob vitae genus eſſe debet. Poſtulas, Quintiliane, judicii acumen et doctrinae praeſtantiam? et hoc et illud

illud ob naturae tarditatem a me abeſt longiſſime. Quis igitur ego ſum, qui non tantum huc in conſpectum tot clariſſimorum, tot doctiſſimorum hominum auſus ſum prodire, ſed et in animum induco, de Lingua, non vulgari aliqua, ſed multo nobiliſſima, multo utiliſſima, Romana ſive Latina, verba facere? Certe quoties rei magnitudinem et meas ingenii vires una lance appendo, toties, quando illa his infinite praeponderat, pudore ſuffundor, et perturbatione obruor incredibili. Hinc, quum oculos in lectiſſimam hanc ornatiſſimorum juvenum coronam timide et pudibundus demitto, adeſſe video bene multos, qui vereantur, ne mihi idem contingat, quod olim vel Demoſtheni et M. Antonio, oratoribus alioquin diſertiſſimis, qui aliquando, ad magnae viros authoritatis orationem habentes, inſperato obmutuerunt; vel Diodoro Dialectico, quem pudor, ut refert Plinius, extremum ſubire fatum coegit: quibus ego fautoribus et amicis tantum abeſt, ut ſuccenſeam, ut etiam gratas, ſi poſſim, gratias ob benevolentiam hanc atque συμπάθειαν, quam mihi copioſe oſtendunt, habendas agendasque exiſtimem. Verum enim vero paullo quum audentius in editiorem hunc locum, in te, Magnifice Academiae Rector, in vos, viri reverendi, ſpectabiles, ampliſſimi, clariſſimi, oculorum aciem deflecto, tum veſtro ſane vultu erigor, veſtra fronte non mediocriter reficior et recreor: mentem v. veſtram quum mentis meae intueor ocello, pudor omnis ac metus non dico abit, ſed evaneſcit. Quis n. in hoc coetu, vel etiam extra eum in hac urbe et orbe, adeo eſt juvenis, adeo morum veſtrorum ignarus, adeo bardus et barbarus, quem veſtra latere queat aequitas, cui veſtra non perſpecta ſit lenitas, cujus denique animum veſtra non moveat humanitas, non adficiat propenſiſſima in ſtudioſos omnes ac ſingulos voluntas. Tametſi itaque, dum meos artus libro, fatendum mihi eſt ingenue, robur expertum pondus, quod ſuſcepi graviſſimum, vincere et cum laude ferre non poſſe: tamen veſtro, viri, candore, veſtra, Juvenes, modeſtia fretus oneri malo ſuccumbere, quam cum ignominia idipſum abjicere. Tametſi, inquam, pro rei dignitate de ſermone latino in hoc ſplendidiſſimo conſeſſu nihil habeo dicere: exercitii tamen gratia, quod optimi quique probant, nemo improbat, de laudibus ejus praecipuis, quas quidem ego cum pro temporis ratione invenire, tum pro ingenioli mei modulo potui excogitare, paucula in medium huc adferam, nullus dubitans, quin quam benevolentiam vultus veſtri prae ſe ferunt et animo antehac conteſtati eſtis ſinguli, eamdem mihi attente benigneque audiendo, atque adeo, ſi quid liberius dixero, ignoſcendo, praeſtituri ſitis univerſi.

Et ecce, dum praepropere in vaſtum Latinae linguae laudum pelagus me immitto, Auditores, primum, neſcio quei, in mentem mihi venit Antiquitatis; quam profecto, ut ego quidem judico, omnes, quotquot rerum cognitionis aut ſumus, aut eſſe videmur, aut eſſe volumus avidi, meritiſſimo ſuſpicimus et veneramur, cum quod eam a multis retro ſeculis Majores noſtri, quorum facta nobis pro legibus eſſe debent, venerati ſunt, tum quia eo plerumque res ſolet eſſe melior, quo diutius hominum memoriam ſuperavit. Itaque facile adducor, ut exiſtimem, tum demum probe laudatam eſſe hanc linguam, ſi jure ei antiquitatis laus omnium calculo queat adſignari. De qua etſi nihil eſt quod ambigam, inveſtigatu tamen videri

quit

quit difficilis, quando veterum monumentis Romanorum non eſt, quod ſciam, manifeſtata: nempe usque adeo nihil dicimus, quod non eſt dictum prius, nihil tractamus, quod antea non eſt tractatum. Reperiuntur ſane, quos inter et Bodinum refero, qui linguam latinam Graeca multo recentiorem, neſcio quibus moti conjecturis, cenſoria autoritate proclament. Sed hic fortaſſe error, atque haec multorum animis ideo offuſa caligo eſt, quod neque tam longe, ut deberent, retro reſpicere poſſunt, neque Latinae dignitatem defendere, ſi maxime poſſent, volunt. Enim vero cui ex ſacrorum ſcriptorum conſtat annalibus, qua tempeſtate prima linguarum caeperit varietas, ei nullum quit eſſe dubium, quin Latina cum reliquis praecipuis, quas cardinales vocant, nata ſit atque adeo perantiqua. Quis enim tam plenus in Deum, omnis fontem boni, nullius mali, eſt diffidentia, ut non credat et exiſtimet, optima eum quaque lingua, quos tam amabat tenere, et in quibus ſummae ſuae benignitatis pariter ac ſapientiae ſummum voluit conſtituere exemplum, mox beaviſſe? Accidit autem illa linguarum varietas tempore Nimrodi, (quem Joſephus Nabroden vocat, alii Saturnum) primi Aſſyriorum Monarchae, filii Chamae, nepotis Patriarchae Nohae. Hoc etenim rege poſt diluvium imperante, et, ut homines a timore Dei avocaret, turrim, quam aquae ſuperare non poſſent, exſtruente, linguam, quae erat ſancta atque unica, diviſit moderator univerſi in multas, ut ita ſtructores, quum hic hac, ille altera, alius uteretur alia, ſeque invicem minime intelligerent, tamdem aliquando ſuperbiam diſcerent exſuere, Jehovae potentiam bonitatemque agnoſcere, inceptum opus relinquere, mandatis parere, et colonias, quod antea facere recuſarant, in varia et longe diſſita tam maritima quam mediterranea loca transferre. Hinc, reor, cuivis, niſi hiſtoriarum plane ſit ignarus et numerare neſciat videre eſt, linguam Latinam ter mille, ſeptingentos et octoginta amplius annos uſurpari. O igitur antiquitatem memoratu digniſſimam! O linguam ob Antiquitatis authoritatem quorumvis laude majorem! Sed vero non ſum neſcius, pleroſque clamitare, Sermonis diviſionem a Deo in aedificatione turris Babylonicae mortalibus immiſſam, atque ita etiam Latini ortum, vindictam iraeque divinae effectum potius nominandum eſſe, quam bonitatis adfectum, propterea que ſermonem iſtum, aut quemvis alium cum iſto natum, nulla ratione, nedum Antiquitatis, debere commendari celebrarive. His etſi reclamare nolo, ſi paullo tamen adcuratius rem mecum velint penſitare, reſpondere poſſum, haut rerum Rectori omnium difficile eſſe ex incommodo facere commodum, ex poena beneficium. Immo quum damnum videtur infligere, juvat: quum punire, benigne facit. Quamquam itaque illa Sermonis diverſitas, quum primum oriretur, paena fuit graviſſima: poſtea tamen creſcente genere humano multas (quas, ne omnino exorbitem, ſilentio obruo) eidem genuit opportunitates: ita nempe Deus opt. max. una eademque re et iuſtitiam et miſericordiam ſuam ſolet exercere, omniaque ac ſingula ad hominis ſalutem ſapientiſſime dirigere. Quin immo, ut paullo loquar audacius, aequum non eſt, eadem atque una omnes uti lingua, quandoquidem diverſae ſunt regiones, ingenia, fortunae; quibus profecto omnibus, ſi lingua tamtummodo una a Deo immortali mortalibus eſſet data, damna, quae jam vos ipſi

ipſi ſcio cogitatis, darentur quotidie multo maxima. Taceo quod effrenes Chamitae adduci non potuerunt, ut, quod multiplicandi generis gratia bis terve facere erant juſſi, colonias paſſim terrarum ante deducerent, quam linguarum orta eſſet multiplicatio: Ita videlicet bona cauſſa bonum (quei enim alium poſſet?) enixa eſt effectum. Hinc quis tam ſtupidae mentis eſt qui non intelligat, ut res alias, ſic Latinam quoque linguam optimo jure ob antiquitatem ad caelum usque vehi atque extolli? Vetera enim, ut Fabius ait, majeſtas quaedam, et ut et ſic dixerim, religio commendat; Vnde recte decantatur tritum illud divini Ariſtotelis enunciatum: *Τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον.* Quod a. in Latio excellens aliquis ſcriptor ante Ennium et ejus coaetaneos in lucem non prodiit, aut etiamne exſtitit quidem, id temporis injuria, aut neſcio quo fato accidiſſe arbitror. Neque tamen hoc ipſum Sermonis derogat antiquitati, ſed pro dolor felicitati; quae utinam fuiſſet tanta, ut illius cultores primi diligentius aliquanto de propagatione cogitaſſent. Sed quid me fatigem votis? Ferenda haec Majorum negligentia vel ideo eſt, quod et ipſi Graeciae eadem fere ferunt contigiſſe. Nam ante Solonis aetatem et Piſiſtrati de nullo umquam, ut diſerto (talem ego requirebam) memoriae eſt proditum, ut teſtatur in Bruto Oratorum Aquila M. Tullius. Proinde ſinite, Auditores, ut quanto linguam noſtram, latinam dico, hominum memoriam excedere longius animadvertiſtis, tanto laudetur impenſius, tanto excolatur curioſius. At enim vero, ut eidem argumento aliquantiſper immorer, tranſeo nunc ad litterarum, ſive, ſi ita mavultis, elementorum hujus linguae inventionem; quae ſi pervetuſta pariter et pervenuſta demonſtretur, haut parum ei laudis puto acceſſurum. Equidem quum uſus litterarum latinarum, ut et aliarum, cum ipſa lingua non fuiſſet ſtatim exortus, et tamen multa paſſim memoria digniſſima gererentur ac fierent, notulis, quibus utcunque mentis ſenſus repraeſentabant, obliteratis caeperunt poſt aliquod temporis intervallum de quorumdam characterum, quibus res ſuas aeternitati conſecrarent, inventione cogitare. Vnde quidam conjiciunt, immo exiſtimant, prioribus illis ſeculis alias fuiſſe, quam quibus nunc utimur, litterarum latinarum formas, quamvis ad nos eae non pervenerint. Hodierno autem tempore quas uſurpamus, Nicoſtratae Evandri Arcadis matri, quae a vaticinio, ut Solinus ait, Carmentis dicta eſt, et multis ante annis vixit, quam Roma conderetur, recte ex eruditiſſimorum hominum ſententia referuntur acceptae. Nam etſi quidam aliter hac de re judicant; concedite tamen Auditores, ut huic potius, quam dixi, opinioni adſentiar. Neque eſt quod quis temere mihi objiciat, praeter ſanctae linguae litteras et Graecae etiam alias ante latinas fuiſſe. Id n. ſi a me concederetur, ut concedi poteſt, quid quaeſo laudis latio ſermoni tandem adimeret? Certe poſterius inventa non ſemper prioribus ſunt viliora, niſi quis vinum aqua, ſericum lana linoque vilius non minus impudenter quam imprudenter velit dictitare. Quin imo quia poſteriores, ideo meliores cenſendas autumo: quippe, ut Graeci ajunt, *δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι*, ſive, ut Cicero, poſteriores cogitationes ſapientiores ſolent eſſe. Et, ſi vere rem aeſtimemus, crevit paullatim cum hominibus ingeniorum acumen atque induſtria; nec admittenda illorum ſententia eſt, qui priſco aevo majorem animi ſagacita-

tem

tem tribuunt, quam recentiori. Vtut res ſit, latinorum elementorum ſive inventrix ſive inventor bono ſimilis fuit patrifamilias, qui per manus traditas a parentibus aureas maſſas, ut verbis utar acutiſſimi Scaligeri, igne ſolverit, usque dum excoctis ſordibus purum aurum atque putum fecerit. Et, ne diu heic morer, quod obſecro vos, factu fuit facilius, quum tot eſſet alia, ex univerſis latina emendare atque multo reddere venuſtiſſima? Si placet, rem ipſam introſpiciamus penitius. Contemplemur Harmoniam litterarum latinarum: quid ea perfectius? *Singulatim intueamur unamquamque: nonne ipſa natura dicam an ſapientia fuit efformatrix? Certe quum reliquarum linguarum litterae vel caſu exſtiterint et fortuito, vel imitationem ſapiant et artem, hanc ſibi laudem latinae velut propriam vendicant, quod naturae ductu ſummo cum judicio inventae ſunt atque excogitatae.* Quamquam a. non ignoro, Latinarum rationem quondoque a Graecarum dependere: tamen cum eruditis omnibus haut vereor adfirmare, ſuccurrente natura artem omnem mirifice juvari atque exornari. Excipio heic litteram illam plane Graecanicam Y, quae tamen a Graecis, quum minuſcula eſt, paullo aliter pingitur, atque a latinis, et F, quae ab Aeolibus creditur adſumpta, nec non binas illas D. Auguſto Rege a Sylvio quodam, ut ferunt, ludimagiſtro litterarum numero additas, X, nempe et Z. Sunt enim et hae omnino Graecae, neque in iis quidquam eſt immutatum, niſi quod illa in enunciatione apud Graecos valeat CH, apud Latinos CS; quarum etiam litterarum conjunctione antea uſi fuerant pro X, quemadmodum pro Z vel duplici SS, vel DS. Sed quid minutias haſce, frequenti hoc auditorio vel indigniſſimas, vel moleſtiſſimas, commemoro? Audiviſtis latini ſermonis antiquitatem: nunc ejus amplitudinem accedo; quae mehercule tanta eſt, tamque immenſa, ut quoties eam occipio mirari, toties deſinam rimari, immo toties pene obſtupeſcam. Licet enim non confeſtim, quum primum eſſet ortus, usque adeo longe lateque ſe diffuderit: paullatim tamen, ut caeterae res, ſua habuit incrementa, donec tamdem Roma conderetur, ubi mox factus eſt vernaculus, atque ita tempori excrevit, ut iam non inter certos ſe fines ſuſtinuerit continere, ſed cum coloniis, quae amplificata Romanorum potentia paſſim gentium deducebantur, totum terrarum orbem ſit pervagatus. Nam quocunque gens illa Quiritium formidabilis penetravit, ibi virtute et vi virium ſuarum tamtum dicitur valuiſſe, quantum voluiſſe, tantum ad finem perduxiſſe, quantum in animum induxiſſe. Vnde nemo tam fuit ferox atque immanis, quin non ſtatuta ejus modo ac leges, ſed ipſam quoque linguam lubente animo acceptarit. Fateor equidem primo illo tempore, quo Romani alios in ſuam caepere redigere poteſtatem, longe aliam linguae fuiſſe faciem, quam quae nunc eſt; ſed tamen nihilominus tum ſtudio ita fuit exculta, ut ob miram elegantiam juxta ac gravitatem exteri quam plurimi, quibus cum populo Romano erat amicitia, addiſcere eam magnopere laborarint. O vero viciſſitudinem rerum inenarrabilem! Quam ſunt omnia lubrica, fragilia, caduca! Quam nihil eſt in humanis ſtabile atque diuturnum! Quum ad ſummum latina lingua magna cum admiratione ac ſtupore omnium perveniſſet, et per varias non dico terrae ſed mundi plagas ſe extendiſſet, decreſcente imperio Romano repente et illa decrevit, ſuamque

amplitu-

amplitudinem, qua reliquas omnes antecellebat, cum illo amiſit. Verum tamen eſt heic, in quo Domini Noſtri benignitatem Opt. Max. iterum agnoſcamus et praedicemus. Etenim quum ita aliquamdiu peranguſtis eſſet circumſcripta terminis, caepit poſtea rurſum, Deo propitio, pedetentim accreſcere, et longe lateque diſſeminari. De omnibus deinde ſubſequentibus temporibus, quorum aliqua, fateor, non parvam viciſſim hujus linguae experta et paſſa ſunt egeſtatem, me dicere nihil attinet: Quo nunc vivimus, adſpicite. Nonne videtur vobis priſtinam et majorum gentium latinitatis amplitudinem quodammodo recuperaſſe? O magnam divini Numinis providentiam! O bonitatem multo maximam atque ineffabilem! Nulla quippe major eſſe poteſt, quam illud elargiri indignis, quo odium diſſidiumque, quod inter diverſarum linguarum populos ſolet eſſe naturale, tollitur, conſilia communicantur, concordia alitur, Reſpublicae diſſimilimae coaleſcunt atque invicem ſtabiliuntur. Haec autem per latinae linguae uſum latiſſime iam propagatum vere fieri, quis tam perfrictae frontis eſt, qui audeat ire inficias? Quid enim? Nonne hic remotiſſimas diverſiſſimasque gentes ita commercio iungit, ita miſcet, ut ubi ubi vivas, ibi natus eſſe, ibi in patria vivere videaris?

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non ſinit eſſe ſui,

Inquit vates Pelignus. Vnde Vlyxes, quum peragraſſet totum fere terrarum orbem, et praeter illud prodigioſae fertilitatis Aegypti Delta tot amoeniſſimas perluſtraſſet regiones, immo ab ipſis Deabus laute admodum atque regaliter eſſet exceptus, ad aſperam tamen et horridam ſuam Ithacam dicitur properaſſe. At hic hoc efficit in erudito pectore, ut non ſolum non magno patriae teneatur deſiderio, ſed etiam facile ejus obliviſcatur. Biantem ferunt, unum e ſeptem Graeciae ſapientibus, urbe egreſſum ab hoſtibus capta, quum forte rogaretur, cur nihil ſecum bonorum, unde aliquod poſtea vitae ſubſidium eſſet, deportaret, reſpondiſſe: *πάντα ἐμοῦ φέρω*. Quo quidem Laconico reſponſo inter caetera et hoc voluit indicare, viro docto, quocunque locorum veniret, haut difficile eſſe, ſi non ab omnibus, a multis certe, neceſſariae impetrare. Nam nulla umquam gens tam fuit fera, atque ab omni aliena humanitate, apud quam locum aliquem doctrina non invenerit. Idem et nunc dierum, quum in exilium jubentur ire, reſponſitare queunt docti ac gloriari; ſed haut ſcio, an ſine latina lingua. Quotus enim quisque eſt, qui praeter ſermonem vernaculum vel Hebraice, vel Graece, vel Italice, vel Gallice, vel denique aliter intelligit et loquitur? At latina lingua, certus ſum, quod nulla in Chriſtiano Orbe ſit regio, nulla urbs, nullum fere oppidulum, ubi non affatim homines utantur. Hujus quippe beneficio cum Danis, Suecis, Lappis, Finnis, Polonis, Bohemis, Hungaris, Italis, Siculis, Gallis, Scotis, Anglis, Hiſpanis, immo remotioribus etiam populis, feliciter colloqui poſſumus et diſſertare, atque adeo hoc efficere, ut non unius alicujus loci populares, ſed totius Orbis, tamquam unius urbis unis circumdatae moenibus, cives eſſe videamur: Quae profecto cauſſa eſt, quod viri litteratiſſimi commune eam Chriſtianae ſocietatis, vitae, et religionis vinculum indigitare conſueverunt. Haec itaque vel ſola inſtrumentum et eſt

et

et dici meretur, quo qui inſtructi, de doctis loquor, niſi animo ſint abjectiſſimo, in exilium lubenter eunt; niſi prorſus imprudentes, tuto orbem, quem dixi, pererrant; niſi infeliciſſimi, facile optata nanciſcuntur. Sed qui ſit, Auditores? Dum in linguae noſtrae verſor amplitudine, parum caute in ejus praeſtantiam ſimul atque utilitatem, ut haut dubie animadvertitis, incido: ita videlicet vere accidit, ut periculoſum et turbidum aquarum mare jam non mihi tantum, ſed vobis etiam omnibus videar ingreſſus. Sicut enim in illo nautae, quo laborant intenſius, hoc inundantur gravius: ita ego in hoc laudum mari, quo magis eas nitor eruere atque explicare, hoc violentius obruor et pene ſubmergor. Si veſtra tamen ope caput undis efferre queam: Si, inquam, veſtra heic venia de praeſtantia atque utilitate linguae latinae pluſcula mihi verba liceat facere, quae per veſtram fidem praeſtantior eſſe poteſt, quam cujus adminiculo gentes variae populique innumeri a barbarie ſunt vindicati, bonis artibus inſtituti, optimas leges edocti? quae utilior et fructuoſior, quam qua via ad omnem ſapientiam praeparatur, non omnino hebetes et ignavi ad verae eruditionis faſtigium adſcendunt, honeſtiſſimi quique famam ac gloriam ſempiternam conſequuntur. Atqui haec de noſtra lingua rectiſſime dici ſingula, ſi quisquam veſtrum dubitaret, tam luculenter demonſtrarem, ut dies me citius, quam verba deficerent. Quippe quae creſcunt cum evidentia rei: nec quisquam dicere copioſius poteſt, quam quum cauſſam invenit evidentiſſimam. Verum ſupervacaneus eſt inter innocentes orator, inter pacificos miles, inter ſanos medicus. Si tamen in hac optimorum Juvenum concione ſint, qui nimis me liberaliter dixiſſe putent, quando Romana lingua viam praeparari ad eruditionem omnem atque ſapientiam adfirmavi iis pro mediocritate mea reſpondeo breviter, latino ſermone cuivis ad ſcientiam quamlibet capeſſendam non viam modo praeparari ac muniri, ſed et aditum patere; ſiquidem eo magna et praeſtantia ingenia diſciplinas omnes conſcripſerunt, et nihil non cognitione dignum luculentiſſime copioſiſſimeque eſt pertractatum. O vero magnifica laus, atque ejusmodi, qua una omnes aliae complexae eſſe videantur! Non minus tamen haec vere, quam magnifice praedicatur. Qui enim clari fuerunt hiſtorici? qui docti Poëtae? qui ſummi Oratores? qui magni Philoſophi? qui excellentes Medici? qui eximii JCti? qui denique Theologi divini et praeſtantes? nempe ii, qui latine et ſcivere et loquuti ſunt perbene, et res nobis varias easque maximas reliquere. Poſſem vobis commemorare ſingulos; ſed mitto quae ſunt in aprico et omnium quaſi oculis expoſita, atque ad ea me confero, quae nemini, niſi linguae hujus perito, cognita ſunt et perſpecta. In his primo omnium, Auditores, ſingularem deprehendo copiam et ubertatem tam mirificam, ut nec verbis eam commode expedire, nec animo ſatis ſuſtineam comprehendere. Nam tametſi rerum numerus tantus eſt, tamque immenſus, ut totidem eum vocibus humana mens adſequi nequeat: Latinus tamen ſermo adeo ante alios paullatim ab eruditis auctus eſt et locupletatus, ut unamquamque rem vel ſuo nomine vel eleganti periphraſi poſſit indigitare. Nae varios et prope infinitos loquendi modos apud Latinos invenire eſt, quos vulgari ſermone vix et ne vix quidem uno modo recte, proprie et perſpicue reddere atque interpretari valeamus. Quae

me

me res monet et movet, ut judicem, Latium ſermonis ubertate et copia ne ipſi quidem Graeciae, quamtumvis ea ſe jactet, cedere. Judicium juvenile culpatis? Non moleſtum eſt: attamen audite quaeſo pro me detonantem incomparabilem tam Graecae quam Latinae linguae vindicem Joachimum Camerarium, judicem quorumvis judicio acerrimum pariter ac ſapientiſſimum. Vt certa flumina, inquit, ſolent multorum aliorum aquis abundare, et nomina quoque una cum illis quaſi abſorbere, ut omnium celebritas in uno cogregetur atque decurrat: Ita Latina lingua Graeci ſermonis pulchritudinem atque etiam *Copiam* et elegantiam amplitudine ſua *Omnem* comprehendit atque concluſit. Quid hoc dici potuit clarius? Verius etiam dici nihil poſſe, non diffitebitur is, qui ſcriptorum nominisque viri novit ſplendorem; exiſtimabit is qui linguam cognovit utramque; jurabit denique is, qui et adcuratam utriusque notitiam habet, et de utraque recte atque ex animi ſententia judicare non tergiverſatur. Penes quem autem nihil horum eſt, eum jubeo adire numen eruditorum, Coriphaeum Oratorum, facundiae litterarum latinarum vel parentem vel reſtauratorem, cujus ideo apud pleroſque major authoritas, quia vetuſtior. Hunc enim longe inveniet de noſtri ſermonis ubertate ſentientem magnificentius; nimirum eſſe eum non inopem, ut vulgo putant, ſed locupletiorem etiam, quam Graecum. Caeterum ſi latinus, inquiet aliquis, aeque copioſus eſt ac Graecus, cur autores e foro illius tot Graecis utuntur vocabulis? Non fit hoc, Latiomaſtix, niſi ubi res ipſae vel ex Graecorum Schola et civitate promanarunt, ut in artibus et ſcientiis, (ubi tamen facta ſunt latina, quando latinorum ſortita ſcriptionem, terminationem, declinationem) vel peregrinam linguam autoris judicio poſtulant, ut in epiſtolis M. TullI ad Pomponium Atticum et alibi. Credibile enim eſt Eloquentiae parentem ibi Latina Graecis admiſcuiſſe, ut arcana ſive, ut ipſe vocat, myſteria, ſi forte litterae vel eum ſuo vel ejus, ad quem fuerant miſſae, periculo fuiſſent interceptae, tegeret atque occuleret. Pudeat itaque illos, ſi ulla ſupereſt verecundia, temeritatis, pigeat, ſi poenitentia, vanitatis, qui rationibus iſtiusmodi divinae hujus linguae dignitatem, ut Graece ſervent, conantur oppugnare: multo vel magis illos, qui ut reverenter Graeciam duntaxat, Latium contemtim habeant, et hujus derogent majeſtati, illius arrogent, e veritatis quidem ſcrinio, ſed parum caute et circumſpecte objectant, magnam latinarum vocum partem ab Graecis traxiſſe originem. Nam quid per Deum immortalem, (libet enim exclamare) quid inquam hinc ſibi Graecia laudis peculiaris poteſt conciliare? Non ab aliis quoque populis eodem modo nonnullae ſunt adſumptae, inque latinitatem derivatae? Non lar ab Hetruſcis, uligo, a Phoenicibus, gaza a Perſis, Phalanx a Macedonibus, mappa, mapale, alia a Poenis, lancea ab Hiſpanis, currus, rheda, petoritum, carruca, alauda, atque hujusmodi voces aliae quamplurimae, ab aliis receptae ſunt gentibus et civitate Romana donatae? Et quaenam obſecro lingua in hoc Vniverſo tam eſt pura puta, ſanctam ſemper excipio, quae non ex variis ſit conflata? Licet enim in prima illa ſermonis ad Babylonem confuſione cuique ſua adeo conſtiterit proprietas ac puritas, ut nihil ulla, quoad voces, cum reliquis ex ſancta ſimul ortis habuerit commune: progreſſu tamen temporis, quum miſcerentur

tur

tur populi, miſcellae factae ſunt et linguae, et nulla jam eſt, quae primigeniam illam faciem, quae ſingulis fere ſeculis mutata eſt, ab omni parte queat oſtentare. Jam ſi quis pertinacius contendat, linguam Graecanicam, vel quamvis aliam, idcirco laude dignam majori, quod eam in multarum vocum efformatione imitata eſt latina, ex illo quaero, et jure mihi videor quaerere aequiſſimo, cur non et brutorum voces, quas articulatas vocitant, ejusdem laudis faciat participes, quum ab ipſis aeque verba non pauca ficta ſint atque efformata. Proinde noſtrae heic laudem video nullam praeripi: immo enimvero additur, quando ab ea Graecorum quoque ſermo quaedam eſt mutuatus, ut et Fabius teſtatur, et ego probare poſſem pluribus, niſi temporis potius brevitati, quam meae voluntati, obſequendum eſſet. Et quaenam lingua in Europaeo hoc orbe tam barbara eſt, quae non ex hac, tamquam fonte uberrimo juxta ac limpidiſſimo, potaverit? Ut reliquas taceam, nonne Gallica Oratio, teſte ſolertiſſimo rerum indagatore Julio Scaligero, tota pene a latina defluxit et promanavit? Neque eſt, quod hanc ob cauſſam caeteras ſuſpicemur vel corruptas, vel obſcuratas. Nam ſicut gemma aureo incluſa annulo non vitio eſt, ſed ſervitio, non deornamento, ſed ornamento: Ita hic ſermo accedens aliorum ſermoni vernaculo elegantiam redemit, non ademit; ſplendorem contulit, non ſuſtulit. Quid ego nunc dicam, Patres ampliſſimi et cives humaniſſimi, de inſigni latinorum verborum proprietate? quid de inexplicabili vi ſeu poteſtate? neutra cuiquam, opinor, facile cedunt. Enimvero multae ſunt apud aures lautas atque acres voces latinae, quibus peritiſſimorum hominum judicio Graeci ipſi ſuperantur; multae quas exprimere illi nullo modo poſſunt. Quid memorem Orationis Romanorum gravitatem? quid verborum rotunditatem? quid numerorum majeſtatem? quibus omnibus, dicente iterum Scaligero, Graecis antecellunt: Quid cenſeam ſuavitatem? qua cum illis contendunt: quid nitorem ſeu venuſtatem? qua eis vel ſuperiores ſunt, vel certe non inferiores. Sed ne in hac aetatula et ruditate nimis audax rerum videar aeſtimator, rurſum veſtra pace vobis propono clariſſimi Camerarii, cenſoris omnium graviſſimi, authoritatem. *Quid eſt*, inquit, *omnium eorum, quae a Graecis et notata et illata ſunt orationi lumina, quod in* Latina *veluti lychni laquearibus aureis, quemadmodum Poeta ait, ſuſpenſi, vel tamquam ſpecioſiſſima gemma non multo emicet clarius atque venuſtius? Quae Orationis virtus, quum in Graeco ſermone omnes alias externarum linguarum ſuperet, in Latino non ſe etiam vincere videtur? Quae ſententiae non in hac, quam illa, clariores? quae expoſitio non quaſi ſtabilior atque firmior?* Ex hac divini viri ſententia, quid de LL. cuivis noſtrum ſtatuendum ſit, ſatis ſuperque, puto, intelligitis. Verum ne quis me adfectu rapi, vel authoritate tantum moveri opinetur, ponamus nobis ante oculos authores illos e Latio claſſicos, unde linguae hujus cognitio hauriri et poteſt et debet, et conferamus eos cum Graecorum Anteſignanis: Sic tandem luce evadet clarius meridiana, linguam Athenienſium nequaquam Romanorum eſſe praeferendam. Prodeat primo in conſpectum noſtrum Plautus, comicus ille eminentiſſimus, qui tot ſeculis, uti ait Harmolaus Barbarus, in ſupremo ſtetit, nec in comparationem venit, nec in ordinem ſe cogi patitur,

tur, cujus non ſuperficiaria, ut ait Caelius Rhodiginus, eſt eruditio, ſed intercutanea: Quis Graecorum hunc vincit loquendi proprietate? quis elegantia? quis majeſtate? Quemadmodum illi dixerunt, Jovem, ſi Graece loqui vellet, non alio uſurum ſermonis genere, quam Platonico: ita recto latini, et in his praecipue Varro togatorum omnium doctiſſimus, Plauto eam tribuere Orationis majeſtatem, ut adfirmarent, Muſas, ſi loqui latine vellent, Plautino ore eſſe loquuturas. Hinc non invenuſte ab Antonio Mureto, Oratore egregio, Pullus Romanae Muſae, ab Juſto Lipſio, admirabilis doctrinae viro, decima Muſa nuncupatur. Prodeat deinde Cicero, Oratorum eminentiſſimus: quaenam Orationis virtus nominari poteſt, quam hic non repraeſentarit clariſſime? Scite acerrimi judicii Rhetor Quintilianus: *Cicero noſter, quum ſe totum ad imitationem Graecorum contuliſſet, effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis, ut dono quodam providentiae genitus eſſe videatur, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur.* Prodeant Hiſtorici: Annon eſt, quod Herodoto Livium, Thucididi Saluſtium, Caeſarem omnibus opponamus? Prodeant denique Poetae, atque in his praecipue Virgilius, Latinorum Homerus,

— — per Auſonias Aeneia carmina gentes
Qui ſonat, ingenti qui carmine pulſat Olympum,
Moeoniumque ſenem Romano provocat ore:

Nonne hujus vel Sola Aeneis, quod tamen opus reliquit imperfectum, omnem Graeciae faſtum retudit? Certe ab ipſis Graecis Poeta hic, quum opibus et imperio florerent, tanti caepit fieri, adeo coli, ut ejus opera non ſemel in ſuam linguam traduxerint. Pindari, quod quodammodo quaſi ferveat et immenſus ore ruat profundo, gravitatem atque amplitudinem ἀμίμητον eſſe, ſatis quidem modeſte fatetur Horatius; ſed tamen acutiſſimorum virorum teſtimonio idem hic Venuſinus vates, in multis par Thebano, non raro videtur ſuperior. Sic Valerium Flaccum ea nobis reliquiſſe, quae ſuperbae Graeciae in ſuas laudes effuſiſſime Roma queat objectare, doctiſſimi homines graviter cenſuerunt. Inter Graecos ſcriptores Apollonium et Orpheum optimae notae eſſe, quis neſcit? Hos tamen longo poſt ſe intervallo Flaccum relinquere, Gervaſius Amoenus, vir eruditiſſimus, adſerere non dubitavit. Baptiſta v. Pius ita puſillum Flacci aurum (uti refert ejus vindex Ludovicus Carrion) magno praeſtare Apollonii orichalco, veluti unio parvo quidem, ſed pretioſo corpore magnis praeſtat arenoſiſque lapillis, adſeveravit. Quae profecto res vel ideo majorem meretur laudem et admirationem, quod utrique eadem fuit ſcribendi materia: uterque Argonautica ſcripſere. Hic tamen Valerius admodum juvenis mortem dicitur obiiſſe: quid fuiſſe praeſtiturum putatis, ſi ad juſtam aetatem Deo propitio perveniſſet? Silentio nunc lubens praetereo Lucanum, Propertium, Tibullum, Juvenalem, Ovidium, alios; qui ſane omnes cum multis Graecorum haud poſtremorum facile poſſunt contendere et comparari. Neque jam eſt animus contra illos operoſe agere, qui, dum Graeca laudibus attollunt immodicis, Latina plane elevant et contemnunt. Si tamen magis propter latina operam Graecis damus, quam propter Graeca latinis, id quod nemo ſani ſyncipitis inficiabitur; cur tamdem

dem haec minoris ſint a nobis aeſtimanda, quam illa, non video. Verumenimvero quid ego duas haſce linguas in contentionem voco dignitatis, qui in neutra non modo magnam, ſed ne mediocrem quidem me feciſſe progreſſum minime diffitear? Eſſent alia, niſi aures veſtras jamdudum ſentirem defatigatas, quae plus fortaſſe mererentur attentionis, minus invidiae. Poſſem, niſi tempore prohiberer, de mira linguae latinae jucunditate multa in medium producere: Quid n. dulcius? quid delectabilius, quam hominum illorum veterum, qui vel res maximas domi forisque in bello et pace praeclare geſſerunt, vel multa ſcitu neceſſaria, utilia, jucunda monumentis tradiderunt, ſermonem cognoſcere? Sane ſi nulla eſſet alia hujus linguae jucunditas, ſufficeret haec unica, quod ejus beneficio omnium optime diſcimus ac ſcimus, quid majorum minorumque gentium Heroes, immo quid omnis poſt homines natos ab innumeris retro ſeculis dixerit et fecerit Antiquitas. Poſſem etiam de modo latinae linguae cum cognitionem tum uſum adipiſcendi facillimo diſſerere: neque enim difficultatis eſſe inſimulandam autumo, quum per diligentem obſervationem et diuturnam conſuetudinem, ſine quibus nihil perdiſci poteſt, quam minimo negotio in ejus venire queamus poſſeſſionem. Sed contrahenda ſunt vela orationis meae, atque in portum mihi feſtinandum, ne vos benignam auram ſubminiſtrandi, hoc eſt audiendi finem ante faciatis, quam ego navigandi ſive dicendi. Quum a. latinorum ſermo, uti hactenus a me demonſtratum eſt, tam ſit origine antiquus, tam uſu amplus, tam utilitate praeſtans, tam copia atque ubertate auguſtus, tam proprietate excellens, tam denique omni orationis ſplendore atque virtute conſpicuus; a vobis, nobiliſſimi ornatiſſimique juvenes, obnixe, niſi hoc in pejorem fortean partem eſtis rapturi peto atque contendo, horas illas, quas alii Lyaeo, alii Veneri, alii Dianae, alii Plutoni, alii Vacunae, alii aliis Diis et Deabus ſuperſtitioſe atque impie conſecrant; Plauto, Ciceroni, Virgilio, aliis collocetis, et ad cultum tanti ſermonis adcuratiórem, quod praeceptores noſtri, quos videtis adeſſe, factitarunt, mecum referatis, vel, ſi hoc ſtatim impetrari non poteſt, prius laude eam veſtra duntaxat et amore dignemini. Tantum enim abeſt, ut is perinde ac meritus eſt, ab omnibus laudetur, ut a multis etiam vituperetur, vituperetur autem? immo ſannis excipiatur contumelioſiſſime. Quod crimen effugere ante nemo poterit, quam linguam ipſam vehementer amet. Nam quod non amamus, non perſequimur: quod non perſequimur, non adſequimur: quod non adſequimur, odio proſequimur: quod odio proſequimur, maxime reprehendimus et vituperamus. Quapropter date operam o Animi, ut, quod facitis univerſi, linguam noſtram ſinguli et laudetis multum et ametis plurimum. Utrumque hoc tempore praeſtabitis ex voto et ſententia, ſi rerum Rectorem omnium precibus mecum aſſiduis fatigaveritis, ut eam cum apud nos tum etiam apud poſteros in divini ſui nominis gloriam et mortalium ſalutem atque utilitatem velit conſervari integram et incorruptam. Quia n. divinorum ingeniorum ac monumentis ita exculta, aucta, illuſtrata eſt haec lingua, ut ad ſummam fere perfectionem ſit deducta, parum abeſt; quin viciſſim, niſi Deus ſingulari ſua clementia antevertat, in priſtinam Thomiſtarum, Scotiſtarum, Javelli, Janduni, Ver-

ſoris, Bartoli, Baldi, Alexandri, Jaſonis aliorumque horridorum ac ſqualidorum autorum barbariem ac feritatem quamprimum opinione omnium celerius incidamus. Haec namque lex fati in humanis perpetua ſolet eſſe, ut ad ſummum perducta non ſubſiſtant diu, nec pedetentim regrediantur, ut progreſſa ſunt, ſed multo deſcendant citius, quam adſcenderant, multo relabantur velocius, quam fuerant promota. Nolo equidem male aut ſiniſtri quidpiam ominari, nec debeo: Si tamen tempora adſpiciamus praeſentia et paullo conſideremus curioſius, videntur certo imminere ea, quae Eccleſiis et Rebuspub. periculoſiſſimas, ne quid gravius dicam, mutationes, Scholis v. graviſſimam litterarum omnium ruinam ſint allatura. Quid enim ſibi volunt aliud tot tamque acerrima per totam Europam cum principum inter ſe, tum principum et ſubditorum certamina? quid minitantur aliud bella illa non bella, in ipſis Germaniae viſceribus nuper excitata? Quid divinat aliud non heic tantum, ſed paſſim gentium pertinax iſta Eccleſiaſtici Ordinis et Politici diſſenſio? Quid denique nobis praedicit aliud in hoc tractu Megapolitano celſiſſimi atque illuſtriſſimi principis Caroli p. m. non praematura illa quidem ſed pleriſque peracerba mors atque luctuoſa? Profecto niſi gemitu et ſuſpiriis nubes in tempore perrumpamus, niſi lachrymis caelum oppugnemus, niſi piis precibus coeleſti Regi vis adhibeatur, brevi aut ſolae peribunt litterae, aut nos cum illis; quod poſterius optandum potius eſſet, ſi alterutrum. Ex duobus quippe malis quod minimum eſt, eligi ſuadet ratio, jubent Philoſophi. Sed quo abducor? Ne cujusquam nimium quantum abutar aequitate, naviculam in terram ſubduco, atque heic ſiſto. Caeterum tibi, Magnifice Rector, vobis, P C, praeceptores obſervandi, vobis item, cives honeſtiſſimi, contribules chariſſimi, gratias habeo atquo ago, non quas debeo, ſed quas poſſum, maximas, cum quod veſtra me praeſentia tam benigne ornare, tum etiam quod tam me attente voluiſtis auſcultare: Ego viciſſim Dominos praeceptores ſumma animi obſervantia, Dominos commilitones pari ſtudio, quando majora a me vel beneficia vel officia proficiſci nequeunt, LMque remunerabor.

Ad Lectorem B.

Benevole lector, ut probes animitus quae cum aliis pro Linguae Latinae opulentia elegantiaque generaliter a me dicta ſunt, adponam huc paucula in tuam gratiam ex iis, quae contra Graeculos, ſermonem noſtrum, neſcio cujus inopiae et disgratiae inſimulantes, habet inluſtriſſimus Reipub. litterariae Senator, I. Scaliger: id quod aequi conſulas ac boni, poſtulo. Orare n. quid opus, quod negari non poteſt?

Julius Caeſar Scaliger, Praeceptor Veritatis, In Oratione de verbo Inepti ad Arnoldum Ferronum Atticum:

Equidem ita fato quopiam eveniſſe reor, ubi futurum eſſet orbis terrarum imperii domicilium, eo in loco ſolidam ſapientiam, invictum animorum robur, parcimoniam, innocentiam, frugalitatem, mundiſſimae graviſſimaeque orationis tractu flexuque fuiſſe explicandam.

Quanto

Quamto praeſtat judicium fortuitae rei, quae caſu obtigit: tamto eſt nobilior Lingua Latina, quam Graeca. Bn.

Vereor valde, Graeci, quomodo *capum*, aut *canterium*, aut *Vervecem* exprimatis.

Audite, Graeculi, quare *Interregem* dicere neſcitis, quare *Conſulem*, quare *Dictatorem?*

Legionis quoque vim quei dicat Graecia non habet, neque *Praeturae*, neque *Aedilis*.

Vindicias quis Graece dicet? quis *abigeum?*

Sicarium v. ſatis ſcio eos nominare non poſſe; non poſſe *Graſſatorem*. Ago dicant *commiſſum*, *fidei commiſſum*, *ſtatu liberum*, *effractorem*, *expilatorem*, *concuſſionem*. Age dicant *Impreſſionem*.

Magiſterium quoque, quod majus eſt quam magiſtratus, non habent.

Oratorem ipſum quum illi ſane genuiſſent atque educaſſent, adpellando victi ſunt a nobis.

Praeterea neſcio an gregem ab *armento*, aut quo pacto diſtinguant.

Reum nimis timide adpellarunt, Nam quid eſt φεύγων? at etiam voti reum dicimus, quod illi ignorant; Sicuti neque voti damnatum habent. *Caritatem* ſciant, nomen neſciunt.

Caſtra quid ſit intelligunt: *Caſas* illas ſtramentis excitatas non dicunt.

Aciem melius nos quam illi ςίχας; militaris noſtra vox, illorum laxa.

Civilitatem quemadmodum dicas? πολιτικότητα? bellum ſane verbum.

Melius nos *arcem*, quae ab hoſtibus tuta omnia convecta contineret. hoc n. fuit arcere, ut etiam utitur Cicero. At illi ἀκρόπολιν. at neque ibi πόλις eſt, neque ibi πολῖται cives, ſed milites in cuſtodia diſpoſiti ſunt: neque omnis arx in ſummo poſita eſt.

Hiſtoriae nomen non abjecere, ſed aliud non ita plenum ſubſtituere. Nam συγγραφὴ quid eſt? etiam poeta mendax συγγράφει, etiam ſtulti quiſpiam, etiam ſcribae ipſi.

Annales non habent. *Convivii* oſtendit Cicero carere eos nomine non re. Nam compotationes potius nominarunt. *Sodalem* qui voce dicant? *comitem*, *ſocium* quibus diſtinguant?

Melius nos *inſtituere*, quam illi παιδεύειν; neque n. ſoli pueri inſtituuntur. Neque *Erudire* ſciunt dicere. Etenim παιδεύειν eſt παίδα ποιεῖν, ut λατρεύειν λατρείαν ποιεῖν. Melius nos *abſurdum* quam illi ἄτοπον. ἄτοπα omnia ſunt, quae corpore carent. ἄτοπον etiam primum coelum: nonne ἄτοπος Deus ipſe? etc.

Ignominiam militarem quo pacto repraeſentabunt?

Non poſſunt exprimere *Dimiſſionem*.

Dicant *exauctorationem*; dicant *caſtigationem*; quam n. adferas caſtitatem in verbo κολάζω? Neſciunt quid ſit *Praerogativa*. Non indicabunt *Populationem* una voce. Non dicent *Cunctatorem*. divina enim vox eſt. *Perorigam* non habent.

Quis quaerat ac non potius judicet, melius nos *adeptionem*, quam Graecos adpellaſſe?

Obnunciare non dicunt. Oſtende mihi tota Graecia *Conceſſionem Judicialem?* *Praevaricationis* nomen quis umquam Graecus ſuis pronunciavit?

ciavit? Dic graece *Proletarium*, *Capite cenſos*, *Duicenſos*, *Claſſicum*: Dic *tergiverſatorem*, *infrequentem*, *emanſorem*.

Opus Graece dicas, *operam* non dicas.

An *ingenui* vocem habeant, diu dubitavi, niſi dicas ἐλευθερικὸν Platonis verbo ex lib. de legibus. Verum adhuc aliquid ad noſtrum deſiderabimus. liber libertus eſt, at ingenuus non eſt. Non invenias *Ovationem*; non *ampliationem*; non *perendinationem*, niſi divulſis membris, εἰς τὴν αὔριον, εἰς τὴν τρίτην.

Diem diffindi quibus verbis adumbrabunt? aut quibus *ſatishabitionem ſatisdationem*? atque ſi dicant, a nobis docti noſtris veſtigiis inſiſtentes dicant. *Gladiator* μονόμαχος non explet. *Homicida* non eſt ἀνδροφόνος, non eſt φονεύς: hoc latius, illud anguſtius. ἀνθρωποφόνος nemo Graecorum dixit. quid? *matronam* ipſi? *matremfamilias*? *Jure manu conſerere*? *convenire in manum*? *as et libram*? *ſtipulationem*? nullo modo.

Peculium, *praedem*, *mancipem*, *vadem* aut non dicunt, aut non diſtinguunt. *Auguſtum* v. ne ſomniarunt quidem. *Vicarium ſervum*, *vernam*, *atrienſem*, *receptitium* quis eorum promat e ſuo? *talionem*, *fiſcum* nusquam audias, nusquam *lucubrationem*, *etc.*

Plura ſi deſideras, vide ipſam Orationem, unde haec ſunt deſcripta, atque in nos Rhadamantius ne es, Vale.

Joh. Chriſtoph. OLEARII *Curioſe Münz-Wiſſenſchaft, darinn von dero unfehlbaren Nutzbarkeit, allerhand merkwürdigen Münzarten, ſo auch nötigiſten darzu gehörigen Mitteln ausführlich gehandelt wird.* Jenae 1701. 8.

Rei nummariae tironibus ea ſuggerit, quibus ad majorem in hac diſciplina cultum praeparari et excitari poſſint.

Magni Danielis OMEISII *Hortus Ciceronianus* ſive *Flores Apophthegmatum et Hiſtoriarum e ſcriptis Tullii excerpti.* Altdorfii 1699. 12.

EIUSDEM Diſſertatio *de Curtio*, habita et edita Altdorfii 1683. 4.

Guilielmus Mollerus eodem anno Johannis Bodini ſententiae, quae occurrit in *ejus Methodo Hiſtor. c. 10*, gemina peculiari Diſſertatione attulerat, inque eo fuerat totus, ut Curtium ſcriptorum Latinorum veterum numero eximeret, et ad recentiora tempora referret. Huic hanc Diſſertationem opponit Auctor noſter.

Jacobi OMPHALII *De Elocutionis Imitatione et Apparatu liber unus.* Colon. Agripp. 1580. 8.

Multa, praeſertim ſub initium libri, occurrunt haud plane vulgaria.

Jacobi

Jacobi OPERARII *Analogiae linguae Latinae*, ſive 20000 *circiter vocabula Latinae linguae per claſſes analogorum diſpoſita.* Pariſ. 1698. et Amſtel. 1700. 8.

Jul. Caeſaris de Analogia librorum duorum, quos τέχνην γραμματικὴν videtur vocare Suidas in Γάϊος Ἰούλιος, jacturam reſarcire hoc ſuo opuſculo utcumque conatus eſt.

Jac. Phil. d' ORVILLE *Obſervationes Criticae novae in auctores veteres et recentiores.* Tom. I. prodiit Amſt. 1740. 4.

Chriſtiani OSTENFELD, Profeſſoris quondam Academiae Havnienſis, *Pharus Latinitatis, varios vocum et dictionum Latinarum ſcopulos indicans*, ἐκ τῶν ἀνεκδότων adhuc eſt.

Codex ejus MS. adſervatus, teſte *Falſtero* Parte II. Cogit. p. 52, aliquando fuit in Bibliotheca Illuſtriſſimi Roſtgaardi. Quum vero haec Bibliotheca 1726. Hafniae divendita ſit; in cujus manus pervenerit hoc MS. ſcimus una cum ignariſſimis. Auctor hujus MS. ap. Bartholinum Diſſ. 1. de legendis libris p. 18. *in omni re litteraria verſatiſſimus* habetur.

Jo. Henr. OTTII *Onomatologia* ſive *De nominibus hominum propriis.* Tigur. 1671.

Jo. Chriſtoph. OTTO *De Latini ſermonis uſu maturius exercendo.* Lipſ. 1714. 4.

M. Georgii Wilhelmi OVERKAMPFII *Commentatio Hiſtorico-Theologica de ratione ſtatus Curiae Romanae circa uſum Latinae linguae in ſacris cultuque publico.* Jenae 1732. 4.

Jo. Ger. PAGENDARM *De lingua Romanorum ruſtica.* Jenae 1735. 4.

Oſtendit Auctor, ipſo aevo aureo ea apud plebem frequentata fuiſſe vocabula eamque ſubinde dictionem, quam nemo unus pro auro venditare cupiat.

Sfortiae PALLAVICINI Cardinalis *De ſtilo et dialogo.*

Guidonis PANCIROLLI *Theſaurus variarum lectionum.* Lugd. 1617. 4.

PAPIAE, veteris illius Lexicographi, *Catholicum* ſ. *Vocabularium* 1286 abſolutum, nec diu poſt inventam typographiam Venetiis, nempe 1446, impreſſum, atque ibidem 1485, 1487, 1491. et 1496. fol. recuſum eſt. Prodiit etiam

ſub titulo *Elementarii* Mediolani 1476. fol. licet minus emendate.

Pro temporum ſuorum barbarie tritico ſuo multum lolii inſperſit. *Dionyſius Neſtor Novarenſis* in *Dictionario* ſuo hunc Papiam omnibus fere paginis redarguit. *Hujus et aliorum Papiae ſimilium Lexicographorum veterum molimina copioſe recenſet Carolus du Freſne* in *Praefatione*, *Gloſſario Ejusdem adnexa.*

Jo. Philippi PAREI *Calligraphia Romana ſ. Theſaurus L. L. in quo omnes phraſes et formulae elegantiores ex Plauto, Terentio et Cicerone collectae.* Neapoli Nemetum 1616. Francof. 1620. Norib. 1646. 8.

In hac Calligraphia multa bona ſcituque digna occurrunt; quae incondita tamen titulorum et diverſi generis locutionum farragine obnubilantur. *Schönslederus* hac in arena multo currit felicius. Ad calcem adjectae ſunt *Regulae Elegantiarum.*

EIVSDEM *Lexicon Criticum*, ſive *Theſaurus linguae Latinae*; *ex omnibus L. L. claſſicis auctoribus*, *JCtis*, *Hiſtoricis*, *Antiquariis*, *Criticis*, *Oratoribus et Poetis*, *congeſtus.* Norimbergae 1645. 8.

Aerumnabili labore congeſtus eſt: multas quippe minutias exhibet, quas alibi vix repereris.

EIVSDEM *Commentarius de Particulis linguae Latinae.* Acceſſit *Benedicti Floretti Apologia pro M. Accio Plauto: oppoſita ſcaevo judicio Horatiano et Heinſiano.* Francof. 1647, 1697. 12.

Vallam, *Doletum*, *Stewechium*, it. *Johannem Hawkins*, clariſſ. in Anglia Medicum, qui *Dialogos eruditiſſimos de Particulis L. L. emiſerat*, et praeſertim *Turſellinum* exſcripſit. Quae autem inſuper de ſuis habet, horum notatu digniora Turſellino ab ſe locupletato intulit *Jacobus Thomaſius.* Edidit libellum *Pareus* anno aetatis ſuae 72, et inſcripſit eumdem *Joh. Frederico Gronovio*, docte ſimul agens in hac dedicatione de natura et utilitate συνδέσμων i. e. conjunctionum, quae ſit in oratione per particulas.

EIVSDEM *Lexicon Plautinum.* Hanoviae 1634. 8.

EIVSDEM *Analecta et Electa Plautina.* Neapoli Nemetum 1617. 4.

In his Analectis *Pareus Grutero*, qui in tertia Plauti Taubmanniani editione acerbis illum vocibus laceraverat, non minus acerbe reſpondet, par pari referens. Maledicta autem utrimque profecta parum ornant hos duumviros ceteroquin ornatiſſimos. Sic nimirum agitur, ſi litterati, atque

que adeo omnes alii viri docti vana ambitione intumeſcunt, et mutuis invidiae ſtimulis agitantur: pugnant autem tanto acerbius, quanto abſunt a Chriſto longius. Haec *Parei Analecta Theſauro Gruteriano, Tomi VII inſtar*, maligne ſubjecta ſunt.

EIVSDEM *Provocatio ad Senatum Criticum.* Francof. 1620. 8.

Apologia eſt quaſi altera, quae ſimiliter conviciis *Gruterum* proſcindit, faciens cum eo iterum paria.

EIVSDEM *Lexicon Symmachianum, in quo velut indice locupletiſſimo omnia ſimplicia vocabula, nomina propria, particulae elegantiores, quotquot occurrunt in graviſſimo auctore Q. Aur. Symmacho, Praefecto Urbis, ordine alphabetico digeruntur.* Neapoli Nemetum 1617. 8.

EIVSDEM *Calligraphia Symmachiana, in qua omnes phraſes et formulae elegantiores, quotquot exſtant in graviſſimo auctore Q. Aur. Symmacho, Praefecto Urbis, in gratiam et uſum Philologiae ſtudioſorum, in primis eorum, qui Principibus ab epiſtolis eſſe cupiunt, per certos titulos locorum communium colliguntur ac diſponuntur.* Neapoli Nemetum 1617. 8.

EIVSDEM *Electa Symmachiana: in quibus, quicquid rerum memorabilium antiquitatisque Romanae in graviſſimo auctore Q. Aurelio Symmachio, Praefecto Urbis, continetur, ſub certos titulos reales locorum communium refertur.* Neapoli Nemetum 1617. 8.

EIVSDEM *Obſervationes linguae Latinae.*

Multa vocabula in ſordidis abjicit, quae tamen recentiorum, ut Cellarii et utriusque Borrichii, induſtria ac ſollertia egregie vindicata, et meliori ſuo cenſui reſtituta ſunt.

Danielis PAREI *Lexicon Lucretianum*, ſive *in Titi Lucretii Cari de rerum natura libros VI. omnium dictionum et elegantiarum Index abſolutiſſimus, linguae Romanae ſtudioſis apprime utilis, in quo aliquam multa Poetae hujus et aliorum auctorum loca plenius explicantur, enodantur, illuſtrantur.* Francof. 1631. 8.

Ex collectaneis, quae *Giſanius* Plauto ſuo ſubjunxit, fere eſt confectum, paucuilis quibusdam, quae non magni momenti videntur eſſe, paſſim a Pareo vel additis vel inſertis.

Tres ſuere *Parei*, eruditione ſingulari inſignes: *Pater, David*, filius cujusdam ruſtici, Germ. *Wängler* dicti, Theologus Heidelbergenſis, cujus Opera Theologica prodiere Genevae 1642. fol.; *Filius, Philippus*, qui primo virilis aetatis ſuae tempore etiam utroque ſuo praenomine ſe *Johannem Philippum* vocavit, exquiſitus atque induſtrius Grammaticus, initio Rector Scholae Neapoli Nemetum (*zu Neuſtadt an der Hardt*), deinde Rector ac Profeſſor Illuſtris Gymnaſii Hanovienſis; *Nepos, Daniel*, auctor Lexici hujus Lucretiani, patris fata luctuoſiſſimo obitu, quum publico non dum admotus eſſet muneri, anteverteus, a latronibus in itinere miſere peremtus.

Joh. PASSERATII *De cognatione litterarum*. Pariſ. 1606. 8.

Ipſe auctor huic libro ſuo tantum poſuit pretium, ut optaret, nullum ex ingenii ſui fetibus praeter hunc ipſum poſt fata ſua ſuperſtitem. Reliquit etiam *librum Conjecturarum*, Criticis et viris litteratis valde gratum.

Caroli PATINI *Familiae Romanae in antiquis Numiſmatibus ab Urbe condita ad tempora Divi Auguſti, ex bibliotheca* Fulvii Urſini. Pariſ. 1663. fol.

EIVSDEM *Numiſmata Imperatorum Romanorum, ex aere mediae et minimae formae, cum figg. aen.* Argentorati 1671. Amſtel. 1697. fol.

Imperatores exhibet usque ad Heraclium.

EIVSDEM *Theſaurus numiſmatum.* Argentor. 1672, 1673. 4 maj.

EIVSDEM *Introductio ad Hiſtoriam et cognitionem rei nummariae.* Prodiit Gallice Pariſiis 1665. it. Lugd. 1667. Latine autem Amſtelod. 1683. cum figg. aen. Accedit *Joſ. Mar. Suareſii* de numiſmatis et nummis antiquis Diſſert.

Scriptores rei nummariae non alphabetico, quem *Labbeus* elegit, ſed materiarum ordine, commode digeſtos, diligenter, additis etiam judiciis, recenſet. Jungendus illi eſt ob ſcriptorum hujus generis recentiſſimorum notitiam *Burkhardus Gotthelf Struvius* in *Bibliotheca numiſmatica*, ed. Jenae 1693. 12. Prodiit Hamburgi liber, qui inſcribitur *Das geöffnete Münz-Cabinet*, in quo haec Patini Introductio egregie illuſtratur, et variae atque utiles recentiorum obſervationes adduntur.

F. Simonis PELEGROVII *Silva Synonymorum.* Amſtelod. 1635. 8.

Joa-

Joachimi PERIONII *Obſervationes in* Porphyrii Inſtitutiones, *et univerſum* Ariſtotelis Organon. Baſil. 1545.

Multa vocabula Philoſophiae propria, quae parum Latina ſunt, ex Cicerone praeſertim emendat. In ſermone autem barbaro Latine exprimendo multo eſt felicior, quam in Graecis Latine vertendis; in quo quantam Graecae linguae ignorantiam prodat, in Praefatione, Origenis Commentariis praemiſſo, *Petrus Daniel. Huetius* copioſe ediſſerit.

Perionius, inquit *Scaliger* in *Scaligeranis* ed. Colon. 1695. p. 306, *Ariſtotelem omnino pervertit, ad Ciceronianum ſtilum vocabula Philoſophiae accommodans, utriusque linguae parum peritus, ut fatuo libro oſtendit de ratione linguae Graecae cum Latina.* Acerbior ſane cenſura! quales quidem eſſe fere Scaligeranae ſolent: interim multum ex vero trahit.

Jacobi PERIZONII *Curtius reſtitutus et vindicatus a variis accuſationibus et immodica acerba nimis criſi* Johannis Clerici. Lugd. Bat. 1703. 8.

Clericus Sectione 3. Partis 2. Artis ſuae Criticae, qua agit de judicio de ſtilo et charactere Scriptoris ferendo, totus in eo eſt, ut Curtium imperitiae et imbecillioris judicii accuſet. Id aequo animo Perizonius ferre haud potuit, atque ea propter Curtium in multis defendit Notis ad Aeliani Var. Hiſt. p. 728. Reſpondit Perizonio Clericus ſub Theodori Goralli nomine in Praef. ad Pedonem Albinovanum: Clerico Perizonius in hoc, quem prae manibus habemus, libello. Clericus denique Perizonii librum hujus recenſens in Bibl. Selecta T. 3. p. 171. ſeq.

EIVSDEM *Oratio de uſu atque utilitate Graecae Romanaeque linguae, eloquentiae, hiſtoriae et antiquitatis in gravioribus diſciplinis.* Recuſa Lipſiae ad exemplar Lugd. 1694. 4.

EIVSDEM *Oratio de doctrinae ſtudiis, nuper poſt depulſam barbariem diligentiſſime denuo cultis et deſideratis, nunc vero rurſus neglectis fere et contemtis.* Lugd. Bat. 1708. 4.

EIVSDEM Diſſ. *de aere gravi*, ut et *Reſponſio ad Epiſtolas Andreae Morelli de variis familiarum Romanarum nummis.* Lugd. Bat. 1713. 12.

EIVSDEM *Animadverſiones Hiſtoricae.* Amſt. 1685. 8.

Ex his Animadverſionibus praecipue apparet, quantus fuerit auctor in Criticis.

Nicolai PEROTTI *Cornu Copiae Latinae linguae.* Prodiit primum Venetiis 1494. per Dionyſ. de Bertochis; it. 1510. per

per Joh. Tacuinum: emendatiſſime autem in aedibus Aldi 1501, 1513, 1527, ut Aldinae editiones, eaeque genuinae, aliis ſemper praeſtant. Iteratae hae ſunt Aldinae editiones, at haud pari cum accuratione et induſtria, Pariſ. 1504, 1529. it. Argentor. 1506. Recuſae etiam aliquoties ſunt Baſileae apud Curionem et Walderum 1521, 1526, 1532, 1535. 1536, 1552. fol.

Inter primos fuit, qui litterarum barbariem fugarunt, ejusque opera ſtrenue uſi ſunt, qui poſt illum explicandis vocabulorum notionibus operum navarunt. Hoc autem ejus *Cornu Copiae*, in quo omnem latinitatem explicare adgreditur, et quod beneficio Indicis locupletiſſimi in Lexicon abiit, nihil quidem eſt aliud, niſi *Commentarius in Martialis librum I. Epigrammatum*, et in *Epigrammata illa priora 28*, quae in *Ejusdem libello de Spectaculis* ſeſe repraeſentant: quem libellum tamen, quia in eo quaedam Martialis tempori haud conveniunt, et multa praeterea ſeſe offerunt, quae ingenium Martialis parum ſapiant, cum *Jano Rutgerſio lib. 5. Variarum Lectionum* cap. 15. *Petro* item *Scriverio in Animadverſionibus ipſius*, et *Thoma Farnabio in Martiali ejus*, huic Poetae merito abjudicamus. Hunc autem *Perottus* ordinem tenet, ut *Epigrammata priora 28 libelli hujus ſuſpecti* praeponat, inque una ſerie connectat cum *Epigrammatibus libri I. In Epigrammatibus ſex prioribus* valde copioſus eſt; *in reliquis* ſtrictior breviorque: utrobique infinitas adfert Latinarum vocum et locutionem illuſtrationes. Subjiciuntur ei ex antiquiore Romani ſermonis ſacrario:

M. Terentii Varronis de Lingua Latina ad Ciceronem libri 3.

Ejusdem *de Analogia libri 3.*

Sex. Pompeji Feſti *librorum undeviginti fragmenta.*

Non. Marcelli *de proprietate ſermonum lucubrationes multae ac variae, multisque locis antehac corruptis reſtitutae.*

Reliquit etiam noſter Perottus *Rudimenta linguae Latinae*, quae quondam apud Italos in magno pretio fuerunt: prodierunt autem Venetiis in aedibus Aldinis 1512. 4.

Pauli PETAVII *Antiquariae Supellectilis Portiuncula: Item Veterum Nummorum Gnoriſma.* Pariſ. 1610. 4. cum 32 tabb. aen.

Petri PETITI *Miſcellanearum Obſervationum libri IV.* Trajecti ad Rhenum 1682. 8.

Samuelis PETITI *Obſervationum libri IV.* Pariſ. 1614, 1642. 4.

EIVSDEM *Variae Lectiones.* Pariſ. 1633. 4.

EIVS-

EIVSDEM *Miſcellaneorum libri IX.* Pariſ. 1630. 4.

His libris multae praeclare obſervationes in ſcriptores Latinos et Graecos, multa item notata Chronologica continentur.

Jonae PETRAEI *Dictionarium Latino-Sueco-Germanicum*, Lincopiae 1640. fol.

Lexicon laude digniſſimum eſt: interim ad perdiſcendas inde Suecicorum vocabulorum notiones haud ſufficit. Huic nempe ſcopo accommodatior eſt Anonymi cujusdam *Faſciculus dictionum Latino-Suecicus, Stockholmiae 1677. 8. editus*, et, quod hinc multo locupletius ortum cura Gothofr. Liebezeit, Bibliopolae Hamburgenſis, Hamburgi 1700. 4. prodiit, *Novum Dictionarium Latino-Sueco-Germanicum, Sueco-Latinum et Germanico-Latinum, in gratiam Latinae, Suecicae et Germanicae Linguae ſtudioſorum.*

Michaelis PEXENFELDERI *Apparatus eruditionis tam rerum, quam verborum, per omnes artes et ſcientias inſtructus.* Noribergae 1670. Sulzbaci 1680. Longe auctior et emendatior 1687: et ibidem editio quarta longe auctior et emendatior 1704. 8. Colon. 1744. 8 maj.

Nova rerum nomina et loquendi rationes, quae apud Germanos, Gallos, et alias nationes ex novis moribus invaluerunt, veſtire Latinis verbis conatur: ſed non ubique id praeſtat ſatis felici ſucceſſu, admiſcens interdum vocabula horrida atque inculta.

Nicephori PHILOMVSI *Inſtitutiones Epiſtolicae.* Colon. 1734. 8.

Michaelis PICCARTI *Periculorum Criticorum liber*, Altorfi 1608: it. *cura* Joh. Sauberti, Helmſtadii 1663. 8.

Varia veterum loca illuſtrat, et emendat felici utplurimum Minerva. Ad calcem libelli apparet *Elegia eruditiſſima Fr. Baptiſtae Mantuani Carmelitae contra Poetas impudice loquentes.*

Jo. PINCIERI *Parerga Otii Marpurgenſis Philologica.* Herbornae 1614, 1617. 8.

Antonius PISO: vid. infra *Ant. le Pois.*

Petri PITHOEI *Adverſariorum ſubſecivorum libri II.* Pariſ. 1565. Baſil. 1574. 8.

Juſtus Joſephus Scaliger reliquis omnibus a Pithoeo profectis libris hunc valde praefert. Auctor in arte Critica, et ſtudio antiquitatum eam nominis eſt conſecutus famam, ut Gallorum Varro ſalutaretur.

Samue-

Samuelis PITISCI *Lexicon Antiquitatum Romanarum et Graecarum, in quo ritus et antiquitates, cum Graecis ac Romanis communes, tum Romanis peculiares, ſacrae et profanae, civiles ac militares exponuntur, duobus Voluminibus.* Leovardiae 1713. Hagae Comitum 1737. fol.

Conf. infra *Roſinum.*

EIVSDEM *Lexicon Latino-Belgicum.* Amſtel. 1704. 4.

Nic. PLAHN *De jaciendis in latinitate fundamentis.* Hamb. 1723. 4.

PLEXIACI *Lexicon Philoſophicum, ſ. Index Latinorum verborum deſcriptionumque ad Philoſophos Dialecticos maxime pertinentium.* Hagae Comitis ap. Henr. du Sauzet 1716. 4.

Auctor perſonatus, qui ſub ficticio Plexiaci nomine latitare voluit, hoc opus ſuum diſtribuit in *duas Partes.* In *Parte priori* materia fere omnis Philoſophica, Genus, Species, Cauſarum differentiae, cet. ſervato rerum ordine, ſub uno quaſi intuitu, quemadmodum a Cicerone tractata eſt, conſpicitur. In *altera* vero *Parte*, quam etiam *Apinus* Gloſſario ſuo adjecit ordine alphabetico, voces et locutiones barbaras, ſemibarbaras et minus uſitatas, ſed, quod doleo, nec diſtincte, nec enucleate ſatis, perſequitur. Utrobique omnia vocabula ſcholaſtica, et quae omnino Latinam civitatem minus ornant, cum puris Latinis ac Ciceronianis permutat.

POETICA, *Praeceptis, Commentariis, Obſervationibus, Exemplis, ex veteribus et recentibus Poetis, ſtudioſe conſcripta per Academiae Gieſſenae non nullos Profeſſores.* Gieſſae Haſſorum 1607, 1617, 1623, 1675, 1677. Lubecae 1624. Marpurgi 1647. 8.

Auctores hujus libri fuere *Caſparus Finkius*, tunc temporis Logices et Metaphyſices in Acad. Gieſſena Profeſſor, *Chriſtophorus Helvicus* et *Conradus Bachmannus.* Hi tamen bini poſteriores poſt abitum Finkii ſoli manum admoverunt opuſculo huic egregio et elaboratiſſimo a. 1617. tertium edendo, poſtquam id denuo ſub incudem revocaſſent, recenſuiſſent, nec parum auxiſſent ſtudioſiſſimeque locupletaſſent.

POGGII FLORENTINI *Opera, collatione emendatorum exemplarium recognita.* Baſil. 1538. fol.

Julii POGIANI *Epiſtola de Ciceronis imitandi modo, ad* Nicolaum Fitzherbertum, *Anglum, jam in uſum eorum, qui Ilfeldae eloquentiam excolunt, recuſa.* Stolbergae in officina

nova

nova Teutſcheriana 1709. 8. Exſtat etiam ad calcem Epiſtolarum Mureti ed. Urſellis 1621. 8. p. 242. ſeqq.

Quoniam elegans eſt, ac de ſtilo perficiendo veriſſime judicat, integram heic ſubjicere lubet, quum praeſertim paucis paginis contineatur. Sic autem habet:

Etſi ſunt ejus generis tuae litterae, ut in politiori humanitate, in qua ex gravioribus legum ſtudiis conquieſcis, conſilio aut praeceptione mea tibi minime opus eſſe intelligam: tamen, quia mei in te amoris eſſe video, non tam ſpectare, quid ego poſſim, quam quid tu velis, attendere; rationem tibi et conſuetudinem hujus rei meam exponam. Ego, quam diu mihi arbitratu meo ſtudere licuit, unum aliquot menſes ex Latinis ſcriptoribus Ciceronem legi. Nam in omni ratione optimum quemque, et illum unum imitandum eſſe cognoram. Quare quum illum ipſum Ciceronem Latinae linguae et eloquentiae principem eſſe conſtaret: rejeci ceteros Latinitatis auctores. Quo in ſtudio primum dabam operam, ut ſtatuta eſſent tempora et ſtudendi et ſcribendi mea. Didiceram enim a ſummis viris, qui ſe id re expertos eſſe dicerent, plus adjumenti eſſe in certo, nec multo, quam in vario et diuturno tempore; quod haberet eadem illa hora ſtudiorum, non ſolum admonitionis et recordationis vim, ſed etiam quoddam momentum ordinis: qui cum in omni re multum, tum in dicendo plurimum poteſt. Sed hoc fortaſſe patet latius: illud ad id unum pertinet, quod inſtitueram. Duo igitur in Cicerone legendo mihi proponebam, quid et quomodo diceret. In quo videbam interdum pauca multis explicari; interdum plura comprehendi breviter et abſolute; saepius eamdem variari rem, ut, quum idem diceretur, tamen, commutatis verbis atque ſententiis, aliud dici videretur. Mirabar vero partium et quaſi membrorum pulcherrimam compoſitionem, qua ſic alia ex aliis nexa et apta ſunt, nihil ut lectori poſſit eſſe jucundius. Quid dicam de artificio vinciendae orationis, deque copia et quaſi ſilva elegantium vinculorum? Quibus quum multi, vel quaſi compedibus quibusdam ſcriptiones ſuas colligent, vel ita diſſolvant ac diſſipent, ut, capti membris corporis, ac ne corporis quidem ſpeciem habeant: ſic Cicero res nectit, et verba, ut ſola ejus oratio libere moveri, magnificeque ingredi videatur. Cogitabam vero etiam de ſingulis verbis, de conjunctione verborum, de eorum numero atque forma. Qua in cogitatione mihi veniebat in mentem mirari, quaenam eſſet cauſa paucitatis eorum, qui divinas Ciceronianae orationis virtutes imitarentur. Hujus autem erroris et inſcitiae multorum, duplicem aliquando culpam animadverti. Sunt enim, qui, a Cicerone abhorrentes, ſe ad alios, neſcio, quos, ſcribendi magiſtros contulerunt. Qui quod judicium habeant, quum appareat, facile negliguntur. Alii ſunt, quorum eſt levius peccatum: immo vero non illi quidem cupiditate peccant, qui Ciceronis ſimillimi velint eſſe, ſi poſſint; ſed conſilio et imitandi modo falluntur. Nam hi Tullii verba mordicus tenent, nec ullam fere ſyllabam audent ab eo diſcedere; et dum verentur, ne parum Ciceroniani videantur, illius etiam ſenſa totidem verbis transferunt in ſuas litteras. Scilicet illi, quod miſerrimum eſt, numquam ſunt in ſcribendo ſui,

ſed

ſed inepte ac putide ſemper alieni. Quid igitur eos in errorem induxit? Puerilis illa ſuſpicio, quod ſermonem Ciceronis in id modo convenire ſunt arbitrati, ad quod ille ſemel accommodavit. In qua ſi ipſe Tullius ſententia fuiſſet, non jam eum copiae atque ubertatis magiſtrum, ſed inopiae et jejunitatis auctorem haberemus. Quae quum viderem, putavi mihi elaborandum, ſi modo id adſequi poſſem, me ut ab illa balbutientium turba ſejungerem, conjungeremque cum iis, qui plane et Latine loquuntur. Quid quaeris? Audere coepi. Nam ut quisque mihi occurrebat Ciceronis locus, illam loquendi formulam ad alia transferebam, et ejusdem et alterius generis ſenſa, quaſique unis ab illo ſumtis veſtimentis ſtudebam veſtire et ornare res innumerabiles. Exempli cauſa, quum haec dictans legebam forte: *Publii Rutilii adoleſcentiam ad opinionem et innocentiae et juris ſcientiae, P. Scaevolae commendabat domus;* quis prohibet eo traducere? *Hannibalis Minalis adoleſcentiam ad opinionem et eloquentiae et Philoſophiae, Flaminii Nobilii conſuetudo commendavit.* Vides genus. Sed quoniam intelligebam, quaedam eſſe ſententiarum lumina, quibus ſcripta illuſtrarentur, ſumebam illa vel ab ipſo Cicerone, vel a quovis; ſed ita, ut in eadem exercitatione alia quadam ratione uterer ab illo ſuperiore. Ut enim illic tamquam ex eadem cera multas fingebam imagines: ſic heic quaſi eumdem hominem alio veſtiebam habitu. Quare fiebat, ut quae ab aliis parta eſſent, a me inventa viderentur. Sunt autem haec ornamenta et lumina ſententiarum, ut; *Ne quid nimis; Late patet invidia*, et hujusmodi ſexcenta, quae ſi ita efferas; *Tenendus eſt omnium rerum modus*, et *Nihil non occupat invidia*, quis tua eſſe neget? Huc pertinet illud Ciceronis, imitandos eſſe bonos fures, qui earum rerum, quas ceperunt, ſigna commutant. Ut enim illi, pallium ſi cui furantur, ne id is agnoſcat, ex pallio ſagum faciunt: ſic qui aliorum ſententias commutatis verbis enuntiant, quae communia ſunt, propria facere videntur. Neque vero non etiam conabar interdum quodammodo cum ipſo Cicerone certare acumine contrariorum, ut ſi ille: *In laetitia doleo;* ego contra: *In dolore laetor.* Si idem dicat: *Tardius faceres, hoc eſt, ut ego interpretor, diligentius;* item ipſe: *Celerius, id eſt, negligentius*, in contrarium converſa ſententia. Quod inſtitutum mihi ſi meo arbitratu diutius tenere licuiſſet, in hac laude fortaſſe aliquis eſſem. Sed ab ea me conſuetudine avocavit neceſſaria quaedam barbaries, de qua nunc quidem nihil attinet plura ſcribere. Tibi certe, quid de tota hac ratione ſentirem, ſignificandum putavi: qui etſi ſcio, quanta occupatione diſtinearis, tamen non dubito, quin pro excellenti tuo ingenio, proque eo, quantum profeciſti in hac Latine ſcribendi ratione, quum iſtum graviorem ſtudiorum curſum confeceris, ſi huc redieris, teque in hac laude exercueris, brevi etiam in principibus futurus ſis hujus facultatis: quamquam aliquid interea adſequere, ſi, quum vacuus quotidie fueris a legum ſtudiis, animi cauſa ſtilum reprehenderis, et in hac exercitatione, quam dixi, ſubſecivas operas poſueris. Sed quod mihi paene exciderat, multa ex Cicerone tibi memoriae mandanda ſunt, et paranda tamquam magna ſupellex, tibi ut ſuppetat in variandis et mutandis ſenſibus multus et elegans veſtitus orationis. Et quoniam ut in victu et veſtitu prius neceſſaria,

ria, quam voluptaria quaerimus; ſic in oratione propriorum primum verborum, deinde translatorum copia comparanda eſt: haud ſcio, an illae ad Atticum epiſtolae, in quibus nulla eſt elaborata concinnitas, nullum exquiſitae voluptatis aucupium, plurimum proficiant ad Latine et emendate loquendum. Quemadmodum nonnumquam etiam gemmarum vis, non tam arte diſpoſita, aut diſtincta auro, quam pura atque nativa delectat: ita Latini ſermonis ubertas ſine fuco, aut peregrinis quodammodo deliciis orationis in illis maxime probatur epiſtolis. Etſi haec admonitio accommodata eſt iis, qui nunc primum in eam rationem ingrediuntur; tibi, qui tantum jam hac ſcribendi exercitatione profeciſti, praeſertim majoribus rebus occupato, fortaſſe minus eſt neceſſaria. Quare quum grandiori etiam ſcribendi genere delectari videaris, nos quoque ſive ingenio, ſive judicio tuo, certe tempori obſequemur. Quum igitur tibi, ut nunc eſt, facultas non ſit pervolutandi multos Ciceronis libros: ex illis optimos leges, etſi nulli non optimi. Sed tamen orationes leges et ediſces, quae multum te delectabunt, et ſcriptionem tuam adjuvabunt. Ignoſces vero mihi, ſi haec neque ſubtilius ſcripſi, ut res poſtulare videbatur, neque illuſtravi exemplis. Eram enim et ipſe valde occupatus. Quare alias reponam et accuratius, quid ad te mittam, quod proximis feriis aeſtivis in Trebiano tuo vacuus legere poſſis. Interim vale, et mihi conſerva amorem tuum. Roma Pridie Kalend. Aprilis.

Ant. le POIS (Antonii Piſonis) *Diſcours ſur les Medailles et Graveures antiques, principalement Romaines.* a Paris 1579. 4. cum figg.

Angeli POLITIANI *Opera.* Pariſ. 1512, 1519. fol.

Ejus *Epiſtolarum libri XII.* ſeparatim prodiere Hanoviae 1612. 12.

Multa paſſim tractat, quae vel Orthographiae, vel omnino latinitati puriori et elegantiori lucem adfundunt: ex inſtituto autem campum Philologicum et Criticum ornat in ſuis *Miſcellaneis*, quae ſeorſim exierunt Lugd. 1550. 8.

Franciſci POMAI *Le Grand Dictionaire Royal* i. e. *Dictionarium tripartitum* 1. *Gallico-Latino-Germanicum.* 2. *Latino-Germanico-Gallicum.* 3. *Germanico-Gallico-Latinum.* Francof. 1700. Colon. 1715. Colon. et Francof. 1733. Lipſ. 1743. 4 maj.

Multas rerum novarum appellationes Latine reddidit.

EIVSDEM *Fons latinitatis.* Dillingae 1691, 1707. Colon. 1717. 12.

EIVSDEM *Indiculus univerſalis rerum fere omnium, quae in mundo ſunt, ſcientiarum item artiumque nomina apte breviterque colligens, Gall. et Lat.* Lugd. Gall. 1688. 12.

EIVSDEM *Grund-Regeln der Lateiniſchen Sprache aus dem Franzöſiſchen überſetzt und vermehret von* Wunibaldo Breinl. Augspurg 1733. 8.

Chriſt. POMARII *Conſiliarius Scholaſticus*. Magdeburg. 1665. 12.

Georgii Wilhelmi PONATI *Excerpta formularum loquendi, ad ornatum et copiam Latinae linguae pertinentium.* Oſnabrugae 1692. 4.

Suae Auctor informationi ſcholaſticae, privatisque tironum ſuorum uſibus librum hunc accommodavit.

Edidit etiam *Ponatus Excepta Phraſium Terentianarum*, *Oſterodae 1685. 12.*

Jacobi PONTANI, e Societate Jeſu, *Progymnaſmatum latinitatis*, ſive *Dialogorum libri quattuor*, *cum adnotationibus.* Ingolſtadii 1589, 1604, 1609, 1610, 1661. Monachii 1616. Francof. 1630, 1643. Lipſ. 1689. 8.

Per rationem colloquiorum, praeſertim in eruditiſſimis adnotationibus cuilibet colloquio ſubjunctis, varia proponit in uſum eorum, qui linguam Latinam addiſcere, et antiquitatum aliarumque rerum, quae ſpectant ad forum Philologicum, notitiam ſibi comparare cupiunt. Tom. 4. Progymn. p. 409. ſeqq. elegantias Latini Sermonis ex Celſo collegit, et ordine litterarum congeſſit. *Horum Progymnaſmatum Pontani* inſignem exhibent epitomen *Vrſini Colloquia.*

Scripſit etiam hic *Pontanus* noſter *Diſſertationem*, *qua Ciceronis eloquentiam contra novatores non nullos*, *Eraſmum*, *Politianum*, *et Belgam quemdam anonymum*, *defendit*, monſtratque, quam in omni epiſtolarum genere, quod adeo multiplex et varium eſt, unice triumphet Cicero, ut qui rebus accommodare argumenta, argumentis elocutionem, elocutioni numeros et decentem illam copiam ante omnes alios norit.

Joannis Joviani PONTANI *Opera*, *quae ſoluta oratione compoſuit*, *omnia: in Tomos tres digeſta*, Baſileae 1538, 1556. 8 maj.

Auctor, vir excellentis ingenii ac doctrinae, quantus fuerit, cum ex ipſis his Operibus, tum ex Praefatione ad Lectorem, quae Tomo I. praemittitur, facile ac proclive ſatis intellectu eſt.

Sylla-

Syllabus librorum omnium ejus hic eſt: Tomo I. continentur

De Obedientia libri V.

De Fortitudine libri II.

De Principe
De Liberalitate
De Beneficentia
De Magnificentia
De Splendore
De Conviventia } Liber

De Prudentia libri V.

De Magnanimitate libri II.

De Fortuna libri III.

De Immanitate liber.

Tomo II. continentur

De Adſpiratione libri II. Atque hi bini libri ad Bibliothecam hanc noſtram proprie ſpectant. Apparent etiam ad calcem *Lampadis Roſtianae*; qua de infra ad *Rothium*.

Charon
Antonius
Actius
Aegidius
Aſinus } Dialogus

De ſermone libri VI.

Belli, quod Ferdinandus Senior, Neapolitanorum Rex, cum Johanne, Andegavenſium Duce, geſſit, libri VI.

Tomo III. continentur

Centum Ptolemaei ſententiae, a Pontano e Graeco in Latinum translatae atque expoſitae libris II.

Ejusdem Pontani de Rebus coeleſtibus libri XIV.

De Luna, liber imperfectus.

EIVSDEM *Analectorum Libri III.* Roſtochii 1599. 4.

Etiam ex his Analectis apparet, quantus litterator fuerit Pontanus: quamvis ſalſe admodum eos ſubinde perſtringit, in quos cenſuram exercet.

Auſonii POPMAE *De Differentiis verborum libri IV. Accedunt* Cornelii Frontonis, Fl. Clari Grammatici, Agroecii (*alii ſcribunt* Agraetii), Fl. Soſiſtatri Chariſii (*alii ſcribunt* Cariſii), Servii Honorati, Ael. Donati, Sex. Pomp. Feſti, Nonii Marcelli *de eodem argumento commentationes.* Item *de uſu antiquae locutionis libri duo.* Prodiit Antwerp. ap. Plantin. 1606. Gieſſae Haſſorum 1609, 1618, 1654. Ibid. *cum Praefat. Frid.*

Taubmanni 1618, 1660, 1679. Lugd. Bat. 1606. Dresdae 1634. Marpurgi 1635, 1636, 1646, 1673. Amſtel. 1654. Lipſ. 1694. *Cum additamentis Joh. Frid. Hekelii* Lipſiae et Dresdae 1694, 1708. 8. *Denuo inſigniter aucti, et aliquo modo transformati ab Adamo Dan. Richtero*, Dresdae 1741. 8.

Morhofius lib. de pura dictione cap. 1. §. 5. p. 165: Conſiderandum eſt, qua differentia ſignificationis verbum unumquodque apud claſſicos auctores efferatur. Haec etſi quidem ab antiquis Grammaticis ſunt notata, manca tamen illa ſunt et mutila, plurimumque heic uniuscujusque induſtriae relinquitur. Quare diligenter legendus eſt, qui heic nobis ſubſidio eſſe poteſt, Auſonius Popma, Friſius, in libro de differentiis verborum, etſi in illo multa notanda ſunt, in quibus rem acu non tetigit.

Auctarium aliquod Popmae adjecit *Hieronymus Thomas Gieſſae* 1639. 8.

Prodiit etiam *ſpicilegium Differentiarum in Auſonii Popmae de Differentiis verborum libris omiſſarum, quo ſub muneris auſpicium operas ſuas indicat* Joannes Chriſtophorus Strodtmann, *Con-Rector Scholae Peinenſis*, Peinae 1743. 4.

Subſecuta eſt *Ejusdem Sylloge differentiarum Latinarum nova.* Wolfenb. 1747. 4.

Cl. Auctor ad calcem optat, ut Prof. Gymn. Hamb. *Hermannus Sam. Reimarus* Differentias vocum Graecarum tandem aliquando cum orbe litterato communicare velit, et differentias vocum Hebraicarum, quas duabus Diſſertationibus Vitenib. 1718. publicare coepiſſet, auctiores in lucem revocet.

Libri duo de uſu antiquae locutionis, qui itidem ab induſtria Popmae proficiſcuntur, et ipſius de Differentiis verborum libris IV. ſubjungi ſolent, non poſſunt non gratae eſſe iis, qui Critices ſtudio dediti ſunt et litteraturae interiores receſſus perquirunt. *Libri I. Caput 1.* agit de litterarum vocalium inter ſe commutatione; *Cap. 2.* de mutatione diphthongorum; *Cap. 3.* de conſonantium inter ſe commutatione; *Cap. 4.* de litterarum in dictionibus adjectione; *Cap. 5.* de litterarum in dictionibus detractione; *Cap. 6.* de ſyllabarum in dictionibus adjectione; *Cap. 7.* de ſyllabarum in dictionibus detractione; *Cap. 8.* de extremitatibus nominum; *Cap. 9.* de mutatis Declinationibus, Caſibus et Generibus; *Cap. 10.* de Pronominibus; *Cap. 11.* de Verbis; *Cap. 12.* de Temporibus et Modis; *Cap. 13.* de Adverbiis; *Cap. 14.* de Praepoſitionibus; *Cap. 15.* de compoſitione vocum; *Cap. 16.* de diſtractione vocum. *Libri II. Caput 1.* agit de Partium orationis inter ſe commutatione; *Cap. 2.* de permutatione Caſuum, Numerorum et Generum; *Cap. 3.* de permutatione Temporum et Modorum; *Cap. 4.* de Caſibus cum Nominibus junctis praeter vulgatum uſum; *Cap. 5.* de Caſibus cum verbis junctis praeter vulgatum uſum; *Cap. 6.* de Participiorum et Gerundiorum uſu antiquo; *Cap. 7.* de Adverbiorum et Praepoſitionum ſtructura; *Cap. 8.* de

de commutatione ſimplicium et junctarum vocum; *Cap. 9.* de iteratis et geminatis vocibus in Oratione; *Cap. 10.* de Parelcis; de Ellipticis.

Antonii POSSEVINI S. I. *Cicero collatus cum Ethnicis et ſacris ſcriptoribus.* Patav. apud Paulum Meretum 1593. 4.

Jo. Lud. PRASCHII *Roſetum* ſeu *Praecepta ſtili Latini.* Ratisbonae 1676. 8. *Cum Praefatione* Ge. Nicolai Kriegkii, Jenae 1702. 12.

Auctor praeſtantiſſimus, deducto ab artificialibus ſermone, ſtili nativam tantummodo rationem perſequitur, et ſimpliciter informat ſtilum. Eam diſciplinam prae ſe fert, qua ſtilus plus videtur eſſe, quam facultas linguae Latinae, et minus rurſus, quam vis ac pompa oratoria. Vnum auctorem, non plures, ad imitandum vult adoleſcentiae proponi. Vellem equidem, indicaſſet paullo curatius illum unum Praſchius. Nimirum meo, et fortaſſis etiam aliorum, judicio, unus ille debet eſſe Cicero, qui ab initio ſolus pro norma habendus; cui deinceps jungendus Caeſar, Nepos, Terentius et Poëtarum principum triga illa illuſtris. Nec Livium, nec Curtium, nec Plinium, nec Suetonium, nec Tacitum, nec quemquam alium, quamvis ceteroquin ſatis probum et elegantem, ſcholaſticae juventuti ante proponendum puto, quam robur dicendi fecerint aliquod ex modo dictis optimae notae ſcriptoribus. Recte interim praecipit Praſchius de ſcriptoribus recentioribus, ut ut Latine ſcribentibus, quorum patroni et imitatores ſimiles ipſi videntur hominibus picturae imperitis, qui ectypa archetypis praeferunt. Numquam enim, qui recentiorum ſcriptis in ſtilo profecit, aut ipſe ſatis recte ſcribet, aut, quid in ſtilo rectum ſit, ſatis dijudicare poterit. Nimis autem belle ſentit Praſchius de Curtio, inque ſubſidium conſenſus citat Erycium Puteanum Praefat. ad Curt. teſtem ſane minus probatum, nec ſtili ejusque verioris rationis ſatis intelligentem. Recte autem Praſchius feſtinationem in legendo tironi probe imbuendo interdicit, ne in gloriam trahat, ſi quam plurima cito perlegerit. Vult cuncta barbara omni ſtudio evitari, donec et barbari et Latini ſermonis diſcrimine ſatis cognito verba in poteſtate habeamus: tunc autem verba et totam orationis formam ſaeculi genio accommodandam eſſe. Tantum de puritate ſtili. Pergit ad linguae proprietatem. Hanc duplicem eſſe adfirmat: unam, quae linguam linguae; alteram, quae vocabulum vocabulo comparet. Suis unamquamque rem vocabulis efferri propriis, et naturae ac conditioni rerum, quas ſcriptura perſequimur, ſatis convenientibus, non ſcientiae trivialis aut nihili eſſe. Vſum dominari in ſingulis linguis. Interdum inſolentius dici, ſi proprie dicatur, quam ſi ex figura. Aulam, forum, curiam, certas ſibi voces ac formas, uſu publico ſuffragante, delegiſſe. Delectu verborum ad eloquentiam vehementer opus eſſe. Virgilium heic excellere, cujus libri ad inſtar indicis ſint, quo contineantur electiſſima verba, nec ulli verbo humiliori eumdem indulgere. Taciti verbis nihil eſſe ſignificantius. Hunc delectum verborum etiam in minutiſſimis particulis adhibendum eſſe, et adhiberi ab iis, qui ſtili elegantioris ratio-

nem habeant ſatis cognitam. Vſum modi potentialis legitimum propemodum hodie ignorari. Synonymias vocum et geminationes veterum non fortuitas apud veteres aut ſuperfluas eſſe. Libenter in amicitiam coire voces quasdam; alias invito veterum uſu in unum compelli. Locutiones notandas eſſe non modo floridas et ſucci plenas, ſed etiam ſimplices et nullo colore tinctas: nec ſpectandas ſolas, ſed in comitatu ſuo poſituque, ſed relatas ad ſermonem integrum, atque ad cauſam, cui ſerviunt. Videndum, ne quid ſcribendo nugatorie redundet, aut aliquid deſit, quod ad exprimendam animi ſententiam facere videatur. Vnicum interdum verbum, in loco poſitum, toti orationi adferre lumen. Heic Virgilium ante alios habere iterum aliquid peculiare. Circa figuras et ornamenta, naturam, tamquam ducem, ſequendam eſſe, nec easdem formas rebus omnibus congruere. Ludimagiſtros peſſime juventuti conſulere, qui nihil aliud eam doceant, quam variare unam eamdemque rem per mille figuras. Maecenatem heic olim peccaſſe, cujus μυροβρεχεῖς cincinnos Auguſtus quoque riſerit.

Comenium etiam, haud bonae latinitatis auctorem, infelix ſpecimen dediſſe *ſtili*, quem appellaverit, *allegorici*, ſed revera inculti, inſolentis atque inſani, quo

Delphinum ſilvis appingat, fluctibus aprum.

Quis enim optet meras allegorias? Alios ſequi orationem egenam et humi repentem. Sententiis alios indulgere nimis; quod in Seneca Philoſopho reprehendatur: Tragoedias item, quae ſub titulo Senecae proſtent, eodem morbo laborare. Sapientiae etiam et ingenii oſtentandi modum quemdam tenendum etiam in ſtilo eſſe. In verborum collocatione non ſuo cuique arbitratu agendum eſſe, ſed ad illud aurium judicium exigenda heic omnia, quod formatum tamen eſſe debeat non niſi adſidua lectione meliorum ſcriptorum veteris Latii. Heic iterum peccaſſe *Comenium*, qui peſtilens variandi ſtili exercitium induxerit, collocatione verborum apud veteres uſitata turpiter poſthabita. Vitandam eſſe σύγχυσιν, ne fortiori voci ſubjungatur infirmior, aut minus neceſſaria, ne elangueſcat oratio redundetve. *Danielem Heinſium* incidiſſe heic εἰς ἀμετρίαν τῆς ἀντόλκης. Hanc verborum collocationem ab rebus, quas tractent, praecipuum robur ſuum arceſſere ac decus. Huc etiam pertinere cautionem illam, qua evitentur longae et impeditae periodi. Vinculis ſatis aptis conſtringendam orationem eſſe. Magnam ingenii in eo ſe exſerere vim, ſi occultum nexum habeamus in promtu, et praeter exſpectationem delabamur ad alia; in qua ingenioſa partium heterogenearum colligatione Ovidius in Metamorphoſi ſe mirificum praeſtet artificem. Conſtructioni Grammaticae attendendum eſſe, non rariori, non antiquae, ſed uſitatiori, ſed molliori. Ἐλλείψιν continere locutionum longe plurimas: quae quum alios fere, tum Grammatiſtas praeſertim miſere oſtendant, et irregulares putentur, aut perverſae regulae occaſionem praebeant, et nunc parum Latinae, nunc (quod Comenio acciderit) magis etiam Latinae judicentur. Hi ſi juſtae lectioni dediti attendiſſent, quomodo a ſcriptoribus ipſis alibi ſuppleantur, quae hient, vel ſi cauſas Latinae linguae ſobria mente exquiſiviſſent, longe ſecus tunc eos exiſtimaſſe, vero eſſe ſimillimum. Orationem debere eſſe argumento conformem, ſuique

ſemper

ſemper ſimilem, nec ad ſublime dicendi genus ferri debere, quum humile aptum rei verbis veſtiendae ſit, ac verſa vice. Heic *Praſchius* minus recte ſciſcit, ſi ſtilum humilem vult eſſe eum, qui trahat ſordes et menda, et ad ſimilitudinem habitus plebeji accedat; quum is potius ſit, qui ſimplicitatem amet, et flores reſpuat, tamquam ſermoni familiari et perſpicuitati in docendo aptior. *Praſchius* praeter vulgarem illam diſtinctionem, qua character dicendi vel ſublimis, vel mediocris, vel humilis eſſe ſolet, ſtili quemdam modum eſſe dicit, qui vocari poſſit heroicus, quem vulgari regula nemo metiri debeat; qualis ſit S. Scripturae, D. Lutheri, et in profanis J. Caeſaris. At *Praſchius* hunc ſtilum, quem vocat, heroicum opponere non debebat vel ſuperinducere triplici illi dicendi generi. Certum eſt, ſacrae ſcripturae dicendi generi ineſſe aliquid, quod divinam originem prodat: certum eſt, Lutheri fulgur a certo quodam divinae mentis, qua concitabatur, robore proficiſci: ſubſcribo etiam eorum ſententiae, qui in Jul. Caeſaris Commentariis heroëm quemdam agnoſcunt monoſyllabicum et cum arcana quadam majeſtate brevem: addo etiam, ſingulorum dicendi rationem habere aliquid, quo internoſci illa a reliquis queat. At hinc tamen triplici illi diſtinctioni, quae ſatis adaequata omnium Rhetorum judicio eſt, nullus dicendi character inſuper accedit alius. Immo vero diverſitas illa, qua heroicus ſtilus inducitur, individualis eſt, et ſcribentium perſonas ac divinum impetum reſpicit, non verborum habitum rerum argumentis convenientem. Ipſe enim ſtilus ſacrarum litterarum etſi in ſe et in ſua origine ſpectatus divinam ubique majeſtatem ſpirat; nihilominus tamen pro rerum, quas tractat, diverſitate ſtilum prae ſe ferre videtur mox humilem, mox mediocrem, mox ſublimem. Humilem fere in libris Hiſtoricis; mediocrem maximam partem apud Prophetas; ſublimem in non nullis epiniciis, in libro pſalmorum, atque alibi heic atque illic occurrentibus, ac praeſertim in Cantico Canticorum deprehendimus. Sive autem humilis, ſive mediocris, ſive ſublimis ſit: ſpiritu tamen divino et heroico ubique plenus eſt.

Subjungit *Praſchius* cautiones adhibendas in deligendo ſcriptore, quem imiteris, ac praeceptiones in ipſo imitationis ſtudio ſequendas. Praecipue monet, ne in κακοζηλίαν inconſulto imitandi impetu incidamus. Omnino reſpicienda eſſe haec: perſonam et ſcribentis, et ejus, cui ſcribatur, materiam item, opus, locum, tempus, morem ac diſciplinam ſaeculi. Imitantes e. g. Tacitum, non eodem, quo is, modo loqui debere de αὐτοχειρίᾳ, de fato, de religione, de cultoribus ſectae Stoicae: nec tamen omnino locutionas illas abhorrendas eſſe, ſed prudenter inflectendas ad ſenſus ſaniores. Ad ſummum: ſtilum eſſe aptandum rebus; non rem ſtilo. Hoc peccari a plerisque imitantium, quod in legendo verbis ſolum et ambienti cortici, non medullae ſcriptoris, inhient. Exemplo eſſe ſuppoſiticium Petronii fragmentum Tragurianum: quo nil barbarum magis et abſurdius temere fingi poſſit. Nullum in eo ſenſum, nullum συνάφειαν, nullum judicium eſſe. Quamvis ejus auctor verbum unum et alterum Petronio ſublegerit, et ſuperficiem conetur imitari, et Latine aliqua dicat; tamen curatius cuncta intuenti facile apparere, ab inepto Petroniani ſtili imitatore omne illud fragmentum profectum eſſe. Reprehendit tandem *Praſchius* eos imitatio-

rum molitores, qui verſantur in locis communibus de virtute, de ſtudio litterarum, de prudentia; qui res notiſſimas confirmant, et ideo tantum ſcribunt, ut ſcribant. Omnia ſtili exercitia ita inſtitui vult, ut per ea res civiles hodiernaeque innoteſcant. Quod tamen non eo dicit, ut antiqua et vulgaria et ceteroquin ſatis decantata argumenta, ut quae praeſertim puerili captui quam maxime accommodata videntur eſſe, penitus proſcribat aut ab tirociniis ſcholaſticis ſegreget, ſed ut res aetatis noſtrae noſtraeque patriae, quoad quidem ejus fieri poſſit, alienis aut oblitteratis praeferamus. Latino ſermone explicari vult, quae ad certiſſimum ac praeſentiſſimum uſum Latine ſcribendi ducunt: quo quidem in genere videantur eſſe epiſtolae, quarum quidem commercium ſit frequentiſſimum ac late patens, orationes ad Principes vel Reges vel Legatos exteros, gratulatorias, conſolatorias, ſuaſorias, diſſuaſorias, et id genus alia. Quae tamen conſultationes non eo pertineant, uti juvenes rerum ſummarum et hereditatis herciſcundae ſummorum Principum ſe ferant judices, in publico praeſertim, verum ut modeſte ac pro captu non niſi egregia cognoſcant et componant, atque ſic reipublicae, non ſcholae ſapere mature occipiant. Maſculam imitandi rationem non exigendam illico eſſe ab tironibus, quibus concedi debeat, ut verba, locutiones, ſententias auctoris integras, ſuis ſpeciminibus ad verbum inſerant; quamvis hac ratione non ſimilis, ſed eadem ferme oratio, rebus tantum mutatis, appareat.

Praefatio Kriegkiana brevem in ſummam colligit vitam, ſtudia ac merita, in rem litterariam non minus, ac publicam, doctiſſimi auctoris Praſchii, Reip. Ratisbonenſis primum ſyndici, deinde Directoris aerarii publici, Conſiſtorii Praeſidis ac ſupremi Scholarchae.

EIVSDEM *De Latiniſmis et Barbariſmis Commentariolus.* Accedunt *Principia ſtili e Rhetoricis ad Herennium: item* Caſparis Scioppii *quaedam. Cum Praefatione* Ge. Nicolai Kriegkii, Jenae 1704. 12. ita recuſum eſt: prodierat enim jam Ratisbonae 1688. 8.

Principia Stili, e Rhetoricis ad Herennium excerpta, ab eodem Praſchio proficiſcuntur, et tam nervoſe propoſita ſunt et enucleata, ut ſecundum ea exponi et inculcari debeant ac poſſint ſelecti ſcriptores elegantiae Latinae ſtudioſis. Huic autem commentationum bigae ſubjungere *Kriegkius* voluit *Scioppii*, qui heic ſub *Paſcaſii Groſippi* nomine latere ſtuduit, *De Rhetoricarum Exercitationum generibus Diſſertationem* cum *Ejusdem De compendioſa linguae Latinae exactius cognoſcendae ratione Epiſtola ad* Henricum Bockium, *JCtum.*

EIVSDEM *Organon linguae Latinae.* Ratisbonae 1688. 8.

Tradit novam, eamque perſpicuam methodum, qua pure Latina lingua, una cum bonis moribus atque ſcientiis, juſto ordine ab initio ad ſummam usque faſtigium doceri addiſcique queat, idque facile, et citra temporis ſumtuumque jacturam, et cum voluptate, et per ludum quaſi, atque ſine admini-

adminiculo *Veſtibuli*, *Januae reſeratae*, *Aureae Portulae*, *Eruditionis ſcholaſticae Atrii*, *Orbis ſenſualium picti*, aliorumque hujusmodi notae librorum; additis hanc in rem ſubſidiis neceſſariis vel triplici opuſculo.

Scripſit etiam publicique juris fecit Ratisbonae 1686, et 1689. 4, quae ad hoc noſtrum inſtitutum ſpectat, *Diſſertationem De origine Germanica Latinae linguae:* in qua ſibi propoſuit ampliſſimi vir ingenii oſtendere, Germanicam linguam eſſe inſtar matris, Latinam autem inſtar ejus filiae; Germanicam enim eſſe, quae radices veras Latinae linguae poſſideat: neque adfirmare dubitavit, ſe nullam adhuc vocabulum Latinum tentaviſſe, quin radicem Teutonicam repererit. Quam quidem ſententiam et alii fovent viri docti: nempe *Herm. Conringius Praefat.* ad Taciti lib. de moribus Germanorum; *Lynkerus* Diſſert. *de Idiomate Imperiali* p. 75; *Georg. Stiernhelmius Synopſi* ſuae, quam molitus eſt, *Runae Suecicae*, de cujus ratione vid. Morhof. Polyh. T. I. l. 4. c. 3. § 3; *Funccius* Tr. *de Origine L. L.* p. 17. *Georg. Henr. Vrſinus*, *Onomaſtico-Germanico-Graeco*, ed. Ratisb. 1690. 8, ſpeciatim autem in *Praefatione;* et multi alii: quamvis ſunt, quibus haec L. L. origo minus probabilis videtur, v. g. *Chriſt. Falſterus* in *Quaeſtionibus Romanis* p. 28; quos tamen confutat *Funccius* libro modo citato.

Obiit *Praſchius* diem ſuum die 12 Junii 1690. Poëta inſuper fuit in Poëſi et Latina et Germanica laude omni dignus. Germanicam locupletavit ſequentibus ingenii ſui monumentis: Gründliche Anzeige von Vortrefflichkeit der Teutſchen Sprache, Regensburg 1680. 12. Lobſingende Harfe, Regensb. 1682. 12. Geiſtlicher Blumen-Strauß, mit beygefügten Gnadenthaliſchen Melodeyen, und einer Zugabe von der Natur des Teutſchen Reims, Regensburg 1686. 8.

Gabr. PRATEOLI *Flores et ſententiae ſcribendique formulae illuſtriores, ex M. T. Ciceronis Epiſtolis familiaribus ſelectae, et in communes locos ad cujuscumque generis concinnandas epiſtolas quam accommodatiſſimos coagmentatae et certo ordine digeſtae. Quibus ad has ipſas fulciendas epiſtolas acceſſere ex ejusdem Ciceronis libris officiorum, De Amicitia, de Senectute, Paradoxorum, Somnii Scipionis, Tuſculanarum Quaeſtionum, veteris ac novae Rhetoricae, ac denique Orationum Sententiae.* Colon. 1561. 12.

Auctor velut in unum corpus plurima membra paſſim diſſecta compage quadam ſubjectae materiei coagmentavit, prout varium litteras ſcribere volentium, vel ſenſibus externis, vel commentationibus internis offerri putaret argumentum.

M. Gothofredi PRENZLOVII *Introductio ad Collegium de Copia verborum ac rerum:* cui acceſſit *Conſilium de ratione informandi ad amicum quemdam.* Witteb. 1671. 12.

Veſtigiis Buchnerianis et Boeclerianis Auctor inſiſtit, et tamquam Proluſionem aliquam hoc qualecumque Specimen recitationibus ſuis praemittit.

Humphredi PRIDEAUX *Marmora Oxonienſia.* Vide ſupra *Marmora Oxonienſia*, cet.

PRISCIANI Grammatici, *Opera*, *ſtudio* Benedicti Brugnoli. Venet. 1476, 1481. fol. 1485. 4. 1488. fol. 1495, 1496. fol. Colon. 1528. fol. Baſil. 1545. fol. Lipſ. 1496. 4.

Ejusdem Inſtitutiones Grammaticae ſeparatim prodiere in aedibus Aſcenſianis ſine mentione anni; item Baſileae 1545, 1568. 8.

Apud Putſchium occurrunt Priſciani libri ordine hoc ſubſequente:

1. *Commentariorum Grammaticorum libri XVIII. p.* 538 — 1214: ex quibus praecipue duo poſtremi commendari merentur, quod in conjungendis vocibus ad Graecam ſimul linguam reſpexit, hujusque cum Latina convenientiam indicavit.

2. *Partitiones verſuum XII. Aeneidos principalium* p. 1215 — 1286: in quibus ſingula verba et ſecundum regulas Etymologicas et Syntacticas et Proſodicas examinat.

3. *De Accentibus liber*, p. 1286 — 1300: quo, quae accentu vel eleventur vel deprimantur vocabula, deque ſignis Grammaticis praecipit.

4. *De declinatione nominum liber*, p. 1300 — 1320: in quo tamen non flectendi tantum per caſus, ſed et per tempora et perſonas, rationem habuit.

5. *De verſibus Comicis liber* p. 1320 — 1330: quo docet, quo modo a Graecis ſenſim in Jamborum ratione deflexerint Latini.

6. *De praeexercitamentis Rhetoricae ex Hermogene liber* p. 1330 — 1346: ubi de fabula, narratione, uſu, ſententia, operatione, refutatione, loco communi, laude, comparatione, allocutione, deſcriptione, poſitione et legislatione ſtrictim agit.

7. *De figuris et nominibus numerorum*, et *de nummis vel ponderibus liber ad Symmachum* p. 1345 — 1358.

Eſt hic Priſcianus Grammaticus ille, qui ſeveris ſuis, quas de Latina lingua tulit, regulis meruit, ut, quicumque leges ejus migrent, vapulare jubeant vehementer hunc Grammaticum; unde et *Nicodemi Friſchlini Priſcianus vapulans*, fabula facetiſſima, occaſionem habuit.

Vide plura de libris Priſciani eorumque editionibus Fabric. Bibl. Lat. Tom. 2. p. 733. ſeq.

Valerii PROBI *Libellus de interpretandis Romanorum litteris, civiumque Romanorum nominibus* etc. quem ex MStis Codd. auxit, emendavit et notis illuſtravit Henr. Ernſtius. Sorae 1647. 4.

PROCLI *Chreſtomathia Poëtica*, Hanoviae 1615. 4.

PROSODIA BONONIENSIS. Mogunt. 1646. 12.

Erycii

Erycii PVTEANI *de Diſtinctionibus Syntagma.* Adjuncta eſt *Juſti Lipſii de iisdem Epiſtola.*

Vtriusque Commentatio ſubjuncta eſt *Puteani Muſathenae* ſive *Notarum Heptadi ad harmonicae lectionis novum et facilem uſum.* Hanoviae 1602. 8.

Eliae PVTSCHII *Grammaticae Latinae Auctores antiqui:* Chariſius, Diomedes, Priſcianus, Q. Rhemnius Palaemon, Probus, Magno, P. Diaconus, Phocas, Aſper, Donatus, Servius, Sergius, Cledonius, Maximus, Victorinus, Auguſtinus, Conſentius, Alcuinus, Eutyches, Fronto, Velius Longus, Caper, Scaurus, Agroecius, Caſſiodorus, Beda, Terentianus, Marius Victorinus, Plotius, Caeſius Baſſus, Fortunatianus, Rufinus, Cenſorinus, Macrobius, incerti: *quorum aliquot numquam antehac editi, reliqui ex MSS. Codd. ita augentur et emendantur, ut nunc primum prodire videantur. Cum Indicibus locupletiſſimis.* Hanoviae typis Wechelianis apud Claudium Marnium et heredes Joa. Aubrii 1605. 4 maj.

Conſpiciuntur ergo in hac ſylloge Putſchiana Grammatici, ſi incertos ad calcem adjectos exceperis, XXXIII: quorum tamen quaedam Putſchius ipſe fatetur vix digna fuiſſe editione. Vberiorem eorum notitiam ſuppeditat Fabricius Bibl. Lat. Vol. 1. p. 781 — 798.

De corpore illo Grammaticorum, quod *Gothofredus* confecit, vide ſupra ad *Gothofredum.*

Prodiit etiam *ſylloge Grammaticorum veterum ſcriptorum alia,* ſcil. *Palaemonis, Terentii Scauri, Donati, Servii, Victorini, Papyrii, Frontonis,* Baſil. 1527. 8.

Etiam a *Joh. Theodoro Bellovaco* veteres Grammatici Latini duodecim junctim editi ſunt ex officina Aſcenſiana Pariſ. 1516. fol. 1. *Diomedis libri 3.* 2. *Q. Rhemnii Palaemonis ars ſecunda.* 3. *Aſperi Junioris Grammatici ars.* 4. *Aelii Donati editio prior et poſterior,* it. *de Barbariſmo, vitiis et tropis.* 5. *Servius Honoratus in ſecundam edit.* 6. *In eamdem Sergius Grammaticus.* 7. *Phocas de nomine et verbo,* it. *de adſpiratione.* 8. *Caper de Orthographia et Latinitate.* 9. *Agraetius de orthographia et proprietate.* 10. *Probi Grammatici Inſtitutiones artium, ad Caeleſtinum.* *Ejusdem Catholica.* 11. *Cornelius Fronto de vocum differentiis.* 12. *Grammaticus alter de punctis et accentibus.*

Juſti Gottfridi RADENERI *Stili elegantioris ratio V. regulis commonſtrata.* Acceſſit *Iudicium de ſtilo Latinorum ſcriptorum.* Lipſ. 1694. 8.

Commen-

Commentatiuncula eſt, quinque modo conſtans plagulis. Proſtant etiam Auctoris *Amoenitatum Hiſtorico-Philologicarum Decades quinque Lipſiae 1695. 8.* It. *Nützliche Lehr-Gedichte* Dresdae 1691. 8. Ipſe auctor tandem Rector Scholae Illuſtris Miſenenſis fuit, diemque ſuum obiit ſupremum a. 1699.

Jacobi RAEVARDI *Varia.*

Petri RAMI, Profeſſoris Regii, *Grammatica Latina, ab eodem recognita et ex variis ipſius ſcholiis ac praelectionibus breviter explicata. Editio poſtrema, a ſuperioribus longe diverſa.* Francof. apud heredes Wechelii 1596. 8. Item ſub titulo *Grammaticae Latinae Philippo-Rameae* Sigen. eodem anno, et eadem forma. Prodiit etiam Hamburgi 1614. 4.

Etiam in compendium illico redacta fuit, hac quidem inſcriptione: *Rudimenta Grammaticae, ex P. Rami, Profeſſoris Regii, poſtrema Grammatica, breviter collecta. Editio poſtrema a ſuperioribus longe diverſa.* Francofurti apud heredes Wechelii 1596. 8. Atque hanc ipſam compendii formam puto eſſe, quae prodiit ſub titulo *P. Rami Grammaticae Latinae*, Hannoviae 1612. 12.

Ea autem in hac Grammatica ſua *Ramus* inculcat, quae in hac litterarum luce, qua hodie fruimur, nihil ſingulare praeferunt. Multa etiam ponit, quae non niſi cum quadam reſtrictione ſtare in Latio poſſunt. Edidit etiam *Grammaticam Graecam, quatenus a Latina differt*, Pariſ. 1567. 8.

EIVSDEM *Ciceronianus* ſive *De Ciceronis imitatione.* Baſil. 1577. Francof. 1580. 8.

Non admodum magnifice ſentit de proprietate et ſimplicitate ſermonis Ciceroniana. Nimirum acutius dicendi genus introductum volebat: unde *Ramiſtarum ſecta* in latinitate; quae contagione ſua foedaſſet univerſam rempublicam litterariam, niſi *Johannes Sturmius* et *Johannes Caſelius*, magni in erudita civitate duumviri, tanto malo ingruenti in tempore iviſſent obviam.

Jovitae RAPICII, Brixiani, *De numero Oratorio libri V.* Elegans editio prodiit Venetiis 1554. fol. Recuſus poſtmodum in Germania eſt Coloniae 1632. 8. comitem nactus *Jac. Ludovici Strebaei de Electione et oratoria verborum collacatione librum*, qui olim Baſil. 1539 et 1540. 8. item Coloniae 1540 et 1582. 8. prodierat.

Et *Rapicius* et *Strebaeus* doctrinam de numero cum ſingulari cura et induſtria explicatam dedere.

RATHE-

RATHERII *Sparadorſum.* i. e. Opus Grammaticum, ſaec. X. in ipſa litterarum optimarum caligine concinnatum, quod ea facilitate pueris inculcari poſſit, ut ne opus videatur eſſe, plagas dorſo propterea infligere diſcentium: unde Auctor nomen libro fecit, Monachus adflictiſſimus, et eruditionem promovere cupiens pro ſuo tempore enixiſſime. Nec editum tamen hunc librum ſcio: fuit tamen olim celebratiſſimus.

Wolfgangi RATICHII *Didactica, oder Lehrkunſt, wie die Sprachen gar leicht und geſchwinde können gelehret werden.* Jenae 1614. 12.

Joannis RAVISII *Textoris* Nivernenſis *Epithetorum Opus innovatum, et praeter ultimam ipſius Auctoris recognitionem, aliorumque accuratiſſimas emendationes ac locorum obſcuriorum declarationes, variarum item lectionum Notas, Epithetorumque rationes; tum praeter* Georgii Sabini *de verſibus ad veterum imitationem artificioſe componendis libellum, et* Georgii Fabricii Chemnicenſis *de Epithetis recte et decore adhibendis praeceptiunculas, novo de Proſodia ſeu ſyllabarum metrorumque ratione Tractatu, ex probatiſſimis aliquam multis auctoribus concinnato.* Prodiit Baſil. 1585, 1586, 1541, 1558, 1563, 1568, 1573, 1602, 1635. Rothomagi 1623. 8. Genevae 1638, 1687. Ebroduni 1624. In recentioribus editionibus a *Jo. Jac. Graſſero* auctum et illuſtratum eſt: acceſſere etiam *Ejusdem Raviſii Synonyma.*

Ex hoc Opere Raviſiano, additis quibusdam ſuis obſervationibus, concinnavit *Selectum Epithetorum Latinae Poëſeos Nicolaus le Roux, Pariſ. 1631. 8.* Redactum etiam *idem opus Raviſianum* in *Epitomen* eſt Coloniae Agrippinae 1563. 8. et 1648. 12, inſcribiturque *Johannis Raviſii Textoris Epitome Epithetorum.*

Raviſii exemplum in Graecis ſecutus eſt *Conradus Dinnerus*, cujus *Epithetorum Graecorum Farrago locupletiſſima* prodiit Hanoviae 1605. 8.

Adamus RECHENBERGIVS collegit *Hiſtoriae rei nummariae ſcriptores aliquot inſigniores.* Praemiſit *Bibliothecam Nummariam* et *Praefationem*, Amſt. 1692. 4.

Arnoldi REDEKERI *Statua Mercurialis, viam, qua ad eruditionem pervenitur, commonſtrans.* Rintelii 1655. 12.

Libellus

Libellus quidem eſt exiguae molis; multa tamen praeclare monet. *Capitibus* abſolvitur *14.* *Capite 1.* diſſeritur, quaenam ſint illius, cui eruditio eſt in deliciis, munia. *Cap. 2.* Quid eruditio et quam nobile bonum. *Cap. 3.* Arduam eſſe viam ad eruditionem, et veram ac regiam magno ſtudio inveſtigandam. *Cap. 4.* Quinam ad eruditionem habilis et aptus. *Cap. 5.* Quaenam homini ad eruditionem rite compoſito, quam diu in via ad eam ducente verſatur, ſint obſervanda et ſedulo agenda. *Cap. 6.* Quaenam ſit ipſa via, qua ad eruditionem pervenitur. *Cap. 7.* Quomodo et quot modis eruditio adquiratur. *Cap. 8.* De lectione et quae ejus ſint leges. *Cap. 9.* Quo ordine libri ſint legendi. *Cap. 10.* Quomodo libri legendi et de die diſponendo. *Cap. 11.* De meditatione eaque recte inſtituenda. *Cap. 12.* De ſermonibus cum viris eruditis miſcendis. *Cap. 13.* De converſatione et peregrinatione. *Cap. 14.* De conſervatione, exornatione et uſu eruditionis.

Capite 12. p. 87. ſeqq. breviorem quamdam Latinae linguae dat Auctor hiſtoriam. Lingua Latina, *inquit*, nulla fuit ante Romuli & Remi tempora, quae nunc inter paſtores ex lingua Graeca et Hetruſca coaleſcens, ſub ſeptem Regibus Romanorum infans fuit, deinde ſub Conſulibus usque ad Catonem Cenſorium quaſi in pueritia rudior adhuc: ut patet in Legibus duodecim tabularum: tum ſub Catone adolevit et vegetior facta eſt, poſtea ad aetatem Ciceronis translata, vigorem quaſi virilitatis obtinuit per Craſſos, Antonios, Cicerones, Hortenſios alioſque, ut narrat Tullius lib. de Clar. Orat. et in Oratore perfecto; tum ſub Auguſto ſenuit, virilior tamen adhuc: Auguſtus enim perquam Latine locutus eſt, referente Suetonio in ejus vita: deinde paullatim coepit declinare; ab ejus ſiquidem puritate deflexerunt Livius, Tacitus, Plinius, et multo magis Tertullianus, Arnobius, Sidonius, Symmachus et ſimiles, donec omnino exſtincta eſt circa annum Chriſti ſexcenteſimum. Ab illo enim tempore usque ad praeteritum ſaeculum XV, quo, capta Conſtantinopoli a Muhammede II, coepit primum in Italia cum Graecis et humanioribus litteris reviviſcere per Politianos, Vallas, Hermolaos, Pontanos, Poggios, non niſi mera barbaries dominata eſt in ſcholis, quemadmodum fuſe ſe docuiſſe in additamento ad Hiſtoriam Ludovici XI ait amor et cor Muſarum, *Gabriel Naudaeus ſyntagm. de ſtud. liberali*, ubi haec eo, quo fecimus, modo breviter repetit.

M. Friderici REDTELII, SubRectoris Scholae Sedinenſis, *Collegium ſtili.* Francof. et Lipſ. 1685. 8.

Doctrinae Generalis Membrum 1. agit de ſtili nomine et definitione. 2. De ſtilo et orationis diſcrepantia, deque ejus decentia et promptitudine. 3. De praeformando ſtili apparatu. 4. De materia ſtili. 5. De ſtili forma ejusque diviſione tripartita. 6. De uſu ſeu applicatione ſtili accommoda generaliter conſiderata. 7. De ſtilo familiari ſ. ſimplici. 8. De ſtilo elaborato et gravi. 9. De ſtilo nitidiſſimo et comto.

Doctrinae Specialis Membrum 1. diſſerit de ſtilo dialogiſtico. 2. De ſtilo et apparatu epiſtolographico. 3. De ſtilo didactico. 4. De ſtilo Hiſtorico. 5. De ſtilo Hiſtorico et Epidictico. 6. De ſtilo acuto et ſententioſo, inſerviente

viente proſopopoeiis, Hiſtoricis, Dramaticis. 7. De ſtilo encomiaſtico, conveniente Praefationibus et allocutionibus ad magnates, ut et Programmatis. 8. De ſtilo florido, conveniente Satyricis et Apologeticis, et miſcellaneo.

Accedit *Appendix duplex*: I. de artificio variandi: II. de praecipuis perorandi modis.

Jac. Friderici REIMMANNI *Introductio in hiſtoriam vocabulorum linguae Latinae.* Halae Magdeb. 1718. 8.

Vir diligentiſſimus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, hinc atque inde collegit non nulla, quae tamen hoc in genere non niſi exempli cujusdam inſtar eſſe queant, ex quo ulterius agant, qui eamdem pertexere deinceps velint telam. Idem vir optimus et in hiſtoria litteraria celeberrimus me quoque aliquando et coram et per litteras inducere ſtudebat, ut iteratae Lexici mei Antibarbari editioni ſubjicerem etiam *Partem Hiſtoricam*, perficeremque quodammodo id, quod ipſe in hac ſua Introductione inchoaſſet. Sed, ne quid dicam, quod oneri huic ferundo nequaquam par ſim, quum ſummam eruditionem et infinitam lectionem eam, quae cum incredibili induſtria et ſummo cum agendi otio conjuncta ſit, poſtulet; duplici inſuper ratione impeditus ſum, quo minus obtemperarem viro, dum viveret, mihi amiciſſimo: primum quidem, quod id haud ferret inſtituti noſtri ratio; deinde quod libelli obſtaret modus, qui ſubſiſtere intra mediocritatem debebat. Interim laborem hunc judico utiliſſimum eſſe; cui tamen feliciter abſolvendo decem Voſſii vix ſuffecerint. Labor autem foret, univerſae encyclopaediae lucem adfundens haud vulgarem, et ad interpretandos diverſarum aetatum ſcriptores accommodatiſſimus. Cui ſententiae meae favet graviſſimum judicium *Chriſtiani Gottlieb Schwarzii* in *Exercitatione Philologica de fatis vocum quarumdam*, *ed. Altorfii 1714*, §. 4. p. 6. 7. Vocibus, *inquientis*, utimur, ut iis res ſignificemus, aliisque animi noſtri ſenſa explicemus. At, quam frequens etiam ſignificationum notionumque, quae vocibus ſubjiciuntur, eſt mutatio? Equidem nemo non cum Joh. Clerico, Art. Crit. P. I. c. 5. optaret, ſcriptores omnes, cum veteres tum recentiores, aut potius omnes homines, ita conſtantes in ſermone fuiſſe, ut vocibus ſemper easdem poteſtates ſubjecerint: verum tantum abeſt, ut hac in re ſibi conſtiterint, aut adhuc conſtent, ut contra nihil ſit loquentium uſu inconſtantius. Pauca enim profecto ſunt vocabula, quae genuinam, eamque primam ſignificationem ſolam retinuerunt. Plura reperias, quae praeter primam quam multas alias, nunc quidem artiores, nunc latiores, nunc ſimiles, nunc prorſus diverſas, notiones adſciverunt. Huc adeo referendae ſunt metaphorae et translationes variae, itemque vocabula media atque ὁμώνυμα. Multa praeterea vocabula, dum ad alias atque alias res notandas accommodari conſueverunt, vel perdidere primam ac propriam ſignificationem, adeo, ut nunc ſaepiſſime proprietates verborum ignoremus, aut conjectura ſaltem adſequi neceſſe habeamus; vel unam dumtaxat alteramve ſignificationem ex adſcitis demum amiſere. Hinc, licet iisdem vocibus plura non numquam ſaecula uſa ſint; attamen ſub illis ſat magna latuit varietas ſententiarum. Eam ob rem haud parum commodi ad interpretandos ac dextre

tre intelligendos ſcriptores allatum iri certum eſt, ſi in exponendis vocabulis, quantum fieri poſſit, certae claſſes notionum, quas per ſingulas fere aetates, quove ſucceſſu, cuivis verbo tribuiſſent homines, diligentius ordinarentur; ex quo inſtituto quanta utilitas nominatim ad Theologiam et Philoſophiam redundatura ſit, dici non poteſt. Hactenus *Schwarzius*.

Judicaverat non nemo paullo iniquius de hac *Introductione Reimmanniana*, in *Novellis litterariis Germanicis de anno 1720. menſe Majo p. 322.* Contra hunc Cenſorem edita a Reimmanno eſt *Epiſtola* ἀνεχεδιαστική *ad Virum Nobiliſſimum, Conſultiſſimum et Excellentiſſimum* J. E. Wittenium, *Sereniſſimi et Potentiſſimi Regis Boruſſiae a Conſiliis Aulicis etc. Reipublicae litterariae non minus, quam civilis Decus egregium et ornamentum, qua illiberale Judicium cujusdam Ephemeridologaſtri ſub cenſuram revocatur, et Ipſe hic vir litteratiſſimus hujus Controverſiae Arbiter conſtituitur.* Hildeſiae 1720. 8.

EIVSDEM *Diatriben Anticriticam, qua perſonati* Camptonis Diatribe Critica *ad ſtateram revocatur;* vide ſupra ad *Janum Camptonum.*

Thomae REINESII *Syntagma Inſcriptionum antiquarum, in primis Romae veteris, quarum omiſſa eſt recenſio in vaſto* Jani Gruteri *Opere.* Lipſiae et Francof. 1682. fol.

Quum Operi Gruteriano deeſſe adhuc Inſcriptiones longe plurimas accuratior ſecutae aetatis inveſtigatio demonſtraſſet; *Reineſius* noſter in ſupplementum velut illius, eadem plane methodo, adornavit volumen aliud, ferme non minus vaſtum, idque ex *Octavii Roſſi* ſive *Rubei Memoriis Brixianis* a. 1616. editis, variis ſcriptis *Laurentii Pignorii* et ex *Georgii Gualteri Inſcriptionibus antiquis* ed. Meſſanae 1624. 4 aliisque hujusmodi ſcriptoribus congeſſit et commentariis illuſtravit; quod tamen poſt ejus mortem demum in lucem prodiit. Ejusmodi autem Inſcriptiones jure ſibi meritoque inter antiquae latinitatis monumenta locum vindicant. Confer, quae ſupra dicta ſunt ad *Opus Gruterianum.* Joh. Frid. Gleditſchius, qui hoc Reineſianum Opus imprimendum curavit, utinam quoque Eponymologicon, quod Reineſius Inſcriptionum ſuarum ſplendidae collectioni, velut indicem et omnis antiquitatis promum condum ſubjecerat, prodire patiatur.

Ab eo tempore varii eruditi idem ſaxum volverunt, et non paucas huc usque ineditas inſcriptiones in lucem produxerunt, vel ediderunt emendatius illuſtraruntque. Quo quidem in genere ſunt

1. *Octavius Falconerius* in *Inſcriptionibus Athleticis*, Romae 1668. 4.

2. *Sertorius Urſatus* in *Marmoribus eruditis*, Patav. 1688 4.

3. *Fortunatas Vinacceſius* in *Auctario ad* Octavii Rubei *Memorias Brixianas*, a. 1693. 4.

4. *Henricus Noriſius* in *Diſſ. Hypatica*, *Cenotaphiisque Piſanis*, Venet. 1681 fol. et aliis ſcriptis.

5. Ca-

5. *Carolus Caeſar Malveſia* in *Marmoribus Falſineis*, Bonon. 1690. 4 maj. ſ. fol.

6. *Joſephus Malateſta Garuffius* in *Lucerna lapidaria*, Armini 1691. 4.

7. *Philippus a Turre* in *Monumentis veteris Antii*, Romae 1699. 4.

8. *Petrus Lambecius* de *Bibliothecà Vindobonenſi* libro 2. p. 637. ſeq. 657. ſeq. 666. 668. 678. 687. cet.

9. *Jacobus Salomonius* in *Inſcriptionibus Patavinis*, Patav. 1701. 4.

10. *Bernardus de Montfaucon* in *Diario Italico*, Pariſ. 1702. 4.

11. *Jacobus Sponius*, Medicus doctiſſimus Lugdunenſis, in libro, quem inſcripſit *Recherches curieuſes de l'antiquité*, Lugd. (a Lion) 1683. 4; item in *Itinere*, atque eruditiſſimo opere ſuo, cujus titulus eſt *Miſcellanea eruditae antiquitatis*, Lugd. 1685. fol. Idem *Sponius* ineditas laudat collectiones *Marulli* Spalatenſis et *Nicolai Fabricii Peireſcii*, quae iisdem tenebris ſepultae jacent, quibus dolendum eſt *Caroli Patini*, *Joh. Baptiſtae Donii*, et *Auctarium* ipſius *Gruteri*, tum etiam *Bernardi Triviſani*, et *Henrici Chriſtiani Henninii* ampliores ſyllogas publica luce huc usque prohiberi.

12. *Raphaël Fabrettus* in *Inſcriptionum antiquarum Explicatione et additamento*, Romae 1699. it. 1702. fol.

13. *Guilielmus Fleetwood* in *Inſcriptionum antiquarum ſylloge*, Londini 1691. 8.

14. *Marquardus Gudius*, cujus grande Inſcriptionum volumen, Gruteriano et Reineſiano multo accuratius, a *Franciſco Heſſelio* tandem in lucem protractum eſt Leovardiae 1731. fol.

15. *Ludovicus Antonius Muratorius* in *Novo Theſauro veterum Inſcriptionum*, qui prodiit tribus voll. cum figg. Mediolani 1739. fol.

EIVSDEM *Variarum Lectionum libri III: in quibus de ſcriptoribus ſacris et profanis claſſicis plerisque diſſeritur, loca obſcura multa illuſtrantur, difficilia explicantur, corrupta emendantur, recentiorum etiam quorumdam circa ea fruſtrationes, interpretumque in quam plurimis Graecis alucinationes notantur.* Altenb. 1640. 4.

Opus eſt doctiſſimum, in quo praeter obſervationes Criticas multa adferuntur, quae Romanam hiſtoriam, Genealogiam et artem Medicam illuſtrant. Jungi his poſſunt *Ejusdem Epiſtolae ad Caſp. Hofmannum et Chriſt. Ad. Rupertum*, ed. Lipſ. 1660. 4; *nec non ad Chriſt. Daumium* ed. Jenae 1670. 4; *et ad Joh. Andr. Boſium*, Jen. 1700. 12. et ad *Neſteros*, Lipſ. 1670. 4. In quibus Epiſtolis itidem praeter egregias obſervationes Numiſmaticas et Medicas multa Philologica et Hiſtorica, ſpeciatim autem in illis, quas ad Daumium dedit, multae circa voces Graecas et Latinas diſputationes occurrunt. Adverſus *has Ejus Lectiones varias* ſcripſerat *Lancem Saturam Andreas Rivinus*, Profeſſor Poëſeos apud Lipſienſes: at confutatus illico ab *Reineſio* in libro, qui inſcribitur *Reineſii Defenſio Variarum Lectionum contra iniquam cenſuram Poëtae L.* et prodiit Roſtochii 1653. 4.

J. M. REINESII *Interpretatio Marmoris Patavini.* Lipſ. 1661. 4.

Petri REINHARDI Moeno-Francof. Gymnaſii Collegae, *de eo, quod in Latinitate minus, et quod nimium eſt.* Haec Diſſertatio inſerta eſt *Tomo VII. Miſcellaneorum Lipſienſium ad incrementum rei litterariae editorum p. 276.*

Docet Auctor, Latinae linguae ſtudium his noſtris temporibus non aeque in pretio amplius eſſe, atque olim fuerit: dein in Ciceronianos invehitur, et Latinae antiquitatis atque ethnicismi κακοζηλίαν, quatenus ea in ſtilo ſe exſerit, et in nimiam purius ſcribendi affectationem.

Laur. REINHARDI *Inſtitutiones ſtili Latini.* Erfurti 1728. 8.

Quattuor habet *Capita. Cap. I.* agit de ſtili virtutibus, et in *quinque Sectiones* diſtribuitur, quarum 1. de ſtili puritate. 2. de ſtili perſpicuitate. 3. de ſtili dignitate. 4. de ſtili ſuavitate. 5. de ſtili ornatu tractat. *Caput II. quattuor Sectiones* comprehendit, quarum 1. agit de ſtilo tenui. 2. mediocri. 3. ſublimi. 4. de reliquis ſtili generibus. *Caput III.* de ſtili Latini adminiculis diſſerit, et complectitur *Sectiones quattuor*, quarum 1. agit de Grammaticis Latinis. 2. de Lexicis Latinis. 3. de veterum auctorum lectione. 4. de veterum auctorum imitatione. Succedit *Caput IV.* de variis ſtili Latini exercitiis.

Scripſit Auctor etiam Diatriben *de ratione diſcendae linguae Latinae.*

Joannes REISKIUS *De erroribus diſcentium tractantiumque Latina.* Luneburgi 1676. 4.

Joan. Freder. REITZIUS *De ambiguis, mediis et contrariis:* ſive *De ſignificatione verborum ac phraſium ambigua.* Trajecti ad Rhenum 1736. 8 maj.

Quum, qui de ſtilo ſcripſere, praecipiant, ambiguitatem ante omnia eſſe vitandam, nec tamen doceant, quaenam verba ſint ambigua; Auctor, Medicus et ſcholae Hieronymianae Trajecti ad Rhenum Rector, ſtudioſae juventuti non inutilem operam ſe navaturum credit, ſi ordine alphabetico quaſi per lancem ſaturam ſiſtat, quae hoc in genere vitanda vel caute ſaltem adhibenda ſint. Quomodo autem id faciundum putet, ad calcem *Diſſertationis illius de Ambiguis*, quam libro huic ſuo praemiſit, p. 20. ſeqq. erudite commonſtrat.

Si autem, qui de ambiguis verborum ſignificatibus quaedam ante Reitzium noſtrum umquam aliquid monuerunt, ſubſtiterunt modo in generalioribus, ac fere ſunt hi ſequentes:

1. *Auctor ad Herennium*, ſaepe ab Auctore noſtro in ſubſidium vocatus.

2. *Cicero*

2. *Cicero l. 2. de Orat.* aliisque locis, ex quibus binis auctoribus paſſim Reitzius quaedam libro ſuo inſeruit, plurima autem omiſit, quia in omnium manibus verſantur, et plurima ad unum tantum titulum pertinent.

3. *Quintilianus* et *Gellius*, quos itidem Auctor ſaepe adducit.

4. *Gerh. Joh. Voſſius* in Inſtitutionibus Oratoriis, qui tamen ex Cicerone et Quintiliano pleraque hauſit, et in tropis ac figuris Rhetoricis totus verſatur.

5. *Macrobius*, Gellii compilator, lib. 2. Saturn. jocos quosdam ambiguos referens, quorum plurimos Auctor opuſculo ſuo inſeruit.

6. *Salvius Julianus*, qui *librum ſingularem de Ambiguitatibus* conſcripſit; ſed cujus *fragmenta* tantum ſuperſunt, nimirum tria capita ſ. leges, puta l. 31. D. *de Vulgari et pupil. ſubſt.* l. 62. D. *de legatis* et l. 13. D. *de rebus dubiis*: ex qua Reitzius non nihil ad ſuum locum retulit.

7. *Plinius Major*, teſte Plinio Iuniore l. 3. ep. 5. §. 5. *Dubii ſermonis octo ſcripſit libros, ſub Nerone noviſſimis annis, quum omne ſtudiorum genus paullo liberius et erectius periculoſum ſervitus feciſſet.*

8. *Caper* Grammaticus *de verbis dubiis* ſcripſit ap. Putſchium p. 2247. Sed ejus inſtitutum nihil commune habere cum hoc Reitziano, inſpicienti patebit.

9. *Ariſtoteles* etiam *de Amphiboliis* agit in Reprehenſ. Sophiſt. l. 1. c. 3. Sed has quoque ad ſe nihil pertinere, Reitzius adfirmat. Ita *Stoicos* de dubiis et amphiboliis ſcripſiſſe, auctor eſt Laërtius l. 7. Segm. 178. et 193. JCti autem poſterioris aevi crebro quidem de ambiguis agunt, in primis *Mantica de Tacitis et Ambiguis*: ſed hi de *ambiguis rerum*, non *verborum* agunt i. e. dubios caſus proponunt, veluti *de tacitis et ambiguis conventionibus emti, venditi, locati, conducti, cet.* Atque omnem fere controverſiam ac difficilia vocant ambigua. Scripſit et *Caeſar Coſta varias ambiguitates juris*, inſertus Tomo IV. Theſaur. Juris, ex quo vix duo vel tria Reitzius noſter adducere potuit. De iisdem ambiguitatibus interdum quoque agit *Scipio Gentilis* in Parerg. ad Pandectas, cujus itidem aliquoties meminit Auctor noſter, ac *Gilbertus Regius* in *libris Enantiophanῶν*, inſertis etiam Tomo II. Theſ. Juris, cujus Regii caput 20. l. 2. agens *de vocibus, quae contrariam apud juris auctores ſignificationem admittunt*, fere totum ad ſuas litteras redactum ſuo noſter libro intexuit.

10. Ex obſervationibus Illuſtriſſ. *Bynkershoek*, et *Gothofredo*, aliisque JCtis, qui interdum ambigua quaedam excutiunt, plura addi potuiſſent a Reitzio. Sed oppoſitos unius verbi aut locutionis ſignificatus ex ipſis Auctoribus Claſſicis eorumque commentatoribus petere maluit. *Ex Poëtis* interim aliquanto plura hoc in genere deſumſit, quam ex aliis, quia apud hos mirae ſignificationes ſunt frequentiores. Plura tamen *ex Plauto* potiſſimum, utroque Seneca et Martiale addenda habuiſſet, niſi tempus ac modus libri, qui intra mediocritatem ſubſiſtere debebat, id prohibuiſſent.

RESCHELII *Dictionarium Latino-Bohemicum.* Olomutii 1560. 4.

Andreae REYHERI *Lexicon Latino-Germanicum*, ſive *Theatrum Romano-Teutonicum, in quò methodo nativa vocabulorum tam Latinorum, quam barbarorum, eorum tamen praecipue Etymologiae, Genera, Flexiones et Appellationes Germanicae pariter, et quandoque Graecae, ſimiliter Loquutiones, Phraſes, Formulae, Sententiae, Facultatum Scientiarumque Termini, ac Adagia, cum Oratoribus, tum quoque Philoſophis, Mathematicis, Medicis, Juriſconſultis et Theologis familiariora, et ad rectius intelligendos atque explicandos quoscumque Auctores Claſſicos nimium quantum facientia, continentur. Opus ſane omnibus elegantem ac purum Linguam Latinam Docentibus ac Diſcentibus apprime utile, cum Indice ſignificationes vocum ac phraſium Germanicarum Latinas locupletiſſime exhibente, ſecundum, utpote Scriptorum Claſſicorum fide probata, eorumque libro, capite, indicatis, longe auctius. Studio et cura Filiorum heredum, cum Epiſtola* Chriſtophori Cellarii. Lipſ. et Francoſ. 1686. fol.

Primitus exiit Gothae 1645. 8. binis Tomis, inſcriptus *Theſaurus Sermonis Latini elegantioris ex Romanae linguae principibus.* Quum vero, quod ex ſecunda editione patet, *Philippus Horſtius* et *Paulus Slevogtius,* incliti Academiae Jenenſis olim Profeſſores, ampliorem ejus continuationem per litteras ad Auctorem datas expoſcerent, produxit eum Auctor de re litteraria meritiſſimus, a filiis ſuis natu majoribus *Samuele* nimirum, Philoſ. et J. V. D. Matheſeos ſuperioris et inferioris in inclita Acad. Chriſtiano-Albertina Holſatiae Prof. P. itemque ab *Andrea*, Philoſ. et Med. D. praeſertim quod ad rem Juridicam et Medicam attinet, haud parum adjutus, copioſiſſime locupletatam Gothae 1668. 8. tribus Tomis ſub hac inſcriptione: *Theſaurus Sermonis Latini*, ſive *Theatrum Romano-Teutonicum, omnia ferme utriusque linguae vocabula exhibens, Philologiae, Philoſophiae, Medicinae, Jurisprudentiae ac Theologiae tironibus et ſtudioſis apprime utile, in Sectionibus III. cum Indice locupletiſſimo editus.* Novis autem utriusque modo dicti Auctoris filii additamentis, atque inſuper Chriſtophori Cellarii obſervationibus auctus prodiit Lipſ. et Francof. 1686. fol. ſub *ea inſcriptione, quam in fronte hujus recenſionis exhibemus.* Tandem apparuit Reyherianum hoc Lexicon *cum Praefatione Johannis Matthiae Geſneri Lipſ. 1733. fol.*

Primae editionis unicus ſcopus erat, ea tantum, quae ad latinitatem terſiorem ex auctoribus claſſicis pertinent, congerere. Quodſi liber his limitibus circumſcriptus perpetuo manſiſſet, nullum temere Lexicon haberemus pubi ſcholaſticae magis accommodatum, quam hoc Reyherianum et Andreae Corvini, quum non adeo magna mole laborent nec ſumtuoſa admodum ſint. Nunc quum facies ejus valde immutata ſit, et non modo multa

multa ex ſequioris Latinitatis ſcriptoribus, ſed etiam omnino tot Theologica, Juridica, Medica, Philoſophica et Philologica immiſceantur, ipſis viris eruditis multum etiam inſervire poteſt. Eum ordinem tenet, quem Curio et alii tenent: nempe ſine intuitu Simplicium et Compoſitorum, Primitivorum et Derivatorum, cuncta vocabula eo, quem ipſa litterarum exigit ratio, diſpoſuit ordine: id, quod in hujusmodi enchiridiis, vere ut dicam, multum praefero, quum non modo tironibus, quorum judicium ad primitiva ſubinde non penetrat, ſed ipſis etiam viris peropportunum ſit, Compoſita et Derivata non in illorum Simplicium et Primitivorum ordine inquirere. Etiam de hoc Theſauro Reyheriano illud notemus, quod diſſimulari nequit. Nimirum quoniam Doleti et Trebellii egregiae collectiones minus parabiles ſunt, earum loco Lexicon hoc tantiſper eſſe poteſt.

EIVSDEM *Regulae Sermonis Latini elegantioris.* Gothae 1643. Quintum exierunt Gothae 1665, 1672, 1684. Lipſiae 1697. Lipſiae et Gothae 1718. 8.

Concinnatae ſunt ex Valla, Eraſmo, Schoro, Vogelmanno, Goclenio, Pareo, nec non propriis Reyheri obſervationibus.

EIVSDEM *Florilegium Epiſtolicum.* Gothae 1671. Lipſ. et Francof. 1689. 8.

EIVSDEM *Compendium Epithetorum et Adverbiorum; pro manuductione Poetica, ex editione* Joh. Balthaſ. Strobelii. Gothae 1704. 8.

EIVSDEM *Paedagogus Oratorius.* Gothae 1671. 8.

EIVSDEM *Grammatica Latina.* Gothae 1649. 8.

Contexta eſt a Grammaticis, tum antiquioribus, Priſciano nimirum, Linacro, Valla, Philippo, Eraſmo, Scaligeris; tum recentioribus, Ramo, Friſchlino, Mindano, Gieſſenſibus, Zehnero, Rhenio, Schmidio, Weinrichio, et praecipue Gerh. Joh. Voſſio. Diſplicet hodie ob diffuſas, quas habet, praeceptiones: Syntaxis enim continetur regulis 204.

Ottonis Antonii REYHERI *Elegantiae ſ. Phraſeologia ex Epiſtolis ad Brutum et Fratrem excerpta.* Dresdae 1720. 8.

EIVSDEM *Faſciculus elegantiarum Tullianarum ſ. Phraſeologia ex Ciceronis libris de Officiis, Senectute, Amicitia, et Paradoxis excerpta.* Gothae 1719. 8.

EIVSDEM *Flores Vellejani ſ. Phraſeologia ex Velleji Paterculi libris excerpta.* Gothae 1720. 8.

Joh. RHENII *Grammatica Latina cum paralipomenis ex veterum et recentium Grammaticorum coryphaeis in uſum praecipue docentium et adultiorum ſumma cura ſtudioque collecta, facilique methodo conformata. Jam demum poſt accuratas cenſuras utriusque Academiae Lipſienſis et Wittenbergenſis et trium Illuſtrium Scholarum, aliorumque doctiſſimorum virorum utiliſſimas ſubjectiones edita.* Lipſ. 1611, 1618, 1637, 1648, 1656, 1667, 1677, 1691. 8.

Uſu quondam valde frequens; hodie fere ſcholis exſulat, quia per nimias ambages ducit in Latium: Syntaxis enim ejus regulis 177, et hae rurſus aliquot centenis exceptionibus conſtant. Neque tamen adeo contemnendus hic Rhenii labor eſt, ut multi naſutuli putant, qui ex aliorum judicio ſapiunt: quum Rhenius noſter et in Latina et in Graeca lingua excellentem ſe praeſtiterit virum, et, quantum ad Graeca, ipſe Glaſſius ex illius Syntaxi non mediocriter in Graeciſmis cognoſcendis adjutus ſit.

EIVSDEM *Compendium Latinae Grammaticae.* Halberſt. 1685. Lipſ. 1626, 1670, 1708. 8.

EIVSDEM *Tirocinium Latinae linguae.* Lipſ. 1603, 1676, 1708. 8.

EIVSDEM *Diſſertatio Grammatica de Grammaticorum vulgaribus defectibus.* Lipſ. 1611, 1614. 8.

EIVSDEM *Sylloge Grammaticalium incommoditatum.* Lipſ. 1611. 8.

EIVSDEM *Defenſio neceſſaria Sylloges contra* M. Valent. Hartungum. Lipſ. 1612. 8.

EIVSDEM *Examen Apologetici Wankeliani pro Grammatica Micyllea.* Lipſ. 1614. 8.

EIVSDEM *Donatus reviſus, auctus et emendatus.* Brunſvigae, Lipſiae, Goslariae, Halberſtadii et alibi ſaepenumero recuſus.

Non adeo contemnendus eſt, quemadmodum hodie contemni a multis ſolet. Tirocinium paradigmaticum et regulas Etymologicas ac Syntacticas primarias ita inculcat, ut hinc ſtatim progredi cum fructu poſſis ad ipſam veterum auctorum lectionem, praeſertim ſi interiores Grammatices cauſas, atque omnino ea, quae rectius ipſo uſu diſcuntur, vel praeceptoris viva vox, vel tua ipſius ſollertia aliunde addiderit. Hic certe Rhenii Donatus nihil habet incommodi, at opportuuitatis multum ad perdiſcendam lin-

guam

guam Latinam; quamvis, quod non diſſimulo, idem Rhenius in Opere ſuo Grammatico non pauca adfert, quae vel contractiora vel emendatiora aut potius explicatiora eſſe mallem. Cui meae ſententiae haud difficulter accedent, quibus haud fuerit grave, examinare *bellum* illud *Grammaticale*, quod *Rhenium* hunc inter et *Eraſmum Schmidium* olim exarſit, poſtquam *hic* ſcripſiſſet *Centurias falſitatum in Grammatica Rhenii, Wittebergae 1616. 8:* cujus quidem *Belli Grammaticalis hiſtoria*, ipſo Rhenio editore, prodiit Schleuſingae 1617, itemque Hamburgi 1614. 8.

EIVSDEM *Methodus inſtitutionis nova quadruplex: 1. M. Jo. Rhenii; 2. Nicodemi Friſchlini; 3. Ratichii et Ratichianorum tergemina; 4. Jeſuitarum, vulgo Janua linguarum dicta.* Lipſ. 1617, 1626. 8.

In editione poſteriori Lipſienſi nihil acceſſit novi, licet titulus ita promittat. In Methodo Jeſuitarum, quae quartum et ultimum locum occupat, occurrunt aliquot ſententiarum centuriae, quibus omnia uſitatiora et neceſſaria vocabula ſemel comprehenſa ſunt, ita, ut poſtea non recurrant.

Ludovici Caelii RHODIGINI *Lectiones antiquae, libri XXX.* Venet. 1516. Baſil. 1517, 1518, 1550. Ex officina Frobeniana 1566. Ab auctore recogniti et tertia plus parte auctiores redditi, Francof. 1599. ap. heredes Wechelii. Francof. et Lipſiae 1666. fol.

Vir fuit doctiſſimus, rerum naturalium et humanioris doctrinae peritiſſimus, et, quod non parum ad laudes ejus facit, Jul. Caeſ. Scaligeri praeceptor. Hoc ejus opere multa continentur memorabilia, tam in naturali Philoſophia, quam in Medicina, praecipue vero in litteris humanioribus, iisque, quae ad emendationem veterum auctorum ſpectant. Eſt inter praecipuos bibliothecarum theſauros et vario modo utilis: quae enim per totam ille vitam collegit vel obſervavit, in hunc unum librum videntur congeſta, ut non immerito Cornu Copiae vocari debeat. Libri autem XVI priores eum tantummodo pro auctore agnoſcunt: reliquos adjecit ejus conſanguineus *Camillus Richerius* et *Goretti*. *Gerh. Joh. Voſſius de Hiſtor. Lat.* dolet, hoc praeclarum opus non ſuo pretio aeſtimari, eo quod a paucis volutetur. *Stollius* in ſuis Adnotatis in Heumanni Hiſt. Litt. p. 252. in eo reprehendit, quod fontes, unde hauſerit, non indicarit, lectoresque ſuos ſaepenumero dubios et ancipites ab ſe dimittat.

Johannis RHODII *Lexicon Scribonianum*, ſubjunctum *Scribonio Largo*, emendatiſſime et cum uberrimis notis, conſilio *Octavii Ferrarii*, ab ipſo edito. Patavii 1655. 4.

Bartholomaei RICCII *Apparatus Latinae locu ionis, ex M. T. Cicerone, Caeſare, Salluſtio, Terentio, Plauto, Auct. ad Herennium,*

nium, *Aſconio*, *Celſo et ſcriptoribus de re ruſtica in ſuum ordinem deſcriptus*. Lugd. 1534. 8 maj. *Acceſſit Index in Ciceronem et alia non nulla.* Argentor. 1535. 4. Colon. eodem anno et eadem forma.

Quum prima Apparatus hujus editio iis dumtaxat uſui fuiſſet, qui Aldina Ciceronis exemplaria habuerunt, praemittitur in editione poſteriore Index, quo Aldina exemplaria cum Cratandri et Hervagii editione conferuntur, cujus columna prior numeros Aldini continet exemplaris, ſecunda Cratandri, et tertia Hervagii, Aldinis illis, quorum e regione ponuntur, reſpondentes. Inter prima autem reformatae latinitatis adminicula praecipuum locum jure meritoque obtinet, eamque formam habet, quae in hunc usque diem grata poſſit eſſe omnibus, qui variam verborum omnium ſtructuram ſatis ſibi perſpectam eſſe cupiunt. A Poetarum exemplis et ſingularibus eorum conſtructionibus Auctor ſe prorſus abſtinuit, quod ſciret, hos ſaepius aliena ab oratoris lingua eſſe locutos, liberiusque eis permiſſum in priſcis ac vetuſtis et ab uſu quotidiani ſermonis intermiſſis verbis verſari, in transferendis vero multo etiam licentioſiores eos fuiſſe. Comicos autem ſubinde vocat in ſubſidium; quandoquidem eorum oratio magis cum oratorum, quam cum Poetarum ceterorum oratione conſentiat. Laudat Riccius in Praefatione p. 9. *Julii Camilli Theatrum*, in MS. tunc, ut videtur, latens, in quo ita ad ſua capita vel unumquodque, quod homini in mentem dicere venire poſſit, ex ordine digeſtum exhibeatur, ut inde vel infanti Latina oratio in calamum ſcribenti quam uberrime confluere poſſit. *Quod quidem divinum opus*, ait, *ne aliquo maligno fato nobis intercipiatur, ſummis precibus a Diis immortalibus contendendum eſt*. Quis autem putet haec verba proficiſci ab homine Chriſtiano? Votum ſane recte ſe habet, niſi ethniciſmum ſapiat.

Joh. Baptiſtae RICCIOLI *Proſodia Reformata*, *Voll.* 2. Moguntiae 1646, 1660. 8.

Doctiſſimus hic Jeſuita Italus omnibus, qui umquam hoc in genere operam poſuerunt ſuam, propemodum antecellit, ſi excipias *Glonerum*, *Cavallum*, ac *Philippum Labbeum*, qui in *Catholicis Indicibus* eamdem praeſtat operam, et ab *Olao Borrichio* in Diatribe *De quantitate penultimae Denominativorum in* inus *et verbalium in* icis, quae *Analectis* ejusdem ſubjungitur, p. 25. *accuratiſſimus quantitatum cenſor* ſalutatur. Atque hoc loco notandum etiam videtur eſſe, in doctrina quantitatum et pronuntiationis praeter hunc noſtrum *Ricciolum*, *Glonerum* et *Cavallum* et *Labbeum* ſuis praeterea meritis fulgere *Robertum Stephanum*, *Raviſium Textorem*, *Juſtum Lipſium*, *Eraſmum Roterodamum*, et *M. Antonium Sabellicum:* ne quid dicam de *Julio Caeſare Scaligero*, et *Caſpare Scioppio*, quorum *ille* in libro *de cauſis linguae Latinae*, et *hic* in *Grammatica* ſua *Philoſophica* et *Paradoxis litterariis*, non nulla hanc in rem monuerunt notatu digniſſima.

EIVS-

EIVSDEM *Canones de recta diphthongorum pronuntiatione, cum apologia earumdem.* Mutinae 1667. 8.

Edmundi RICHERII *Grammatica obſtetricia ad Delphinum.* Pariſ. 1607. 8.

Principia Sanctiana et Scioppiana heic regnant.

Gotefridi RICHTERI, Bernsbacenſis, *Specimen obſervationum Criticarum in varios auctores Graecos et Latinos.* Jenae 1713. 8.

Ab juvene Academico hoc Specimen proficiſcitur, cujus eruditionem, ingenii acumen mentisque ſollertiam B. Buddeus in Praefatione huic opuſculo praemiſſa valde commendat, ſimulque in ea de uſu et abuſu artis Criticae ſapienter diſſerit. Auctor primum adſert obſervationes ſuas in Sulpicium Severum, dein non nullas Bentleji obſervationes in Manilium, tum ſuas ipſius iterum in Tibullum, porro in Phaedrum, Silium Italicum, Origenis Philoſophumena, Aeliani varias Hiſtorias, in Menandri et Philemonis λείψανα, et appendicis loco adjicit tandem orationum et epiſtolarum argumenta, quae olim ex ore Conr. Sam. Schurzfleiſchii excepit.

Chriſtophori Philippi RICHTERI *Liber de ſignificatione adverbiorum in jure uſitatorum.* Jenae 1666. 4.

Hic Richterus, et alii ſcriptores, qui particularum juris uſum explicuerunt, non modo iis, qui uſu forenſi diſtinentur, ſed etiam politioris litteraturae cultoribus facem ſubinde praeferunt ad cognoſcenda ea, quae in litteris uſui eſſe queant.

Adami Danielis RICHTERI *Critiſche Regeln des Lateiniſchen Stilus, mit Prof. Geſners Vorrede.* Francfurt 1740. 8.

Joachimi Fortii RINGELBERGII, Andoverpiani, *Elegantiae.* Ejusdem *Libellus de uſu vocum, quae non flectuntur.* Inſertus uterque tractatus eſt *Ejus Operibus*, editis Lugduni apud Gryphium 1531. it. 1556. 8: ſub titulo *Encyclopaediae* Baſil. 1541. 8.

Elegantes libelli ſunt pro illo tempore, quo vixit auctor: in hodierna autem bonarum litterarum luce non amplius veniunt in numerum, quum et copioſius et multo rectius ea, quae exhibent, illuſtrentur.

Index autem librorum eorum, quae Operibus Ringelbergii noſtri continentur, hic eſt. Primo quidem occurrit

Liber praeliminaris *De ratione ſtudii*, perquam ſalubribus conſiliis refertus. Seorſim ea propter recuſus eſt Lugd. Bat. 1634. 12.

Deinde reliqui libelli hoc ſequuntur ordine:

Ad *Grammaticen* pertinent:

Elegantiae.
Libellus de uſu vocum, quae non flectuntur.
Elementa Graeca.

Ad *Dialecticen:*

Dialectica.
Tabulae Dialecticae.

Ad *Rhetoricen:*

Rhetorice, et quae ad eam ſpectant.
Liber de figuris ac vitiis orationis.
Sententiae.
Liber de formis dicendi.
Opuſculum de Periodis.
Synonyma.

Ad *Mathematicen:*

Sphaera.
Inſtitutiones Aſtronomicae.
Coſmographia.
Liber de tempore.
Tabula de tempore.
Optice.
Chaos Mathematicum.

Ad *Divinationem:*

Horoſcopus.
Aſtrologia cum *Geomantia*, *Urina non viſa*, et *Interpretatione ſomniorum.*

Communis cujusdam naturae ſunt:

Chaos.
Experimenta.
Liber de homine.

Suam ipſius vitam et litterarum excolendarum rationem, qua uſus a pueritia eſt, Auctor tamquam aliud agendo deſcribit a p. 38. usque ad p. 40: quae ſane lectu haud injucunda eſt, et ſimplicem hominis ab omni fuco alieni animum arguit. Pag. 73. ſeq. teſtatur, ſe non modo exquiſitis calculi doloribus laborare, ſed etiam multa paſſum eſſe ab hominibus otioſis et ignavis.

Johannis RIVII *Grammaticae libri VIII.* Lugd. 1550, 1591. 8.

Auctor, inter primos rei Grammaticae per Germaniam reſtauratores habendus, hos libros ſuos principiis Sanctianis quaſi animavit, atque ita ſecernere ſeſe a Grammaticorum aevi ſui vulgo voluit. Scripſit etiam *Libellum de ratione docendi;* it. *Caſtigationes plurimorum locorum ex Terentio, Cicerone, Salluſtio*, et alia; it. *Epitomen in Verborum et Rerum Copiam.* Haec ejus *Epitome* prodiit Lubecae 1571. 8. apud *Johannem Balhornium*, et occaſionem vel potius natales dedit trito apud noſtra-

noſtrates proverbio, quo id, quod per alicujus naſutuli vel imprudentioris obſcuram diligentiam vel ἀσόφιαν in deterius datum eſt, ubi vel maxime emendatum oportuit eſſe, dicitur *verbeſſert oder vermehret zu ſeyn durch Johann Balhorn*. Haec enim laudatae Epitomes Rivianae editio, poſt *Hiobi Magdeburgi*, Rectoris iſto tempore Scholae Lubecenſis, Praefationem, habet loca ex Cicerone, Quintiliano, et Ludovico Vive per Balhornium adjecta. Finita enim Rectoris Praefatione, ſuis additamentis in medium prodit *Balhornius*, hoc praemiſſo prooemio: *Typographus. Quum pagellae aliquot ſupereſſent vacuae, viſum eſt explere eas locis quibusdam ad hanc materiam pertinentibus, quas Lector boni conſulat.* Typographi, qui doctrina non plane nulla tinctus videri voluit, praepoſterum conatum tunc temporis riſere viri docti. Ita nimirum de origine modo dictae proverbialis locutionis vernaculae veroſimiliter hariolatur *Vir Clar. Joh. Henr. a Seelen* Ep. ad Clar. Heumannum exarata. Vide Heumanni Poeciles Tomi I. Lib. III. p. 409. ſeq.

I. Reinhardi ROBBIGII *Lexicon novum de rebus Criticis.* Rintel. 1722. 4. Lemgov. 1618, 1621. it. Hagae 1619, 1621. 4.

Franciſci ROBORTELLI *Theſaurus Criticus.* Patavii 1557. Francof. 1604. 8.

Tumultuaria ſunt, quae Tomo II. p. 14—28. de arte Critica ſcripſit, et ejus fundum omnem non emetiuntur. *Morh.* Polyh. T. 1. L. 1. c. 7. §. 6. Auctor, non ex trivio Philologus, ſed, ſi Thuani judicio ſtamus, majorem ſcriptis ſuis de ſe opinionem excitavit, quam implevit.

EIVSDEM *Variorum locorum Adnotationes tam in Graecis, quam Latinis auctoribus.* Venet. 1543. 8. Adjectae etiam cum aliis hujus Auctoris Commentationibus ſunt *Ejusdem de Hiſtorica Facultate Diſputationi, ed. Florentiae ap. Torrentinum 1548. 8.*

EIVSDEM *De vita et victu populi Romani libri XV:* ſcil. *de provinciarum adminiſtratione et diſtributione apud Romanos, de judiciis Romanorum, de legionibus Romanorum, de magiſtratibus et familiis* cet. Bononiae 1559. fol.

Scripſit etiam hic *Robortellus* librum *de Artificio dicendi*, in quo ſyllabos figurarum, quarum ordinem et nomina aliter Ariſtoteles, aliter Hermogenes, aliter Demetrius, aliique Graeci Rhetores, aliter item ex Latinis Cicero, aliter Quintilianus, aliter Ruffinianus, aliter Aquila, aliter Lupus poſuit et ordinavit, ut apud hos auctores inveniuntur, inter ſe confert, Synonyma conjungit, et diverſa diſtinguit. Primus ille figuras accurate diſtinxit in figuras Sententiarum, Verborum, Structurae et Numeri; quae tres poſteriores vulgo ad figuras dictionis referuntur, quae longe commodius ita diſtingui poſſunt. Primus etiam ille figuras ſententiae

tiae ad affectiones animi redegit, ad quas certe redigendae ſunt, quum vel ipſa natura magiſtra in quotidianis colloquiis ipſi animadvertamus, quod, hoc vel illo affectu impellente, ſermonis Schemata nobis vel neſcientibus prorumpant.

Angelus ROCCA *Camers* ſ. *Camerinus* ſcripſit *De venuſtate Latini ſermonis; Obſervationes in ſex libros Elegantiarum Laurentii Vallae*; item *Obſervationes Latinae linguae de locis ejusdem occultis;* item *De ſcribendis epiſtolis lucubrationes:* prout hoc teſtatur *Janus Nicius Erythraeus* Pinacoth. Parte I. p. 105. *Roccae* autem hujus *Opera omnia* prodiere Romae 1719. fol.

Etiam *Michaelem* Roccam *Obſervationes Grammatiles* emiſiſſe, ſcio: ſed ipſos utriusque hujus *Roccae* libros non dum vidi; memini autem, me alicubi legiſſe, libros eſſe praeſtantiſſimos.

Joh. Wilh. ROLIEF *Lexicon Cornelianum.* Quedlinb. 1739. 8.

Jacobi ROLLII *Vade mecum Scholaſticum formularum ſelectiſſimarum Latino-Germanicarum ad devitandos Germaniſmos.* Lipſ. 1607. 8.

Friderici ROMBERGII *Exercitationes Syntacticae ad imitationem regularum, tam Generalium, quam Specialium, Syntacticarum, in uſum tinunculorum adornatae.* Editio quinta Berolini 1704, 1733. 8.

Libellus pro L. L. tironibus paedagogicus eſt, et quidem hoc ipſo in genere optimae notae.

Chriſt. ROSA *De modo variandi ſententias per tropos et figuras.* Stetini 1657, 1658, 1675. 8.

Joh. Gotthelf ROSAE *de gravi Latinitatis et Philoſophiae in ſui contemtores vindicta.* Jenae 1712. 4.

Prior Diſſertationis hujus Pars cauſam noſtram tangit. Auctor oſtendit, L. L. uſum late patere, et in cauſas neglectae Latinitatis inquirit.

Alexandri ROSAEI *Virgilius Chriſtianus* ſ. *Virgilii evangeliſantis Chriſtiados libri XIII, in quibus omnia, quae de Domino noſtro Jeſu Chriſto in utroque Teſtamento vel dicta vel praedicta ſunt, altiſona divini Maronis tuba ſuaviſſime decantantur.* Tiguri 1664. 12.

Non

Non idem Auctori ſtudium fuit praepoſterum, quod *Corn. Schonaeo*, qui conſcripſit Terentium Chriſtianum, qui tamen Terentium gentilem erubeſcendis loquendi modis multum vincit, ut hunc ſuum Virgilio illi genuino in ſcholis ſuccenturiari vellet. Immo vero Virgilii caſtitatem, et lectionem ſcriptorum gentilium in Praefatione illa, quam huic ſuo Virgilio praefixit, docte et cum inſigni judicio defendit, quamvis juventutem a lectione impudicorum carminum arcendam eſſe pia mente jubeat.

Johannis ROSINI *Antiquitates Romanae.* Baſil. 1583. fol.

Opera Auctoris in eo tantum verſatur, ut ſcriptorum lacinias ſub ſuis quibusdam titulis libris X. congerat. In illum *Thomas Dempſterus*, Scotus, μουσεῖον illud quondam περιπατοῦν, adnotationes ſcripſit plenas bonae frugis et doctiſſimas. Saepe Commentarius ille una cum *Roſino* prodiit, additis figuris in ligno inciſis, Pariſiis, Genevae, Amſtelodami, Lugduni Batavorum atque Coloniae Agrippinae: ſed nitidiores editiones ſunt, quae cum figuris in aes inciſis lucem adſpexere Lugduni Batavorum. Editio noviſſima prioribus omnibus emendatior prodiit cum figg. cui accedit *Paulli Manutii libri II. de legibus et Senatu*, cum *Andreae Schotti Electis*, Ultrajecti 1701. et recuſa eſt Amſtel. 1743. 4 maj. Verum uti longe plura huic argumento addi poſſent; ita, ſi quis juſtum opus vellet conficere, tot conficiendi nunc inſtrumenta haberet, ut, praeter laborem et mediocre judicium, non multum requiratur.

Paullo majoris pretii non nullis videntur eſſe *Kenneti Antiquitates Romanae*, Anglice, Londini 1696. 8; et Belgice, ex Guil. Sewelii interpretatione, cum figg. Amſtelodami 1704. fol. editae. Roſini laborem ſummatim exhibet *G. H. Nieuport* in *Rituum, qui olim apud Romanos obtinuerunt, ſuccincta explicatione;* cujus editioni ſextae praeter alia acceſſerunt *columna roſtrata Duillii*, ut et *Johannis Matthiae Geſneri Proluſio*, cum figg. Berolini 1734. 8 maj. Exſtat praeterea *Paulli Manutii Antiquitatum Romanarum liber, nec non de Legibus*, Venetiis apud Aldum 1557. it. Romae 1595. 12. Item *G. Fabricii Roma illuſtrata* ſ. *Antiquitatum Romanarum Breviarium Lugd. Bat.* 1650. 12. Item *Thomae Belli Roma reſtituta* ſive *Antiquitatum Romanarum Compendium abſolutum*, Amſtel. 1700. 8. Item *Chriſtophori Cellarii Antiquitatum Romanarum Breviarium* Halae 1710. 8. 1715. 12. 1722. 8. Han. 1743. 8. et adnotationibus a *I. E. Walchio* illuſtratum Halae 1748. 8. Item *Antonii Thyſii Roma illuſtrata* ſive *Antiquitatum Romanarum Breviarium*, cui acceſſit *Georgii Fabricii Veteris Romae cum nova Collatio*, Lugd. Bat. 1750. 12. it. Amſt. 1689. 8. Edidit quoque *Henricus Kippingius Collectanea* quaedam *Antiquaria* ſub generalibus illis titulis, quales nobis exhibet Roſinus. Labor Kippingii eſt valde utilis: occurrunt enim in illo interdum quaedam notata, quae aliis forte in mentem non veniſſent, ae vel in ſpiſſiſſimis hujus generis voluminibus haud occurrunt. Editus eſt liber Auguſtae Vindel. 1663. Bremae 1664, 1679. et cum iconibus aeri inciſis, notis atque Auctoris vita Lugd. Bat. 1713. 8. ſub titulo: *Recenſus novus et methodicus Antiquitatum Romanarum, libri quattuor.* Compendiolum earumdem antiquitatum non inelegans paravit *Jacobus*

cobus Maſenius, quod reperitur in *Ejus Palaeſtra ſtili Romani*, hunc in finem ab illo ſcriptum, ut haberent tirones quaſi in uno conſpectu poſita ſumma illa Antiquitatum Romanarum capita. Cui tamen rei longe melius adhuc inſervit *Compendium* aliud, a doctiſſimo Jeſuita Gallo, *Petro Joſepho Cantelio*, compoſitum, cujus iterata editio prodiit Ultrajecti 1688. 12. quod *de Romana Republica* inſcribitur, et civiles aeque ac militares ejusdem res, non minus ſtudio accurato, quam concinno ordine, exhibet. Habent praeterea ſingularem laudem cum propter inſignem brevitatem, tum propter admirabilem ordinem et perſpicuitatem *Philippi Caroli Antiquitates Romanae quadripartitae, nempe Eccleſiaſticae, Civiles, Militares et Oeconomicae*, ed. Altenburgi 1663. it. Francof. 1670 8. Hodie omnium uſui inſervire poſſit *Schoetgenii Lexicon Antiquitatum*, itemque *Petri Danetii Dictionarium Antiquitatum*, ed. Amſt. 1701. 4. et cum primis ab eruditis ſingularem gratiam iniit *Burcardi Gotth. Struvii Syntagma Antiquitatum Romanarum, cum figg.* Jenae 1707, 1728. 4. cui praemittitur *Bibliotheca Antiquitatum generalis*. Redeo ad compendia, quae hoc in genere proſtant, quorum aliquod etiam aliquis ex noſtratibus in uſum ſcholaſticae pubis concinnavit, nempe *M. Fridericus Hildebrandus*, cujus *Antiquitates*, potiſſimum Romanae, e Roſino, aliisque in compendium contractae, et ſecundum ordinem alphabeti diſpoſitae exierunt Jenae 1657. et 1663. 12. et Gerae 1670. et Franecquerae 1694. it. Francof. et Lipſ. 1703. 8. *Johannis Caſpari Santaroc Univerſale Antiquitatum Romanarum Breviarium abſolutius*, ed. Francof. 1713. 12. et *P. Burmanni* Antiquitates Romanae in uſum Collegiorum recuſae Francof. 1747. 8. praelectionibus magis inſerviunt, ut copioſiori praeceptoris ſermone illuſtrentur. Prodiit etiam Lugd. Bat. 1732. 8. *Antiquitatum Romanarum brevis deſcriptio*. Studioſo juris potiſſimum inſervire poterit *Joh. Gottl. Heineccii Antiquitatum Romanarum, Jurisprudentiam illuſtrantium, Syntagma*, Halae 1719. tertium et auctius editum Argentorati 1730. 8. Voll. 2.

Quemadmodum autem notitia antiquitatum Romanarum in genere ſpectatarum multum confert ad intelligentiam ſcriptorum veterum; ita etiam oculos eidem ſcopo adjiciunt, et ſubinde locis obſcurioribus multam lucem fenerantur omnes reliqui ſcriptores illi, qui de antiquitatibus quibusdam particulatim egere, et longo ordine recenſentur a *Morhofio Tomo 1. lib. 5. cap. 2;* unde etiam vel haec ipſa, quae nunc hoc quidem loco attulimus, magnam partem ita mutuati ſumus, ut mox adjiceremus non nulla, mox quaedam interpolaremus.

Libris autem a Morhofio hoc in genere commemoratis addimus heic inſuper:

Antiquitatum Romanarum Theſaurum novum, collectore Henrico de Sallengre, tribus voluminibus, *cum figg. aen. Hagae Comitum 1724. fol.* Collectio haec valde locuples ac ſplendida eſt. Continentur

Tomo I: *Julii Minutoli* de urbis Romae origine, de incrementis et caſu, de topographia, de Romanorum domibus, de templis, ſepulcris et aedificiis judicialibus; *Lucii Fauni* Antiquitates urbis; *Suareſius* de Flaminibus; *Alciatus* de Magiſtratibus; *Joubertus* de Gymnaſiis, de bal-

neis

neis antiquorum; *Noriſius* de duobus nummis, de votis decennalibus; *Poggius* de varietate fortunae; *Cantelorius* de profectu urbis; *Marmoris Patavini* Interpretatio; *Dianae* Arelatenſis Delineatio; *Geminiae* matris Sepulcrum; *Diſſertatio* de Othonibus; *Chifletius* de antiquo numiſmate; *Crenius* de Ruſticatione; De villarum Antiſtructura; *Aldus Manutius* de Reatina urbe, de aquis in Romam influentibus, de ratione intercalandi, accumbendi, comedendi, de convivio, de auſpiciis, de trabea, de ſubſelliis, de ſigno et ſtatua, cet. de piſcibus; *Donius* de reſtituenda ſalubritate agri; *Guirani* Explicatio duorum numiſmatum; *Graſſeri* Antiquitates Nemauſenſes; *Ebenius* de ordine Equeſtri; *Servilius* de mirandis antiquis operibus; *Haunekenius* de cura domeſtica, cet.

Tomo II: *Cirini* antiquae lectiones de urbe Roma; *Salmaſii* Diſſertatio; *Ferrarius* de Pantomimis; *Galliacius* de ludis ſcenicis; *Aſtorius* de deo Brotonte; *Commentarius* in Alemanni Poetae monumenta; *Cruſius* de nocte et nocturnis officiis; *Bertius* de aggeribus et pontibus; *Marſilius* de ponte Trajani; *Petavii* ſupellectilis portiuncula veterum nummorum; *Bretus* de antiquo judicio; *Magius* de tintinnabulis et de equuleo; *Rocha* de campanis; *Boſſius* de toga, de lato clavo; *Iſiacus* de Siſtro; *Janotatius* de ſtrena.

Tomo III: *Cuperus* de elephantibus; *Gutherius* de officio domus; *Salomon* de judiciis et poenis; *Lanzonus* de coronis et unguentis; *Berruſaldus* de armis; *Molin* de clavibus; *Incerti Auctoris* Inſcriptionum Interpretatio; *a Thurre* Explicatio Taurobolii; *Purperinus* ad Calendarium; *Auliſius* de Gymnaſiis et colo; *Volaterranus* de Magiſtratibus, et *Vauchopius* de iisdem, ut et *Prevotius* et *Bebelius* et *Petrus Faber*; *Puteanus* de pecunia Romana; *Conringius*, it. *Cellarius* de ſtudiis.

At vero inſtar omnium eorum librorum, qui Antiquitates Romanas explicatas dedere, eſſe hodie queat *Samuelis Pitiſci Lexicon Antiquitatum Romanarum*, et Graecarum, in quo ritus et antiquitates, cum Graecis ac Romanis communes, tum Romanis peculiares, ſacrae et profanae, civiles ac militares, exponuntur; Tomis binis conſtans, *Leovardi 1713, 1737. fol.* Integer enim *Theſaurus Antiquitatum Romanarum Joh. Georgii Graevii*, duodecim voluminibus conſtans, Trajecti 1694—1699. fol. editus; in hoc Lexicon compactus eſt. Quid autem, quantumque Graevius hoc Theſauro ſuo complectatur, id omne nunc repraeſentat *Catalogus librorum, qui in Theſauro Antiquitatum Joh. Georg. Graevii reperiuntur*, editus Lugd. Bat. 1725. 8.

Alexandri ROSSAEI *Enchiridium Oratorium et Poeticum, in quo Formulas* Morelli *ſermone Poetico expreſſit.* Londini 1650. 8.

Caſp. ROTHII *Lampas* ſive *Fax Orthographiae, ex variis doctorum ſcriptis contorta et accenſa, cum* Jo. Joviani Pontani *de adſpiratione libris II.* Lipſ. 1616. 8.

Chriſtiani

Chriſtiani Friderici RVHE *Specimen Philologiae numiſmatico-Latinae primum et ſecundum, quod e nummis Romanorum veterum, in primis in ſplendidiſſimo Theſauro Arnſtadio-Schwarzburgico obviis conſignavit, aliisque monumentis Grammaticorumque placitis illuſtratum dedit.* Francof. et Lipſiae 1708. 4.

Hic Theſaurus numiſmatum Arnſtadio-Schwarzburgicus, qui Auctori gemini Speciminis hujus conſcribendi potiſſimam occaſionem dedit, quattuor circiter ab hinc luſtris Gotham translatus eſt, poſtquam Sereniſſimus Fridericus II, glorioſae recordationis Princeps, Erneſti Pii digniſſimus nepos, gravi aere ſibi eum vindicaſſet. Auctor in utroque Specimine varia affert, quae interiorem quamdam litteraturam ſapiunt, et legitimam cum primis veterum Orthographiam confirmant.

Chriſtian. Adami RVPERTI *Mercurius Epiſtolaris.* Norib. 1659. 12.

Jani RVTGERSII *Variarum Lectionum libri VI.* Lugd. Bat. ap. Elzivir. 1618. 4.

Auctor, vir meritis in rem publicam et litterariam conſpicuus, magnae eruditionis ſuae impreſſiora heic reliquit veſtigia.

Marci Antonii SABELLICI *De Latinae linguae reparatione Dialogus.* Acceſſit etiam *Diſſertatio de periodis litterarum, ex bibliotheca* Joh. Philippi Parei. Colon. 1529. Neapoli Nemetum 1617. 8.

Floruit Sabellicus ſub finem Saec. XV. Ejus *Opera* IV. Tomis excuſa ſunt Baſil. 1560. fol.

Tomo I. continetur *Hiſtoria ab orbe condito ad inclinationem Imperii Romani per Enneades quinque, id eſt, libros 45.*

Tomo II. continetur *Continuatio Hiſtoriae per Enneades ſex, id eſt, libros 47: ultima* enim *enneas* non niſi *libros duos* habet. Atque *hae Enneades* ſeparatim etiam editae ſunt Venet. 1498. fol.

Eodem Tomo continetur etiam *Hiſtoria Veneta per decades tres et quartae libros duos.*

Tomo III. continentur *Supplementi per alios additi Libri 29.*

Tomo IV. continentur: *Exemplorum libri 10; De Aquilejae antiquitate libri 6; De Venetae urbis ſitu libri 4; De Venetis Magiſtratibus liber 1; De Praetoris officio liber 1; De officio Scribae* Dialogus; *De Latinae linguae reparatione* Dialogus, qui quidem hoc loco in numerum venit; *Epiſtolarum libri 12; Orationes 12; Poemata varia.*

Caſp. SAGITTARII *De lectione et imitatione Ciceronis.* Altenburgi 1671. 8.

Confer, quae paullo poſt dicuntur loco, qui ab eo, qui ſequitur, eſt ſecundus, ad *Sambucum.*

M. Tho-

M. Thomae SAGITTARII *Epiſtolica Inſtitutio,* ſeu *De conſcribendis Epiſtolis Tractatus. Cum notis noviter adjectis. Cui* ὥσπερ μικρὸν κρέας *in fine acceſſit Quaeſtiuncula:* Lingua Latina unde petenda et addiſcenda? Jenae 1612, 1617, 1620. 12.

Libellus haud inelegans eſt. Auctor praeſertim, quum adjunctam Quaeſtiunculum ſolvit, in eo rectus eſt, quod in linguae Latinae cognitione non tam ex auditionibus et ſubitaneis colloquiis, quam ex aſſidua veterum lectione et tractatione tirones proficere velit, nec uni Ciceroni inhaerendum eſſe contendat, ut qui omnia elegantiarum lumina, omnes Veneres, omnia Latinae linguae nomina ſalus haud poſſideat.

EIVSDEM *Horatius Chriſtianus.* Jenae 1620 12.

Claudii SALMASII *Plinianae Exercitationes in C. Jul. Solini Polyhiſtora, Tomi II.* Pariſ. 1629. Amſtel. 1668. Ultrajecti 1689. fol. maj.

Opus ſplendidum et inſigne, et magno ac ſtupendo variae eruditionis apparatu abundans Commentarius eſt vaſtiſſimus in Solinum, Plinii exſcriptorem et epitomatorem coaevum, in quem omnes ſuos locos communes exhauſiſſe videtur Auctor doctiſſimus. Praeſertim de omnium rerum nomenclatura ſtrenuum et ſagacem agit Criticum. Plus juſto iniquior in hoc excellentiſſimum opus eſt Jeſuita iſte Gallus, heic, ut in aliis, perperam ſagax, Harduinus, de eodem Plinio ceteroquin immortaliter meritus: qui etſi plurima ei ineſſe erudite dicta non neget; eſſe tamen ait plurima ab illuſtrando Plinio aliena; difficillima pleraque ſicco pede tranſmiſſa queritur; quae bona ſint et Plinianis locis aliquid lucis adferant, ea fere tota ex alienis hortis eſſe ſurrepta; quae autem ab ipſo primum excogitata eſſent, pleraque nigrum theta poſcere. Sic judicat Harduinus de Critico incomparabili, qui licet interdum pro ſuis venditet emendationes, quas pridem ante illum aut Scaliger, aut alii Critici inſignes propoſuerint; tamen acerbiori hac cenſura haud notandus propterea erat.

Joh. SAMBVCVS *De imitatione Ciceroniana IV. Dialogi.* Pariſ. 1561. 8.

De imitatione Ciceronis egerunt etiam praeter *Sagittarium*, cujus paullo ante meminimus, *Chriſtophorus Mylaeus, Henr. Farneſius, Joh. Sturmius, Joachimus Camerarius* ad l. 1. Tuſcul. *Andreas Schottus*, et complures alii.

EIVSDEM *Emblemata, cum aliquot nummis antiquis et figg.* Antwerp. ap. Plantin. 1564, 1566, 1578. 8.

Franciſci SANCTII, Salmanticenſis Profeſſoris, *Minerva* ſeu *Commentarius de cauſis linguae Latinae, cum adnotationibus* Gaſp. Scioppii, Patavii 1663. et multo correctius Amſtel.

 1664.

1664. 8. *Cum adnotationibus autem longe uberioribus* Jacobi Perizonii, Franecq. 1687, 1694. Amſtel. 1686, 1714. 8 maj.

Auctor eſt Hiſpanus et *Sanchez* etiam vocatur: Hiſpanis autem multum in reparatione linguae Latinae debemus. Multos veterum in arte Grammatica naevos ac rationes Grammaticas, ipſi etiam Ciceroni, Varroni, Quintiliano ignotas detegit: ſpeciatim multas Grammaticorum regulas explodit, et ſub conſtructione elliptica multa in Latina lingua fieri oſtendit, de quibus alii regulas ſuperfluas condunt. Viam igitur praeivit *Scioppio*, *Perizonio*, *Voſſio*, *Bythnero*, *Urſino*, *Langio*, aliis, ut ulterius hoc in genere progredi, et ipſum vel cum judicio ſequi, vel inſignioribus additamentis augere potuerint. Sunt tamen, quibus Sanctianae in re Grammatica argutationes non usque quaque placent: quandoquidem aliquando prodiit *Scioppii Minerva Sanctiana, impugnata ab Auguſtino Maria de Monte*, cum *Ejusdem Grammaticorum apologia;* quam eum aliis hujus Auctoris commentationibus *Johannes Erhardus Kappius* recudi curavit Lipſiae 1723. 8. Diu tamen ante Sanctium atque Scioppium eamdem tentavit aleam *Jul. Caeſ. Scaliger* in excellenti opuſculo *de cauſis Latinae linguae;* quo de paullo poſt.

Hic autem Sanctii liber olim in Germania erat rarior, quem ipſe Auctor Salmanticae 1587. 8. et in Italia etiam, primitus ediderat; donec eum apud Batavos e bibliotheca ſua recudi curaret *Marquardus Gudius*, qui et Praefationem lectu digniſſimam praefixit. Plura adhuc Sanctii exſtant opuſcula, quae apud nos, quemadmodum multa alia Hiſpanorum, Italorum, Anglorum, Danorum ac Suecorum ſcripta, vel plane non, vel admodum raro videntur, digna tamen, quae apud nos etiam innoteſcant. Vide *de Sanctii Opuſculis Nicolaum Antonium* in *Bibliotheca Hiſpana nova.* Adſcribi etiam haud ab re ſolet Sanctio noſtro *Laurentii Ramireſii de Prado Pentecontarchus:* ſub hoc enim Thraſonico atque prorſus inepto titulo *inſignem librum* edidit, *optimis obſervationibus Criticis plenum,* Antwerpii 1612. 4.

Hiſtoriam *Minervae Sanctianae* hujus exhibet *Walchius* Hiſt. Crit. L. L. p. 260. ſeqq.

Agni Benedicti SANREY *de recta nominis* Paracleti *pronuntiatione.* Pariſ. 1650. 8.

Obſcuram auctoris diligentiam notant *Lilienthalius* de Machiavelliſmo Litterario p. 115. et *Menkenius* de Charlataneria eruditorum p. 74.

Georgii Henrici SAPPVHNII *Commentatio Philologica, qua nobilis linguae Carchedonicae reliquia ab Accio Plauto Sarſinate Actu 5. ſc. 1. et 2. fabulae, quae inſcribitur Poenulus, adſervata explicatur, et ad dialectum Aramaeam refertur.* Lipſiae 1713. 8.

Bene de litteris mereri videntur, qui linguarum veterum ſcruta et fragmenta, longo retro ſaeculorum ſqualore obſita colligunt, et ſuae luci, in qua verſabantur, antequam eorum imperitia, per quos ad noſtras manus

perve-

pervenerunt, corrumperentur, reſtituunt, et quicquid ſive Phoenicia antiquum habuit, ſive Graecia Cadmeis originibus proximum, oculis noſtris exponunt. Horum ſtudiis ſe quoque delectari nullo modo Auctor poteſt diſſimulare, et quum Phoenicum nomen antiquiſſimum ſit in hiſtoria, coepit, quicquid eorum in libris veterum perſcriptum exſtat, paullatim intelligentia excutere, quae, ut a noſtra aetate quam longiſſime abſunt, ita quoque Graecorum, qui, dum gloriae ſuae ſtudent, omnia turbant, fabulis obſcurata, difficillime nobis patent. Nec Judaeorum ſcriptores vulgares hunc locum meliori fide tractarunt: verum ſive odio earum gentium, quae profanis religionibus deditae erant, ſive, quod earum omnium maxime ignari eſſent, ea tradunt, quae fidem nullo modo merentur. Sequitur Auctor nihilominus veterum veſtigia, quae nos ad latebras, quibus vetus hiſtoria diu quaſi abdita delituit, non raro deducunt, et modo divinando, modo diverſiſſimas res conferendo, modo errores veterum emendando, operae pretium facere ſibi videtur. Et in hac quaſi litterarum runcatione intentus quum omnia Auctor conquireret, quae ad hanc rem faciunt, incidit in Poenulum, Plauti fabulam, et quum in nobili illa Puniſsmi reliquia, quae actu 5. ſcena 1. exſtat, aliquantum ſtudii poſuiſſet, coepit illa diligentius adnotare, quae ipſi ſuper hac re cogitanti in mentem venerunt, eaque nunc illorum, qui has litteras non ignorant, judiciis hac ſua Commentatione exponit.

Auguſtini SATVRNII Lazaronei, *Mercurius Major* ſive *Grammaticae Inſtitutiones.* Prodiit liber ſine mentione loci 1531; it. Baſil. 1546. 8.

Tota mente totoque animo, dum vixit, in hanc unicam curam inſtitit, ut repurgaret ab erroribus Grammaticam: ſunt verba *Nic. Friſchlini Praef.* ad *Strigilim.* Ipſius etiam Melanchthonis, hoc quidem in genere, vicit induſtriam.

Jul. Caeſ. SCALIGERI *De cauſis Latinae linguae libri XIII.* Prodierunt primum Lugduni, apud Sebaſtianum Gryphium, 1540: deinde Genevae 1548; et ex officina Sanct. Andreana 1597; Lipſ. 1609; Heidelb. 1609. et apud Commelin. 1609. it. 1623. 8.

Vt erat acutiſſimus rerum non minus Philoſophicarum, quam Philologicarum obſervator; ita tanti hujus ingenii ſui praeclarum hoc ipſo in libro, ad *Silvium Caeſarem* filium, dedit ſpecimen. Multa in eo docet egregia, et quae tum interiores Grammaticae conſecutionis cauſas aperiunt, tum omnino a vulgaribus illorum temporum ſordibus erant maxime aliena. Eamdem viam poſt illum ingreſſi ſunt *Sanctius*, ejusque continuatores et commentatores *Scioppius* et *Perizonius*; itemque *Gerhardus Voſſius*; quibus auctoribus multi hac aetate noſtrae in arte Grammatica ſapere coeperunt.

EIVSDEM *Poëtices libri VII.* 1594.

EIVSDEM *Oratio pro Cicerone contra Ciceronianum Eraſmi Roterodami.* Colon. 1623. 8.

EIVSDEM *Orationes duae, Eloquentiae Romae vindices, adverſus* Deſiderium Eraſmum, *cum* Scaligeri *Epiſtolis et Opuſculis aliquot atque Problematibus Gellianis.* Toloſae 1621. 4.

Hae Scaligeri in Eraſmum exſtant orationes; an plures, neſcio: teſte enim filio *Juſto Joſepho* in *Excerptis Scaligeranis*, ſuppreſſae ſunt Orationes illae, aliaque, quae contra Eraſmum, licentius aliquando in Ciceronem invectum, ſcripſerat pater.

Juſti Joſephi SCALIGERI *Conjectanea in M. Terentium Varronem de lingua Latina.* Pariſ. ap. Rob. Stephan. 1565. 8.

Conjectanea boni Scaligeri ſaepenumero haud majoris pretii ac momenti videntur eſſe, quam ipſa Varronis meletemata, quoties nempe haec nugis videntur propiora eſſe, quam meditationibus tanto tamque gravi viro dignis.

EIVSDEM *Opuſcula varia antehac non edita.* Pariſ. 1610. 4 Francof. 1612. 8.

EIVSDEM *Ad Germanos aliquot Epiſtolae.* Witteb. 1606. 8.

EIVSDEM *De re nummaria Diſſertat.* Antwerp. 1616. 8 ap. Plant.

EIVSDEM *De Arte Critica Diatriba, ex muſeo* Joach. Morſii. Lugd. Bat. 1619. 12.

SCALIGERANA, *ou bons mots, rencontres agreables et Remarques judicieuſes et ſçavantes de* Mr. le Fevre *et de* Mr. de Colomies. Cologne 1695. 8.

Multis referta ſunt cenſuris, judiciis et obſervationibus Criticis, Hiſtoricis ac Philologicis, ab utroque Scaligero, patre et filio, profectis. Poſtquam *primum edita* fuerant *Hagae Comitis 1666. et 1668. 8; Groningae* poſtea in lucem venerunt *alia Scaligerana* 1669. recuſa *Vltraj. 1670. 12.* et *Colon. 1695. 8.* quae *prima* vocantur, cum *Praefatione Tanaquilli Fabri*, et ex ejusdem bibliotheca: omnia vero in his primis Latina lingua adferuntur; quum altera illa intermiſta ſint multis Gallice prolatis, prout ex ore loquentis exciderunt. *Tanaquillus Faber* in iſtac Praefatione multa conqueritur de miſero ſuo ſtatu, hiſtoriamque primorum Scaligeranorum hanc recenſet: *Sex, inquit, ſeptemve menſes ſunt, ex quo Fr. Sigonius, Juriſconſultus apud Auguſtodunenſes celeberrimus, haec Scaligerana manu deſcripta ad Bibliopolam miſit, ut ederentur et publicarentur. Rogavit porro, ut inſpicerem: inſpexi; et quaedam ſane ad ea parabam ſcribere, quae non omnibus fortaſſe nota ſunt: id totum id conſilii ut abjicerem, multa fecere. Cur autem* prima vo-

veris

verim (nam hunc eis titulum feci), ubi libellum legeris, facile intelliges; ſcilicet altera illa Scaligerana, *quae abhinc duobus tribusve annis prodiere, recentiora ſunt. Doctrina autem in his tanta eſt interdum, tamque recondita, ut, qui meliorum litterarum ſtudioſi ſunt, nullam ſatis magnam Cl. Sigonio gratiam referre poſſint, qui nec operae ſuae pepercit, nec ſumtibus, ut ſchedas et adverſaria Vertuniani ſibi compararet et deſcriberet.* Hactenus *Tanaquillus.* Gröningenſi et Vltrajectanae et Colonienſi editioni adduntur etiam *altera*, ut vocantur, *Scaligerana*, quae prius prodierant; ſed in non paucis interpolata. In his Scaligeranis ſaepe praeter rem et meritum viri ſumma eruditionis laude conſpicui reprehenduntur. Collectorem eorum eſſe *Joh. Vaſſanum*, poſt alios etiam Huetius exiſtimat in epiſtola quadam Pariſ. 1702. d. 7. April. ad P. de la Duquerie, Soc. Jeſu, data, quam exhibet Mr. l'Abbé de Tilladet, dans ſes Diſſertations ſur diverſes matieres de Religion et de Philologie, Hagae 1714. 12. publicatis, Tomo II. Diſſert. 18. p. 107. ſeqq. Alii pro collectoribus eorum habent *fratres Puteanos.* Quicumque interim collector ſit, id certum eſt, eum in chartam illeviſſe ſine ullo ſelectu ac judicio, quae litterario faſtu tumidus uterque Scaliger ore forte protulerit, haud praevidens, has ſuas voces non ſatis ponderatas aliquando publici juris factum iri. Profecto quum ſaepe res nihili et propemodum abſonae his Scaligeranis immiſceantur; parum conſuluit tantorum virorum famae et exiſtimationi, qui iſta ſine ſelectu edidit. Vtinam ſagacior aliquis hanc ſyllogen ſic concinnaſſet, ut eſſent reſecta, quae ſunt futilia et in veritatis regno ſtare prorſus nequeunt.

Henrici SCHAEVII *Nomenclator Mnemonicus.* Altera editio prodiit Heidelbergae 1673. 8.

Auctor, Scholae Thorunienſis Rector, Helmſtadii in juventute ſtudiorum ſocius datus Joachimi Mynſingeri a Frundeck filio natu majori Henrico Alberto, ut erat vir doctiſſimus et in omni diſciplinarum genere verſatiſſimus, ita etiam heic non eſt contemnendus. Maſculina nigro; feminina rubro charactere ſignavit; neutra utroque comparent. Conſilium, quod ſecutus Auctor eſt, verboſius exponitur in Praefatione. *Morhofio Polyh. Tom. 1. p. 819.* commodius videtur, verba nominibus ſuis jungi eo, quo derivantur, ordine: quod conſilium patrum noſtrorum memoria amplexus eſt *Joh. Joach. Beccherus*, multoque felicius hac noſtra aetate expedivere, *Chriſtophorus Cellarius* quidem reſpectu linguae Latinae in *Libro ſuo memoriali*, et ad hujus exemplum reſpectu Graecae linguae *Laurentius Albertus Delius* in *Fontibus ſuis ac Rivulis N. T.* Quibus libris ſi accederet inſuper Schaeviana iſta per rubrum et nigrum diſtinguendi ratio; non parum adjumenti, opinor, oriretur inde non minus diſcentibus, quam ipſis docentibus.

Quod etiam obiter heic notari velim, hic Schaevius noſter, vir in omni diſciplinarum genere verſatus, in Poëſi autem patria parum praeſtans excogitavit noſtos iſtos *rhythmos hepaticos*, Germ. *Leber-Reime*, qui animi exhilarandi ergo negligenter et perridicule ſuper menſam componi atque adeo ex tempore fundi ſolent. E. g.

Die Leber iſt vom Huhn, und nicht von einem Kater,
Vltra ſuum poſſe nemo obligater.

Itém:

Die Leber iſt vom Hecht und nicht von einer Gans,
Die Magd heiſst Vrſula, der Haus-Knecht aber Hans.

At turpe eſt, difficiles habere nugas, et ſtultus lábor eſt ineptiarum. Scripſit etiam hic Schaevius noſter Mythologiam, ed. Stetini 1712. 12.

Simonis SCHARDII *Lexicon Juridicum*, ſeu *Juris Romani ſimul et Pontificii a Doctoribus et Practicis in ſchola atque foro uſitatarum vocum penus*. Baſil. 1582. Colon. 1593, 1600, 1616. fol.

Acceſſit noviſſime *Liber aureus de vocibus et Orthographia, Syntaxi et formulis in jure civili Romano plane ſingularibus aut omnino inuſitatis.*

Nimius videtur Auctor in allegandi ſtudio: at pro re nata interdum hoc eruditis percommodum accidit; quum decantatiſſima etiam ſubinde ſcrupulos pro rerum circumſtantiis injiciant, vix eximendos, niſi in promtu illico habeas loca ſcriptorum eo pertinentia. Sed hoc magis conducit iis, qui praxi forenſi diſtinentur. Conf. ſupra *Calvinus*; et infra *Spigelius*.

Joh. Jacobi SCHATZII *Phraſes ex Orat. et Epp. Cic. it ex Terentio*. Iſenaci 1727. 8.

Scripſit etiam *Vocabularium in Cornelium Nepotem.*

Alberti SCHAVR *Methodus conſcribendi epiſtolas*. Aug. Vindel. 1712. 8.

Johannis SCHEFFERI *De ſtilo exercitiisque ejus ad conſuetudinem veterum liber ſingularis*. Ejusdem *Gymnaſium ſtili* ſeu *De vario ſcribendi exercitio liber ſingularis*. Vpſaliae 1653, 1657, 1665, 1675 Jenae 1670, 1688, 1690, 1699, 1714. 8.

Scopus Auctoris, olim in ſtudiis dicendi celeberrimi in utroque hoc opuſculo eo tendit, ut litteris deditae juventuti commonſtret, quam in hoc genere veteres inierint viam, et quo illi modo ſcribendi facultatem ſibi comparaverint.

Opuſculum prius magis generaliora de ſtilo exponit, et quatuordecim capitibus abſolvitur. Agit nimirum Caput 1. *de ſtili definitione et fide;* Cap. 2. *de materia ſtili et multiplici diverſitate;* Cap. 3. *de mediis ad ſtilum neceſſariis;* Cap. 4. *de lectione in univerſum, eaque ſeorſim, quae facit ad copiam;* Cap. 5. *de lectione ad imitationem;* Cap. 6. *de lectionis modo et tempore;* Cap. 7. *de auſcultatione;* Cap. 8. *de judicio, emendatione, retractatione;* Cap. 9. *de communicatione, commiſſione, recitatione;*

tatione; Cap. 10. *de judicii ex communicatione recitationeve capiendi modo uſuque;* Cap. 11. *de excerpendi ſtudio;* Cap. 12. *de libris excerptorum, eorumque ratione;* Cap. 13. *de ſcriptione;* Cap. 14. *de iis, quae ſcribenda ſunt.*

Opuſculum poſterius, quod *Gymnaſium Stili* inſcribitur, ad ſpecialiora deſcendit, et multa de vario ſcribendi exercitio, tum et de progymnaſmatibus Sophiſtarum, et orationum variis characteribus utiliſſima collectanea et praecepta tradit. De hoc progymnaſmatum uſu nemo, quem quidem ſciam, accuratius aut elegantius praecepit, quam heic Schefferus. Sunt quidem hodie inter eruditos, qui omnem progymnaſmatum apparatum eliminandum putent ex oratoria, ſtatimque ad componendas epiſtolas et orationes adducant auditores. Sed, ut ut manifeſtum eſt, non ejusdem omnia generis heic eſſe et pretii: ita tamen quaedam comparata ſunt, ut, iis neglectis, neque modus, neque ordo probandi, refutandi, narrandi atque illuſtrandi recte teneatur, ſed hiulca, confuſa ac diſturbata evadat oratio. Ergo ſelectus habendus, diligenterque cavendum eſt, ne levioribus parumve profuturis detineantur nimis ac defatigentur generoſi et vulgaria fere nauſeantes animi. Deinde non ſolum ſelectiora et jucundiora argumenta iis proponantur, ſed et ſubinde oſtendatur, conſultum eſt, quorſum narrationes v. g. theſes, confirmationes, refutationes, loci communes aut comparationes valeant in oratoria. Magis enim ſemper iis delectamur, quorum manifeſtus certusque uſus eſt.

EIVSDEM *Lectiones antiquae.* Hamburgi 1675. 8.

Scripſit etiam *Schefferus Animadverſiones in Comenii Januam:* quem ejus librum tamen non dum oculis uſurpavi meis.

Petri SCHENBERG *Lexicon Latino-Suecicum in uſum Gymnaſiorum et ſcholarum patriae adornatum.* Norcopiae 1741. 4.

Lamberti Thomae SCHENKELII *Grammaticae Latinae praeceptiones.*

Optimorum Grammaticorum obſervationibus uſus eſſe dicitur. Magni nominis hic Auctor artis etiam mnemonicae magiſter fuit, ſcripſitque non modo *libros binos de arte memoriae,* et *Gazophylacium artis memoriae,* ſed etiam, qui heic praeſertim in numerum venire debet, *ſingularem librum* ſub tit. *Methodi ſ. Declarationis in ſpecie, quomodo lingua Latina ſex menſium ſpatio doceri et addiſci poſſit, ed. Argentorati 1619.* Cunctorum horum librorum non dum quisquam mihi copiam facere potuit. Docuit proxime ſuperiori ſaeculo, et quidem circa eius exitum, elegantiores litteras hic Schenkelius diverſis in locis, Antwerpiae, Mechlinii, Rothamagi, Lutetiae Pariſiorum, cet.

Henrici Julii SCHEVRLII *Statua Mercurii, ad optimos ſcriptores Latinos, et fructus ex iis percipiendos certiſſimam viam demonſtrans.* Helmſtadt 1636, 1637, 1663, 1670. 8.

In *Partis Secundae Specialioris Sectionis I. cap. 3. et 4.* ſapienter diſſerit de virtutibus ad optimum ſermonem Latinum requiſitis, de vitiis in ſermone fugiendis, quaenam illa vitia ſint, et quam facilis etiam in latinitate clariſſimorum virorum lapſus ſit. Totus autem liber non perfunctorie, ſed admodum ſolide conſcriptus eſt.

M. El. Frid. SCHMERSALII *Miſcellanea ſtili Poëtici.* Jenae 1740. 8.

Eraſmi SCHMIDII *Grammatica Latina:* Vide de ea ſupra ad *Melanchthonem.*

Samuelis SCHMIDII *Hodegus Epiſtolicus, viam expeditam facilemque commonſtrans, qua imperiti adhuc et minus verſati Epiſtolas Latine politeque contexendi pervenire poſſint.* Quedlinb. 1674, 1688. Lipſiae 1711, 1716. 8.

A pag. 690. usque ad pag. 715. agit de barbaris ac minus Latinis.

EIVSDEM *De vera et genuina diphthongorum AE et OE ſcriptura.* Quedl. 1677. 8.

Joh. Hermanni SCHMINKII *Syntagma Criticum variorum auctorum.* Marburgi Cattorum 1717. 4.

In hoc Syntagmate continentur

1. *Guil. Ranchini* Variarum Lectionum libri tres.
2. *Ejusdem* Edictum perpetuum reſtitutum.
3. *Guſti Zinzerlingii* Criticorum juvenilium Promulſis: qua in compluria Ciceronis, Taciti, Ovidii, Senecae utriusque, Papinii, Val. Flacci, Claudiani, aliorum, loca notantur, emendantur, illuſtrantur. Subjunctae ſunt in calce libelli Ejusdem Diatribae duae: 1. Nobile quoddam Problema Proſodiacum excutiens. 2. Tria inſignia Methaphorae reciprocae exempla exhibens.
4. *Jani Gebhardi* Crepundiorum libri tres.
5. *Ejusdem* Antiquarum Lectionum libri duo.

Mich. SCHNEIDERI *Differentiae vocum non nullarum collectis hinc inde Grammaticorum verſiculis incluſae.* Oſterodae 1673. 8.

Singulis claſſibus ad alphabeti ordinem diſpoſitis qualemcumque explicationem adjecit Auctor: nec tamen cuncta ſatis ad amuſſim exacta videntur eſſe.

Ge. SCHOEBELII *Flores ex Tacito.* Lipſ. 1665. 12.

Stephani Vberti SCHOENING *Harmonia phraſium verbi* Facio. Franecq. 1611. 8.

Wolf-

Wolſgangi SCHOENSLEDERI *Apparatus Eloquentiae.* Monachii 1630. Aug. Vindel. 1631. Francof. 1669. *Cum Praefatione* Chriſtophori Cellarii Lipſiae 1687. Colon. 1698, 1710. Lipſ. 1710. Francof. et Lipſ. 1724. 8.

Verba et locutiones Latinae linguae, ex optimis ſcriptoribus, praevia, ordine Alphabetico, communiſſima Latina voce, in locos ſuos digeſſit, atque in claſſes, ſecundum auctores, quorum et nomina praemiſſa et loca plerumque addita, accedente interdum explicatione neceſſaria, diviſit. Optime omnino de eloquentia meruit, nullusque temere liber ad uſum eſt accommodatior: adeo optima ſemper ex auctoribus, non quibusvis, ſed praecipuis, magno judicio collegit. *Philippi Parëi* minimum *Calligraphiam*, ſimili in arena currentem, longo poſt ſe intervallo relinquit, quae merum chaos eſt, ac mira titulorum confuſione ſumma imis miſcet. Dolendum vero, non prodiiſſe *Schönslederi Partem alteram*, qua collecturus erat locos communes rerum: abſolutiſſimos haud dubie, quantum ex hoc opere judicare licet, daturus. *Joh. Petri Titii Manuductio ad excerp. p. 53. Morh. Polyh. T. I.* p. 829. it. 953. ſeq.

EIVSDEM *Promtuarium Germanico-Latinum* h. e. *Phraſeon liber, quo, quicquid propemodum Germanice occurrit, Latine ex probatis ſcriptoribus redditur.* Colon. 1661, 1688. 8.

Hoc in libro vernacula ordine Alphabeti praecedunt, ita, ut ſimplicibus compoſita propiora, primitivis derivata, eodemque pertinentia ſubjiciantur, in ſeriem ſuam et claſſes redacta. Vernaculis verba et locutiones reſpondent Latinae; auctoribus etiam ipſis, ubi opus viſum, indicatis. Acceſſit ſeorſum *Syllabus Botanicus, Locorum et Juridicus.* Quo libro ſi qui e noſtris uti voluerint, attendent, ne dialectus Bavarica, qua conſcriptus eſt, ipſis negotium faceſſat. Quodſi quis eo tantum fine velit excerpere, ut, quae verba, quae ſtructurae, qua ſententia jungi eleganter ab optimis auctoribus ſoleant, magis in promtu habeat; deligere ſibi comitem poterit *Medullam Latinitatis*, ab *Andrea Joſaeo*, vel potius *Marco Frid. Wendelino*, ex *Rob. Stephani Theſauro* collectam, et redditione omnium Germanica illuſtratam. Quae Epitome, ſive de locutione aliqua et conſtructione judicandum, vel e Latino vernacule aliquid reddendum ſit, juvare adoleſcentiam atque inſtruere plurimum poteſt. Quo quidem in genere etiam *Theſaurus Sermonis Latini Reyherianus*, et *Vlneri Phraſium ſupellex*, in numerum veniunt commendarique poſſunt. Compoſitionibus enim e vernaculo Latinis accommodatiores ſunt libri, in quibus verba ſynonyma, locutionesque et formulae, idem ſignificantes, ad eumdem locum et claſſem reducuntur.

Cornelii SCHONAEI, Goudani, *Terentius Chriſtianus.* Colon. 1595, 1604, 1620, 1652. 8.

Auctor, Scholae Harlemenſis apud Batavos Rector, pio quidem conſilio hoc labore defunctus eſt; at ab eruditis recte ſentientibus non adeo magnam

gnam gratiam hoc ipſo iniit: nec enim bonis moribus, nec litterarum elegantiae ſic ſatis conſulitur; quemadmodum hoc egregie oſtendit *Guil. Mechovius* tum in *Hermathene*, tum etiam multo luculentius et ex inſtituto in *Antiphila* ſua.

Balthaſar Schnurr, Sacerdos Ambishagenſis (*zu Hengſtfeld*) in Franconia, Poëta pro ſuo quidem, quo vixit, tempore ſatis bellus in lingua vernacula, et hymnopoeus ſatis clarus, ex hoc *Schonaei Terentio Chriſtiano* rhythmis ridiculis donavit, publicaeque luci expoſuit *Pſeudoſtratiotam* Argentorati 1607. 8. Idem *Schuurrius*, quod hoc loco obiter notemus, interpolavit quoque Ein ſchönes Gedicht, der Ameiſen- und Mücken-Krieg, Straßb. 1612. 8. Fetum ipſum enixus erat *Hans Chriſtoph Fuchs*, Senior in Wallenburg und Arnſchwang, Eques Francus: quem rogatu Paedagogi cujusdam Dan. Mülleri ſuſtulit noſter. Praefixi enim ſunt rhythmi Mülleri iſtius ſequentes:

Herr Balthaſar, das Büchlein klein
Laſſet euch anbefohlen ſeyn.
Seht, daß ihrs gebet in den Druck,
Thut dazu eurer Gaben Schmuck ꝛc.

Gaſperis SCHOPPII vel SCIOPPII *Obſervationes linguae Latinae.* Helmſtadii 1629. Norimb. 1681. 12. Subjunguntur etiam *Hadriani Cardinalis libello de ſermone Latino et modis Latine loquendi Norimberge 1618. 12.* Inter illos autem *ſcriptores ſelectos*, qui *de comparanda elegantiori latinitate* egerunt, et quos *Richardus Ketelius Amſterdami 1713. 4.* conjunctim edidit, locum occupant tertium.

Verum Auctoris nomen vocatur et noſtro more Germanico ſcribitur *Schoppius:* homo enim Germanus fuit, et hoc modo atque his ipſis elementis hoc ſuum cognomen ab initio ſemper ſcripſit: poſtquam vero ad Italos abierat, in eorum gratiam, ut pronuntiationi eorum ſcripturam accommodaret, poſteriori ſcribendi modo indulſit, ex Germano in hominem Italum quaſi transformatus. Libellum autem hunc ab ipſo *Schoppio* profectum eſſe, valde miror. Ex *Schori* enim *Phraſibus* ad verbum fere exſcriptus, et ſine judicio compilatus eſt, tanto proinde Critico indigniſſimus. Carptim enim et feſtinanter ſingula hinc atque illinc ex Schori modo dictis hauſit fontibus, tamquam canis ex Nilo. Fuit aliquando tempus, quum a me non poteram impetrare, ut crederem, hunc libellum ab hoc tanto auctore eſſe editum. Sed mutavi mentem, poſtquam incidi in *Ejus Epiſtolam de compendioſa linguae Latinae cognoſcendae ratione*, quae additur *libro Ejus de Arte Critica*, in qua ipſe Schoppius diſerte profitetur, ſe Schori ſecutum conſilia in breviorem ordinem Phraſes ejus redegiſſe. Calumnia autem mihi videtur eſſe, qua ſcriptor vitae Scioppii, Conſultationi Fabulae Burdonianae praemiſſae, „Giſanio furtim ſurreptas a Scioppio refert Obſervationes has Latinae linguae, et ex iis corraſa ejus opuſcula

quibus

quibus primum orbi innotuerit, conqueritur, prout videre eſt ap. *Thomaſium de Plagio.* §. 542.

EIVSDEM *De Arte Critica et praecipue de altera ejus parte emendatrice, quae ratio in Latinis ſcriptoribus ex ingenio emendandis obſervari debeat, Commentariolus ad* Chriſtophorum Pflugium in Euteren, Equitem Miſnicum. Norib. 1593, 1596, 1597. Amſt. 1662, 1668. 8.

Paucula illa, ait Morhoſius T. I. L. 1. c. 7. §. 6, *quae Robortellus et Scioppius de arte Critica ſcripſere, tumultuaria ſunt, et hujus rei omnem fundum non emetiuntur.*

Interim multa habet ſcitu haud inutilia, praeſertim ſi cum Mabillonii praeceptis conferantur, de litteris, quorum beneficio MSStorum antiquitas et novitas internoſci poteſt. Adjecit etiam huic ſuo Commentariolo

1. *Epiſtolam* ſuam *de compendioſa linguae Latinae exactius cognoſcendae ratione:* in qua non nulla occurrunt, quae vix eruditorum calculum ferre poſſunt, ut quum exempli gratia dicit, in lectione veterum auctorum Plautum Terentio praeferendum eſſe.

2. Franciſci Robortelli *de arte ſive ratione corrigendi antiquorum libros Diſputatio.*

3. Friderici Sylburgii *de vetere ſcriptura tractatio.*

4. *Carmnia encomiaſtica ad* Gaſp. Schoppium.

5. Gaſp. Schoppii *ad* Paullum Merulam *JC. de obitu* Jani Douzae filii *melos.*

EIVSDEM *Veriſimilia ad explicationem veterum ſcriptorum, libri IV.* Noribergae 1595, 1596. Amſtel. 1662. 8.

Egregiis obſervationibus et emendationibus, in varia veterum ſcriptorum loca abundant, Symmachi maxime, Corn. Nepotis, Propertii, Petronii, aliorum.

EIVSDEM *Suſpectarum Lectionum libri V.* Norimb. 1597. Amſt. 1664. 8.

EIVSDEM *Symbola Critica* in L. Appuleji opera. Norimb. 1597. Amſt. 1664. 8.

EIVSDEM *Animadverſiones in Voſſium* de vitiis Sermonis Latini. Ravennae 1647. Amſtel. 1660. 8.

EIVSDEM *Grammatica Philoſophica, cum Auctario* Mariangeli de Fano Benedicti, *et Conſultationibus de ſtudiorum ratione.* Prodiit Amſtel. 1658, 1659. 8. Et ſecunda editione plurimis in locis inſigniter e ſchedis Auctoris, qui paullo ante mortem accuratius omnia recognovit, a *P. Scavenio* locuple-

cupletata 1664. Prodierat autem jam ante has editiones Amſtelodamenſes ſine binis his Auctariis Mediolani 1628. Recuſa deinceps ad exemplar Amſtelodamenſe eſt Gerae 1671. Amſtel. 1685. Franecq. 1704. Prodiit etiam cum adnotationibus *Joh. Chriſt. Herzogii*, Scholae Cizenſis Rectoris, Aug. Vindel. 1712. 8.

Grammatica Philoſophica inſcribitur, quod cauſas Latinae linguae accuratius indaget. Verum ſi recte hunc titulum tueri velit, poterat aliter ſuam methodum inſtituiſſe. Habentur autem in hoc libro multa Grammatica Problemata, accurate excuſſa, multaque ex occultis protracta quaſi et denudata. *Morh. Polyh. p. 831. Franciſci Sanctii, Broceuſis*, veſtigia ſecutus eſt. Hujus *Minervae*, ſive *de linguae Latinae cauſis libro*, omnem accuratiorem ſuam ejusdem linguae cognitionem ultro debuit Scioppius. Nam poſtquam in puerili ſua aetate nullam Grammaticam Latinam didicerat, ſed octo jam annos natus poſt nominum verborumque declinationes memoriae mandatas ex quotidiana Latine loquentes audiendi loquendique conſuetudine tantum profecerat, ut, quicquid aetatis illius uſus poſceret, Latina lingua enuntiare poſſet; et poſtquam adultior factus aſſidua optimorum auctorum lectione eam Latini ſermonis intelligentiam conſecutus ſibi viſus erat, ut, cur cognoſcendis Grammaticorum praeceptis quicquam operae conſumeret, rationem nullam eſſe, putaret: in *Sanctii* demum *Minervam*, quum in Hiſpania commoraretur, incidiſſe ſe, ſcribit; qua eo ſe adactum fatetur, ut per otium *veterum*, compluriumque *recentiorum Grammaticorum* libros evolverit, diligenter exploraturus, quo jure iſti Sanctio vapulaſſent: in cujus videlicet libro *aliquot errorum millia* Grammaticis iſtis impingi, acriterque exagitari, compererat. Quum jure a Sanctio tot exagitatos cognoviſſet errores, ejus Grammaticam tanti fecit, ut hanc ex Salmanticenſi Academia Romam ab ſe allatam eſſe, mirifice ſemper ſit gloriatus: quippe quam tantam facilitatem, et tam certam regularum rationem habere cenſuit, ut rem prodigii ſimilem omnibus videri neceſſe eſſet. Sanctii hujus, qui ob immenſam operam moleſtiamque, in purgandis Grammaticorum doctrinis, ceu ſordidiſſimo Augiae ſtabulo, devoratam, *alter Hiſpaniae* ſuae *Hercules* nominandus quibusdam videtur: hujus, inquam, Sanctii veſtigiis inhaerens *Scioppius*, quum ea, quae acceperat, paſſim in *Grammatica* ſua *Philoſophica*, aliisque acerrimi ingenii ſui monimentis, illuminaſſet, multa praeterea monſtra confeciſſet, multa Grammaticorum ſomnia exploſiſſet, inveteratam plurimorum verborum peregrinitatem exterminaſſet, ac plures alias veterum fruſtrationes, et varia commenta, quae ne Sanctius quidem olfacere potuerat, oſtendiſſet, *in Grammaticis nugari tandem deſiiſſe paſſim homines*, prudentes arbitrati ſunt. Summi certe viri vivo Scioppio gratiam habere numquam ceſſarunt, quod ipſos opera iſta a timore vindicaſſet, quo manus prius, quoties Latine ſcribere adgreſſi eſſent, contremiſcere ſibi ſenſiſſent. Majores et immortales plane gratias habuiſſent Scioppio Latini ſermonis ſtudioſi, ſi *Theſauro* ſuo, ſive *Romanae eloquentiae Promptuario*, cu-

jus

jus ſummam cunctae Europae excitaverat exſpectationem, eos beaſſet: at *Theſauri* hujus exſpectationem aeque inanem fuiſſe, atque illius, quem *Sturmius* promiſerat, dolendum ſane eſt. *Burkardi De linguae Latinae in Germ. fatis p. 538—541.*

Habentur etiam *Ejusdem Rudimenta Grammaticae Philoſophicae in uſum tironum, Mediolani 1692. 8.*

Ejus *Auctarium* exiit ſeparatim, *Mediolani 1692.* et *Amſtelod. 1659. 8.* Diſſeritur inter alia in eo de Lexicorum Latinorum virtutibus ac vitiis, quaeque ratio in conficiendo linguae Latinae Theſauro tenenda ſit. Latet autem *Scioppius* heic ſub ficto nomine *Mariangeli a Fano Benedicti.* Alias latet etiam ſub nomine *Alphonſi de Vargas.*

Ejus etiam *Conſultatio de Scholarum et ſtudiorum ratione* ſeparatim prodiit Patavii et Amſtelodami 1636, 1660, 1665, 1666. 8. in qua quidem valde bona bonaeque frugis conſilia dantur.

EIVSDEM *Infamia Famiani.* Sorae Danorum 1658. Amſtelod. 1660, 1662, 1663. 12.

Odii privati affectu abreptus ſcripſit contra *Famianum Stradam*, et ſimul contra totum Jeſuitarum ordinem, cui addictus *Strada* erat. Nec *Stradae* ſolum, cui praecipue hic libellus oppoſitus eſt, ſed etiam *Scaligeri*, *Caſauboni*, et *Lipſii* barbariſmos ac ſoloeciſmos notavit. Mirum enim eſt, quam ſaepe viris etiam magnis, et linguae Latinae ſine controverſia longe peritiſſimis, ſoloeciſmi atque barbariſmi excidant: qui quidem tum eo magis feriunt oculos, quum ab iis prolati ſunt, qui adverſarios ſuos, forte in pari parorámate deprehenſos, acriter ſugillare ſolent. Hos inter *Joſephus Scaliger* crebro aliis vitia iſtiuſmodi orationis objiciebat, ipſe interim adeo ab iisdem non immunis, ut *Alexander Morus* magnam ſuae Praefationis partem, quam ſecundae editioni *Theſauri temporum Scaligeriani* praemiſit, his tanti viri peccatis, ſive excuſandis, ſive emolliendis, impenderit. Idem in Salmaſio notatum: cui, quum praefervidus atque praeceps fuerit, ſoloeciſmorum affatim excidiſſe, non adeo miratur *Franciſcus Vavaſſor*, quam quod *Johannes Miltonus*, probri loco eam *Salmaſio* ſegetem vitiorum objiciens, feſtive eo ipſo in loco ſoloeciſmi flagitium admittat, dicens: *Salmaſius vapulandum ſe praebuit.* Vid. *Vavaſſor de Epigrammate* cap. 22. p. 300. ſeqq. qui praeterea *Thuani*, *Bezae*, *Caſauboni* et *Rich. Montacutii*, lapſus ſimiles, ſed modeſte, oſtendit. Conferatur quoque *Titius* in *Manud. ad Excerp. p. 157*, qui quaſi per lancem ſaturam pluſcula iſtius generis exempla collegit. *Morh. Polyh.* Tom. I. p. 827. ſeq.

EIVSDEM *Scaliger Hypobolimaeus* i. e. *Elenchus epiſtolae Joſephi Burdonis Pſeudo-Scaligeri de vetuſtate et ſplendore gentis Scaligerae.* Mogunt. 1607. 4.

Quemadmodum Scioppius in id unum maxime incumbebat, ut maximos quosque viros adgrederetur, et laeſae latinitatis criminis appellaret, et ut

pluri-

plurimum acerbiſſimis ſcommatibus petulantiſſime proſcinderet, qua in re magnus artifex erat; ita dedit ſpecimen ejus inſigne in libro hoc foediſſimo, in quo innumerabilia habentur convicia, quibus omne acerbitatis ſuae virus, venenati ſerpentis inſtar, in Scaligerum evomit. Subjungenda interim mordaci huic ſcripto inter legendum videtur eſſe *Joſephi Scaligeri Epiſtola de parentibus Scaligeri Hypobolimai, ed. Halae 1613. 4.*

EIVSDEM *Minerva Sanctiana impugnata ab* A. Maria de Monte, cum *Ejusdem Grammaticorum Apologia.* Lipſ. 1723. 8.

Scioppii ſcripta tantum non omnia, praeſertim ejus *Infamia Famiani*, *Grammatica Philoſophica*, *Paradoxa litteraria*, et proxime ſubſequens *de Stilo Hiſtorico* cum *iis*, *quae heic ad Franciſci Sanctii*, *Salmanticenſis Profeſſoris*, *Minervam addidit*; veram, puriorem et genuinam latinitatis indolem modo vindicant, modo illuſtrant, unde illi etiam, qui ceteroquin Scioppium vituperant et obtrectant, ſapere laudi ſibi duxerunt.

EIVSDEM *Infamia Famiani*, ſ. *De ſtili Hiſtorici virtutibus ac vitiis judicium*, *et de natura Hiſtoriae et Hiſtorici officio Diatriba*, *cura* Joh. Fabri. Sorae Danorum 1658. 12. Patavii et Amſtelodami 1660. Amſtelod. 1662, 1663. 12. Prodiit etiam Francofurti aliquot annis, antequam Amſtelodami exiret.

EIVSDEM, ſive *Paſchaſii Groſippi*; ſub quo ficto nomine heic tum latere voluit: *Paradoxa litteraria.* Mediolani 1659. Amſtelodami 1659, 1664, 1669. 8.

Multa de litteris nove contra Ciceronis, Varronis, Quintiliani, aliorumque litteratorum hominum, tam veterum, quam recentiorum, ſententiam diſputantur.

EIVSDEM, ſive *Paſchaſii Groſippi Tabulae nummariae.* Subjunctae ſunt *Joh. Fred. Gronovii de Seſtertiis*, ſ. *Subſecivorum pecuniae veteris Graecae et Romanae libris IV.* ed. Amſtelod. 1656. 8.

Adſumſit etjam *Scioppius* nomen *Alphonſi de Vargaz*, qui olim Archiepiſcopus Hiſpalenſis fuit, ſi contra Jeſuitas calamum acuit. Adduci nunquam potuit, quamquam ſaepe ab amicis rogatus, ut effigiem ſuam vel coloribus pictorum vel aeri caelatorum committeret: neſcio, an faſcini metu, quod adverſariorum, praecipue Jeſuitarum, praeſtigias timeret.

EIVSDEM, ſive *Paſchaſii Groſippi Mercurius bilinguis*, ſive *Nova et compendioſa ratio Latinae aut Italicae linguae intra vertentem annum perdiſcendae*, *in eorum uſum*, *qui alterutram linguam*

guam jam intelligunt. Mediolani editus refertur in *Catalogo ſcriptorum Scioppianorum, Grammaticae Philoſophicae* praefixo, ſine mentione tamen anni. Prodiit autem Hamburgi etiam 1702. 8.

Scilicet adminiculo elegantiorum ſententiarum, Latinae linguae ſine taedio addiſcendae ergo in ſuos quaſi forulos digeſtarum, utitur *Janua linguae Latinae*, quae ex Collegio Salmanticae Hibernico, auctoribus *Guilielmo* et *Johanne Batteis* et *Stephano Hiberno*, Latino-Hiſpanica prodiit, ſententiarum centuriis XII potiſſimas voces complexa. Hanc deinde *Angli*, addita vernacula ſua; *alii* aliter; *Scioppius* vero *Mercurii* hujus ſui *Bilinguis*, ſc. Latini et Italici, ac poſtremo etiam *Quadrilinguis*, ſc. Latini, Germanici, Graeci et Hebraici, nomine edidit, et perquam mirifice praedicavit. Vide Ejus *Conſultationes de ſtudiorum ratione*, ſub finem. Qua tamen jactantia multos offendit. Vide *Adnotat. Eugenii*, ut vocari voluit, *Lavandae*, et *Laurentii Foreri Proteum Grammaticum*. *Joh. Erneſtus Bythnerus* hanc ſententiarum, quibus regulae Grammaticales conſtent et illuſtrentur, farraginem ex *hoc Scioppii Mercurio* transtulit in ſuam *Compendiariam Latinitatis viam*; quo de ſupra ad *Bythnerum*.

Hos binos libros, hanc Mercurii faciem denuo repraeſentavit, has Januae valvas denuo aperuit liber, vernacula noſtra contextus, qui inſcribitur *P. G. Schulzii Vorſchlag, wie man einem das Latein in einem Jahre beybringen könne, Frankfurt an der Oder 1708 8.*

Antonii SCHORI *Theſaurus Ciceronianus linguae Latinae a* Sturmio *et* Lambino *emendatus*. Primitus exibat ſub titulo: *Apparatus verborum linguae Latinae Ciceronianus*, Argentor. 1551. 4: quam editionem plures deinceps in 8va forma ſecutae ſunt, *Theſauri* titulo inſignitae, auctoriſque nomen prae ſe ferentes; utpote qui in priori iſta editione nominari ſe noluerat. Atque hac ipſa ſequiori facie, cum Praefatione *Joh. Sturmii* prodiit ſaepenumero, Argentorati 1580, 1586, 1597, 1608, 1618. et ante aliquot luſtra Tubingae, cura *Joh. Chriſt. Neu.*

Mole quidem et verborum copia *Nizoliano* minor eſt *Theſaurus* hic *Ciceronianus* a *Schoro* collectus; ſed magis tamen judicio valuit *Schorus*, veramque dictionis virtutem rectius intellexit. Itaque ad ſcribendum adhiberi tutius poteſt: quamquam ipſe Cicero per ejusmodi Syllogas e manibus juvenum non eſt excutiendus, quum ipſe optimus ſermonis ſui dulcis ac copioſi theſaurus ſit. Sunt nimirum, qui exiſtimant, *Nizolii* et *Schori Theſauros* eſſe numerandos inter ea compendia, quae ſtudiorum profectus imminuant, et tirones reddant in latinitatis ſtudio paullo ſegniores.

Libros vero exiſtimemus illos eſſe ſubſidiarios, iis tantummodo profuturos, qui ex ipſo Ciceronis aliorumque optimae notae ſcriptorum ſermone et contextu elegantius dicendi genus ſibi jam reddidere paullo familiarius, et hujusmodi praeclaras collectiones tunc demum in conſilium vocant, ſicubi non illico ſuccurrunt, quae apposite et in loco volunt collocanda. Quod enim cum primis notandum eſt, Schorus in hac ſua Sylloge non modo antitheta, ſed ſynonyma quoque et differentia et translata ex Cicerone congeſſit.

EIVSDEM *Phraſes linguae Latinae.* Coloniae 1548, 1557, 1567, 1578, 1584, 1605, 1619. Argentor. 1580. Lipſiae 1592, 1597. Francof. 1609. Tubingae 1613. Cum Praefatione *Joh. Chriſt. Neu*, ibid. 1713, 1717, 1726. Cum verſione et Indice Germ. *Sal. Pfiſteri*, ibid. 1728. Etiam inter *Scriptores ſelectos de comparanda elegantiori latinitate*, quos *Richardus Ketelius* Amſterd. 1713. 4. et inter illos etiam, quos *Joh. Verwey* Goudae 1701, 1703. 4. conjunctim prodire fecit, primum tenent locum.

Schorus, Aldus, Ulnerus, Schoensléderus, Pareus, locutiones ex veteribus auctoribus decerptas in ſuo nexu nobis propoſuerunt. Quod inſtitutum qui inter Lexicographos ſequuntur, recti ſunt, et eatenus ſaltem digniores prae illis, qui extra connexionem illas inculcant: extra connexionem enim elegans et verior vocum uſus minus poteſt perſpici.

Ex binis his Schori laboribus enucleatus et conflatus liber eſt, cujus integra inſcriptio ſic habet: *Officina Scholaſtica ſeu Phraſeologia Ciceroniana Latino-Germanica, a doctiſſimo viro M. Emanuele Guildnero, in inclita Marpurgenſium Academia Praeceptore paedagogico privatis ſuis diſcipulis dictata, et ex Anton. Schoro enucleata, omnibus Scholis trivialibus, earumque diſcipulis, praeſertim iis, qui elegantiae Ciceronianae in exercitiis argumentorum avide inhiant, apprime neceſſaria et utilis. Cum gratia et privilegio ſpeciali. Venit in nobilis Francofurti Partheniano MDCX* σὺν Θεῷ *et ſeqq.*

EIVSDEM *De ratione diſcendae docendaeque L. L. et Gr. libri duo.* Argentorati 1571, 1575, 1596, 1623. Leovardi 1695. Cum Praefatione *Joh. Chriſt. Neu*, Tubingae 1710, 1711. 8.

Libellus plane egregius eſt et ludi moderatoribus utiliſſimus. Viam nempe praeit *Schorus*, qua eundum in ſcholis, ſi Latini vel Graeci ſcriptores explicandi ſint. *Priore parte* elegantiores Ciceronis epiſtolas ſecundum ea, quae notatu digniora ſunt, et elegantiorem latinitatem arguant, et vix aliis in mentem venirent, illuſtrat, ſingulis imitationem addens. *Parte poſteriore* Iſocratis ad Demonicum admonitionem, orationem

tionem primam, eruditiſſima analyſi, ſcholis tamen tantummodo accommodata, percurrit. Toti opuſculo praemittit *Commentationem* doctam et elegantem *de ratione diſcendarum linguarum.*

EIVSDEM *Epitheta et Synonyma Poetica, cum adnotationibus* Ejusdem *in* Claudii Verdierii *Cenſiones.* Francof. 1606. 8.

De *Verdierio,* quem caſtigat, vide infra ſuo loco.

Andreae SCHOTTI *Nodi Ciceroniani variorumque reſoluti, libri IV.* Antwerp. ex offic. Plantin. 1613. 8. Hanoviae 1615. 4.

EIVSDEM *Obſervationum humanarum libri V, quibus Graeci et Latini auctores illuſtrantur.* Hanoviae 1615, 1618. 4.

Auctor, Jeſuita doctiſſimus, his binis in libris, multa in Cicerone, Graecisque et Latinis auctoribus aliis, pulchre emendat.

EIVSDEM *Sylloge Commentariorum in Orationes Ciceronis.*

EIVSDEM *Tullianarum Quaeſtionum de inſtauranda Ciceronis imitatione libri IV.* Antwerpiae ex offic. Plantin. 1610. 8.

EIVSDEM *Electa,* Roſini Antiquitatibus, editis Ultraj. 1701. et Amſtelod. 1743. 4 maj. recuſis, ſubjuncta ſunt.

EIVSDEM *Corpus Romanarum Antiquitatum.* Coloniae 1645. 4.

EIVSDEM *Cicero a calumniis vindicatus.* Antwerpiae ex offic. Plant. 1613. 8.

Laur. SCHRADERI *Monumenta Italiae.* Helmſt. 1592. fol.

Erici SCHRODERI *Lexicon Latino-Scandicum.* Meminit hujus Lexici *Wagenſeilius* von Erziehung eines jungen Prinzen, p. 40.

Henrici Eilhardi SCHROEDERI *de vero Latinae linguae ſtatuendo pretio.* Lipſ. 1740. 4.

Diſſertatio Academica eſt, habita ſub praeſidio *M. Joh. Georg. Hageri.*

Ge. SCHROETERI *Theſaurus nummorum antiquorum.* Hamb. 1729. 8.

Jo. SCHVLZII *Florum ſparſio ad loca quaedam in re litteraria controverſa.* Francof. 1707. 12.

Joh. Jacobi SCHVRERI *Nucleus linguae Latinae.* 1702. 8.

Conradi Samuelis SCHVRZFLEISCHII *Orthographia Romana.* Acceſſit *Orthographia Noriſiana.* Vitembergae 1707. 8.

Quoniam ex eruditiſſimi Auctoris acroaſibus collecta eſt, irrepſerunt non nulla partim non ſatis diſtincte ac dilucide propoſita, manca item et mutila, partim ad Criticen ſtricte ſic dictam, et variantes veterum ſcripturas pertinentia, partim ab inſtituto omnino aliena, quia non de orthographia, ſed bonitate et vera notione quorumdam vocabulorum diſceptatur.

EIVSDEM *Diſquiſitio, An a Terentio primordia Latini ſermonis capienda.* Witteb. 1704. 4.

Non id putat Auctor, quia Terentius, pro more in dialogis uſitato numerum negligat, et abruptis utatur formulis, eaque intermiſceat, quae tenerae aetatis conſcelerare aures queant.

EIVSDEM *De formula,* Dicis cauſa. Witteb. 1703. 4.

EIVSDEM *De veteri Quiritium formula* Comites conſervandi. Wittemb. 1702. 4.

EIVSDEM *Nomenclator Strategicus,* ſeu *Vocabulorum militarium Index, novis acceſſionibus locupletatus a* M. Simone Henrico Buſſio. Gieſſae 1720. 8.

Vocabula militaria, hodiernae bellandi rationi convenientia, iis exprimit verbis Latinis, quae illorum notiones inferre animis lectorum queant.

EIVSDEM *Analecta Stili Romani.* Wittembergae 1725. 8.

Ex ſchedis B. Auctoris *Cl. Knauthius* edidit. *Decem capitibus* conſtant: *Caput 1. agit* de Stilo generatim conſiderato; *Cap. 2.* de diverſis ſtili generibus; *Cap. 3.* de periodis et menſura pedum orationis proſae; *Cap. 4.* de particulis recte componendis; *Cap. 5.* de inveniendis argumentis ad exornandam orationem; *Cap. 6.* de iis, quae pertinent ad oratorem civilem in deligendis auctoribus claſſicis; *Cap. 7.* de charactere Hiſtorico; *Cap. 8.* de quibusdam Livii concionibus; *Cap. 9.* de conſcribendis epiſtolis; *Cap. 10.* de partibus epiſtolae. Reliqua, quae ſubjunguntur, exemplis quibusdam et aliis anecdotis tum Schurzfleiſchii, tum aliorum replentur.

Chriſt. Gottlieb SCHWARZII *De fatis vocum quarumdam Exercitatio Philologica.* Altorfii 1714. 4.

EIVSDEM *Miſcellanea politioris humanitatis, in quibus vetuſta monumenta et variorum ſcriptorum loca illuſtrantur.* Norimb. 1721. 4.

Jo.

Jo. Conradi SCHWARZII *Grammatica Latina, ex perluſtratione veterum ſcriptorum concinnata, auctoritatibus idoneis firmata, et veris cujusque rei cauſis comprobata, in uſum Gymnaſii Caſimiriani et Scholae Senatoriae Coburgenſis.* Coburgi 1732. 8.

Reperiuntur heic praeceptis eorumque uberioribus expoſitionibus Latine conſcriptis immixta non nulla Germanica, quae tamen non niſi generaliora complectuntur, ut puerulis et tenellae aetati eo facilior pateat aditus. Ceteroquin enim Auctor ſagaciſſimus praecepta Latinis verbis veſtita Germanicis praefert, eorumque ſententiae modeſtiſſime occurrit, qui his noſtris temporibus ſecus exiſtimant, omniumque propemodum ſuffragio in eo gaudent. Multa autem in arte Grammatica emendat, alia aliter et rectius ordinat, atque huc usque factum eſt, multas etiam tricas, praeſertim in Syntaxi, longe feliciſſime expedit, Sanctium, Schoppium, Scaligerum, Voſſium et Perizonium, occultiorum ellipſium indagatores illos excellentiſſimos, ſuumque ipſius praeterea ſecutus judicium: ut ita, quaecumque ſcitu jucunda et neceſſaria hoc in genere ſunt, mediocri libri hujus magnitudine nunc omnium rectiſſime contineantur.

Caſp. SCIOPPIVS: vide ſupra *Schoppium.*

Jo. Eraſmi SCOMAGERI, Profeſſoris Hafnienſis, *Brevis Introductio ad addiſcendam linguam Latinam.*

Lucii Johanuis SCOPPAE *Collectanea.* Venet. 1561.

Jo. Henr. a SEELEN *De conſervando ſtili puri ſtudio.* Stadae 1717. 4.

Petri SEGVINI *Selecta numiſmata antiqua, obſervationibus illuſtrata.* Lutet. Pariſ. 1665. 4 maj. cum figg. aen.

Jo. SEISING *Obſervationes linguae Latinae.* Lugd. 1686. 8.

Jo. SELDENI *Liber de nummis, cum bibliotheca nummaria.* Edinb. 1685. 8.

Joannis Geneſii SEPVLVEDAE *Opera omnia.* Colon. Agripp. 1602. 4.

Auctor primis L. L. inſtauratoribus accenſendus eſt. Praeſertim libris ſuis VII. Epiſtolarum paſſim admiſcet, quae ad latinitatis ſtudium ſpectant.

Franciſci SERRAE *Synonymorum, Epithetorum, Phraſium, Hiſtoriarum, Fabularum Apparatus.* Viennae 1701. 4.

Joh, SERRANI, Paſtoris Rosfeldenſis, *Synonymorum libellus, ex optimis Latinae et Graecae linguae ſcriptoribus conge-*

ſtus. Norib. 1539. Sine mentione loci 1551. Norib. 1571. Witteb. 1587. 8.

Hujusmodi *Synonymorum Syllogen ex Cicerone praecipue collectam*, debemus etiam *Stephano Ubelio.*

EIVSDEM *Dictionarium Latino-Germanicum.* Norib. 1539. 8.

M. Aurelii SEVERINI Diſſertatio *de particula* ET.

Italice ſcripta eſt. Auctor, ſeveri ceteroquin ingenii vir, particulae hujus querelam inducit, quod unica littera mutiletur apud Italos.

Jo. Georgii SEYBOLDI *Antibarbarus Latinus.* Norimbergae 1676. 8.

A *Chriſtophoro Arnoldo*, Rectore ſuo, ad ſcribendum hunc *Antibarbarum* inductus eſt, eo forſan conſilio, ut inquinatum vulgaris linguae genus, quod adſumſerint *Ejus Officinam Scholaſticam novo et ſingulari, cum docentium, tum diſcenſium uſu, apertam Norib. 1687*, *1726. 8.* itemque *Ejus Officinam Virtutum* ſeu *Praeceptiunculas morales in gratiam tirunculorum conſcriptas, ed. Norib. 1702, 1711. 8.* ſecuti tirones, ex hoc *Antibarbaro* emendetur. Scripſit etiam hic Auctor *Differentiam Latinarum vocum;* Norib. 1668. 8; *Grammaticam Latinam, Norib. 1669. 8. Compendium Grammaticae Norib. 1675, 1700, 1706. 8. Colloquia Latino-Germanica Norib. 1672. 8. Selectiora Adagia* Norimb. 1677. 12. et non nulla alia adminicula et tirocinia Grammatica, quae tamen partim minus enucleate exponuntur, partim, judice *Morhofio*, lutulenta ſunt, et ab homine ejus linguae non admodum naro ſcripta, quae vix adhiberi poſſint, niſi probe emaculata et perpurgata. *Antibarbarum* autem hunc ſuum ita concinnavit, ut ad cujusvis paginae marginem voces et locutiones barbaras vel minus concinnas ordine alphabetico exhiberet, et e regione ſingulis Latinas vel nitidiores apponeret. Auctores, unde hanc ſyllogen conflavit; hi fere ſunt: *Arnoldus, Hadrianus Cardinalis, Giſanius, Goclenius, Vorſtius, Scioppius, Voſſius, Corderius, Crocus, Morellus, Reyherus, Hildebrandus, Nieſſius, Nizolius, Schottus, Looſa, Pontanus, Buchlerus, Turſellinus.*

Caroli SIGONII *Emendationum libri duo.* Venet. ap. Aldum 1575. 8.

EIVSDEM Oratio *de Latinae linguae uſu retinendo*, Mureti Orationum volumini II. adjuncta eſt p. 238–250.

Franciſci SILVII, Ambiani, *Ciceroniana Elegantia Latina.* Docceti 1654. Amſt. 1660. 8.

De hoc ſcriptore illud in primis notatu dignum eſt, quod, quum prius horride, inſolenter, et ad clauſtralem usque foetorem barbare ſcripſiſſet, adeo

adeo tamen ſedula bonorum auctorum tractatione ſermonem ſuum emendaverit, ut a ſe totus diverſus et alius plane ſcriptor viſus ſit, aliisque regulas haud quaquam contemnendas dederit. *Morh. Polyh.* T. I. p. 835. Quamlibet in eo erravit errorem graviſſimum; quod recentioribus aliis quibusdam ſcriptoribus, qui imitandi ſtudio ad veteris Latii elegantiam quam proxime acceſſerint, locum eſſe voluerit inter auctores L. L. antiquos, quibuscum pari gaudeant auctoritate, ut eos proinde eodem cum fructu praelegi in ſcholis poſſe autumaret. *Vavaſſor* de Epigr. cap. 4. p. 162.

EIVSDEM *Progymnaſmata Latinae linguae, centuriae tres.* Amſtel. 1653. 8.

Jacobi Pontani laboribus hoc in genere eximiis uſus videtur eſſe.

Georgii SIMLERI *Obſervationes de Arte Grammatica.* Tubingae 1512. 4.

Opus Grammaticum eſt, quod antecedentium temporum nugas et quisquilias reſpuit, et litteraturae elegantioris παλιγγενεσίαν ſapit. Auctor, praeceptor Melanchthonis, in oppido Marchionatus Badenſis, cui *Portae Hercyniae* nomen eſt, Scholae Rector, dein Profeſſor in Academia Tubingenſi: quem etiam in utroque loco Melanchthon audivit, et parentis inſtar ſemper coluit.

Jo. Philippi SLEVOGTII, Jureconſulti et Polyhiſtoris apud Jenenſes clariſſimi, *Epiſtola ad* Joannem Fabricium, Theologum Helmſtadienſem, ſubjuncta *Octavii Ferrarii Diſſertationi de Pantomimis et Mimis, ed. Wolfenbuttelii 1714. 8.*

Hac quidem Epiſtola ſua Slevogtius latinitatem Ferrarii contra cenſorem quemdam, virum alioqui doctiſſimum, deque re litteraria optime meritum, defendit, nec id tamen ſine ingenii ſui ipſius praeſtantiſſimi oſtentatione, qua quidem utitur ad defendendum Ferrarium, virum ceteroquin litteris praeclare imbutum, quum ipſe apologeta diſſimulare nequeat, minime a naevis omnibus Ferrarium abeſſe: ne quid enim eorum dicam, quae Slevogtius jam in eo reprehendit; neſcio, quo? feratur ſaepenumero ſtudio deflectendi ad vocabula inſolentia, ſoloeca et ſordidis Apuleji lacunis deſumta, et ad iſta epiphonemata Poetica, quorum cohaerentiam cum contextu vix quisquam ſagacior, ne dum in arte rudis, perſpexerit.

Henrici SMETII, Aloſtani, *Proſodia in novam formam digeſta.* Francof. 1599, 1615, 1620, 1672, 1691, 1705. Mogunt. 1618. Amſtelaedami 1658. Lugd. 1614. 8.

Haec *Smetii Proſodia,* quae ſola fere in manibus eſt (nam *Borrichianam*, aut aliam melioris notae, quotusquisque videt?) et tironum uſibus accommodatiſſima eſſe creditur, non magnas tantum acceſſiones, ſed et intentiorem docti alicujus viri limam exſpectat, eaque perpolita niſi fuerit,

tutum ab errore neminem poteſt praeſtare. Magnus in ea et propriorum, quae in uſu verſantur, et appellativorum nominum, verborum ac particularum numerus deſideratur: quod facile patebit perſunctorie illam cum *Riccioli Indice*, quem *Proſodiae ſuae Reformatae* ſubtexuit contendenti. Ad probandas vocabulorum, quae adſcripta ſunt, quantitates, nec idoneae ſemper, nec certae ſatis auctoritates advocantur, et ex trivialium exemplarium corrupta ſaepe lectione, quae brevis, quae longa ſyllaba, ſtatuitur. Tolerabilius tamen hoc eſſet, ſi ſcriptorum loca, quorum teſtimonia citantur, expreſſis librorum ac verſuum numeris, indicarentur, et ita meliores codices de ſuſpectis lectionibus conſulturis inquirendi labor minueretur. Tantum vero abeſt, ut hoc ſibi negotium ſumſerint, qui poſt Smetii fata eumdem librum crebris editionibus renovarunt, ut deteriorem etiam, quam Smetius reliquerat, ſaepius recudendo effecerint. Satis enim negligenter ac mala ſaepe fide recognitum, aliquanto poſt interpolare etiam auſus eſt, neſcio quis, qui Graecos verſus, quibus in ſubſidium doctiſſimus aliquando uſus fuerat Auctor, expunxit, et in horum locum Latinos, non probatorum Poeterum, ſed ſuos, id eſt, μιξοβαρβάρους, ac ſaepe ineptiſſimos, ſubſtituit, quibus non vera et antiqua pronuntiandi ratio propagatur, ſed Scythica plane ac Sarmatica inducitur, et quaſi auctoritate aliqua confirmatur. Idem factum, quoties earum, quibus veteres Poetas uſos fuiſſe non conſtabat, vocum accentum ex analogia cognoſci voluerat Smetius, voceſque alias cognatas, pro verſibus, adſcripſerat: quas lacunas Maevius iſte expleturus, ſuorum partuum monſtra plurima inculcavit, Latinis auribus nec audita umquam, nec ferenda. Ea quae ſint, ex appoſito Anonymi nomine noſcas.

Plurima ſunt, in quibus improbe imperiteque hic interpolator Smetii manum mutavit: ſed ex his pauca, ſatis erit, exempli loco poni.

Acetabulum Smetius antepenultima longa pronuntiari recte docuerat: Anonymus, qui ſpuriae, quam dixi, editioni praefuit, antepenultima brevi.

Aduleſcens ſecunda longa, *Adoleſcens* ſecunda brevi, Smetius: Anonymus *adoleſcens*, et longa et brevi ſecunda, ſcribit.

Allevo poſuerat Smetius, errore vero typographico id in *allevio* mutatum fuerat: Anonymus huic flagitio patronus etiam exſtitit, verſumque, quo illud tutum eſſet, e ſuo ſterquilinio protulit

Alleviare poteſt Deus omnia, quidquid agatur.

Sed in hunc jure illud Poetae accommodaveris:

Cauſa patrocinio non bona pejor erit.

Annotinus, penultima brevi, Smetius: penultima longa, Anonymus, invitis omnibus aliis Grammaticis.

Apage, ultima brevi, probaverat, ut par erat, Smetius, quia Graecum eſt ἄπαγε: Anonymus, cui adverbium videbatur, ab adjectivo fortaſſe aliquo, in *us* deſinente, derivatum, ultimam produxit.

Abſis penultimam genitivi *abſidis* producere, docuerat Smetius, exigentibus id Graecorum Poetarum verſibus, quos non omiſerat: Anonymus, ſua ipſius auctoritate, id eſt, nulla, corripit, eos, ut ſuſpicor, ſecutus, qui *paropſis*, cujus genitivus penultimam brevem habet, *paropſidos*, ab

abſis

abſis ducunt, repugnante quamvis analogia. Vid. *Voſſii* Etymol. p. 2. et 372.

Archiater, recte Smetius, penultima longa: Anonymus vero, cum inficeto vulgo, brevi.

Bigatus Smetio primam producit; indoctis et Anonymo corripit, quamvis ſit contractum ex *bijugatus*. An ergo et *quadrigae* penultimam corripit, cujus eadem ratio?

Caecutio antepenultimam longam habet, ſi Smetio, ut par eſt, credis; brevem, ſi Anonymo.

Carides penultima longa, ex Smetii veriſſimo praecepto; penultima brevi, ex Anonymi opinione, pronuntiatur.

Cuculus, media ſemper longa, probaverat Smetius, ut veteres: Anonymus, poſthabito etiam verſus Plautini metro, penultimam ſemper corripit. Sed plus valet Plauti et Horatii auctoritas, quam Anonymi ſpuriique Martialis et Philomelae, quae Ovidio tribuitur, verſus.

Cyclaminus in penultima acutum habet, idque et Smetius obſervavit: Anonymus hunc in antepenultimam transfert, diſſentientibus quamvis Poetis Graecis, quos *Borrichius* in *Lingua Pharmocopoeorum* nominat.

Depeculor, penultima longa, jure placet Smetio; non item Anonymo.

Pepo, peponis, ſequitur Graecam pronuntiationem, qua eſt πέπονες: Anonymus autem, in voce *melo*, quaſi Graece ſcriberetur πέπωνες, penultimam produxit.

Eamdem inſcitiam prodidit in *apicula*, *Ariminum*, *moletrina*, (cujus antepenultimam produxit, quia non *moletrina*, ſed *molatrina* ſcripſit, non a *molere*, ſed a *molare*) in *multiſcius*, *Nicander*, *os oſſis*, *Narciſſinus*, *Olyſippo*, et aliis multo pluribus. Longum enim eſſet, enumerare ſingula. Hoc unum praeterire non poſſum, quod unum inſtar omnium eſt, quodque vel ſolum de hominis judicio ſatis eſſet teſtimonii, ſi aliud nullum poſſet adferri. Scripſerat Smetius, *hypocha*, *rete*, idque Graeco verſu Oppiani ὑποχὴ, plurali ὑποχαὶ, dici, oſtenderat. Non cepit hoc Anonymi ſtupor, qui, pro *hypocha, rete*, legit una voce *hypocharete*, quod hypocauſti fortaſſe genus eſſe credidit, aut foci, ſtatimque in ſuis ſcriniis paratum habuit verſum, ex quo vis pariter vocabuli et quantitas cognoſcitur, ſi dis placet, qui lectu eſt digniſſimus:

Dixit hypochareten, hiemis ſolatia noſtrae.

Satis, opinor, ex his conſtabit, quantopere fallantur omnes, qui, talibus Smetianae Proſodiae exemplaribus contenti, nihil amplius praeterea requirendum putant, et Apollini ac Muſis placere credunt, quae homini viſa ſunt omnium imperitiſſimo, et ad ferendum de his rebus judicium ineptiſſimo. Et tamen pleroſque eſſe ſcio, qui inquinatiſſima haec exemplaria primigeniis etiam longiſſime praeferant, quae Smetio ſuperſtite ſunt evulgata: etſi, quod jam ſupra dixi, nec ea quidem ita ſunt emendata, ut nihil in iis poſſit reprehendi. Quod ne temere dixiſſe videar, non quantum ex magna copia poſſem, ſed quantum in praeſenti ſatis erit, exemplorum in medium proferam.

Acroma pro *acroama*, ex Prudent. περὶ στεφάν. II. 324. mihi quidem ſuſpectum eſſe, non diffiteor, etſi in pleriſque libris ita legitur. Nulla

enim cauſa eſt, quare heic Prudentius *acroma* maluerit, quam *acroama*, quod metro ipſius aptiſſimum erat. Itaque veror, ne *acroma* ab iis inductum ſit, quibus, *acroama* penultima longa dici, non ſatis fuit notum. At, ſi vel maxime retinendum fuerit in Prudentio *acroama:* Smetius tamen admonere debuiſſet, *acroama*, ſine contractione, primam natura habere brevem, itemque ſecundam, tertiam vero longam, ut cetera hujus formae. Quod quia Smetius tacuit, invaluit prava conſuetudo, ut *acroama* penultima brevi potius pronuntietur, itemque *acroaſis*, cujus penultima eadem licentia corripitur. Sed aliud poſcit analogia, quum *thymiama*, ceteraque, quae a verbis in ιάω et οάω derivantur, producantur. Sophocles in Oedip. tyran.

Πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει.

Vid. *Urſini* Grammat. Gr. p. 465.

Cichoreum non tribuendum erat Juvenali, quum Columellae ſit verſus, qui adfertur:

Cichorea, et teneris frondens lactucula fibris,

qui legitur lib. 10. v. 111. ubi tamen in Geſnerianis et aliis quibusdam exemplaribus expreſſum eſt,

Intiba, jam teneris frondens lactucula fibris.

Graece ſcribitur κιχώριον, et primam producit; auctoritate Nicandri Alexipharm. v. 429. qui tamen κίχορα ſcripſit: corripit vero apud Horatium l. 1. od. 31. v. 16. et primam et ſecundam, a κιχόρειον; quod Lexica quidem ignorant.

Dynaſtes, prima longa, numquam dixit Seneca. In verſu illius, quo Smetius utitur, pro *dynaſtas* alii legunt *divitias*, alii *divinat*. Δύναμαι certe, unde haec vox orta eſt, in prima breviter, quod Smetius non ignoravit. Ignoravit vero illud interpolator Smetii, qui et ſuum verſum addidit, quo *dynaſtes*, prima longa, in exemplum praeſcribitur.

Euripides antepenultima brevi, Sidonii exemplo probat. Rectius feciſſet, ſi Terentiani Mauri hexametrum poſuiſſet:

Fabula ſic Euripidis incluta monſtrat Oreſtem.

Hic enim docte ſecundam produxit, tertiam corripuit, quam Graecae linguae imperiti producunt. Secundam vero producendam eſſe, Priſcianus etiam docuit lib. 2. p. 582. quod ab *Euripus* dictus ſit *Euripides*, cujus penultimam omnes producte pronuntiant. At in *Euripides* frequentes eunt in alia omnia, in quibus et *Ricciolus*. Non ita Graeci, qui ſecundam producunt, tertiam corripiunt. Saepe id fecit Ariſtophanes, cujus unus verſus ſatis erit ex Ran. v. 67.

Εὐριπίδου, καὶ ταῦτα τοῦ τεθνηκότος.

Facile, ultima longa, Sereno Sammonico tribuit. Verſus vero Sammonici ita legendus eſt, et ita nunc, etiam ex recenſione Burmanni, legitur:

Qui facili potu antidotos imitatur honeſtas.

Neque ab ullo alio ſatis idoneo auctore ultima vocis producitur. Falluntur enim, qui ab Ovidio Remed. Amor. v. 44. id factum putant, quum ab Ovidio *facies* relictum ſit, non *facile*.

Iberes,

Iberes, *Iberibus*, Lucano tribuit, cujus citat hemiſtichion, *occurrat Iberibus alter*. Lucanus vero ſcripſit, *occurrat Iberis Alter*, ut jam antea ad Vechneri Hellenolexiam a ſe editam p. 25. dixit *Joh. Mich. Heuſingerus*, ex cujus *Diſſertatione de pervulgatioribus aliquot erroribus Grammaticis*, quae inter *Exercitationes Societatis Latinae, quae Jenae eſt*, Tom. I. publicatae ſunt Lipſ. 1741. 8. cuncta haec, quae ad Smetii Proſodiam heic adferuntur, mutuamur a p. 123—129. Nunc, praeter Servium, ita hunc verſum legiſſe etiam Iſidorum Hiſp. obſervo Orig. l. 9. c. 2. p. 1041. Gothofred. et P. Conſentium in arte p. 2021. Putſch.

Poſſis, ultima brevi, apud Juvenalem Sat. 5. v. 10. legi adfirmat. Quum vero *ſis*, ex *ſies* contractum, producatur; et I in *poſſimus, poſſitis* longum ſit, nec ipſum *poſſis* ab aliis Poetis, niſi productum adhibeatur: non ita incurioſus metricarum legum exiſtimari poteſt Juvenalis, ut illud corripuerit. Nec opus eſt conjectura, quum optimae fidei exemplaria non *poſſis* habeant, ſed *poſcis*.

Semiſopitus, antepenultima brevi, falſa Ovidii auctoritate deceptus, probat. Verſus Ovidii, quos erroris ſui duces habuit, ſunt ex epiſt. 10. v. 10. et l. 1. Amor. 14. v. 20. in quibus olim quidem librariorum vitio *ſemiſopitus* lectum conſtat. Id vero mendum a ſagacioribus Grammaticis jam pridem deprehenſum et ſublatum fuit, qui *ſemiſupinus* reſtituendum eſſe viderunt.

Temere ultimam producere, multum abeſt, ut unico Tertulliani verſu planum fiat. Veterum Poetarum optimus quisque ultimam elidit, non ita conſtanter id facturus, ſi producere liceret. Nec verum eſt, Ovidium l. 6. Faſt. v. 573. ſcripſiſſe,

Dum dea furtivos temere profitetur amores.

Timide enim reponunt Heinſius et alii meliorum. Novorum vero Poetarum exempla nihil moror, quae *Kirchnerus* in ſua *Proſodia* collegit, quum, quantum hi ſibi indulſerint, ex ceteris appareat. Eodemque loco et cacodaemonis, ſi credere licet, vulgatiſſimum illum verſum habeo:

Signa te, ſigna, temere me tangis et angis.

Non ſuo enim, ſed Monachi ore ille haec locutus eſt.

Hactenus *Heuſingerus:* qui etiam l. d. p. 126. de modulo ancipiti genitivi *appendicis* ea monet, quibus Smetium caſtiget, et me una cum Olao et Riccio in teſtimonium contra Smetium vocet. Sed quum in altera editione Lexici mei Antib. genitivi hujus penultimam pro ancipiti declarem; omittenda eſſe putavi verba Heuſingeri huc ſpectantia, quum mora illa celerior, quam Smetius huic genitivo adſerit, tolerari queat.

Willebrordi SNELLII *De re nummaria liber ſingularis.* Lugd. Bat. 1613. ex offic. Plantin. Raphelengii.

Guil. SOMNERI *Dictionarium Saxonico-Latino-Anglicum.* Oxonii 1659. fol.

Ezechielis SPANHEMII *Diſſertationes de praeſtantia et uſu numiſmatum antiquorum.* Romae 1664. Amſtel. 1664. 4.

 Editio

Editio ſecunda auctior ac numiſm. iconibus illuſtrata Amſt. ap. Elzivirios 1671. 4. Tandem novis magnisque acceſſionibus opus hocce locupletatum, et in duos Tomos in folio diviſum eſt, quorum prior Londini 1706, alter Amſtelodami 1717, lucem adſpexit publicam. Poſterior Tomus inſcribitur ſic: *Ez. Spanhemii Diſſertationum de praeſtantia et uſu Numiſmatum antiquorum Volumen alterum, in quod relatum eſt, quidquid pertinet ad illuſtrationem rerum Romanarum, opus poſthumum*, ed. *Iſaaco Verburgio*. Amſtelodami 1717.

Utilitatem, quam ex rei nummariae notitia capere licet, Illuſtris Auctor in hoc praeſtantiſſimo Opere ſuo ita demonſtravit, ut, judice *Andrea Morellio in Specimine rei nummariae p. 29*, nihil perfectius poſt eum ſperari poſſit. *Anſelmus Bandurius Bibl. Nummaria* p. 143, de Spanhemio verba faciens, *Hoc*, inquit, *an quisquam melius intellexerit, quantum utilitatis percipi ex veterum nummorum contrectatione poſſit, neſcio.* Eſt etiam hoc in opus non Criticarum minus, quam aliarum omnis generis obſervationum congeſtum. Praemittitur Praefatio de auctoribus omnis generis nummariis, editis atque ineditis.

Chriſtophori SPECCII *Praxis declinationum.* Norimb. 1706. 8.

Henrici SPELMANNI *Gloſſarium Archaiologicum, continens Latino-barbara, peregrina, obſoleta et novatae ſignificationis vocabula, ſcholiis et commentariis illuſtrata.* Londini 1626, 1687. fol.

Th. SPIESERI *Lexicon univerſale*, conſtans duobus Tomis. Noviſſimae editum Baſil. 1716. 8 maj.

Vocabula technica Latine reddit: locutiones autem veterum parca ſuppeditat manu.

Jacobi SPIGELII *Lexicon Juris civilis*, poſtremo auctum et recognitum Baſileae ap. *Johannem Hervagium* 1563. fol.

Brevior eſt *Schardio* et *Calvino*: *Calvinus* autem et *Schardio* et huic *Spigelio* valde praeſtat. Conf. ſupra *Calvinus* et *Schardius*.

Occaſio Lexici hujus concinnandi Spigelio haec fuit. Coeperat in gratiam fratris ſui, cui nihil denegare poterat, aliquot vocabula Jurisconſultorum ex auctoribus notae melioris colligere, brevibusque adnotatiunculis, quantum per otium licuit, exponere. Quam lucubrationem quum amici aliquot docti vidiſſent apud auctorem, non ſolum probarunt, verum etiam urgere coeperunt, ut pergeret, et Lexicon Juris Civilis detexeret. Itaque talium adhortatione virorum animatus hunc libellum congerere

coepit

coepit ſtudio accuratiori, nec omnino oſcitanter: nihil eo deterritus, quod res ſit in ſpeciem humilis; quum ſciret, laudatiſſimum legum interpretem Albenrichum Roſatum, Bergomatem, quem vulgato nomine Albericum nobiliſſimus illius temporis Juriſconſultus Andreas Alciatus ſubinde citat, huc ſe quondam demiſiſſe, voces Juris ut colligeret: tametſi vir ille infelicitate ejus ſaeculi ſui rem pro dignitate tractare non potuerit, nudas dictiones et adulterinas indicans magis, quam exponens, nec uſum earum apud latiniſſimos illos Juris conditores ſatis perſpectum habens: nam ea aetate bonae litterae etiam in Italia nullae erant, de veteri atque adeo propria ſua poſſeſſione in exſilium longinquum et transmarinum exterminatae: Graece vero ſciens, haeretici nomen vix effugiebat.

Praemittitur Lexico huic Spigeliano Index, in quo vulgaria quaedam verba et parum Latina ad puriſſimam veterum JCtorum conſuetudinem emendantur, ex ipſo Lexico collectus. Vocabula haec, quae ſic emendantur, maximam partem medii aevi ſunt, et uberiorem lucem fenerari poſſunt ex Gloſſario Freſniano.

Joh. Theodori SPRENGERI *Liber novus Juridico-Politico-Hiſtoricus de* Modico, *in quo tractatur, quid* Modicum *ſit, quotupliciter capiatur, quomodo praeſumatur, quales praeſumtiones generet, in quibus juris articulis curetur et negligatur, et quales tam in theoria, quam praxi, producat utilitates, Ex jure Divino, Canonico, Civili, Feudali et Receſſibus Imperii deductus.* Francof. ad Moen. 1658. 8.

Auctor heic latinitati elegantiori nihil inſervit, ſed non niſi latinitati forenſi. JCti in eo puriorem latinitatem ſequuntur, quoties *immodicum* capiunt pro *nimio*, et *modicum* pro eo, *quod intra modum ſubſiſtit*; quamvis poſterioris vocabuli ſignificatus auctor nulla ex Jure exempla adferat, quum tamen afferre, ut opinor, facile potuiſſet. *Modicum* enim et *parvum* exiſtimat in pandectis et alibi in jure pro uno eodemque ſemper ſumi, niſi quando etiam capiatur pro *minimo*, *levi*, *leviculo*, immo et *leviſſimo*. Agit 1. De deſcriptione *Modici*, quid modicum ſit, et quotupliciter capiatur. 2. De modico tempore. 3. De praeſumtione Modici, et in quibus praeſumatur. 4. Quales Modicum producat praeſumtiones. 5. In quibus articulis juris Modicum non curetur. 6. De modico tempore et in quibus articulis juris non curetur. 7. De ratione generali, quare Modicum non curetur. 8. De fallentia dictae regulae et in quibus Modicum curetur, ſecundum varias juris materias. 9. In quibus articulis juris modicum tempus curetur. 10. Quid modicum tempus operetur, et de illius effectu, et in quibus requiratur.

Jac. SPON *Recherches curieuſes d' antiquité, contenues en plusieurs Diſſertations, ſur des Medailles, Bas-reliefs, Statues Mo-*

ſaïques

ſaïques et Inſcriptions antiques; enrichies d'un grand nombre de figures en Taille douce. A Lion 1683. 4.

Auctor, magnus Graecarum Antiquitatum vindex, in itinere ſuo per Orientem nihil ferme tam avide inquiſivit, quam veterum ſtatuas, nummos et inſcriptiones, ac propterea magnam Inſcriptionum vim partim *Itineri ſuo* i. e. Itinerario litteratiſſimo, in quo etiam multae Graecae Inſcriptiones referuntur: cui in ſupplementum *Georgii Wheleri*, quem comitem itineris Sponius habebat, *Itinerarium* addi meretur: partim *Curioſae huic Antiquitatum Inveſtigationi* inſeruit. Idem *Sponius Supplementum* quoque *Gruterianum* edidit Lugduni 1679. fol. quod et 1683 recuſum eſt, atque inſcribitur *Miſcellanea Eruditae Antiquitatis:* quibus ſecundum quoque Tomum 1685. fol. adjecit. Atque in his *Sponii Miſcellaneis* Marmora, Statuae, Maſſiva, Toreumata, Gemmae, Numiſmata, Grutero, Betiſardo, Urſino, Reineſio, aliisque antiquorum monumentorum Collectoribus ignota et huc usque inedita referuntur atque illuſtrantur. Conf. ſupra *Reineſium.*

Joh. STARKII *Theſaurus Epiſtolaris locorum et formularum.* Hamburgi 1621, 1646. 8.

Vide de eo Walchium in Hiſt. Crit. Lat. ling. 144. editionis recentiſſimae. Scripſit etiam *Starkius Inſtitutionem Philologicam et Rhetoricam de Stilo, Hamburgi 1621. 8.* Item *Iſagogen de ratione et artificio ſcribendi Epiſtolas,* Luneburgi 1619. 8.

Chriſtoph. Erneſti STEINBACHII *Lexicon Germanico-Latinum*, II Tomis, cum Praefationibus et Auctoris et *Joh. Ulrici Königii.* Vratisl. 1734. 8 maj.

Locutionum affatim habet; at ſine indicio, unde ſingulae ſint deſumtae. Germanico potiſſimum Lexico adornando operam ſuam dicarat Auctor. At, quum exterorum in gratiam non commodiori lingua voces et formulas Germanorum interpretari, quum Latina, poſſet; fecit id ea ratione, qua et multum prodeſſe poſſit ornando ſermoni Latino. Ediderat autem jam antehac *Lexicon Latino-Germanicum ſecundum methodum Grammaticae ſuae elaboratum. Vratisl. 1725. 8 maj.*

Caroli STEPHANI *Dictionarium Hiſtoricum, Geographicum, Poeticum: gentium, hominum, deorum gentilium, regionum, locorum, civitatum, fluviorum, ſinuum, portuum, promontoriorum ac montium, antiqua recentioraque, ad ſacras et profanas hiſtorias Poetarumque fabulas intelligendas neceſſaria nomina, quo decet, ordine complectens, recenſuit, ſupplevit, locisque paene infinitis emacula-*

culavit Nicol. Loydius. Oxonii 1587, 1670, 1686. fol. Genevae 1633, 1650, 1652, 1660. 4. Urſellis 1601. 8 maj.

Auctori potiſſimum ſubſervilt *Abrahami Ortelii Theſaurus Geographicus.* Etiam *Ph. Ferrarius* hujusmodi ſyllogen edidit Geographicam.

EIVSDEM *Theſaurus Ciceronianus.* Pariſ. 1556. Confer ſupra, quae dicuntur ad *Nizolium.*

EIVSDEM *Latinae linguae cum Graeca collatio, ex Priſciano et probatiſſimis quibusque auctoribus.* Pariſ. 1554. 8.

EIVSDEM *Principia* ſive *Prima linguae Latinae Elementa.* Pariſ. 1557. 8.

EIVSDEM *La Maniere d'exercer les Enfans à decliner les Noms et les Verbes Latins.* Pariſ. 1559. 8.

Henrici STEPHANI *Lexicon Ciceronianum Graeco-Latinum,* et *Caſtigationes in Ciceronem.* Ex ejusdem officina, Pariſ. 1557. 8.

De hoc Lexico Ciceroniano, ejusque praeclaro uſu ad interpretandos Latine ſcriptores Graecos adire juvabit *Richardi Simonis Bibliothecam ſelectam* Gallice editam, Tomo 1. Cap. 7. *Caſtigationes in Ciceronem* ſeparatim exierunt Pariſ. 1557, 1558, 1578. 8. Profectae autem ſunt partim ex ingenio, partim ex vetuſtiſſimo et emendatiſſimo exemplari MS.

EIVSDEM *Admonitio de abuſu Graecae linguae in quibusdam vocibus, quas Latina uſurpat.* Ex ejusdem officina, Pariſ. 1563, 1573. 8.

EIVSDEM *De Lipſii Latinitate.* Francof. 1595. 8.

Lipſius primo aetatis ſuae tempore eleganti et copioſo ſcribendi genere utebatur; ſenior factus atque aetate provectior, longe aliam, preſſiorem, conciſam, atque acuminibus et adagiis refertam, ac Poetarum hemiſtichiis et Graecorum ſententiolis ſcatentem dicendi formam, praecipue in epiſtolis, prae ſe ferebat. Hic ſtilus Lipſianus non modo *Taubmanno* et *Benjamino Priolo*, qui in Opere ſuo Hiſtorico ineptiſſime eum exprimere ſtuduit, videbatur aliquid vividi et ſucci plenum habere, ſed etiam multis ſciolis tum inter noſtrates, tum etiam inter Batavos et Gallos ita placebat, ut κακοζηλίας vitio ineptirent, et naevos Lipſii potius, quam id, quod vere elegans in eo erat, ad imitandum ſibi proponerent. Quin ipſe Lipſius ridebat ineptos hos ſui imitatores, praeſertim quum intellexiſſet, ex ſua certorum verborum congerie et abſtruſioribus locutionibus ex ſcriptis ipſius excerptis tot fieri centones apud eos, qui ſe ita exiſtimarent eſſe ornatiſſimos. Putant etiam non nulli, niſi *Scaliger* huic novo dicendi generi obvium iviſſet, hanc *Lipſianam latinitatem* non exiguum detrimentum

tum elegantiori litteraturae adferre potuiſſe. An autem *Henricus Stephanus* in hoc ſuo *de Lipſii latinitate libro* verae latinitatis cauſam contra Lipſii praepoſteros imitatores magnopere egerit, nemo facile, pervolutato hoc ejus libro, dixerit. Immo vero, quia in hoc libro nil fere aliud, niſi bellum contra Turcas, inculcat; eruditi prorſus divinare nequiverint, quid ſibi voluerit Auctor hac inſcriptione libri ab argumento prorſus aliena; ut per jocum deinceps librum inſcriberent *Henrici Stephani de Latinitate Lipſiana adverſus Turcas;* ac *Morhofius* lib. *de conſcribendis epiſtolis* p. 49. ita de eo non dubitaret pronuntiare: *Latinitatem Lipſii integro quidem libro impugnavit Henricus Stephani. Sed ipſe vir exigui judicii; quod vel ex ipſo libri titulo apparet: interim nec plane omnia ſpernenda.* De *Bertilio Canuto, Dano*, *Erycio Puteano*, *Petro Grutero*, ridicule admodum ſtilum Lipſianum imitantibus, vide quae *Morhofius* libro modo dicto p. 17. et ſeq. adfert.

EIVSDEM *Oratio adverſus* Vbertum Folietam. Francof. 1594. 8.

EIVSDEM *Virtutum encomia ſ. Gnomae ex Poëtis et Philoſophis utriusque linguae, ab ipſo excuſae.* 1573. 12.

EIVSDEM *De latinitate falſo ſuſpecta.* Ex officina ejusdem, Pariſ. 1576. 8.

Vorſtius hoc opuſculum ſubinde in conſilium vocaſſe videtur. Vt *Vorſtius* ſub eodem titulo Latinae linguae cum Germanica convenientias notavit; ſic ante Vorſtium hic auctor LL. cum Gallica ſua vernacula συμφωνίαν civibus ſuis cognoſcendam dedit.

EIVSDEM *Appendix ad M. Terentii Varronis adſertiones analogiae ſermonis Latini.* Pariſ. ex officina ejusd. 1591. 8.

EIVSDEM *De Plauti latinitate Diſſertatio, et ad lectionem illius Progymnaſmata.* Pariſ. ex offic. ejusd. 1578. 8.

EIVSDEM *Schediaſmatum variorum* i. e. obſervationum, emendationum, expoſitionum, disquiſitionum libri III. Pariſ. ex offic. ejusd. 1578. 8.

EIVSDEM *Schediaſmatum alii libri II.* Pariſ. ex offic. ejusd. 1589. 8.

Hae binae Schediaſmatum ſyllogae inſertae etiam ſunt *Lampadi Gruterianae*, et quidem Tomi V. Supplemento.

EIVSDEM *Nizolio-Didaſcalus*, ſive *Monitor Ciceronianorum Nizolianorum.* Pariſ. ex offic. ejusd. 1578. 8.

Multas Nizolii hallucinationes caſtigat. Liber autem eſt difficulter hodie comparandus.

EIVSDEM *Dialogus* Pſeudo-Cicero *dictus*. Pariſ. ex offic. ejusd. 1567, 1577. 8.

Perſtringit litterariam illam ſuperſtitionem hominum, nihil, quod Ciceronianum non eſſet, approbantium, nec ſolum de multis ad Ciceronis ſermonem pertinentibus, ſed etiam quem delectum editionum ejus habere, et quam cautionem in eo legendo adhibere debeat, lectorem monet.

EIVSDEM *De linguae Graece ac Latinae vera pronuntiatione Commentarii doctiſſimorum virorum.* Pariſ. ex offic. ejusdem 1587. 8.

Exhibet integrum corpus auctorum, hanc materiam evolventium.

Roberti STEPHANI *Dictionarium* ſeu *Latinae linguae Theſaurus, non ſingulas modo dictiones continens, ſed integras quoque Latine et loquendi et ſcribendi formulas, ex Catone, Cicerone, Plinio Avunculo, Terentio, Varrone, Livio, Plinio Secundo, Virgilio, Caeſare, Columella, Plauto, Martiale: cum Latina Grammaticorum, tum varii generis ſcriptorum, interpretatione.* Primum hic Theſaurus prodiit Pariſ. 1531. dein 1536. fol. Tomis II. Ingenti acceſſione auctus Tomis III. Pariſ. 1540. it. 1542: et ibidem 1543, ſed non niſi Tomis II. Deinde a Mario Nizolio emendatius impreſſus prodiit Venetiis: tum Tomis IV. Lugd. Gall. 1573 repetitus per Philippum Tinghyum Florentinum locupletior, ut jactatur, et juſtis additamentis illuſtris; ſed demta tamen male Auctoris Praefatione, in qua ſuos adjutores, decem viros doctiſſimos, *Tuſanum, Budaeum, Baifium*, alios, enumeraverat; nec magnopere aucto obſervationum numero, quicquid etiam ex Turnebo, Boccatio, Leoniceno, Valla, Gyraldo, Lambino, Pierio, Budaeo, Glareano, cet. additum praetexatur. Recuſus poſtea eſt etiam Baſil. 1576. et 1613. Deinde etiam Tomis III. Argentorati 1604. Prodiit etiam Tomis V. cum augmentis et animadverſionibus *Ant. Birrii*, Londini 1734: ac Tomis IV. repetitus ibidem anno ſubſequenti 1735. Et ad hunc poſteriorem modum, quatenus nempe in IV. Tomos diſtributus eſt, recuſus exiit Baſileae 1740, 1741 et 1745. Prodiit etiam proxime in IV Tomos iterum diviſus, Lipſiae ſum-

ſumtibus Caſpari Fritſchii, novis inſtructus copiis ab *Joh. Matthia Geſnero*, Academiae Göttingenſis Philologo, ſub hoc titulo: *Novus Linguae et eruditionis Romanae Theſaurus poſt Rob. Stephani et aliorum, nuper etiam in Anglia, eruditiſſimorum hominum curas, digeſtus, locupletatus, emendatus et Georgio II. Defenſori Fidei et Pacatori orbis, Bibliothecam Academiae ſuae Georgiae Auguſtae, quae Göttingae eſt, inviſenti, devoti animi pietate oblatus a. d. 30 Iul. 1748 a Joh. Matthia Geſnero. Eloq. et Poëſ. P. P. et Acad. Bibliothecario.*

Theſaurus hic ſtupenda cum induſtria conſtructus eſt, nec habet parem. Robertus duodecim integros annos ei impendit. Omnes reliqui Lexicorum auctores in hoc opus quaſi conſpirarunt: nam tamquam ad prandium paratum venerunt, non ſuis laboribus opus alienum exornaturi, ſed ſubmoto Auctoris nomine ſuum impudentiſſima audacia repoſituri. Ita *Curio Forum* ſuum *Romanum*, *Trebellius* ſuum *Promtuarium*, *Wendelinus* ſuam *Medullam*, *Doletus* ſuos *Commentarios*, et alii non nulli ſuos *Theſauros* inde concinnarunt, callide ſuppreſſo veri hujus Auctoris, unde ſua exſcripſerunt, nomine. Alii, ne nihil omnino in hoc opere recuſo viderentur egiſſe, auctius id, et, ſi dis placeret, emendatius procudere adnitebantur, intruſis vocibus et loquendi modis, qui, a genuina latinitate alieni, prius a *Stephano* ob id ipſum repudiati fuerant. Habet tamen hic *Roberti Theſaurus* ſuos nihilominus defectus: ſaepe enim ex corruptis Auctorum exemplaribus loca non ſana adferuntur: multa quoque *κακοφάματα* in loquendi formis occurrunt; quae, ſi quid judico, in hunc usque diem poſt tot praeſtantiſſimorum virorum labores non dum ſublata cuncta ſunt: ſed tamen ob locutionum copiam et accuratam diſpoſitionem quam maxime eminet, et facem quaſi omnibus reliquis hujusmodi libris huc usque praetulit.

Paullo copioſius accuſat defectus, quibus hic Stephani Theſaurus laborat, *Olaus Borrichius in Appendice de Lex. Lat. et Gr. p. 43. ſeqq. Robertus Stephanus, inquiens*, decem eruditorum hominum opera et ex auctoribus optimis proſis vorſisque excerpendi labore uſus *Theſaurum L. L.* procudit, a *Caelio Gurione* poſtea *Fori Romani* titulo, et a *Theodoſio Trebellio*, titulo *Promtuarii*, ſuppreſſo veri auctoris nomine, orbi magnifice expoſitum; quem ad noſtram quoquo aetatem gens docta amat, intuetur, conſulit, tamquam Statuam Mercurialem. In hoc tamen tam pulchro corpore, ut nec deeſſe credunt ſuas maculas ſoli, naevi quidam latent, nec ii parum deformes; qui quo paucioribus hactenus vel obſervati ſunt, vel publice attacti, hoc mihi erunt ſtudioſius liberiusque in gratiam tironum nominandi, excutiendi. Et quidem *principio*, dum auctores, quibus totum aedificium innititur, forſan non optime in perfectos et imperfectos diſtribuit, inelegantibus et imperfectis, ſed proficientibus Plautum et Terentium improvide adnumerat, perfectis et elegantiſſimis Varronem, Salluſtium, Catullum, imperfectis autem et deficientibus Columellam, Lucanum,

canum, Senecam, Tacitum, Plinium utrumque, Curtium, Quintilianum. *Secundo*, infinita deſunt ad accuratam et abſolutam Latinae linguae cognitionem neceſſaria: enimvero certum eſt, alios auctores Latinos, vivo adhuc Stephano publicatos, vel ab ipſo perfunctorie tantum excuſſos, vel ne tentatos quidem; alios, ex quo vivere deſiit, in lucem prodiiſſe, aut plane novos, aut longe emendatiores auctioresque. — — Agnoſces etiam, quos crebrius laudat, non attentiſſime perluſtratos eſſe; hinc nihil facilius, quam demonſtrare ex Catone, Hirtio, Perſio, quaedam transmiſſa; ex Plinio, Caeſare, Vitruvio, Plauto, Tacito, Catullo, Seneca multa; ex Gellio et Macrobio plurima, et ea duntaxat vocabula. Quodſi etiam ad loquendi formulas deſcendendum, jam ſe ubique maria oſtendent. Quae quum ita ſint, non ſatis adſequi poſſum, quid in mentem venerit Leodegardio Grimaldo, quum admirari ſe ſcribit, tot tantasque linguae Latinae in Foro Romano divitias; ita enim plenum copiae cornu in eo ſe Theſauro omnibus locis animadvertere, ut nihil addi poſſe, nihil ſupervacuum videatur. Prudentius longe *Robertus Conſtantinus*, ut qui *Supplementum linguae Latinae 1573.* ediderit, quamquam nec illud ab omni parte beatum. *Tertio*, non multis urgebo, quod apud Mariangelum Groſippus, varia in editionibus, quibus uſus eſt Robertus Stephanus, oppido eſſe mendoſa, adjectiva pro ſubſtantivis adverbiisque non raro obtrudi, derivata ſuis primitivis non attexi, nec ſimplicibus compoſita; ſed id ſolum adjiciam, auctorum ſententias phraſesque praeſertim dubiae ſignificationis raro explicari, proinde ambiguum allegatorum ſenſum variis interpretationibus patere, immo lectorem in ſuſpenſo relinqui, unde varii lapſus et fluctuationes. Hactenus Olaus: cujus accuſatio, quam ſuper hoc praeſtantiſſimo ceteroquin opere inſtituit, an etiam poſt Birrii augmenta et emendationes locum habere amplius eodem jure queat; it vero judicent illi, quibus facultas et otium hoc ipſum inquirendi ſuppeditat.

Sunt etiam inter eruditos, qui *Forum Romanum* et hunc *Stephani Theſaurum* pro uno eodemque opere habent. Sed *Forum Romanum* non magis eſt *Stephani*, quam *Promtuarium*. *Forum Romanum* a *Curione*, et *Promtuarium* a *Trebellione* proficiſcitur.

EIVSDEM *Dictionarium nominum propriorum, virorum, mulierum, populorum, idolorum, fluviorum, montium, ceterorumque locorum, quae paſſim apud melioris notae auctores leguntur.* Pariſ. ap. eumdem 1535. Colon. Agripp. 1576. Lugd. Bat. 1624. 8.

Hunc librum tironibus non minus, quam aliis litteratis utiliſſimum eſſe judico, utiliorem etiam futurum, ſi viri docti alicujus manus accedat, quae adjiceret et interpolaret ea, quae deeſſe videntur, ac dilataret etiam, quae non nulla imperfectione laborant ac nimis conciſe prolata ſunt. *Torrentini* tamen *Elucidarium Poëticum* multis paraſangis poſt ſe relinquit.

EIVSDEM *Hebraea, Chaldaea, Graeca et Latina nomina virorum, mulierum, populorum, idolorum, urbium, fluviorum,*

montium, ceterorumquae locorum, quae in Bibliis leguntur, reſtituta, e Latina interpretatione. Pariſ. 1537. ex off. Rob. Steph.

Stephani Johannis STEPHANII, Eloquentiae in Regia Academia Sorana Profeſſoris, *Colloquia Familiaria in libros IV. diviſa, et ſuperiorum juſſu pro Scholis Patriis adornata, nuncque in uſum juventutis ſcholaſticae Halenſis edita.* Editio ſecunda auctior et correctior, Halae Saxonum 1666. 8.

Inſtitutum Auctoris ad ſalutarem ſcopum tendit, quem tamen, pro verae rectaeque latinitatis ratione, beneficio libelli hujus nemo, opinor, adſequetur: ne quid dicam de via nimis longa, et quae per tot anfractus vix aut ne vix quidem duxerit in Latium. Magna enim ſtili diverſitas in hoc libello regnat pro diverſitate auctorum, unde verba verborumque nexum Stephanius noſter mutuatus eſt. Puto tamen, librum propterea non penitus contemnendum eſſe: utilitatis enim non nihil adferre poſſit ejus lectio homini, qui jam robur aliquod in emendate dicendi ratione fecerit, et exſpatiari, ſtudiorum ſuorum curſu ſic exigente, velit ac debeat ad ea, quibus exprimendis unus Cicero ejusque aequales haud videantur ſufficere. Sed pueris hunc librum in ſcholis proponere, ut inde genuinae latinitatis opes arceſſat, id vero ἄτοπον eſſe cenſeo. Quod quidem eo minus in dubium vocabimus, ſi diverſos videamus fontes, unde cuncta haec, quae liber complectitur, fluxere quaſi in unum. Nimirum *Colloquia non nulla libri I. quae de Deo, et divina Providentia, de Angelis, de Religione, de Dignitatibus Eccleſiaſticis, de Templis et feſtis diebus Chriſtianorum agunt*, phraſin mutuantur ſuam ab antiquis Theologis, quos ex veneratione Patres nuncupamus, Tertulliano, Arnobio, Cypriano, Lactantio, Minucio Felice, Salviano, Auguſtino, Hieronymo, aliis. *Colloquia* vero *ejusdem libri, de Diis gentilium, de Tempore, de Mundo, coelo, elementis, de Terra, de Metallis, de Gemmis*, ex Tullio, utroque Plinio, Petronio Arbitro et Macrobio ſe ditarunt. Ad *ſecundum librum* quod attinet, *ejus Colloquium primum de Homine, una cum ſequenti de Vita humana*, ex Seneca, Plinio et Petronio Arbitro; *Colloquium tertium de Anima ejusque facultatibus, et quartum de Affectibus*, ac *quintum de ſenſibus*, ex Plauto, Terentio, Cicerone, Seneca, Plinio; *Colloquium ſextum de Partibus humani corporis ac membris, et, quae eo pertinent, loquendi formulis*, potiſſimum ex Cicerone, Quintiliano et aureo libello Lactantii de hominis Opificio; *ſequentia* denique *de Animalibus, Feris, Avibus, Piſcibus, Serpentibus atque Inſectis*, ex Plinio praeſertim, ac Rei Ruſticae ſcriptoribus, Varrone, Columella, Palladio, et Catone ſe locupletarunt. *Maximam* quoque *partem tertii libri a Colloquio primo usque ad octavum*, quod *de Coloribus eſt*, iidem ſibi auctores vindicant. *Reliqua* vero *de Aedificiis, de Re navali, de Supellectile, de Armis, de Re militari, de Re luſoria, de Architectura, de Re nummaria, de Re libraria et de Muſica*, ex Vegetio, Aeliano, Frontino, Vitruvio, Auctoribus finium regundorum, ſed praecipue ex Jul. Caeſare,

Gellio,

Gellio, Macrobio, Valerio Maximo et Marciano Capella depromta ſunt. Ad Vltimum, *libri quarti Colloquium primum pariter ac ſecundum de morbis et vitioſi corporis affectionibus*, Cornelio Celſo, Plinio, Scribonio Largo, Q. Sereno Sammonico; *et quae ſequuntur ad finem usque*, rurſus Gellio, Macrobio, Capellae, Aſconio Pediano, et antiquis JCtis accepta ſua referunt. Adhibiti etiam paſſim ſunt Philologi recentiores, Juſtus Lipſius, uterque Scaliger, Caſaubonus, Cujacius, Budaeus, Hotomannus, Meurſius, Puteanus, Lazarus Bayſius, et hic praeſertim de Re veſtiaria et navali, Barnabas Briſſonius, Joh. Roſinus, Fernelius, Friſchlinus, Gruterus, Salmaſius, Bulengerus et alii. Multa etiam translata ex Colloquiis Eraſmi Roterod. Ludovici Vivis, Angeli Politiani et Jacobi Pontani.

Godeſcalci STEWECHII *De particulis linguae Latinae*. Coloniae Agrippinae 1580, 1581, 1616, 1617. 8. Proſtat etiam inter *Scriptores ſelectos, qui de elegantiori latinitate comparanda ſcripſerunt, a* Richardo Ketelio *editos Amſt. 1713. 4:* et in *Theſauro cultae latinitatis adornato per clariſſimos L. L. obſervatores, edito a* Joh. Verwey, *Gudae 1701 et 1703. 4.* ubi ultimum locum occupat.

Ex hoc opuſculo Turſellinum locupletavit *Jacobus Thomaſius.*

Joh. STIGELII *Oratio de informatione ſtudii puerilis ad eruditionem.* Jenae 1556. 4.

M. Joh. Chriſt. STOCKHAVSEN *Commentarius, quo Latinae linguae in rep. litteraria hodierna neceſſitas pariter, atque media quaedam perbrevi temporis ſpatio ad illius facultatem ducentia, at vulgo neglecta, demonſtrantur.* Marburgi 1747. 4.

Joannis Chriſtophori STORKAV *Latinitatis ſcopuli, tam in ſcriptorum barbarie, quam rancida antiquitate paſſim obvii.* Oſterodae 1668. 12. Iterum editi 1671; ubi accedit *Latinitas ſuſpecta in centum vocabulis.*

Libellus hic e *Schoro*, *Buchlero*, *Nieſſio*, *Schotto*, *Voſſio*, *Stephano* et *Laurenbergio* conflatus eſt, et, quemadmodum alia hujus generis et aetatis ſcripta, ex recentiorum, ut *Cellarii*, *utriusque Borrichii*, aliorumque obſervationibus heic atque illic emendari debet.

EIVSDEM *Romanae dictionis floſculi ex amoeniſſimis campis claſſicorum ſcriptorum in adoleſcentiae uſum collecti.* Oſterodae 1675. 12.

EIVSDEM *Paroemiae Graecae Latinae et Germanicae.* Oſterodae 1668. 12.

EIVSDEM *Particularum uſus.* Oſterodae 1668. 12.

EIVSDEM *Latinae linguae Auctores in aciem ordinemque pro dignitate digeſti, cum brevi atque accurata doctiſſimorum virorum cenſura.* Oſterodae 1685. 12.

EIVSDEM *Excerpendi Methodus, in qua plurima barbara deculpantur, rariora explicantur, Particularum veneres Phraſiumque elegantiae laudantur, falſo ſuſpecta notantur, Helleniſmi quoque et paroemiae complures adferuntur, auctorumque aetates diſtinguuntur, et ſimul Manuductio ad puriorem ſtilum commonſtratur, cum Epimetro de Imitatione.* Hildeſiae 1671. 12.

Quicquid in antecedentibus libellis Auctor collegit, id conjunctim heic tradere voluiſſe videtur, quamvis hoc plane diſſimulat, et ne γρῦ quidem de eo affert tum in Dedicatione, tum in Praefatione ad Romanae dictionis cupidos adoleſcentes.

Jacobi de STRADA *Epitome Theſauri Antiquitatum h. e. Imperatorum Rom. Orientalium et Occidentalium Iconum ex antiquis numiſmatibus delineatarum.* Tiguri 1557. 8.

Liber infrequens.

Johannis STRAVCHII *Lexicon Particularum juris.* Francof. et Jenae 1671: item Jenae 1684, 1719. 4.

Non ſolum in uſu forenſi locum habet, ſed etiam in politiori litteratura paſſim aliquid ſuppeditat, quod ad illuſtrationem linguae Latinae facere poſſit. In Praefatione agit *de utilitate etymologiarum in Jurisprudentia*, ac ſpeciatim docet, *JCtos ad imitationem Stoicorum de vocum originibus rationibusque cognoſcendis admodum fuiſſe ſollicitos.* Ad calcem accedit *Alberti de Pergamo Tractatus de Praepoſitionibus.*

Jac. Ludov. STREBAEI *De Electione verborum et oratoria collocatione libri II.* Colon. 1540, 1582. 8. *Jovitae Rapicii De numero Oratorio libris* juncti, Colon. 1632. 8. Prodiit etiam Baſil. 1539, 1540. 8.

Quae ad numerum linguae Latinae, tam in proſa, quam in ligata oratione, ſpectant, magno conatu et diligentia exponit. Eſt ceteroquin hic *Strebaeus* inter *Ciceronis Commentatores* unus eorum, qui excellunt, is *cujus* ſcilicet *libros de Arte Rhetorica* et *de Perfecto Oratore* ſcripſit.

Litterae aemulantur certas hominum actiones. Ita v. g. L, quae molle quid continet, eſt adulatorum; M, ut durior, inſervit magnificis et rebus gran-

grandibus; N tinnulum ſonat; R, littera canina, rebus aſperis et horridis exprimendis accommodata eſt; S, ſibilum concitat. Porro, ut ad vocales tranſeam, A terrendi; E querendi notas continet; I rerum eſt exilium; O magnarum, ſubtilium et inexſpectatarum; V obſcurarum et occultarum. Eſt etiam, ubi aſper datur litterarum concurſus; eſt contra, ubi mollis et fluidus apparet. Latet etiam aliquid in ſyllabarum nexu. Vbi monoſyllaba regnant, ſalit ſtilus: breves ſyllabae continuatae velocius quaſi volant: continuatae longae tarditatem rei repraeſentant. Temperare haec pro rerum natura, eſt ſagacitatis: ad quam perficiendam canones adfert ſuggeritque praecepta quam plurima tum Strebaeus, tum Rapicius.

Burc. Gotth. STRUVII *Bibliotheca numiſmatum antiquiorum.* Jenae 1693. 12.

Vide ſupra *Laurent. Begerum.*

M. Andreae STÜBELII *Latiniſmus in nuce:* ſive *Nova, compendioſiſſima et memoratu facillima Grammatica Latina. Das iſt: Die ganz kurzgefaſste Lateiniſche Sprach-Kunſt, auf eine neue, ſehr leichte und dem Gedächtniſs dienliche Art, mit geringer Mühe und kurzer Zeit beyzubringen; nebenſt Proſodia und Syntaxi ornata, vermehret und verbeſſert.* Quartum edita Lipſiae 1711. 8.

Dici non poteſt, quam concinna brevitate Auctor multa complectatur: ſexaginta enim paginis cuncta abſolvit, quae pertinent ad linguae Latinae rudimenta, nec quicquam praetermittit, quod majoris momenti videatur eſſe, nimiae in ſyntaxi ἀκριβείας, ut quam prima aetas non dum capere poteſt, incurioſus, enucleate interim plane ac diſtincte omnia exponens.

M. Johannes STÜBNERUS *De Auctoribus ad cultum ſtili neceſſariis.* Onoldi 1694. 12.

Johannis STVRMII *De Imitatione Oratoria.* Argentorati 1574. 8.

EIVSDEM *De Periodis liber.* Jenae 1727. 8.

EIVSDEM *Inſtitutiones litteratae ſ. de diſcendi et docendi ratione.* Tomus I. et II. Thorunii Boruſſiae 1586. et Tomus III. ibidem 1588. 4. prodiit.

EIVSDEM *De amiſſa dicendi ratione, et quomodo ea recuperanda ſit, liber.* Argent. 1582. 8.

EIVSDEM *Libri IV. de univerſa ratione elocutionis Rhetoricae.* Argent. 1576. 8.

Hi libri Sturmiani eam laudem merentur, quae impertiri debet libris hoc in genere praeſtantiſſimis. Scripſit etiam Sturmius, noſter Germanorum Cicero, et totius fere Europae in arte dicendi magiſter *De litterarum ludis recte aperiendis;* it. *de Educatione Principis* valde ſapienter aliaque de inſtitutione ſcholaſtica opuſcula, quae conjunctim edidit Halbauer Jenae 1730. 8.

EIVSDEM *Linguae Latinae reſolvendae ratio.* Argent. 1581. Denuo edita a *Jo. Georg. Joch,* Jenae 1704. 8.

Continet egregia conſilia, quibus uti debent, qui Latinae linguae ducuntur ſtudio, praeſertim qui eandem docere et illuſtrare cum fructu volunt. Caput duodecimum i. e. ultimum reliquis antecedentibus magnitudine praeſtat: rationem quippe inſtituendae analyſeos indicat exemplo illuſtri, quum Orationem Ciceronis pro Domo habitam ex ſuo ipſius praeſcripto illuſtret.

EIVSDEM *Lexicon trilingue.* Argentorati 1586, 1587, 1590, 1609, 1611. fol.

Collectum et concinnatum eſt ex *Rob. Stephani Theſauro* et *Joh. Friſii Dictionario* a diſcipulis Sturmii, ſub auſpiciis ac moderatione praeceptoris hujus, ac magni Latinae linguae vindicis et adſertoris; cujus inſtitutis ac conſiliis utinam obſequeremur in hunc usque diem. Luculentam autem *Sturmius* operi huic Praefationem praemiſit.

EIVSDEM de *Inſtitutione ſcholaſtica opuſcula omnia* edidit conjunctim *D. Frid. Andr. Hallbauer.*

Joſephi Mariae SVARESII *Diſſertatio de numiſmatis et nummis antiquis.* Amſtel. 1683. 12.

Caſpari SVEVI *Elegantiae latinitatis Caeſareanae ex commentariis Jul. Caeſaris collectae.* Witteb. 1568. 8.

Huberti SVSANNAEI *Connubium Adverbiorum Ciceronianorum* i. e. *Elegans Adverbiorum applicatio et mirificus uſus ex omnibus Ciceronis operibus ordine Alphabetico demonſtratus, locis unicuique adſignatis.* Pariſ. 1545, 1548. Lugd. 1584. Argentor. ad calcem Phraſium Steph. Doleti cum praef. *Joh. Sturmii* 1585, 1596, 1610, 1676. 8.

Confer, quae adnotavimus ad *Doleti Formulas;* it. ad *Tiguli Epithetorum Oratorium Farraginem;* it. ad *Godeſcalci Latini Sermonis Obſervationes.* Cum hoc *Suſannaei Connubio* congruit etiam *Franciſci Clementis Organum Ciceronis epirrhematicum* etc. de quo ſupra. In Praefatione Suſannaeus promittit *Epitheta Ciceroniana,* quae utrum prodierint, ignoramus. *Iſraël Spachius* in *Nomenclatore* ſuo *Philoſophico* nominat *Hub. Suſannaei Proverbiorum Ciceronianorum Connubium;* qui

qui error eſt, et a *Martino Lipenio* quoque tranſſumtus: non enim de proverbiis, ſed adverbiis liber ille agit.

Nicolai SVSII *Lima Ciceroniana.* Antw. 1620. 8. Cum *Nicolai Vernulaei* Libris III. de arte dicendi una cum praxi Rhetoricae, ac Topicis libris II. Jenae 1631. 12.

Satis bella ſatisque ſolida de charactere dicendi ac de ſtilo praecepta tradit.

Euſtathii SWARTII *Analectorum libri III, in quibus innumera Graecorum et Latinorum Auctorum loca emendantur et illuſtrantur.* Lugd. Bat. 1616. 4.

Friderici SYLBVRGII *Etymologicum magnum*, ſeu *Magnum Grammaticae penu.* Heidelbergae ex officina Commelini 1594.

In numero eſt Grammaticorum eorum, qui rectiora docuerunt. Doctrinae et induſtriae laudem maxime meruiſſe videtur *Voſſio* Ariſtarcho p. 15. Edidit Sylburgius etiam *Apollonii Alexandrini de Syntaxi libros IV.* Graece et Latine, opus rarum et praeſtans, Francof. 1590.

Franciſcus SYLVIVS: vide ſupra *Silvium.*

Joannis SYNTHIS *Compoſita verborum.* Colon. 1507. 8 maj.

Auctor vim ac poteſtatem ſingulorum compoſitorum metrice exponit, adjecta ubique explicatione uberiore in proſa. Ad calcem libri haec leguntur verba: *Finiuntur compoſita verborum* Joannis Synthis *omnibus volentibus virtutes terminorum noſcere ſumme neceſſaria, impreſſa Coloniae in officina ſalutiferae memoriae Henrici Quentell anno Dominico MCCCCCVII, ad finem Maji.*

G. TACHART *Dictionarium Latino-Gallicum.* Pariſ. 1693, 1699. 4.

P. Guil. TACHARD *Lexicon Latino-Belgicum.* Dordraci et Amſt. 1725. 4.

Samuel Pitiſcus Praefationem addidit lectu digniſſimam.

Friderici TAVBMANNI *Diſſertatio de lingua Latina, cum Epiſodiis de veteramentario Poëtarum ſutore et larvis laureatis.* Witteb. 1602, 1606, 1609. 8.

Adſerit, ſtudium linguae Latinae adeo eſſe neceſſarium, ut eo carere nulla hodie poſſit liberalis doctrina; linguam Latinam vinculum quoddam gentium in Europa videri, divina providentia coelitus demiſſum; lingua-

rum et potiſſimum Latinae beneficio fieri, ut Principes magna curare poſſint negotia; ſe hoc ipſo deliramenta loqui videri poſſe, ſed qui rem ipſam et cauſas, cur ita ſentiat, cum judicio expendat, eum longe aliter exiſtimaturum; ſtudium et cognitionem Latinae linguae accuratam requiri, teſte Cicerone, in Bruto ſuo, digno, qui totus ab omnibus, qui eloquentiae ſtudio ducantur, perlegatur; verba eſſe notas rerum, hoc eſt, res ipſas non alieno, non ambiguo, ſed germano et ſuo ſibi nomine ſignare et exprimere debere, ac proinde id neminem feliciter praeſtare poſſe, qui accuratam et phraſeos proprietatem ignoret; ſi cuivis liberum ſit, rem quamlibet nominare ex ſuo vel libidine vel imperitia, inſignem rerum omnium confuſionem inde fore; non ſufficere, quomodocumque ſcribas, dummodo intelligare; intelligi barbare ſcribentem nec diu, nec ab omnibus ſatis poſſe; multis gloſſis, notis, et commentariis poſt aliquod temporis ſpatium opus eſſe, ut recte intelligatur ejusmodi ineptus et linguae imperitus ſcriptor; hoc obſervatum in antiquis praeſertim, ut quisque rebus fuerit melior, ita ut plurimum in ſermone etiam eſſe accuratiorem; reperiri quidem, qui ſine accurata hac litterarum ſcientia praeſtiterint, at ſi hoc ſubſidio non deſtituti fuiſſent, multo eos praeclarius quid orbi praeſtare potuiſſe; falſum eſſe, eos, qui in humanioribus literis probe verſentur, eo ipſo minus eruditos eſſe in ſublimiori aliqua diſciplina; illuſtres JCtos nominari poſſe, qui in libris ſuis ultro fateantur, ſe propter Iuris Civilis ſcientiam animos ad Philologica primum adjeciſſe: *Melanchthonem* cum ſimplici elegantia ſcripſiſſe; at ejus imitatores, qui ſe *Philippico dicendi genere* jactent, valde aberrare a veteris Latii finibus, longe aliter catulos olere, aliter ſues: *Ciceronianorum*, qui ſub Leone X. P. R. in Italia praeſertim cornua ſumſerint, ſuperſtitioſam verborum curam eſſe, qui quum fruſtillatim verborum συνάφειαν ex Cicerone emendicent, ſeſe ac ſpes ſuas corrumpant, et argumentum, quod tractent, hac inepta moroſitate ſua ita enervent, ut, dum illum altum et excitatum, illum alacrem et plenum ſanguinis et ſpirituum Ciceronem affectare ſtudeant, ipſi fiant tabidi et jacentes, et in ipſam linguam, immo res civiles ac ſacras ſint injurii, malintque in uſum veri et rationis impingere, quam arceſſere verba aliunde, quam ex Cicerone; de hiſce Tulliaſtris audiendum *Erasmum in* ſuo *Cicerone* eſſe, quem tamen ad Jul. Caeſ. Scaligeri orationem, tamquam ad obruſſam, exigi velit; audiendum praeterea de his Tulliaſtris eſſe *Juſtum Lipſium ex epiſtola ad Janum Douſam data*, praeſertim autem *Henricum Stephanum* in *Nizolio-Didaſcalo* et *Pſeudo-Cicerone*, Dialogis: *Lipſium* pro diverſo argumento diverſo ſtilo uti, aliter etiam ſcripſiſſe juvenem, aliter aetate provectiorem; Lipſio-mimos autem valde Lipſio abuti; ipſum Livium ad brevitatem ſuam invitaſſe neminem, ſed deterruiſſe ab ea cunctos: obſoletum et obſcurum dicendi genus evitandum maximopere eſſe; priſcis verbis uſurpandis locum interdum dari, ſed uſurpanda eſſe modice, cum judicio et in loco. Perridicule heic exagitat homines caſce loquentes, qui exoleta aucupantur, ut ſcribant, quae mirentur potius homines, quam intelligant. A pag. 72—78. prudentiſſime judicat, et obviam it iis, qui propter ea, quae minus caſta occurrunt in veteribus auctoribus, eos eliminare ſcholis volunt. Pag. 78. ad obſoleta revertitur,

vertitur, et circa eorum non minus, quam quorum infrequens in veteri Latio uſus eſt, cautiones non nullas praeſcribit. Tandem a p. 91. ad epiſodiorum inſtar quaedam ſubjungit, perſtringens nimirum hallucinationes eruditorum iſtas vulgares, quae in menſuram ſyllabarum et pronuntiationem feruntur, et inde digreditur ad larvas laureatus, et cum indignatione invehitur in morem iſtum pravum, quo laurea Poëtica etiam indigniſſimis confertur, in ſcenam hinc ſub perſona veteramentarii Poëtarum ſutoris producens certum quendam Comitem Palatinum, cujus tamen nomini parcit, tamquam impudentem ſuo tempore Lauri Poëticae venditorem.

Ad calcem libelli apparet *Oratio Mureti* aliquando Romae habita *de legendis tum Poëtarum, tum oratorum ſcriptis.*

Polyc. TENZELII *Selecta numiſmata aurea, argentea et aerea maximi moduli, ex nummophylacio Ant. Güntheri, Comitis Schwarzburgici*, cum figg. Jenae 1692, 1693. 4.

TERENTIANVS Maurus *De litteris, ſyllabis, pedibus et metris.* Pariſ. 1531. 4. Ex officina Sanct-Andreana 1584. 8. Prodiit etiam in *Corpore omnium veterum Poëtarum Latinorum, ſecundum ſeriem temporum digeſto, et quinque libris diſtincto.* Genevae 1611. 4; et inter *Grammaticos a Putſchio editos Hanoviae 1605. 4.*

Emanuelis THESAVRI *Idea argutae et ingenioſae dictionis, ex principiis Ariſtotelis ſic erutae, ut in univerſum Arti Oratoriae, et in primis Lapidariae atque Symbolicae inſerviat.* Francofurti 1698. 4.

Auctor librum initio Italice ſcripſerat, ſub tit. *Il Canockiale Ariſtotelico*, et prodire fecerat Taurini 1654. Romae dein ac Venetiis vel ſexies recuſus eſt. Tandem Latine eum vertit *Caſp. Cörberus*, Eloquentiae in Acad. Julia Profeſſor, et ſub modo commemorata forma apud nos in Germania edidit. Auctorem per integros 40 annos labori huic inſudaſſe, teſtitur Octavius Boldonius; ſubtilior autem eſt in principiis argutiarum ponendis, quam Maſenius. Metaphoram, tamquam fundamentum omnis acuminis, conſtituit. *Morhof.* Polyh. T. I. L. 6. c. 3. n. 10. it. de Diſcipl. argutiarum p. 11. et 13. Auctor de cetero magni nominis Polygraphus fatis conceſſit a. 1678, annum aetatis agens 81.

THESAVRVS *linguae Latinae bipartitus*, conſtans Tomis II. Baſil. 1604, 1613. fol.

Ipſum Forum Romanum eſt, transformatum dumtaxat reſpectu ordinis vocabulorum bipartiti. Priori enim Tomo continentur vocabula, quae auctoritate Ciceronis conſtant; poſteriori Tomo exhibentur reliqua bonae notae vocabula, etiamſi haud apud Ciceronem occurrant.

THESAVRVS *utriusque linguae* h. e. Philoxeni, aliorumque veterum auctorum *Gloſſaria Latino-Graeca et Graeco-Latina. Item* Iſidori Gloſſae *Latinae et veteres Grammatici Latini et Graeci, qui de proprietate et differentia vocabulorum utriusque linguae ſcripſerunt. Edita omnia et recognita ſtudio* Bonaventurae Vulcanii *et cum ejusdem notis.* Lugd. Bat. 1600. fol.

Confer, quae ſupra occurrunt ad *Labbeum.*

Jacobi THOMASII *Diſſertatio de ſtili Ethniciſmo circa jurandi adverbia fugiendo.* Lipſ. 1665, 1678. 4.

Recte et religioſe judicat Auctor. *Chriſtophorus Schraderus*, non Helmſtadienſis ille Tullius, ſed Theologus Saxonicus, *Diſſertationem* ſuo tempore edidit ſub eodem titulo, *De ſtili Ethniciſmo circa jurandi Adverbia fugiendo.* Hujusmodi ethniciſmum etiam damnarunt *I. Owenus* Θεολογ. παντοδαπὰ, *de Theol. ſtud. ſub fin. p. m. 512. ed. Bremae;* it. *Joachimus Langius* in *Praefatione*, quam *Floribus Latinitatis, e Virgilio, Horatio, Ovidio decerptis*, praemiſit; it. *M. Joh. Mich. Weinrichius de Latinorum formulis jurandi* T. I. Miſ. Lipſ. 1716. 8. p. 70. ſeqq. Ne quid dicam de ſanctis Eccleſiae veteris Patribus, *Tertulliano, Minucio Felice, Hieronymo*, cet. de Theologis item aliis recentioribus, *Martino Luthero*, Megalandro noſtro, *Joh. Schmidio, Balth. Meiſnero, Joh. Conrado Danhauero, Joſua Arndio, Joh. Valentino Andreae*, cet. viris item litteratiſſimis, *Joh. Sturmio, Georgio Fabricio, Eraſmo Schmidio, Gerh. Joh. Voſſio*, cet. qui omnes improbarunt hunc ſyncretiſmum, ut ita dicam, Ethnico-Chriſtianum, quo

— Gryphes junguntur equis — —
Serpentes avibus geminantur, tigribus agni.

Etiam *Balthaſar Gockelius* ante centum prope annos librum Tubingae edidit, cujus titulus hic eſt: *Heidniſche Poëterey Chriſtlich corrigiret und verbeſſert, alſo und dergeſtalt, daß der Götter Namen 1) dem rechten wahren Gott nicht ſollen gegeben werden: 2) Deren nicht ſoll zu ihrer und anderer Ehre und Rhum gedacht werden: ſonderlich 3) kein Chriſt bey denen ſchweren ſoll.*

Jo. Petri TITII *Manuductio ad excerpendum.* Inſertae ſunt *Obſervationes de vitiis Latini ſermonis et locutione emendata, ejusque auctoribus.* Acceſſerunt *Commentationes* I. *Didactica, De Adminiculis linguae Latinae.* II. *Proſodica, De Stator et cognatis.* III. *Nummaria, De pecunia veteri ac nova.* Gedani 1660, 1676, 1682, 1683. 12.

Libellus rerum varietate copioſus, ſalutaribus praeceptis abundans, et ad Latinae linguae ἀκρίβειαν ejusque elegantiorem culturam promovendam omnino ducens. Auctor a pag. 164 ad 384 barbarum dicendi genus inſectatur.

EIVSDEM

EIVSDEM *Diſſertatio de quibusdam adminiculis Latinae linguae, praecipue Comenianis.* Dantiſci 1664. 4.

Jacobi TOLLII *Fortuita*, ſive *Variae obſervationes Criticae, in quibus praeter Critica, tota fabularis hiſtoria Graeca, Phoenicia, Aegyptiaca, ad Chemiam pertinere adſcritur.* Amſtelod. ap. Wasbergios 1687. 8.

Hermanni TORRENTINI *Elucidarius Poëticus, continens hiſtorias Poëticas, fabulas, inſulas, regiones, urbes, fluvios montesque inſigniores, atque hujusmodi alia, omnibus adoleſcentibus in Poëſi verſantibus oppido quam neceſſarius.*

Opuſculum eſt valde mutilum nec ſatis exaſciatum, ut Roberto Stephano anſam dederit condendi Dictionarii ſui nominum propriorum, libri hoc in genere locupletioris et emendatioris. Interim ex multis et probatis auctoribus eſt collectum, videlicet ex Salluſtio, Livio, Strabone, Plinio, Juſtino, Virgilio, Naſone, Perotto, Tortellio, a quo tamen interdum graviori fretus auctoritate auctor deſcivit. Ex variis etiam Poëtarum interpretibus aliqua ſumſit, et ex Graeco item Vocabulario Johannis Caſtroni Carmelitae, quod λεξικὸν κατὰ στοιχεῖον inſcribitur.

Joh. TORTELLII, Aretini, *Commentariorum Grammaticorum opus* ſ. *Dictionarium vocum Latinarum, in quo orthographiae ratio potiſſimum ſpectatur.* Tarviſ. 1477. Vicent. 1480. Venet. 1484, 1493, 1495, 1501, 1504, 1564. Vicent. 1508. fol.

Pro opere habetur pro ſuo tempore ſatis bono: acceſſit lima per *Georgium Vallam.* Vix autem parabile propter raritatem hodie amplius eſt. Meminit ejus *Cornelius a Beugheim de Incunabulis typographiae* p. 136.

Paulli TOSSANI *Phraſeologia Terentiana.*

Citatum alicubi hunc librum eſſe memini; oculis autem meis eundem non dum uſurpavi, quum ejus copiam nemo eruditorum, quos quidem adierim, facere mihi potuerit.

Theodoſii TREBELLII *Latinae linguae univerſae Promtuarium*, duobus Tomis. Baſil. 1542, 1545. fol. Pariſ. 1545. 4.

Opus inſigne et admodum utile, ſed ex *Roberti Stephani Theſauro* exſcriptum. Conf. quae ſupra *ad Rob. Stephani Dictionarium* adferuntur.

Caſp. Erneſti TRILLERI *Compendium hodegiae ad latinitatis Syntacticae, ed. a* P. L. Berkenmeyero. Hamb. 1698. 8.

Adriani

Adriani TVRNEBI *Adverſariorum libri XXX.* Opus Tomis duobus editum Pariſ. 1580. Recuſum Tomis III. Argentorati 1599, 1600. Tribus etiam Tomis editum Baſil. 1581, 1583. fol. Aureliopoli 1604. 4.

Ejusdem *Commentarii in Varronem* prodiere Pariſ. 1566. 8.
Adverſaria varias obſervationes, explicationes et emendationes easque ſubinde non vulgares in auctores Latinos et Graecos, eorumque loca corruptiſſima ac difficillima continent. *Audomarus Talaeus* ſcripſit *admonitiones ad Turnebum.* *Scaliger Turnebum Victorio* valde anteponit; at comparatione invidioſa: uterque enim laude excellit inſigni. Quantus autem vir ſit Turnebus noſter, vel ex judicio Schoppii apparet, qui ap. Pope-Blountium: *Inter Italos*, ait, *Criticos*, *Fulvius Urſinus; inter Hiſpanos*, *Petrus Ciacconius; inter Gallos*, *Hadrianus Turnebus; inter Germanos Juſtus Lipſius familiam ducit.* Scripſit etiam Turnebus Commentarios in Ciceronem et Horatium.

Horatii TVRSELLINI *De Particulis Latinae linguae libellus.* Mogunt. 1602, 1618. Colon. 1611. Gedani 1639. Lipſ. 1630, 1651. Auctus ab *Jacobo Thomaſio* Jenae 1657. Lipſiae 1663, 1673, 1682, 1683. 12. Locupletatus denuo ab *Jo. Conrado Schwarzio* Lipſ. 1709, 1719, 1729. 8.

Scriptorem hunc *Jacobus Thomaſius* partim ſuis ipſius, partim *Hadriani Cardinalis*, *Vallae*, *Linacri*, *Silvii*, *Schori*, et praecipue *Stewechii*, *Dürreri* et *Parei*, trium illorum particularum interpretum, obſervationibus locupletavit, ut adeo, qui *Turſellino* instructus eſt *Thomaſiano*, *Stewechii*, *Dürreri* et *Parei* libellis, idem argumentum tractantibus, commode carere poſſit. *Schwarzius* in plura, ac Turſellinus ipſe exhibet, capita libellum diſtribuit, ſingulos locos uberius illuſtrat, luculentiora exempla e veteri Latio ſubinde arceſſit, oſtenditque quamcumque vocularum ſocietatem, qua ſingulae, quarum explanationem ſuſcipit, particulae gaudeant. Atque hoc ipſum *Facciolatus*, Italus, in eo reprehendit: quod tamen praeter rem fieri, *Schwarzius in Praefatione noviſſimae editioni praemiſſa* oſtendit. Conferenda interim heic fuerit *Chriſtophori Meyeri Epiſtola ad Jo. Conradum Schwarzium, in qua ſententiam Facciolati de poſtrema editione Turſellini ei aperit, ed. 1724. 8:* it. *Walchius* in Hiſt. Crit. L. L. p. 388. ubi hanc litem Schwarzio per Facciolatum motam copioſe recenſet.

Magnus hujus libelli, a *Thomaſio* quidem et *Schwarzio* locupletati, dos eſt. Particularum enim varius et multiplex uſus eſt in quacumque lingua: quem qui ignorat, malus eſſe ſolet interpres. Hinc vel cum primis curatior earum notitia in Latina lingua eſſe debet, quia dici non poteſt, quantum lucis inde accedat inſtituendae claſſicorum, quos vocant, auctorum metaphraſi, et imitationis ad orationem convenientibus ſibi vincu-

lis

lis et tamquam artuum ſuorum ligaminibus adſtringendam elegantiae ac venuſtati. Quare omnibus eruditis, qui poſt renatas litteras caſtitatem et ἀκρίβειαν in ſcribendo ſectati ſunt, ea omni tempore curae cordique fuit. Nec cognitionem hanc natalium aut ſummarum dignitatum ſuarum ſplendore indignam putarunt quondam eſſe vel ipſi Principes, iique, qui proxime ad hos accedunt. Ut alia hanc in rem exempla tantiſper reticeam, fidem dictis facere poſſunt, quae *Wagenſeilius Perae librorum juvenilium Loculamento Primo p. 10. 11. narrat. Teſtatus eſt*, inquit, *mihi haud ita pridem, pro ſua perpetua erga me indulgentia, familiari ſermone, Flos ſaeculi noſtri Heroum, quo* Leopoldus *Caeſar Auguſtus in otio utitur et negotio, quique his publicis Imperii Comitis aliquamdiu Caeſareo nomine cum ſuprema auctoritate praefuit, Comes Excellentiſſimus* Gottliebius Windiſchgratzius, *Praecelſum omnique praeconio digniſſimum* Johannem Weickhartum, Aversbergium Principem, *illum* Ferdinandi III. *Imperatoris, ac* Ferdinandi IV. *Regis Romanorum, Sacrarum Aularum Supremum Praefectum, Sanctique Conſilii Praeſidem, in muſei menſa ſemper Latinum Lexicon, Grammaticam, et Turſellini de Particulis librum, ad manus habuiſſe repoſitos: ſeque idem facere illius exemplo. Neque dixit hoc ſolum, ſed et in τεχνόφυον, atque adeo rem praeſentem me deducendo, omnia ita ſe habere, ſtupenti mihi et oculorum fidem ſollicitanti oſtendit.* Hactenus *Wagenſeilius* in Praefatione illa, quam in dicto libro praemiſit ſuo *de Particulis Latini Sermonis Tractatui*, quem quidem integrum, breve velut florum corpuſculum, oculis animoque gratum, iisdemque facile ſe inſinuans, effecit. Incidiſſe autem ſeſe adfirmat in concinnando hoc breviario in editionem longe auctiorem, atque illae ſint, quae vulgo exſtent, cujus tamen ſibi periiſſet memoria, una cum libro.

Horatii TVSCANELLAE *Epitheta, antitheta et adjuncta* ſive *adverbia Ciceroniana.* Colon. 1563. 8. Prodierunt etiam Baſil. apud Lud. Koenigium ſine mentione anni in 8: item ad calcem Elegantiarum Georgii Vogelmanni Magdeb. 1619. 8: et tandem poſt Dictionarium Latino-Graeco-Gallicum Jacobi Vaultier, Genevae 1626. 8.

Auctor hanc fecit Syllogen florente aetate ſua, ut ſuam ipſius dictionem perficeret, quum epitheta, antitheta et adjuncta adhibenda ſint ea, quae veteribus ſibi invicem jungere viſum fuit; id quod Latini ſermonis proprietati mirifice ſubſervit. Nec enim ex cujusvis arbitrio horum junctura pendet, ſed ex praeſtantiſſimorum auctorum, Ciceronis praeſertim, cujus veſtigia Tuſcanella preſſit, dicendi candore. Neque tamen collegit auctor ex Cicerone omnia, quae huc faciunt, ſed delibavit tantum potiora. Schorus in Theſauro ſuo eumdem ingreſſus eſt campum; in quo tamen Tuſcanellam antevertit.

Henrici

Henrici VAGEDES de *Propagatione Linguae Romanae, profanae ſacraeque dominationis arcano.*

Occupat inter *opera* doctiſſimi quondam Auctoris, Prof. Rintel. *Academica, Rintelii 1703. 4. edita,* locum ſecundum.

Jo. VAILLANT *Numiſmata aerea Imperatorum Romanorum, Auguſtarum et Caeſarum in coloniis, municipiis et urbibus jure Latio donatis, ex omni modulo percuſſa,* cum figg. aeneis Pars I. et II. Pariſ. 1695, 1697. Amſtel. 1700. fol.

EIVSDEM *Numiſmata Imperatorum Romanorum praeſtantiora a Julio Caeſare ad Poſtumum et Tyrannos usque.* Partes II. cum figg. aeneis. Lutetiae Pariſiorum 1674. fol. et Amſtel. 1694. 4.

EIVSDEM *Numiſmata Imperatorum, Auguſtarum et Caeſarum, a Populis Romanae ditionis Graece loquentibus, ex omni modulo percuſſa.* Lutatiae Pariſiorum 1698. 4.

EIVSDEM *Selectiora numiſmata in aere maximi moduli, conciſis interpretationibus illuſtrata, e Muſeo Illuſtriſſimi Franc.* de Champs: cum figg. aen. Pariſ. 1649, 1695. 4. et fol.

EIVSDEM *Nummi antiqui familiarum Romanarum perpetuis interpretationibus illuſtrati.* II. Voll. cum figg. Amſtel. 1703. fol.

EIVSDEM *Arſacidarum et Achaemenidarum Imperia,* ſive *Regum Parthorum, Ponti, Boſpori, et Bithyniae Hiſtoria, ad fidem numiſmatum accommodata,* 2 Voll. cum figg. aen. Pariſ. 1738. 8.

EIVSDEM *Hiſtoria Ptolemaeorum, Aegypti Regum, ad fidem numiſmatum accommodata:* cum figg. aen. Amſt. 1701. fol.

VALERIVS PROBVS *De Siglis ſ. interpretandis Romanorum litteris, cum adnotationibus* Henr. Ernſtii. Sorae 1647. 4.

Vid. *Morkof.* Polyh. T. I. L. 4. n. 2. n. 3. Mantiſſae loco acceſſere *Epigrammatibus antiquis urbis Romae,* ed. Romae 1521. fol. in aedibus Jac. Mazochii, cum figg.

Cornelii VALERII *Grammaticarum Inſtitutionum libri IV.* Antwerp. ex officina Plantin. 1560, 1580, 1586. 8.

Auctor,

Auctor, Profeſſor humaniorum litterarum Lovanienſi in Academia, floruit ſaec. XVI. Pro hoc tempore, quo vixit, ſatis accurate docet, et proinde potioribus artis Grammaticae reformatoribus adnumerandus eſt.

Henr. VALESII *Emendationum libri V.* et *de Critica libri II*, edente *Petro Burmanno*, qui Praefationem, notas et Indices adjecit. Amſtelod. 1740. 4.

Iſaaci VALKENAER, Rect. Scholae Leovardienſis, *Diſputatio de vera ratione informandae pueritiae ad elegantiam et caſtitatem Latini ſermonis.*

Praemiſſa eſt haec Diſputatio Ciceronis Epiſtolis ſelectis, a Valkenaerio 1716. 8. Leovardiae publicatis; it. Joh. Jenſii purae et impurae latinitatis Collectaneis editis Lipſ. 1728. 8.

Ludovici Caſparis VALKENAERII *Animadverſionum ad* Ammonium Grammaticum *Libri tres: in quibus veterum ſcriptorum loca tentantur et emendantur.* Accedit *Specimen Scholiorum ad Homerum ineditorum.* Ex codice Voſſiano Bibliothecae Lugduno-Batavae. Lugd. Bat. 1749. 4.

Idem *Valkenaerius* in unum faſciculum conjecit Lugd. Bat. 1740. 4. *Ammonium* de affinium vocabulorum differentia; *Eranium Philonem* de differentia ſignificationis; *Leubonax* de figuris Grammaticis; *Incertum* de ſoloeciſmo et barbariſmo; *Lexicon* de ſpiritibus dictionum ex operibus Tryphonis, Choerobosii, Theodoriti etc.

Georgii VALLAE *Liber unus de ſimplicium natura.* Argentor. 1528. 8.

Laurentii VALLAE *Opera.* Colon. 1534. Baſil. 1540. fol.

Separatim prodiere *Ejusdem Vallae Elegantiarum libri VI. ſcholiis illuſtrati per* Gybertum Longolium. *Ejusdem ad* Joannem Tortellium Aretinum *de reciprocatione* Sui *et* Suus *libellus. Ejusdem in errores* Antonii Raudenſis *Adnotationes*, Argentorati 1521. Moguntiae 1522. Coloniae 1520, 1522, 1534, 1539, 1543, 1544, 1546, 1563, 1577. Lugd. 1540, 1545. Baſil. 1543, 1554. Cantabrigiae 1688. 8. *Una cum Epitomis* Jodoci Badii Aſcenſii, *nec non* Antonii Mancinelli *Lima*, Pariſ. ap. Sim. Colinaeum 1532. it. 1564. 4.

Cum *Poggio Florentino* controverſias Grammaticas *Valla* aluit, et uterque ſe mutuis maledictis lacerarunt. Extant *Ejus in Poggium Antidoti libri quattuor*, quibus ventilantur et vellicantur multa Latinae linguae interiora, Coloniae 1572. 8. Prodierunt etiam cujusdam *Johannis Theodorici, Johannis Raenerii, aliorumque non nullorum adnotationes in* Vallae *libros Elegantiarum*, *Baſil.* 1541. 8. Praeterea eosdem ſui

ſuis notis atque obſervationibus illuſtraſſe *Angelum Roccam Camerinum*, Bibliothecarium Vaticanum, *Erythraeus in Pinacoth I. p. 105.* refert, ubi et hujus *Roccae Obſervationes Latinae linguae de occultis ejusdem locis*, ac *de ſcribendis epiſtolis lucubrationes* recenſet. Priusquam vero adhuc prodiiſſent *Elegantiae Vallae*, eas furto ablatas pro ſuis edidiſſe *Antonium Raudenſem*, atque intentatum a *Valla* crimen plagii joco et urbanitate depuliſſe, *Jacobus Thomaſius* obſervat *Diſſert. de Plagio* §. *503.* *Morhof.* Polyh. Tom. I. p. 832. ſeq.

Ob nimium, quo latinitatis naevos in eruditorum ſcriptis reprehendit, fervorem hoc Vallae factum eſt ab adverſariis epitaphium ſarcaſticum:

Tandem Valla ſilet, ſolitus qui parcere nulli eſt;
  Si quaeris, quid agat; nunc quoque mordet humum.
Juppiter hunc coeli dignatus honore fuiſſet;
  Cenſorem linguae ſed timet ille ſuae.
Nunc, poſtquam Stygias Valla eſt detruſus ad undas,
  Non audet Pluto verba Latina loqui.

Linacer de emend. ſtruct. eo loco, ubi de Participio agit, Lib. I. Vallam vocat *virum de lingua Romana non minus prope dixerim meriti, quam olim de imperio Romano Camillus.*

Simonis VALLAMBERTI *M. T. Ciceronis Filii vita.* Acceſſit Andreae Schotti *Cicero Pater a calumniis vindicatus.* Hamburgi 1529. 8.

Vitam Ciceronis Patris qui curatius intueri cupit, huic praeſto ſint

1. *Franciſci Fabricii M. T. Ciceronis Hiſtoria*, *Colon.* *1570. 8. Helmſt. 1620. 12.*

2. *S. A. de Scarparia Hiſtorica narratio de vita et rebus geſtis M. T. Ciceronis, Berolini 1681. 8.*

3. *Chriſtophori Preyſs M. T. Ciceronis vita et ſtudia, Baſil. 1555. 8.*

4. *Benedicti Herbeſti Neapolitani M. T. Ciceronis vita e ſcriptis et verbis ejus deſcripta, Francof. 1508. 8.*

Abrahami VAN DER-MILII *Lingua Belgica ſ. de Linguae illius communitate tum cum plerisque aliis, tum praeſertim cum Latina, Graeca, Perſica; deque communitatis illius cauſis; tum de linguae illius origine et latiſſima per nationes quam plurimas diffuſione; ut et de ejus praeſtantia. Qua tum occaſione heic ſimul quaedam tractantur conſideratu non indigna, ad linguas in univerſum omnes pertinentia.* Lugd. Bat. 1612. 4.

Non pauca hoc in libro occurrunt, quae ſuper eodem argumento cogitarunt et obſervarunt *Wolfgangus Lazius, Leo Trippaultus, Stephanus Guichardus* et *Andreas Helvigius* in Etymologiis ſeu Originibus, quorum Commenta tamen Auctor nec inſpexit, nec inſpicere potuit. Sic a diverſis ingeniis eadem ſaepe proveniunt cogitata.

M. Ti-

M. Terentii VARRONIS *De lingua Latina ad Ciceronem libri III.*

EIVSDEM *De Analogia libri III.*

Scripſerat *Varro libros XXIV de linguâ Latina.* Ex his perierunt tres primi, quos ad P. Septimium, Quaeſtorem, miſerat, in quibus diſſeruit περὶ τῆς ἐτυμολογικῆς 1. quae contra eam dicerentur; 2. quae pro ea; et 3. quae de ea denique. *Exſtant liber IV, V. et VI, in quibus origines ipſas verborum Latinorum perſequitur, ad M. T. Ciceronem:* atque hi tres *libri de lingua Latina* inſcribi ſolent. Tum liber VII, VIII. et IX, qui ſunt *de analogia*, itidem exſtant; ſed perinde, ut tres priores, heic atque illic quibusdam hiantes lacunis. Reliqui libri univerſi, exceptis perpaucis fragmentis, interciderunt; in quibus *analogiam* ipſam *Latinorum vocabulorum* et *anomaliam* explicaverat; deinde tractaverat *de Syntaxi*, ſive quomodo vocabula inter ſe ratione conjuncta ſententiam efferant; denique diſſeruerat *de copia verborum. Fragmenta* ex his libris collegit *Antonius Auguſtinus;* unde leguntur etiam in editione *Vertranii Mauri:* poſtea additis non nullis in *Varrone Auſonii Popmae, Friſii,* et in *Dionyſii Gothofredi Auctoribus Latinae linguae. Illi* vero *ſex*, quos utcumque habemus, *libri* ex *Pomponii Laeti* et *Rholandelli* recenſione prodierunt Venetiis 1498. 4.

Habemus praeterea editiones ſequentes:

1. Mediolanenſem editionem a. 1500. laudat dignus vir vita longiore *Tobias Guthberletus* libro de ſaliis p. 131.

2. Cum caſtigationibus quibusdam *Mich. Bentini* Baſil. 1526. fol. hi Varronis exſtant ad calcem Cornu Copiae Nic. Perotti, cui praeter Varronis de lingua Latina libros ſubjicitur Feſtus et Nonius etiam in editione Aldina 1514. fol. Baſil. 1518. fol. Praeterea cum *Bentini* caſtigationibus excuſi Varronis libri etiam ſeparatim Lugd. 1535. 8. adjunctis Pſeudo-Catonis Originibus, et Baſil. 1536. 8.

3. Exſtat porro editio Pariſienſis 1528. 8: item alia Pariſienſis ap. Jo. Gueſſier 1585. 8.

4. Editio Romana 1557. 8. cum caſtigationibus *Antonii Auguſtini*, qui codicibus MSS. uſus eſt, ex quibus unum laudat Achillis Maſei.

5. Editio Lugdunenſis 1563. 8. apud heredes Seb. Gryphii, cum eruditis notis *M. Vertranii Mauri*, et vita Varronis a Vertranio ſcripta, qui et ipſe MSS. codices Florentiae et Romae contuliſſe ſe teſtatur.

6. *Joſephi Scaligeri* praeclara in Varronem Conjectanea lucem viderunt primum Pariſ. 1565. 8. In illis praeter multa alia egregia, Varronem in originibus verborum frequenter falli obſervat vir doctiſſimus.

7. *Adriani Turnebi* emendationes et commentarii poſthumi, editi a filio *Odone Turnebo*, Pariſ. apud A. Wechelum 1566. 8. Abortivum hunc viri magni fetum vocat Joſephus Scaliger, Appendice ad Conjectanea p. 179.

8. Etiam cum adnotationibus *Dionyſii Gothofredi* Varronis libri editi ſunt inter Auctores Latinae linguae, Genev. 1602. et 1622. 4.

 9. De-

9. Denique prodierunt e recenſione *Gaſp. Scioppii*, Ingolſtadii 1605. 8.
Exſtant praeterea *Varronis de Re Ruſtica libri III*, quos natus octoginta annos ſcripſit ad Fundaniam uxorem. Hi ſaepius viderunt lucem cum ſcriptis ejusdem argumenti, quae compoſuerunt Cato, Columella, et Palladius. In praeſenti igitur illas dumtaxat memorabo horum librorum editiones, quibus utraque ſolius Varronis ſcripta continentur, ut ſunt editiones *Henr. Stephani* a. 1569, 1573. et 1581. cum Joſephi Scaligeri in libros de Latina lingua Conjectaneis et Appendice Conjectaneorum, Antonii item Auguſtini Emendationibus notisque Turnebi, non poſthumis illis, ſed ex Adverſariorum opere excerptis; et in libros de Re Ruſtica notis ejusdem *Scaligeri*, et, qui codicibus quattuor MSS. uſum ſe profitetur, egregii viri *Petri Victorii*. Etiam Appendicem Henr. Stephanus ad libros de Analogia edidit 1591. 8. Praeterea *Auſonius Popma* Friſius Varronis ſcripta, quae exſtant, recenſuit illuſtravitque notis et collectaneis, et fragmenta ſcriptorum ejus deperditorum, et vitam Varronis, atque Bibliothecam Varronianam ſive Commentarium de Varronis ſcriptis adjunxit, Lugd. Bat. 1601. 8. apud Plantin. Ab eo tempore Varroniana ſcripta cum fragmentis emendatius et plenius deſcriptis, addita auctorum, e quibus deprompta ſunt, notatione, tum animadverſionibus in Varronem, quaecumque in Stephani editione exſtant, praetermiſſis Popmae lucubrationibus edita ſunt Dordraci 1619. 8. apud Jo. Brerewoud, et Amſtelod. 1623. apud Jo. Janſonium 8, quibus nulla huc usque locupletior Varronis editio vidit lucem. Haec ex Fabricii Bibl. Lat. p. 76. ſeqq. cujus etiam confer Vol. II. p. 82. ſeq.

Varro in Etymologiis Varro non videtur; itaque et a Quinctiliano merito ridetur. Paullus Manutius L. III. ep. 23. p. m. 163.

Franciſci VAVASSORIS S. I. *Opera omnia antehac edita, Theologica et Philologica, nunc primum in unum volumen collecta, ad quae acceſſerunt inedita et ſub ficto nomine emiſſa, cum Latina, tum Gallica.* Amſtel. ap. Petrum Humbertum 1709. fol.

Hic Jeſuita Gallus, e Burgundia oriundus, qui 1681. d. 14 Dec. Pariſiis diem obiit ſupremum, annum agens ſeptuageſimum quintum, non nulla edidit ſcripta, quae et praeclaram eruditionem et ſatis fecundum ejus ingenium fuiſſe arguunt. Atque cuncta haec ſcripta nunc conjunctim heic exhibentur, hoc quidem ordine: 1. *De ludicra dictione liber, in quo tota jocandi ratio ex ſcriptis veterum aeſtimatur.* Antehac editus Pariſ. 1658. 4: recuſus autem cura *Joh. Erh. Kappii* Lipſ. 1722. 8. additis ad calcem Ludov. Balzaci Epiſtolis ſelectis, et Aeg. Menagii Epiſtolis quibusdam, una cum modo laudati Kappii notis.

Nimirum Auctoris tempore, cum in Italia, tum praeſertim in Gallia, exſiſtebant, qui, ut ſe lepidos ac facetos exhiberent, mox obſoletis, mox inſolentibus, mox ex trivio deſumtis vocabulis ac locutionibus utebantur, atque omnino argutiis atque acuminibus ita indulgebant, nihil ut rectum exiſtimarent, niſi quod hujusmodi ſalibus ſcateret. Ac tale ſcribendi genus non modo in ſermone patrio adhibebant, quoties jocularia componebant

carmina,

carmina, Gallice *Burlesques* dicta, ſed etiam quoties veterum Latinorum poemata in linguam vernaculam transferebant. Qua ſcribendi ratione quum ipſi linguae Latinae puritati timendum eſſet, *Vavaſſor* noſter, impulſu praeſertim *Balſazii*, viri doctiſſimi, cui itidem ſcribendi iſtud cacoëthes vehementer diſplicebat, Gallis ſuis oſtendere hoc ſingulari libro voluit, maſculam dicendi vim tum in lingua Gallica, tum in lingua Latina pedetentim ac paullatim ſic prorſus enervari, ac prudentiorum tandem exponi ludibrio. *Clemens Marot* et *Paulus Scarron* praecipui auctores feſtivi et effeminati hujus dicendi generis, ſaltem apud Gallos, erant.

Quod ſpeciatim ad acumina in dicendo attinet, ea Hiſpanis originem debere, *Vavaſſor* noſter monet, eaque ex orationibus propemodum proſcripta vult, niſi forte cum Auguſtei aevi acuminibus plane conſentiant, ac parcius et cum virili quadam gravitate adhibeantur. Per inſcriptiones deinde ad Italos, qui in monumentis condendis operoſiores ſolent eſſe, eaque nova et arguta hac dictione ornare dudum ſtuduerunt, hoc tranſiit ſcribendi genus, qui hoc nomine ab *Alberto de Albertis*, populari ſuo, quo de ſupra mentionem loco ſuo feci, caſtigantur. Ab Italis tandem progreſſa haec affectata in dicendo feſtivitas eſt ad Gallos; qui inſuper jocos addiderunt et ſcommata cum ſale. Praeter *Albertum de Albertis* et *Vavaſſorem* noſtrum alii etiam extitere viri prudentes et eruditi, qui ineptiendi huic prurigini iverunt obviam. Quo quidem in numero ſunt *Famianus Strada* Proluſionum Academ. l. 2. Proluſ. 12. *Oct. Boldonius* in Epigraphica ſexta, et *Lepida quaedam Satyra*, Gallico ſermone conſcripta, atque Heidelbergae 1670. 12. impreſſa hoc titulo: *Nouvelle Allegorique, ou Hiſtoire des dernieres troubles, arrivées au Royaume de l'Eloquence:* qua, ſub fictione belli alicujus Rhetorici, multi iſtius ſeculi ſcriptores argutuli lepidiſſime exagitantur. *Janus Nicius Erythraeus* paſſim etiam in Pinacotheca ſua e. g. P. 1. p. 162. P. 3. p. 212. ſeq. intempeſtivos iſtiusmodi argutiarum aucupes ſalſe ex merito perſtringit. De cetero ſalibus facetis acumina adeo abroganda non ſunt, ut potius vel maxime ad eadem requirantur; quo de Cicero l. 2. de Oratore.

Aliquot annis poſt apud eumdem Humbertum, qui *Vavaſſoris Opera* conjunctim edi curavit, prodiit etiam *Supplement aux Oeuvres du P. Vavaſſor Jeſuite in f. 20. pagg.* quod quidem nihil aliud continet, quam P. Rapini facetam multisque jocis ac ſalibus perſperſam reſponſionem ad Vavaſſoris de ludicra dictione Diſquiſitionem, et binas praeterea Auctoris litteras, unas quidem Latino ſermone exaratas ad Delphinum, alteras autem Gallice ſcriptas ad Delphini Patrem, Ludovicum Regem.

2. *De Epigrammate liber;* cui accedit *alius de vi et uſu quorumdam verborum, cum ſimplicium, tum compoſitorum,* quem quidem poſt Auctoris demum fata ita, ut in Adverſariis ejus inventum eſt, in lucem emiſit *Joh. Lucas S. I.* Deinde etiam, poſtquam Operibus Auctoris conjunctim editis hic libellus inſertus eſt, *Richardus Ketelius* eumdem retulit Amſt. 1713. 4. inter ſcriptores ſelectos de comparanda elegantiori latinitate, ubi quintum occupat in ordine locum. Prodiit etiam in *Theſauro cultae latinitatis ed. Goudae 1701. et 1703. 4.* loco in ordine tertio. Tandem prodiit Lipſiae 1722. 8. ex recenſione *Joh. Erhardi Kappii* ſub

 hac

hac inſcriptione: *Franciſci Vavaſſoris Antibarbarus* ſive *Obſervationes de vi et uſu quorumdam verborum Latinorum, cum ſimplicium, tum compoſitorum, cum Balſazii Epiſtolis ſelectis.* Atque in hoc libro de vera non nullorum non modo verborum, ſed etiam latine loquendi generum ſignificatione perite praecipit.

3. *Orationes:* quarum quae in ordine eſt tertia, ſcripta eſt *pro veteri dicendi genere contra navum.*

In hac oratione Auctor acuminum adfectatores vehementer inſectatur, et ſalſe admodum exagitat, in compendium ſic cogens multa eorum, quae in ſuo *de ludicra dictione* libro profert. Acumina multum vigoris et gratiae adſpergunt orationi noſtrae, ſi adhibeantur tempeſtive, ut ſponte nata videantur, non quaeſita anxie et adfectata, neque etiam cumulatius proferantur. Bene *Quintilianus* Inſtit. Orat. L. 8. c. 5: *Ego haec lumina orationis, velut oculos quosdam eſſe eloquentiae, credo: ſed neque oculos eſſe toto corpore velim, ne cetera membra ſuum officium perdant.* Similem in modum *Famianus Strada* Proluſ. Acad. L. II. Prol. 1. quae eſt *de Stilo Oratorio*, et *an acumina dictorum vellicantisque ſententiae oratoribus uſurpanda ſint,* p. 207. edit. Venet. 1644. 8: *Intemperantiae,* inquit, *genus eſt, affatim iſtaec acumina ſi congeras, eademque ubique operoſe conſecteris, perinde ac ſi in illa non incidiſſe, ſed ſtudioſe venatus eſſe videaris. Sint iſta, ut voles, ornamenta et lumina* orationis, *ſint gemmae ac ſidera, quibus ſe irradiet eloquentia. At non ubique ſideribus coelum conſtat: et annulis gemmisque onerare* digitos *articulosque omnes, plebis mos eſt.* Prorſus autem vitandae ſunt argutiae inanes et ingeniorum luſus, qui non niſi ineptiunt, laſciviunt, nugantur, et ſic pro plauſu riſum movent. Fontes argutiarum, genera et varietates *Emanuel Theſaurus* expoſuit praeſtanti libro Italico, cui titulus: *Il Cannocchiale Ariſtotelico, o ſia, Idea dell' arguta et ingegnoſa elocutione che ſerue à tutta l' arte oratoria, lapidaria et ſimbolica;* quod opus Taurini primum 1654. impreſſum, et Romae dein ac Venetiis vel ſexies, nominatim 1664. et 1688. 4. recuſum, Latine tandem vertit, et ſub titulo *Ideae argutae et ingenioſae dictionis, ex principiis Ariſtotelicis ſic erutae, ut in univerſum Arti Oratoriae et in primis Lapidariae atque Symbolicae inſerviat,* Francof. 1698. 4. omnium uſibus expoſuit *Caſpar Corberus,* Eloquentiae in Academia Julia Profeſſor; ejusque recenſum habemus in *Actis Erud. Lipſienſibus,* M. Junio a. 1680. p. 255—259. *Theſauro* adjunglmus *Dominicum Buhurſium de la Maniere de bien penſer dans les Ouvrages d' eſprit,* i. e. de recta in operibus ingenii cogitandi ratione, Commentatione Gallica, ubi ingenioſis cogitatis, quae laudem ſint habitura, fines limitesque hic nominis Germanici iniquiſſimus obtrectator, vir ceteroquin ſatis acutus et doctus, ponit, oſtenditque, tria eſſe, quae acutis cogitationibus decus et gratiam concilient, ſi nempe ſublimes ſint, ſi jucundae, ſi gratae omnibus et acceptae et cujusvis arrideant palato. Quamlibet autem ſublimes illae ſint, venuſtae, delicatae; laudem tamen haud merentur, ni ſimul naturali quadam pulchritudine exſurgant, ni abſit adfectatio, omnium in eloquentia vitiorum peſſimum. Idem *Buhurſius Penſées ingenieuſes des anciens et des modernes* i. e. veterum ac recentiorum

ſtorum ingenioſe cogitata, collegit, edidítque, ne perirent, ſed promiſcue et nullo ſervato ordine exhibuit, quibus tamen immixta eſſe haud diſſimulat, quae non omnibus ingenium ſapere videantur. Etiam *Morhoſius* conferri poterit, qui libello ſupra ſuo loco commemorato *de arguta dictione* de argutiarum principiis, ſubſidiis atque objectis, inſperſis ubique exemplis, more ſuo, id eſt, erudite egit.

4. *Tractatus de forma Chriſti*, ubi adſertum id, Chriſtum in carne manifeſtatum neque deformem, neque magnopere formoſum, ſed forma fuiſſe ſtata. Cui ſententiae refragatur *D. Joh. Fecht*, Theologus Roſtochienſis, qui certa quadam Diſſertatione, quae in *Ejus Noctibus Chriſtianis* decima eſt, ibique a p. 359. usque ad p. 888. occurrit, contra Vavaſſorem oſtendit, Chriſtum extraordinaria aliqua et perfecta forma fuiſſe praeditum. *Tractatus hic* ſeparatim prodiit Roſtochii 1666. 8.

5. *Janſenius ſuſpectus.*

6. *Antonius Godellus, Epiſcopus Graſſenſis, an elogii Aureliani ſcriptor idoneus*: et *Antonius Godellus, Epiſcopus Graſſenſis, utrum Poeta.*

Prior Diſſertatio prodierat auctore *Paulo Romano*; poſterior, auctore *Candido Heſychio.* Sub utroque hoc nomine ficto latere *Vavaſſorem noſtrum*, non tantum in Praefatione horum Operum, ſed etiam dans les Nouvelles de la Republ. des lettres a. 1684. T. 2. p. 131. in Theatro Anonym. a. 1667. et 1668. adſeritur.

7. *Diſſertatio ad Arnoldum*: quicum conqueritur de injuria Janſeniſtae cujusdam, qui ipſum habeat pro auctore libri, ita inſcripti: *Calagnanus natione Hibernicus, an Satyrus ille, qui nuper in lucem prodiit?*

8. *Jobus brevi Commentario et Metaphraſi Poetica illuſtratus.*

9. *Commentarius in Oſeam.* In hac demum collectione apparet; et Prophetae ſenſum perſpicua quadam et elaboratiori paraphraſi exponit.

10. Inter Poemata primum locum occupat *Theurgicon*, quod quattuor libris conſtat, in quo Chriſti, Salvatoris noſtri miracula heroicis verſibus venuſte admodum deſcribuntur. Cui ſuccedunt

11. *Elegiarum liber*; et

12. *Heroicorum liber*, qui jam ante ſub nomine *variae et multiplicis Poeſeos*, eruditorum plauſu exceptus fuerat.

13. *Epigrammatum libri IV*: quorum tres priores *libro de Epigrammate*; quartus autem *Poëſi variae et multiplici* olim erant additi.

14. Tandem claudunt agmen *les Remarques ſur les Nouvelles Reflexions du R. P. Rapin Jeſuite, touchant la Poetique.*

Atque haec ſunt ſcripta *Vavaſſoris*, quibus ſupra memorata ejus Opera conſtant: e quibus tamen non niſi duo priora ad Bibliothecam noſtram ſpectant.

Stephani VBELII *Synonyma Ciceroniana.* Leovardiae 1607. 8.

Collegit voces illas, quae apud Ciceronem, immo etiam apud alios bonae notae ſcriptores veteres conjunctim ponuntur vel vere vel apparentes

ſynonymae. Vehementer harum curatior notitia ad periodum ſuis numeris diſtinguendam facit. Auctor noſter integras ſ*tiones* e Cicerone congeſſit, ſubjecto ad calcem indice. De *Stephani Fliſci Synonymis Ciceronianis* qui ſub certis titulis illa digeſſit, confer Morhoſii librum de dilatatione p. 10. Sub ipſius etiam Ciceronis nomine prodierunt *Synonyma* primum Patavii 1482. 4. per Matthaeum Cerdonis: deinde ſine loci notatione 1483. 4. ſub titulo *de dictionum proprietatibus*; et Auguſtae Vindel. 1488. 4 ſub titulo *de proprietatibus terminorum.* Eſt etiam in manibus editio Pariſienſis apud Aſcenſium ſine anni nota in 8 cui praemittitur Epiſtola: *Cicero Lucio Veturio S. Collegi ea, quae plurimis modis Synonyma dicerentur etc.* Cl. *Car. Henr. Langius* poſſidet etiam, prout hoc ipſe Inſtit. Styli Romani p. 129. teſtatur, editionem ſub ſequenti inſcriptione: *M. T. Ciceronis ad L. Veturium Synonymorum liber e tenebris nuper effoſſus, Pariſiis apud Hieronymum de Marnec et viduam Guilielmi Caneliat ſub Pellicano Monte D. Hilarii 1584. 12. cum Praefatione Gabrielis Lermei.* Eraſmo judice eſt tumultuaria non adeo multarum vocum collectio ab aliquo Ciceronis ſtudioſo utcumque facta ex ejus ſcriptis. Edita etiam ſunt ſub nomine *Ciceronis Victurii* Venetiis 1587. 8. prout id refert Lambecius lib. 2. de Bibl. Vindobonenſi p. 935.

Danielis VECHNERI *Hellenolexia* ſive *Parallelismus Graeco-Latinus, imitationem Graecorum in lingua Latina duobus libris juſta methodo monſtrans, ad excolendam utramque linguam.* Francof. 1610. Argentorati 1630. Lipſiae 1680. 8. Ad exemplar Argentoratenſe recenſuit, caſtigavit, ſupplementis Lipſienſibus, novisque acceſſionibus et obſervationibus auxit, vitamque Auctoris praemiſit *Joh. Michael Heuſingerus*, Gothae 1734. 8.

Liber utiliſſimus, e quo maxime patet graeciſſatio linguae Latinae. Quandoquidem enim *Latini Graecanicum ſermonem ore Romano aemulari gaudebant*, ut ait Turnebus Adverſ. L. 24. c. 28. *nec quisquam ſine adminiculo Graecarum litterarum auctores Latinos ſatis adſequi poteſt, opus eſt, ut Linguae Graecae idiotiſmos, quos eleganter ſaepe Latini ad ſe traducunt; magis tamen Hiſtorici, quam Oratores, et illi minus, quam Poetae, ne negligamus. Duces habemus Stephanum in Epiſtola Graeco Theſauro praemiſſa, Ritterſhuſium Comment. ad Oppianum, Giphanium in Indice Lucretiano, et, qui ex his aliisque ſua maximam partem mutuatus eſt, hunc Vechnerum noſtrum.* Hic autem *Vechnerus* complura in orcheſtram producit, quae ex ubertate et ſuavitate Atticorum proprie non demanarunt, neque apud Romanos vel in Latio pro peregrinis et adſcititiis, ſed plane genuinis et germanis haberi poſſint, ipſis non cum Graecis tantum, ſed fortaſſe aliis etiam linguis communia: haec autem ipſa hellenolexiae ſuae admiſcere voluit juventutis cauſa, quae et imitationem Graecorum, et convenientiam cum iisdem con-

junctim

ſimul addiſcere et velut uno intuitu ponderare poſſe videtur. In collectione autem eorum vocabulorum, quae revera a Graecis Latini ſunt mutuati, et liberiore imitatione praeterea finxerunt et efformarunt, et troporum ac locutionum, ac denique certarum formularum Graeca imitatione Latinis uſurpatarum, omnia complecti haud potuit: primo quidem ne nimium liber excreſceret, et mole ſua lectorem abſterreret; deinde etiam quod, graſſari per omnia, ultra vires unius Grammatici ſit. Linguarum enim diſcrimina impreſſiora divinae vindictae veſtigia retinent, ut tanto Philologis labore illarum conſtet poſſeſſio, in quam tamen pleno et omnibus modis libero jure vix immittuntur. Neque ad vivum reſecare ſingula Auctor voluit, quum exquiſitam et nimiam in re aliqua tractanda vel exornanda diligentiam culpae eſſe adfinem aut certe proximam exiſtimet.

EIVSDEM *Illuſtres Grammaticorum canones et obſervationes linguae Romanae et Graecae.* Francof. 1611. 8.

EIVSDEM *Δεῖγμα Syntaxeos formandae pro tironibus Latinae linguae.*

Georgii VECHNERI *Veſtibulum Germanico-Latinum.* Berythi 1696. 8.

Victorinus VELIVS *Longus:* Vide ſupra *Dausquium.*

Claudii VERDIERII *Cenſiones et Correctiones in auctores antiquos.* Pariſ. 1609. 4.

Auctor eſt naſutulus, et litterio tum admodum iniquus, tum labori huic ſuo plane impar, ut qui ſubinde ea non ſatis didicit, in quae multum ſibi praefidens graſſatur. *Morhofio* Polyh. T. I. l. I. cap. 6. §. 13. p. m. 44. audit homo propemodum inſanus, qui in *Cenſione Auctorum*, audaci, ridicula et ſtulta (nam in omnibus, etiam optimis, quaerit, quae notare poſſit) p. 168. miſera plane et jejuna declamatione omnem curam Bibliothecariam, ut rem inutilem, ſtolidis atque ineptis rationibus damnat. Non eſt operae pretium, nugis illis immorari: ſunt enim non ſani hominis verba, ſed furentis *μεμεθυσμένα ῥήματα.* Extremum dementiae argumentum eſt, omnia, quae exquiſitioris judicii viri aut invenerunt aut approbarunt, improbare. Ex hoc libro, ut ex ungue leo, aeſtimari voluit, aeſtimanda ex unguiculis felis litteraria.

Audire porro juvat *Morhofium*, de hoc inſano homine dd. ll. c. 16. p. m. 176. ita ſcribentem: *Claudius Verdierius*, filius *Antonii Verdierii*, librum ſcripſit exiguum magnifico hoc titulo: *Cenſio auctorum omnium veterum et recentiorum.* Quis non de locuplete penu hujus Pantoſophiſtae praeclara omnia, et tanti promiſſoris hiatu digna, ſibi ſponderet? Sed miſere ille corvos deludit hiantes: nam ubi cenſuram ſuam exercet, manifeſtam hominis phreneſin facile deprehendas. Vel ex ipſa libelli fronte non falſa metopoſcopia conjeceris hominis dementiam, qui triginta circiter foliis tam vaſtum argumentum exhaurire voluit. Si non aliunde, vel

ex eo colligas inſaniam, quod ipſi parenti ſuo, viro docto, in laudes filii ſui tam prolixo, non parcat. Nam in Bibliotheca ſua Gallica Antonius Verdierius pater *ſub voce Claudii* filii ſui varia carmina Gallica etiam cum elogio recenſet, et ille tamen ingratus et maledicus filius de Patre ſuo p. 171. ita: *Erravit fortaſſe Antonius Verdierius pater meus, qui Geſnerum ſecutus Bibliothecae ſupplementum fecit* etc. Porro de eo: *Laboris hac in re ineſſe ſatis, quamvis induſtriae parum, nemo eſt, qui neget.* Adverſus illum cenſuram ſcripſit *Caſpar Scioppius*, qui et ipſe certare cum aliis poteſt maledicentia; non vero ſeorſim excuſus libellus ille, ſed additus libro, cui titulus: *Catulli caſta carmina*. ſelecta a *Raphaele Eglino Iconio*: cum *ejusdem Vindiciis adverſus Joſephum Scaligerum.* Editus eſt liber Francofurti 1606. 12. Neſcio tamen, qui factum ſit, ut *Leo Allatius Diſceptatione* ſua *De erroribus magnorum virorum in dicendo, Romae 1636. edita*, non exiguas ex hujus *Verdierii Cenſione* lacinias in hunc ſuum libellum tranſtulerit, laudato interdum, ſed diſſimulanter, auctore, interdum praeterito. Nam certe majori judicio ingenioque Leo Allatius erat, quam ut e miſera iſta Verdlerii Cenſione judicia illa emendicaret. Si quis aliqua ejus ſtultitiae ſpecimina velit, dabimus illa in guſtum: Statim in initio operis, 18 paginis multa ſunt inepta de Grammaticis veteribus judicia. Pag. 43. *Romans* Gallorum ex voce Gallica *Normans* ſtulta plane derivatione deducit. Pag. 50 et ſeqq. in Virgilio reprehendit voces barbaras, quodque utatur phraſi non Latina, ut Aen. 3. quum Poeta ait; *Anchiſen facio certum;* quum dicere debuiſſet, *facio certiorem. Sceleratum* quoque *frigus*, et *ſceleratas faces* more Mantuano dixiſſe Virgilium, unde in eo deprehenſa ſit Mantuanitas. O acumen omni piſtillo obtuſius! Quam ridiculum eſt ejus de Horatio judicium p. 57. quod in Hexametris duriuſculus ſit, et verſus plurimum inexculte per monoſyllaba deſinere faciat, quo nihil ſit abſurdius, quod de Poëtica arte multa praecipiat, quae ipſe non obſervet; quod Satyras ſuas Sermonum appellatione minus idonea inſignierit: Satyram enim ea gravitate et majeſtate, qua concionator in pulpito adverſus hominum vitia, prorumpere debere; quum ſermo familiaris quaedam loquela ſit. Non novit bonus ille vir genium Satyrae, quem nemo unquam felicius Horatio expreſſit, ac de induſtria hoc illi carminis genus quaeſitum, neque aliam ſatyris eſſe indolem, quam quae ridendo et familiari ſermone verum dicat, non gravitate concionatoria, quae cum Satyrarum ſcriptoribus ſtultiſſime componitur. Ejusdem commatis eſt, quod pag. 100. artem omnem Oratoriam, ut generi humano pernicioſam, damnat, et pag. 103 et 104. praeclaros illos Ariſtotelis Rhetoricorum libros cavillatur. Nihil dicam de inſana ejus in Leges et JCtos cenſura a p. 110. usque ad pag. 132. Verum de eo judicium quoque tulit *Bailletus* de Judic. Doctor. tom. 1. pag. 2. et pag. 517.

Hunc ineptum optimorum ſcriptorum cenſorem etiam *Schorus* quodammodo caſtigat in notis ad *Cenſiones ejus*, quas *Epithetis et Synonymis ſuis Poeticis* ſubjunxit.

Simo-

Simonis VEREPAEI l. *Verrepaei Latinae linguae Progymnaſmata.* Antverp. 1572. 8.

Auctor, Silvae Ducis Collegii Pontificii Canonicus, et Gymn. Praefectus, in Grammaticorum primi ordinis numero habendus eſt. Obſervationes in arte Grammatica haud proletarias, ſed plane eximias et a nugis barbarorum quam maxime alienas adfert. Is Deſpauterium Ninivitam in pauciora coegit, plurimisque in locis caſtigavit, et in Belgii Scholis regnavit ab eo tempore, quo Mechlinienſis provincialis Synodi auctoritate ac decreto conſtitutum, ut Ninivita in compendium contractus, Alexandro a Villa Dei ceterisque rejectis, ſolus in ſcholas reciperetur.

EIVSDEM *De epiſtolis Latine conſcribendis libri IV.* et deinde auctiore editione libri V. Antwerp. 1579, 1585. Denuo exactiore methodo, Schematiſmis et Scholiis illuſtrati, et acceſſione nova poſtremum aucti Colon. 1598. Lubecae 1610. 8.

Hac editione poſteriores longe diverſae ſunt ab antecedentibus: quaeſtionibus nimirum et reſponſionibus conſtant; non vero dialogis, ut antecedentes.

Liber I. docet, quae artis epiſtolicae utilitas; quae epiſtolam ſcripturi ſint officia; quod epiſtolarum decorum; quae partes, tum propriae, tum communes.

II. Oſtendit, primum, quae ſint praecipuae epiſtolarum virtutes; tum quibus rebus haec recte ſcribendi facultas poſſit comparari.

III. Tradit uſitatiores epiſtolarum formas ſeu ſpecies numero plus minus octodecim.

IV. Complectitur elegantiores aliquot epiſtolam recte exordiendi formulas.

V. Suppeditat aliquot L. L. phraſes ſelectiores, ſcripturis epiſtolas crebro futuras uſui.

EIVSDEM *Praeceptiones de verborum et rerum copia* ſive *de tropis et ſchematibus per quaeſtiones in uſum ſcholarum luculenter et breviter explicatae.* Colon. 1582, 1590. 8.

Eraſmiana veſtigia ubique deprehenduntur: Auctor enim Eraſmi librum cognominem ante oculos et prae manibus in concinnando hoc ſuo Syntagmate habuiſſe videtur.

EIVSDEM *Exercitationum ſtudiorum liber I. et II, quo continetur panoplia quaedam litteraria, ad barbariem e ſcholis puerorum profligandam accurate inſtructa.* Accedit *Ejus Exercitationu ſtudiorum liber III, quo explicantur dictionum aliquot diffe-*

ferentiae ex Grammaticorum libris litterarum ordine congeſtae. Silvae Ducis 1585. 8.

In brevem ſummam Auctor utrobique collegit, quae hoc in genere tunc a *Valla* et aliis non nullis hujusmodi heroibus inſigni cum eruditionis laude prolata erant.

EIVSDEM *Praeceptiones de Figuris* ſeu *de Tropis et Schematibus.* Colon. 1590. 8.

Joh. VERWEY *Theſaurus cultae latinitatis, adornatus per clariſſimos linguae Latinae obſervatores.* Goudae 1701, 1703. 4.

Continet *Schori Phraſes, Hadriani Cardinalis de Elegantia Latini ſermonis librum, Vavaſſoris Antibarbarum,* et *Godeſcalci Stewechii, Hudſani, de particulis L. L. librum.*

Aeneae VICI *omnium Caeſarum veriſſimae Imagines ex antiquis numiſmatis deſumtae, addita perbrevi cujusque vitae Deſcriptione ac diligenti eorum, quae reperiri potuerunt, Numiſmatum, averſae partis delineatione.* Editio altera Venet. 1553. 4.

EIVSDEM *Liber Commentariorum in C. Julii Caeſaris Numiſmata.* Venet. 1562. 4.

Petri VICTORII *Lectiones Variae.* Florent. 1553. apud Torrentinum; et 1582. apud Juntas, fol. it. Lugd. 1554. 4.

Libris conſtant XXV. magno interioris litteraturae apparatu, et animadverſionibus in Graecos et Latinos ſcriptores refertiſſimis. Reliquit autem re vera libros XXXVIII. qui tandem prodierunt Argentorati 1609. 8. Erat autem Victorius vir, in quo procul dubio litterae non vulgares, ſed interiores et reconditae, eniteſcebant, nec per Italiam ſolum, ſed etiam per totum orbem litteratum in omni ſtudiorum genere celeberrimus, magni Caſelii noſtris praeceptor, praeſertim Philologus, Philoſophus et Orator plane inſignis, quod doctiſſima ejus in Ariſtotelem atque Ciceronem commentaria abunde teſtantur. *Juſtus Joſephus Scaliger* in *Excerptis Putean. Scalig.* p. 251. longe ſecus judicat de hoc tanto viro, et, quod ipſi fere moris erga omnes eruditos eſt, in quos cenſuram ſuam exercet, iniquior in eum videtur eſſe, quam ut eruditi orbis calculum mereatur. Invidioſe admodum *Turnebo* eum longe poſtponit; quum tamen utriusque in rem litterariam merita videantur eſſe aeque magna atque illuſtria.

Scripſit etiam *Victorius Explicationes ſuarum in Ciceronem caſtigationum, ed. Lugd. apud Seb. Gryphium 1540. 8.* et hoc etiam nomine celebrandus nobis videtur, quod Ciceronis ejusque aequalium veſtigiis inſiſtere adeo voluit, ut omnes reliquos ſcriptores prae his contemſiſſe videatur, magnus proinde Ciceronianus, propendere ad id, quod hoc nomine nimium eſt.

Joh. VIGNOLII *De Columna Imp. Antonini Pii Diſſertatio. Accedunt antiquae Inſcriptiones cum figg.* Romae 1705. 4.

EIVSDEM *Diſſertationes II. de anno primo imperii Severi Alexandri Aug. quem praefert Cathedra marmorea S. Hippolyti Epiſcopi in Bibliotheca Vaticana:* accedit *Epiſtola ad Antonium Gallandum de nummo quodam Imp. Antonini Pii, iterum edita et recognita.* Romae 1712 et 1714. 4.

Chriſtiani VINHOLDI *Elementa Grammaticae Latinae, methodo Euclidea conſcripta.* Francof. et Lipſ. 1678. 12.

Georgii VIONNET, e Soc. Jeſu, *Muſeum Nummarium Carmen,* ſive *Notitia Rei Nummariae veteris.* Recenſuit praefatusque eſt *Julius Carolus Schlaeger,* Sereniſſimi Ducis Gothani a Conſiliis et Antiquitatibus. Helmſtadii 1744. 4.

Nobiliſſimus Schläger, ſub ſuum ab Academia Julia, quam ut Profeſſor Gr. et LL. OO. huc usque ornavit, ad aulam Saxo-Gothanam abitum, Auctorem ab omnium noſtratium ignoratione, in qua prorſus verſatur, quodammodo vindicare ſtudet, edendo concinnum ejus carmen, cujus ſibi copiam a Per-Illuſtri et doctrinae, praeſertim antiquariae, gloria praeſtantiſſimo viro Claudio Gros de Boſe factam eſſe commemorat. In ſua, quam praemittit, Praefatione Gallorum merita in ſtudium numiſmaticum praedicat. Hoc enim nomine magnam adſecuti gloriam inter Gallos ſunt *Altinus, Bandurius, Baudelotius, Bimardus, De Boſius, Chamillartius, Chifletius, Gallandus, Grainvillius, Graverolius, Guiranus, Gutherius, Harduinus, Jobertus, Mahudelius, Menetrejus, Molinetus, Montfauconius, Nicaſius, Patinus, Piſo, Poupartius, Rainſantius, Rigordius, Savotus, Seguinus, Sirmondus, Sponius, Toinardus, Tourneminius, Triſtanus, Vaillantius, Du Valuis, Veyrelius,* et complures alii. Eorum non nulli de pretio et utilitate veterum numiſmatum commentati ſunt. Alii eorundem auxilio partim religionem priſcorum hominum, partim unum alterumve eorum auctorum, quos claſſicos vocare ſolemus, illuſtrarunt; quamvis Harduinus, et adſeclae ejus, ob id quidem minorem laudem ferant, quod, nummorum auctoritate faſcinati, eo usque progreſſi ſint, ut omnium fere ſcriptorum fidem ſollicitarent, immo pleraque tandem veterum ſcripta ſuppoſititia eſſe, et ſibi perſuaderent, et aliis perſuadere conarentur. Quidam vel diverſi generis, metalli et magnitudinis, vel Graecos Romanosque, Conſulares, Imperatorios, et coloniarum, nummos deſcripſerunt, et ſubinde quidem ea methodo, ut inde nunc Geographiae et Chronologiae, nunc antiquitatibus, nunc Hiſtoriae litterariae, civili et naturali, aliisque ſcientiis atque artibus et lucem haud contemnendam et incrementum adferrent maximum. Neque etiam deſiderantur inter illos, quibus univerſam artem numiſmaticam in praecepta includere nequaquam fuit difficile. Quid? quod Gallorum tot

tot in hac materia ſtilo perpolienda elaborarunt, quot apud ceteras Europae cultioris nationes univerſas haud reperiuntur. Quum enim in patria noſtra non niſi *Olearius*, *Gleichius*, *Rinkius* et nuper admodum *Hanthalerius*, apud Anglos ſolus *Joan. Evelynus*, atque inter Italos unicus *Aen. Vicus* hunc lapidem, in eruditae juventutis commodum, volverint; Galli enumerant hujusmodi ſcriptorum novem:

1. *Antonium le Pois* ſ. *Piſonem*, cujus *Diſcours ſur les Medailles et graveures antiques, principalement Romaines, avec une expoſition particuliere de quelques planches, ou tables etant ſur la fin du livre, a Paris 1679.* Opus eſt raro obvium, et duabus partibus conſtans, Candidato artis nummariae valde utile.

2. *Ludovicum Savotum*, cujus *Diſcours ſur les Medailles antiques, deviſé en quatre Parties* Pariſiis 1627. 4. in lucem emiſſus, cum omnium exceptus eſt applauſu, tum dignus judicatus a ſollertiſſimo ſupellectilis antiquariae judice *Joanne Georgio Graevio*, quem Ludolphi Neocori opera Latio donatum, egregii ſui Theſauri Antiquitatum Romanarum volumini penultimo insereret. *Quattuor ſectionum*, quibus opus eruditiſſimum abſolvitur, *prima* occupata eſt in confutandis argumentis, quibus partim Sebaſt. Erizzus confirmare ſtudet, partim effici poſſe videtur, pleraque numiſmata a veteri moneta eſſe ſegreganda. *Secunda* examinat nummorum materiam, aurum nempe, argentum, varia aeris genera, ſtannum et plumbum, tam album, quam nigrum. *Tertia* nummorum pondus et valorem explicat. *Ultima* autem *Sectione* diſputatur de raritate et pretio numiſmatis antiqui hodierno, aliisque momentis, quae ad curatiorem rei nummariae cognitionem requiruntur. Tanto ingenii acumine, tantaque diligentia et eruditione de ſingulis his commentatus eſt Savotus, ut viros doctos oporteat ipſi libenter condonare peccata, paſſim commiſſa, quae ſane facile vitaſſet, ſi vitam prorogaſſet ſuam ad noſtra usque tempora, quibus in hoc ſtudiorum genere progreſſus ad omnem excellentiam factus eſt.

3. *Claudium Chifletum*, cujus *liber de antiquo numiſmate*, cum *Erycii Puteani Tabulis rei nummariae* Lovanii 1628. 8. lucem adſpexit. Iterum Antwerpiae, et correctior quidem, ad calcem *Diſſ. Henr. Thomae Chifletii de Othonibus aereis*, 1656. 4. Poſtea cura *Rud. Capelli*, una cum *hujus Nummophylacio Luederiano, antiquo et recentiori*, Hamburgi 1678. fol. Tandem *Tomo I. Theſauri Antiquitatum Romanarum* ab *Alberto Henrico de Sallengre* adornati p. 631. ſeq. inſertus. Artis numiſmaticae praecepta ſummatim quidem, at erudite tamen, inculcantur. Si auctori licuiſſet ultimam ei addere manum, ab illis naevis et defectibus, quibus laborat, opuſculum hoc foret immune.

4. *Gaillardum Guiranum artis nummariae compendium* condidit, quod tamen huc dum in MSto latet, et ante annos non adeo multos pervenit ad L. B. ab Hohendorf.

5. *Carolum Patinum*, qui in *ſua ad hiſtoriam numiſmatum Introductione* ſcientiae etiam nummariae praecepta perſpicue tradidit.

6. *Joſephum Mariam Suareſium*, cujus exſtat *Diſſertatio de numiſmatibus et nummis antiquis*, Romae 1668. 4. recuſa Amſtel. 1683. 12.

Recen-

Recenſentur primo varia eorum argumenta, qui, vetera numiſmata fuiſſe in uſu commercii, aut cum Seb. Erizzo negant, aut Ludov. Savoto adſtipulati contendunt; tum de numiſmatum dignitate, origine, aetate, materiaque diſputatur; deinde prima frons, et, qui eam ornant, deorum, heroum, virorumque illuſtrium vultus conſiderantur; tandem exponuntur averſae partis ſacra, politica et bellica, item nobilitatis, artis, virtutum et vitiorum ſymbola.

7. *Carolum Caeſarem Baudelotium*, cujus habemus non quidem molis magnae, at ſolidae eruditionis tamen opuſcula, partim ſeorſim, partim vero in laudatae Academiae annalibus publici juris facta, quibus varii generis nummos, lapides gemmasque ſcite eſt interpretatus. Eminet in illis, qui potiſſimum huc pertinet, libellus, hoc inſignitus titulo: *L' Utilité des voyages, et l' avantage que la recherche des antiquitez procure aux ſcavans*, bisque *Pariſiis*, nempe *1686 et 1693 duobus voluminibus in 12. excuſus*. Maximam quidem operis exquiſiti partem occupant multa doctrina refertae commentationes de Inſcriptionibus, ſtatuis, gemmis, annulis, Abraxis, Taliſmanibus, codicibus manuſcriptis aliisque orbis vetuſti reliquiis: non omittuntur tamen, qui in ſupellectili antiquaria familiam ducunt, nummi; quin potius ſingulari ſectione omnia propemodum exponuntur, quae ſcire oportet numiſmaticae arti deditum. Tomo enim priore pag. 72. ſeqq. nummorum utilitatem ſtudiumque, quod viri principes in illis colligendis poſuerunt, perſequitur Baudelotius; poſteriore vero pag. 554 — 745. primum agit de eorundem origine, materia, magnitudine varia nominibusque. Tum expendit nummos Hebraeos, Graecos, Punicos, Barbaros ac Romanos, ſimulque cum catalogum Regum virorumque illuſtrium Graecorum, quos in nummis obſervant antiquarii, exhibet, tum ſuam de coronis radiatis, in nummis Graecorum obviis, nec non de nummis Romanorum plumbeis ſententiam exponit. Poſtremo diſſerit de nummorum raritate, de methodo ſuppoſiticios a legitimis diſcernendi, et de variis rationibus nummorum antiquorum ἐκτυπώματα faciendi. Subjungitur denique, praeter ſeriem Imperatorum, Caeſarum, Auguſtarum Tyrannorumque Romanorum, quorum hodie ſuperſunt numiſmata, Index cimeliarchiorum, quae ſuperiori ſaeculo celebrabantur. Singula haec de nummis capita ea elegantia, tanta cura, ſollicitudine et doctrina elaboravit, ut et delectent, et fructuoſiſſima ſint, immo *nemo ſolidiorem nummorum ſcientiam queat jactare, niſi qui Baudelotianas obſervationes expendit, inque ſuccum, quod ajunt, et ſanguinem convertit.*

8. *Ludovicum Jobertum*, cujus exſtat *La ſcience des Medailles antiques et modernes, pour l' inſtruction des perſonnes, qui s' appliquent à les connoitre.* De hoc egregio opuſculo, ejusque editionibus diſſerui jam ſupra ſuo loco.

9. *Georgium Vionettum*, auctorem carminis, quod Schlaegeri cura iterum heic publicatum eſt: in quo quidem auctor de laudibus et utilitate, de forma et origine, de ſeriebus ordinandis et de gratia numiſmatum, itemque de dignoſcendis nummis adulterinis eleganter canit, et pleraque momenta, numiſmatices ſtudioſo neceſſaria, tangit, ac proinde aptus eſt, ad cujus ductum nobiliſſimae artis praecepta, judice quidem Schlaegero, audi-

auditoribus ſuis explicent, qui in Academiis antiquitatum docendarum provinciam ſuſtinent. Nec tamen ab omni naevo immunem pronuntiare auſit Schlaegerus hunc ipſum libellum, temporis anguſtia potiſſimum excluſus, quo minus notare potuerit, tum in quibus hallucinatus Vionettus ſit, tum vero quae addi ſalutaribus ejusdem praeceptis mererentur.

Joh. Ludovici VIVIS *Opera omnia.* Baſil. 1555. fol. Tomis II.

Hic Vives una cum Eraſmo et Budaeo in rep. litteraria triumviratum quaſi quemdam ſui temporis conſtituebat; quamvis judicii gravitate duobus reliquis antecelleret. Alii libros *ejus XII. de diſciplinis;* alii *ejus Commentarium in Auguſtini librum de civitate dei;* alii *ejus Commentarium de veritate religionis Chriſtianae* reliquis ejus ingenii monumentis praeferunt.

Separatim prodierunt 1) *Ejus Epiſtolae ſelectiores in uſum ſcholarum in III. libros digeſtae opera* Simonis Verrepaei. Colon. 1592. 8.

2) Item *Ejus Colloquia* ſ. *Latinae linguae Exercitatio.* Florentiae ap. Juntas 1568. 8. Lugd. 1613. 8. Cum adnotationibus *Jo. Th. Freigii* Norimb. 1582, 1594. 8. Cum adnotationibus Germanicis ad modum *Emanuelis Sinceri*, Francof. 1739. 8.

3) Item *Ejus introductio ad veram Sapientiam.* Ejusdem *Preculae quaedam et Meditationes piae.* Itemque *Satellitium Animi* ſ. *Heroica ſymbola plus quam ducenta.* Brunsvigae 1657. 8.

4) Item *Ejus Puer et Adoleſcens ſapienter informatus.* Bremae 1618. 8.

Chriſtophori VLADERACCI, Ducis Silvii, *Polyonyma Ciceroniana.* Antverp. 1588. 8. et Rothomagi 1620. 12.

Sub Gallicis vocabulis litterarum ordine poſitis digeſta prodierunt.

Hermanni VLNERI, Hirsfeldiani, *Copioſa Supellex elegantiſſimarum, Germanicae et Latinae linguae, Phraſium, ex optimis ac probatiſſimis utriusque ſermonis ſcriptoribus, congeſta, recognita autem, emendata atque innumeris paene locis aucta a* Wolfgango Gruningio, Hirsfeldiano, Francofurti 1577, 1586, 1602, 1607, 1611, 1620. 12. et 8.

Liber adoleſcentiae litterariae utiliſſimus. Neque enim tantum linguae Latinae, ſed etiam vernaculae noſtrae vocabulorum et locutionum probatiſſimarum ſuppeditat copiam, et legitimae conſtructioni et orationi recte formandae cum primis inſervit. Hoc etiam vehementer in eo laudandum, quod locutionibus, tam Germanicis, quam Latinis, ejusmodi ſubjungat exempla, quae ſingula fere ſingulas contineant doctrinas et incitamenta ad virtutis munera et honeſtatis rectius ſubeunda et perficienda, et ab omni turpitudine ita dehortentur, ut aculeum relinquere in teneris legentium animis poſſint. Auctor JCtus fuit occupatiſſimus, at omni tamen elegantioris litteraturae doctrina politiſſimus; qua etiam curate imbui voluit

filios ſuos, quorum praecipue in uſum hanc utriusque linguae copiae comparandae aptam ſyllogen contexuit, quum gravioribus cauſarum deciſionibus et forenſibus negotiis de die ſatisfactum eſſet, non niſi per horas nocturnas ad iſta animum appellens. Germanica ad eum loquendi modum exegit, qui ſuo tempore ubique in publicis ſcriptis probaretur, quorum autem non nulla hodie in deſuetudinem venerunt, novamque induerunt formam. Quare ſi typis liber excudendus denuo foret, virum optem libro utriusque linguae ſatis peritum inque negotiis publicis exercitatum, ut haec emendet ad uſum aevi noſtri. Latinarum locutionum auctoritatem arceſſivit cum inſigni ſelectu et judicio ex Plauto, Terentio, Cicerone, Jul. Caeſare, Salluſtio, Livio et Curtio.

Joh. VOELLI *Generale Artificium orationis cujuscumque componendae et de ratione conſcribendi epiſtolas praeceptiones utiliſſimae.* Colon. Agripp. 1597, 1611. 12.

M. Georgii VOGELMANNI *Elegantiae Latini ſermonis.* Tremoniae 1566. Hideſiae 1600, 1660. Magdaeburgi 1620. Lipſiae 1633, 1649, 1654, 1663, 1694, 1711. 12. Francof. 1684. 4. Cum demonſtrativa expoſitione *Joh. Jacobi de Brinken*, Luneburgi, 1730. 12.

Decerpſit Auctor has Elegantias ex *Valla*, *Hadriano Cardinale*, *Franciſco Silvio*, et aliis hujusmodi non nullis ſcriptoribus, eo ſelectu, quem Latinae linguae tironibus potiſſimum uſui fore arbitraretur.

Valentini Henrici VOGLERI *de Naturali in bonarum doctrinarum ſtudia propenſione, delectu ingeneniorum, ſtudiorum hodiernis corruptelis, earumque cauſis.* Helmſt. 1672. 4.

Monet Auctor inter alia in his Diſſertationibus non nulla, quae ad ſtudium latinitatis majori cum fructu inſtituendum ſpectant.

Gothofredi VOIGTII *Sex Latinitatis corruptae atque incorruptae Indices.* Hamburgi 1684, 1686. Marpurgi Cattorum 1694. Oſnabrugi 1715. Lipſiae 1723. 8.

Goclenii, *Voſſii*, *Scioppii*, *Vorſtii*, *et Olai Borrichii* veſtigia ubique ſequitur, et poſt tantam eruditiſſimorum virorum meſſem aliquod heic ſpicilegium facit, non alium in finem, niſi ut optimo dicendi generi adſuefaceret juventutem fidei ſuae commiſſam. Singulos Indices fecit bipartitos, quibus cum corruptam vel certe non optimam Latine loquendi ſcribendique conſuetudinem, tum incorruptam atque optimam tradit. Hi Indices autem non modo qualicumque emendatione, ſed etiam verboſiori expoſitione egent, ſi ſcholaſtica juventus inde proficere valde cupiat.

Index I. ſiſtit vocabula vulgo quidem, ſed a ſcriptoribus idoneis numquam recepta.

Index

Index II. ſiſtit vocabula a Latinis quidem, ſed non optimis ſcriptoribus adhibita.

Index III. exhibet vocabula, quae Latina quidem voce, ſed barbara ſignificatione adhibentur.

Index IV. repraeſentat vocabula, quae perperam vel ſcribuntur, vel pronuntiantur, vel flectuntur.

Index V. addit Latina quidem, ſed non recte conjuncta.

Joh. Gottl. VORSATZENS *Initia Encyclia*, oder *Deutſch-Lateiniſch und Lateiniſch-Deutſcher Donat, in welchem die Anfangs-Gründe zur Erreichung des erſten Grads beyder Sprachen, nach Grammaticaliſcher Ordnung mit einander verbunden, deutlich vorgetragen werden: nebſt Anweiſung zur Deutſchen Rechtſchreibung, nach den kritiſch-hiſtoriſchen Beyträgen der Deutſchen Geſellſchaft in Leipzig abgefaſſet.* Hildburghauſen 1745. 8.

Johannis VORSTII *De Latinitate falſo ſuſpecta, deque Latinae linguae cum Germanica convenientia Liber. Adjecti ſunt pleniſſimi Indices.* Roſtochii 1652. Berolini 1665, 1666, 1669, 1674. Editio ſecunda priori correctior 1678, 1682, 1690. Lipſiae 1682. Franeckerae 1698. Lipſiae 1703. 8.

Qui linguae Latinae idiotiſmi et a vernacula diſcrepantiae ſint, id ſtudioſe obſervatum eſt a pluribus, et variis quoque in lucem editis libellis expoſitum. Quae vero ejusdem linguae cum noſtra ſit convenientia, quamque variis ſignificationibus atque uſibus voces Latinae cum Germanicis congruant, de eo non niſi ſparſim notata quaedam reperiuntur, nec dum quisquam praeter hunc Vorſtium noſtrum ex profeſſo et juſto volumine exquirendum id ſibi ſumſit. Quum igitur argumentum iſtuc derelictum quaſi Auctor videret a ceteris, faciendum ſibi putavit, ut Latinarum tum vocum, tum locutionum cum Germanicis convenientias notaret, quaeque inde a pluribus annis notata ipſi fuerint, in corpuſculum quoddam congereret ac foras daret. Et fecit hoc exemplo magni illius linguarum interpretis *Henrici Stephani*, quem non piguit, neque puduit, convenientias linguae Latinae cum hodierna Gallica notare, et edito *de Latinitate falſo ſuſpecta* libello Gallis ſuis cognoſcendas dare.

EIUSDEM *De Latinitate merito ſuſpecta, deque vitiis ſermonis Latini, quae vulgo fere non animadvertuntur, Liber; quem alter, de Latinitate falſo ſuſpecta, anteceſſit.* Roſtochii 1652. Berolini 1565, 1669, 1674, 1678, 1682, 1690. Lipſiae 1682. Franckerae 1698. Lipſiae 1703. 8.

De Latinitate falſo ſuſpecta quum Auctor ſcriberet; Latinitatis quoque merito ſuſpectae, vitiorumque Latini ſermonis, quae vulgo fere non animadver-

advertuntur, ſubinde in mentem venit: ac jam tum ei viſum non ab re futurum, ſi de ipſo quoque illo argumento non nihil commentaretur: id, quod libro hoc altero nunc praeſtat. Etſi enim ſummum virum, *Gerhardum Johannem Voſſium*, ea de re ſcripſiſſe non ignoraret; non pauca tamen ad iſtum cenſum pertinentia diligentiam ejus effugiſſe, vel certe eo in libro, quem de argumento iſto edidit, non apparere, animadverterat. Accedit, quod inſtitutum Voſſii ab hoc Vorſtiano non nihil diverſum eſt. Voſſius quidem non modo inſtituit docere, quae et qualia ſint illa, quae his, qui bene Latine ſcribere geſtiunt, cavenda fugiendaque ſint; ſed et hoc egit, ut proximorum ſuperiorum ſaeculorum ſcriptores facilius intelligantur, quidque illa vocabula, quibus praeter morem antiquiorum, Ciceronis, Caeſaris, et id genus aliorum uſi illi ſunt, ſibi velint, non neſciatur. At Vorſtius noſter hoc libro id agit, ut ſciatur, quae et qualia his, qui bene Latine ſcribere volunt, in libris praecipue illorum, qui patrum memoria et ſuperiori ſaeculo ſcripſerunt, cavenda fugiendaque ſint: neve recentiorum, quantumlibet magnorum atque in ſcribendi arte celebrium virorum, auctoritate temere ſe moveri patiantur; ſed oculos ſemper reflectant ad antiquos illos, quibus lingua Latina, quum praecipuum decus haberet, vernacula fuit; quique, ut Tullius in Bruto loquitur, in ſcribendo rationem, tamquam obruſſam, adhibuerunt.

EIVSDEM *De Latinitate ſelecta et vulgo fere neglecta liber, nunc primum editus. Acceſſit* Andreae Julii Dornmeieri Diſſertatio de vitioſo Ciceronis imitatore; *cui ob materiae cognationem et inſignem raritatem junctus eſt* Dialogus feſtivus de Cicerone relegato et revocato. *Addidit Praefationem* Chriſtophorus Fridericus Bodenburg, *Gymnaſii Berolinenſis Rector.* Berolini 1718. 8.

Liber hic Vorſtii poſthumus eſt. In *quattuor Partes* Auctor eum diſtribuerat. Praemiſſo Conſpectu Generali, Auctor *Primam Partem* ſignificationibus vocabulorum neglectis conſecravit: cujus *Caput 1.* agit de quorumdam nominum ſubſtantivorum ſignificationibus, quae vulgo fere non obſervantur; *Cap. 2.* de nominum quorumdam adjectivorum ſignificationibus atque uſibus vulge neglectis; *Cap. 3.* addit de nominum ſubſtantivorum et Adjectivorum uſu acceſſionem; *Cap. 4.* de pronominum quibusdam elegantibus ac vulgo non ſatis cognitis uſibus; *Cap. 5.* de quorumdam verborum ſignificationibus et uſibus fere neglectis; *Cap. 6.* continet acceſſionem ſpecialiorem de verborum uſu; *Cap. 7.* agit de Adverbiorum quorumdam uſibus vulgo fere neglectis; *Cap. 8.* de Praepoſitionum quarumdam uſibus vulgo fere neglectis. *Partem Secundam* deſtinavit Auctor Conſtructioni vulgo neglectae: cujus *Caput 1.* agit de conſtructione nominum et verborum; *Cap. 2.* de conſtructione paſſiva pro activa; *Cap. 3.* de ellipſi elegantiori et vulgo fere neglecta. *Pars Tertia* deſtinata fuit, ut de vocabulorum poſitu et collocationibus vulgo neglectis ageret; ſed Auctor hanc Partem non perfecit. *Pars Quarta* agit de vocabulis ipſis vulgo

fere neglectis: cujus *Cap. 1.* tractat de nominibus, quae vulgo negliguntur; *Cap. 2.* de verbis quibusdam, ut Grammatici vocant, vulgo prorſus neglectis; *Cap. 3.* de Particulis quibusdam vulgo neglectis.

Optamus, ut Cl. Langius fidem eam, quam in Inſtitutionibus Stili Rom. p. 24. facit, propediem bono publico exſolvat; quandoquidem huic labori poſthumo amplificando et emaculando manus aliquando ſe adjecturum eſſe promittit.

Dedit etiam, quod obiter heic notari velim, Vorſtius *Obſervationum in linguam vernaculam Specimen Colon. Brandenb. 1669. 12.* quod conſtat 19 Capitibus, et non nullorum vocabulorum germanicorum natales curate et docte exponit.

Gerhardi Joannis VOSSII *Latina Grammatica, ex decreto Illuſtr. DD. Hollandiae Weſt-Friſiaeque Ordinum, in uſum Scholarum adornata; multis quidem in locis* Lud. Lithocomi *verbis, quibus ſcholae adſueverant, reſervatis: ſed erroribus, quibus ſcatebat, emendatis; inutilibus reſectis, pluribus, quae deficerent, ſuppletis; et omnibus meliori ordine diſpoſitis.* Saepe numero et diverſis in locis prodiit v. g. Lugd. 1607, 1628. Rintelii 1646. Amſtelaedami 1646, 1648, 1652, 1661, 1666, 1669, 1676, 1685, 1700. Roterod. 1667. Hildeſiae 1658, 1673. Editio auctior et accuratior ceteris, etiam Amſtelodamenſi de anno 1685, 1653. Guelpherbyti 1688. it. 1702. Wittebergae 1702. 8. cet.

Libellus hic Grammaticus hac noſtra aetate, qua multo melioribus ac rectioribus enchiridiis inſtructi nobis videmur eſſe, non amplius ſuo aeſtimatur pretio, quum tamen, quod unum ad laudem ejus ſatis nunc quidem eſſe poſſit, ex iis, quae magnus Voſſius in Ariſtarcho ſuo explicat, fuſius et validis argumentis ſuffulcit, potiſſima et quae majoris uſus ac fructus ſint, heic ſeligat, ſtrictimque et quaſi per lancem ſaturam proponat. Apud Italos non dum in pretio eſſe deſiit, quum Venetiis 1728. 8. typis denuo ſit vulgata; prout Jo. Baptiſta Recurti ad calcem Lexici mei Antibarbari ab eodem Venetiis 1743. recuſi teſtatur.

Occaſio ejus contexendi haec erat. Ediderat *Ludolfus Lithocomus* a. 1575. in uſum Gymnaſiii Duſſeldorpienſis, cui, tamquam Rector, praefectus erat, praecepta linguae Latinae. Magno ea cum applauſu excipiebantur in multis Germaniae oppidis: ac, Voſſio puero, in pleriſque etiam Bataviae ſcholis, Dordrechtana praecipue et Leidenſi, recipi coeperant. Multis nihilominus arridebant vetera: aut juniorum quempiam palmam praeripuiſſe Lithocomo contendebant: non nulli etiam, quibus nihil horum ſatis placeret, maluerunt ea de arte cudere libellos novos. Hinc ſi alio migrandum puero foret; aut ejusdem etiam Scholae praefectus mutaretur: continuo dediſcenda erant priora; aliisque nihilo melioribus tenellum fatigandum ingenium fuit: quam infelicem conditionem aliqui ter quater ſubiit

ſubire cogebantur. Quod quum Illuſtres Hollandiae et Weſt-Friſiae DD. Ordines indignum plane, nec ulterius ferendum judicarent: hujusmodi fecere decretum, ut eadem Latinae linguae praecepta per omnes obtinerent terras ſuas; atque ut in adornanda Grammatici Compendii editione nova, cujus Voſſio noſtro onus injungebatur, ratio in primis haberetur Ludolphi Lithocomi, cujus verbis praeceptores ac diſcipuli a longo jam tempore adſuevissent; ſed ita haberetur, ut, quae deeſſe videantur, adderentur, ac minus exaſciata ad aliquam vocarentur limam, et ſic tandem exponerentur omnia, ut non minus docentibus, quam diſcentibus conſuleretur.

Atque haec Grammatica pro incipientibus in breviorem ſummam contrahebatur, quae ſub titulo *Voſſii Grammaticae Latinae contractae* identem diverſis in locis ſaepiſſime exiit e. g. Lugd. Bat. 1632. 8. cet.

EIVSDEM *Etymologicon linguae Latinae.* Praefigitur *Ejusdem de litterarum permutatione Tractatus.* Amſtelodami 1662, 1672. fol.

Opus in hoc genere praeſtantiſſimum eſt, quod lumine ſuo *Chriſtiani Becmanni Originibus Latinae linguae* tenebras offudit. *Tractatum*, qui praefigitur, *de litterarum permutatione*, poſthumum eſſe novimus: Protractus autem in lucem eſt ita, ut in ſchedis Auctoris poſt ejus fata delituit; nec ſuas ſemper credibile eſt in eo Auctorem ſequi, ſed aliorum interdum ſententias: elegans tamen eſt, ac dignus, qui lucem adſpexerit. Totum hoc opus recuſum eſt Amſtelodami 1695 et 1701. una cum ceteris viri ſummi Operibus, quorum Tomum Primum conſtituit, adjectis *Iſaaci filii* obſervationibus quam plurimis.

EIVSDEM *De Arte Grammatica libri VII.* Amſterdami 1635. Poſt Auctoris obitum, ſub *Ariſtarchi* titulo, multo auctius recuſi, ibid. 1653. et 1662. 4. it. 1685. fol. Inſerti tandem reliquis ſummi viri Operibus editis 1695. it. 1701. fol.

Voſſio prius animus erat, opus hoc inſcribere *Ariſtarchum;* ſed mutata mente ſimpliciorem titulum *de Arte Grammatica* ipſemet praeferre voluit, ac ſane, omiſſo priori, reapſe praetulit. At poſt ipſius fata *Ariſtarchi* titulus etiam obtinuit, invito quamvis, dum vivebat, auctore. Hoc opus Grammaticum quoddam quaſi penu eſt interioris cognitionis litterarum Latinarum, cui colligendo 40 annos inſumſiſſe Voſſius dicitur: ſed ſunt tamen in magno illo cumulo non pauca, quae vel cenſuram aliquam mererentur, vel ab illo omiſſa ſuppleri poterant. Interim nemo huc usque fuit, qui perfectius abſolutiusque hoc in genere opus dederit. Alvari et Sanctii veſtigia ubique in eo deprehenduntur, quae ſaepenumero ſequitur, interdum etiam refutat. Succenturiari Operi huic Voſſiano poſſunt 1. *Georgii Henrici Vrſini Inſtitutiones linguae Latinae*, it. *Ejusdem Obſervationes Philologicae;* de quibus paullo poſt: 2. *Thomae Bangii Obſervationes Philologicae;* de quibus ſupra ad *Bangium:* 3. *Richardi Johnſonii Commentarii Grammatici*, ed. Londini 1716. 8. Ejus autem quaſi

nucleum quemdam exhibet *Grammatica Latina Ludolfi Lithocomi*, a Voſſio noſtro recognita, emendata, et locupletata: prout hoc paullo ante a nobis dictum eſt.

EIVSDEM *De Vitiis ſermonis et Gloſſematis Latino-barbaris libri IV. partim utiles ad pure loquendum, partim ad melius intelligendos poſteriorum ſaeculorum ſcriptores.* Amſtelodami 1640, 1645. Francofurti 1666. 4. Inſerti reliquis Operibus Voſſianis Amſtelodami editis 1695. et 1701. fol.

Decennio poſt, quam Auctor ſuos de Arte Grammatica libros emiſiſſet, haec ejus Gloſſemata Latino-barbara lucem etiam adſpexerunt publicam. Praemittit Operi Praefationem prae auro nitentem: adeo docta eſt et elegans. Agit in ea de vetuſtiſſimis Europae linguis, et ſpeciatim de variis linguae Latinae aetatibus. Quibus expoſitis, memorat, quomodo hoc opere ſibi fuerit propoſitum, bene mereri, tum de amantibus ſermonis Romani, tum de legentibus ſcriptores barbaros. Denique non rationem modo reddit, cur multa nunc praeterita ſibi ſint, ſed refert etiam, quid ab aliis requirat, ut ſumma manus addatur iis, quae exorſus ſit.

Francofurtana editio admodum vitioſe exſcripta eſt, ita, ut ſaepe numero lectori moram injiciat. *Scioppius* in *Animadverſionibus ſuis in Voſſium*, multa habet, quae in libro hoc Voſſiano carpat. At primo ſciendum eſt, ipſum Voſſium pro ſumma ſua modeſtia de hoc ſuo Syntagmate ita judicaſſe, ut pro perfecto et abſoluto opere nemini obtrudat, etiam quod ad verborum interpretamenta attinet: deinde etiam Scioppius ſaepenumero injuſtam agit cenſuram; prout hoc *Olaus Borrichius* in Defenſione illa, qua Voſſii cauſam adverſus Scioppii inquitatem defendit, copioſe et luculenter demonſtrat. Interim *Thomas Reineſius* hunc Voſſii librum infinitis in locis emendavit, interpolavit, auxit: ſervaturque iſtud exemplar cum libris Reineſianis reliquis in Cizenſi Bibliotheca.

EIVSDEM et aliorum Diſſertationes *de ſtudiis bene inſtituendis.* Trajecti ad Rhenum 1651, 1658. 12.

Cuncta Voſſii hujus Opera in VI. Tomos fol. diviſa ſunt. Sunt tamen non pauci inter eruditos, qui veteres librorum Voſſianorum ſigillatim excuſorum editiones huic magno Syntagmati praeferunt, eo quod multo correctius exſcriptae ſint.

Iſaaci VOSSII *Variarum Obſervationum liber.* Londini 1685. 4. cum figg.

Liber admodum infrequens; dignus tamen, qui recudatur; quum haud proletaria cum eruditione refertum eſſe viri eruditi exiſtiment.

Sertorius VRSATVS *De notis Romanorum Commentarius, in quo earum interpretationes, quotquot reperiri potuerunt, collegit, litterarum ordine digeſſit, obſervationesque adjecit Auctor.* Patavii 1672. fol.

Auctari

Auctarii loco librum hunc in compendium redactum Marmoribus Oxonienſibus ſubjunxit *Humphredus Prideaux*, Oxonii 1676. fol. Quod quidem Compendium ſeparatim recuſum eſt Pariſ. 1723. 8. ſub hoc titulo: *Sertorii Vrſati Explanatio notarum et litterarum, quae frequentius in antiquis lapidibus, marmoribus et auctoribus occurrunt.* Noſcere utriusque licet veterum notas et abruptiones, quas ſingulari diligentia collegit et interpretatus eſt Vrſatus.

EIVSDEM *Monumenta Patavina, collecta, digeſta, explicata, ſuisque iconibus expreſſa, cum figg. aen.* Patavii 1652. fol.

Fulvii VRSINI *Familiae Romanae, quae reperiuntur in antiquis numiſmatibus ab urbe condita ad tempora Divi Auguſti, adjunctis familiis XXX. ex libro* Antonii Auguſtini, *cum figg.* Romae 1577, 1587. fol.

Multum operae ac diligentiae in concinnando hoc praeſtantiſſimo libro poſuit. *In eo enim,* ait *Erythraeus* in vita ejus, *quod agendum ſuſcipiebat, longam ſemper moram ac diligentiam adhibebat, quo ab omni parte perfectum evaderet.* Ejus etiam *Animadverſiones in Feſti Pompeji librum de verborum ſignificationibus* valde celebrantur.

Joh. Henr. VRSINI *Progymnaſtices Oratoriae Epitome, Praxin Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, in Variatione, Dilatatione, Contractione et Expolitione Latini ſermonis docens, ad comparandam Rerum Verborumque Copiam.* Norimb. 1659. 12.

Georgii Henrici VRSINI *Inſtitutionum pleniſſimarum, quibus linguae Latinae et praecepta vernacula ſolide traduntur, et cauſae notis additis accurate eruuntur, vel examinantur, in uſum docentium ſimul et diſcentium collectarum confectarumque Tomi II.* Ratisbonae 1700, 1701. 8.

Auctor, proxime praecedentis Theologi *Joh. Henrici Vrſini*, filius, Gymnaſii Poëtici Ratisbonenſis Rector quondam meritiſſimus fuit. Sanctiana urget veſtigia: in quibusdam tamen deflectit ad meliora ac rectiora. Multa habet, quibus *Voſſii Ariſtarchus* partim ſuppleri, partim emendari queat. Praecepta ipſa Germanice proponuntur regulis concinnis et genuinis; cauſſae vero regularum, exemplorumque ratio Latinis verbis ſubjunguntur, in quibus non tantum ſelectus laudari meretur, ſed et accurata locorum ex auctoribus adnotatio: ſunt verba Cl. Langii Inſtit. ſtili. Rom. p. 301.

EIVSDEM *Obſervationum Philologicarum liber unus.* Ratisbonae 1679. 8.

Liber rariſſimus, minusque parabilis, in quo Auctor ſe praeſtitit; tamquam Criticum non minus prudentem, quam eruditum. *Voſſium*, aliosque magni nominis viros modeſte corrigit ſubinde atque emendat. Etiam non nullas Olai Borrichii ſententias ſingulares tentat explodere; at non ſperato ſuceſſu: Olaus enim ſe admodum ſtrenue contra eum tuitus eſt.

Zachariae VRSINI *Scholaſticarum in materiis Theologicis exercitationum libri duo.* Neoſtad. 1589. 8.

M. Friderici WACKERI, Oſteroda-Grubenhagii, *Speculum Scholaſticum, in quod Inſpectores et Praeceptores et Auditores ſ. Diſcipuli ſcholarum trivialium inſpicere poſſunt, ut perfunctorie in ſuo eſſe officio nemo videatur.* Editio ſecunda correctior et commodior. Adjectum autem eſt heic quoque Ampliſſ. Facultatis Philoſ. in Ill. Acad. Julia de lectionibus, quas Auctor diſcipulis quondam ſuis praelegit, judicium. Goslariae 1579. 8.

Inculcat quidem Auctor vulgaria, et quae, ut nunc ſunt tempora, parum aeſtimentur; ſed maximam partem ſic tamen ea comparata ſunt, ut ſolidae eruditioni viam ſternant.

Joh. Chriſtophori WAGENSEILII *Pera librorum juvenilium, qua ingenuos, viamque ad eruditionem et bonam mentem affectantes adoleſcentes donat.* Loculamentum Primum prodiit Altdorfi Noricorum 1695. 8. Conſtat autem omnino Loculamentis V.

De Particulis Latini ſermonis Excerpta, quae in *hoc Loculamento Primo* primum locum occupant, ad Latinitatis modo cauſam praecipue pertinent. Habet autem haec *Pera Wagenſeiliana* hoc boni, ut inſtar integrae Bibliothecae litterariae adoleſcenti eſſe poſſit.

EIVSDEM *Von Erziehung eines jungen Prinzen, der für allem Studiren einen Abſcheu hat, daſs er dennoch gelehrt und geſchickt werde; auf Römiſch-Kayſerl. Allergnädigſten Befehl entworfen, und Deroſelben allerunterthänigſt gewidmet. Es werden Gedanken beygefügt: Welcher Geſtalt ein jeder Menſch, zu einer ſeinem Geſchlecht, Alter, und Lebensbeſchaffenheit wol-anſtehenden Wiſſenſchaft in geiſtlichen und weltlichen Sachen, leicht anzuführen.* Leipzig 1705. 4.

Ingenioſe heic omnia et cum magna rerum lectu digniſſimarum jucunda quadam varietate ſcripta ſunt. Operae autem pretium fuerit, libri huius

recenſio-

recenſionem ita inſtituiſſe, ut primo oſtendam, quot et quibus capitibus abſolvatur; deindé in orcheſtram producam loca illa, quibus Latinae linguae Principi juventutis addiſcendae habetur ratio: et tandem ſubjungam non nulla miſcellanea, quae mihi quidem in perluſtratione libri prae reliquis notatu digna viſa ſunt.

Ita quidem primo Capita hujus libri ſequenti ſe excipiunt ordine: Agitur nempe

Pag. 1. Von Belehrung eines Prinzen, der für dem Studiren einen Abſchen hat.

Pag. 7. Wie mit einem jungen Prinzen, ſo von nichts, als dem Kriege hören mag, zu verfahren, damit er gelehrt und geſchickt werde. Von Erziehung deſſen Kindheit.

Pag. 9. Einleitung zum Leſen, Schreiben, Latein, wie auch von den kindlichen Ergetzungen.

Pag. 14. Von Beſtellung des Chirons d. i. Fürſtlichen Informatoris.

Pag. 21. Von Bereitung des Zimmers für einen jungen Prinzen, und deſſen bein Chiron Anvertrauung.

Pag. 25. Von des Prinzen Aufſtehen aus dem Bett, ſeinem Gebät und erſter Verrichtung, wie auch Einleitung zur Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Pag. 26. Einleitung zur Gottesfurcht.

Pag. 29. Einleitung zu einem tugendlichen Leben, oder Belehrung der Ethicae.

Pag. 38. Einleitung zu der Geographia.

Pag. 41. Einleitung in die Hiſtorien.

Pag. 43. Fernere Anleitung zu dem Schreiben.

Pag. 49. Fernere Anleitung zu dem Rechnen.

Pag. 57. Fernere Anleitung zu der Lateiniſchen Sprache.

Pag. 60. Einleitung zu der Franzöſiſchen und Italiäniſchen Sprache.

Pag. 62. Von den Spielen und Ergötzungen.

Pag. 67. Einleitung zu der Phyſiognomia und Chiromantia.

Pag. 70. Einleitung zu der Muſica.

Pag. 73. Einleitung zu den Exercitien.

Pag. 78. Einleitung zu den Diſciplinis Mathematicis.

Pag. 82. Fernere Einleitung zu den Kriegsſachen.

Pag. 86. Einleitung zu den Mechaniſchen Künſten.

Pag. 93. Einleitung zu der Baukunſt, Mahlerey- und Bildhauer-Kunſt.

Pag. 102. Einleitung zu der Poeſie.

Pag. 110. Einleitung in die Logicam oder Vernunfts-Kunſt.

Pag. 111. Einleitung zu der Rhetorica.

Pag. 116. Einleitung in die Botanicam oder Erkänntniß der Blumen, Kräuter und Bäume.

Pag. 120. Einleitung in die Artem Coquinariam oder die Kochkunſt.

Pag. 122. Einleitung in dit Politicam oder Staats-Weisheit.

Pag. 129. Einleitung in die Oeconomicam, oder den Haushaltungs-Verſtand.

Pag. 137. Einleitung in den Blaſon oder die Heroldskunſt.

Pag. 143. Einleitung in die Phyſicam oder die Natur-Erfahrenheit.

Liber rariſſimus, minusque parabilis, in quo Auctor ſe praeſtitit; tanquàm Criticum non minus prudentem, quam eruditum. *Voſſium*, aliosque magni nominis viros modeſte corrigit ſubinde atque emendat. Etiam non nullas Olai Borrichii ſententias ſingulares tentat explodere; at non ſperato ſuceſſu: Olaus enim ſe admodum ſtrenue contra eum tuitus eſt.

Zachariae VRSINI *Scholaſticarum in materiis Theologicis exercitationum libri duo.* Neoſtad. 1589. 8.

M. Friderici WACKERI, Oſteroda-Grubenhagii, *Speculum Scholaſticum, in quod Inſpectores et Praeceptores et Auditores ſ. Diſcipuli ſcholarum trivialium inſpicere poſſunt, ut perfunctorie in ſuo eſſe officio nemo videatur.* Editio ſecunda correctior et commodior. Adjectum autem eſt heic quoque Ampliſſ. Facultatis Philoſ. in Ill. Acad. Julia de lectionibus, quas Auctor diſcipulis quondam ſuis praelegit, judicium. Goslariae 1579. 8.

Inculcat quidem Auctor vulgaria, et quae, ut nunc ſunt tempora, parum aeſtimentur; ſed maximam partem ſic tamen ea comparata ſunt, ut ſolidae eruditioni viam ſternant.

Joh. Chriſtophori WAGENSEILII *Pera librorum juvenilium, qua ingenuos, viamque ad eruditionem et bonam mentem affectantes adoleſcentes donat.* Loculamentum Primum prodiit Altdorfi Noricorum 1695. 8. Conſtat autem omnino Loculamentis V.

De Particulis Latini ſermonis Excerpta, quae in *hoc Loculamento Primo* primum locum occupant, ad Latinitatis modo cauſam praecipue pertinent. Habet autem haec *Pera Wagenſeiliana* hoc boni, ut inſtar integrae Bibliothecae litterariae adoleſcenti eſſe poſſit.

EIVSDEM *Von Erziehung eines jungen Prinzen, der für allem Studiren einen Abſcheu hat, daſs er dennoch gelehrt und geſchickt werde; auf Römiſch-Kayſerl. Allergnädigſten Befehl entworfen, und Deroſelben allerunterthänigſt gewidmet. Es werden Gedanken beygefügt: Welcher Geſtalt ein jeder Menſch, zu einer ſeinem Geſchlecht, Alter, und Lebensbeſchaffenheit wol-anſtehenden Wiſſenſchaft in geiſtlichen und weltlichen Sachen, leicht anzuführen.* Leipzig 1705. 4.

Ingenioſe heic omnia et cum magna rerum lectu digniſſimarum jucunda quadam varietate ſcripta ſunt. Operae autem pretium fuerit, libri hujus

receenſio-

recenſionem ita inſtituiſſe, ut primo oſtendam, quot et quibus capitibus abſolvatur; deinde in orcheſtram producam loca illa, quibus Latinae linguae Principi juventutis addiſcendae habetur ratio: et tandem ſubjungam non nulla miſcellanea, quae mihi quidem in perluſtratione libri prae reliquis notatu digna viſa ſunt.

Ita quidem primo Capita hujus libri ſequenti ſe excipiunt ordine: Agitur nempe

Pag. 1. Von Belehrung eines Prinzen, der für dem Studiren einen Abſchen hat.

Pag. 7. Wie mit einem jungen Prinzen, ſo von nichts, als dem Kriege hören mag, zu verfahren, damit er gelehrt und geſchickt werde. Von Erziehung deſſen Kindheit.

Pag. 9. Einleitung zum Leſen, Schreiben, Latein, wie auch von den kindlichen Ergetzungen.

Pag. 14. Von Beſtellung des Chirons d. i. Fürſtlichen Informatoris.

Pag. 21. Von Bereitung des Zimmers für einen jungen Prinzen, und deſſen beim Chiron Anvertrauung.

Pag. 25. Von des Prinzen Aufſtehen aus dem Bett, ſeinem Gebät und erſter Verrichtung, wie auch Einleitung zur Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Pag. 26. Einleitung zur Gottesfurcht.

Pag. 29. Einleitung zu einem tugendlichen Leben, oder Belehrung der Ethicae.

Pag. 38. Einleitung zu der Geographia.

Pag. 41. Einleitung in die Hiſtorien.

Pag. 43. Fernere Anleitung zu dem Schreiben.

Pag. 49. Fernere Anleitung zu dem Rechnen.

Pag. 57. Fernere Anleitung zu der Lateiniſchen Sprache.

Pag. 60. Einleitung zu der Franzöſiſchen und Italiäniſchen Sprache.

Pag. 62. Von den Spielen und Ergötzungen.

Pag. 67. Einleitung zu der Phyſiognomia und Chiromantia.

Pag. 70. Einleitung zu der Muſica.

Pag. 73. Einleitung zu den Exercitien.

Pag. 78. Einleitung zu den Diſciplinis Mathematicis.

Pag. 82. Fernere Einleitung zu den Kriegsſachen.

Pag. 86. Einleitung zu den Mechaniſchen Künſten.

Pag. 93. Einleitung zu der Baukunſt, Mahlerey- und Bildhauer-Kunſt.

Pag. 102. Einleitung zu der Poeſie.

Pag. 110. Einleitung in die Logicam oder Vernunfts-Kunſt.

Pag. 111. Einleitung zu der Rhetorica.

Pag. 116. Einleitung in die Botanicam oder Erkänntniß der Blumen, Kräuter und Bäume.

Pag. 120. Einleitung in die Artem Coquinariam oder die Kochkunſt.

Pag. 122. Einleitung in dit Politicam oder Staats-Weisheit.

Pag. 129. Einleitung in die Oeconomicam, oder den Haushaltungs-Verſtand.

Pag. 137. Einleitung in den Blaſon oder die Heroldskunſt.

Pag. 143. Einleitung in die Phyſicam oder die Natur-Erfahrenheit.

Pag. 147. Einleitung in die Medicinam oder Arzney-Kunſt.

Pag. 151. Einleitung in die Rem Nummariam oder Erkänntnis der alten Römiſchen Münzen.

Pag. 154. Einleitung in das Jus Civile oder die Römiſchen Gemeinen Rechte.

Pag. 161, Einleitung in das Jus Feudale oder Lehn-Recht.

Pag. 169. Einleitung in das Jus Canonicum, oder die geiſtlichen Rechte.

Pag. 191 Einleitung zu dem Jure Publico oder Wiſſenſchaft von dem Heil. Röm. Reiche.

Pag. 203. Vermahnung zu der Civilitate Morum, oder zu den höflichen Sitten.

Pag. 208. Abrichtung in der Arte Apodemica oder Erfahrenheit in die Fremde nutzlich zu reiſen.

Pag. 240. Einleitung in die Theologiam oder Gottes-Gelahrtheit.

Pag. 243. Wie die Belehrung eines jungen Prinzen, deſſen Verlangen und Beluſtigung blos auf die Jägerey gerichtet, anzuſtellen.

Pag. 260. Wie die Belehrung eines Prinzen, deſſen Verlangen und Beluſtigung nur auf das Wolleben gerichtet, anzuſtellen.

Pag. 313 Welcher Geſtalt ein jeder Menſch zu einer ſeinem Geſchlecht, Alter, und Lebens-Beſchaffenheit wolanſtehenden Erfahrenheit in geiſtlichen und weltlichen Sachen, anzuführen.

2. Loca illa, quibus Latinae linguae Principi juventutis addiſcendae ratio habetur, haec fere ſunt:

In Dedicatione ad Auguſtiſſimum Imp. *Leopoldum:* Allein ſcheine es, ward von E. geheiligten Kayſ. Maj. ferner hinzugeſetzt, daß der Adel im Reich weniger, als etwan ehemalen, dem Studieren obliege, ſonderlich aber wolle es faſt ein Anſehen gewinnen, als wenn die Lateiniſche Sprach nicht ſehr, und minder, als die Franzöſiſche excoliret werde. Es ſey aber die Lateiniſche Sprach die Sprach der allgemeinen Catholiſchen Kirche, als in welcher alle Sacra verrichtet werden; Zu dem ſey ſie auch die Sprache der gelehrten Welt, daß ſie alſo mit Recht eine Vniverſal-Sprache könne genennet werden.

Pag. 12 Weilen, wie der Kayſer Carolus IV. zu Ende der güldnen Bull ſaget, die Teutſche Sprache eingebohren und eingepflanzt iſt, muß ein kleiner Prinz, ſo bald er reden lernet, auch zugleich zu einer fremden angewehnet werden, damit er ſelbige ohnvermerkt dabey begreife: und dieſes iſt nun die Lateiniſche, als die unter die abgeſtorbenen gehöret, und demnach zu erlernen eine große Zeit erfordert. Man darf aber nicht nach der gemeinen Art einem Prinzen vorſagen, wie er erſtlich die Glieder des Leibes, hernach das, was man zum Tiſch gebrauchet, und ferners andere Sachen, Lateiniſch benennen ſolle. Es kommt dieſes gar zu lernerhaft heraus, martert das Gedächtnis, erfordert, wann die Wörter ſollen behalten werden, und ſonderlich deren viele ſind, eine ſtete Wiederhohlung, das iſt, es gewinnet die Geſtalt einer abgeſchmackten Lection, mit welcher, als einer ſo unangenehmen Sache, wie die Erlernung einer Sprache iſt, man unſern Prinzen nicht aufgezogen kommen darf. Für weit vorträglicher halte ich, daß die beyden jungen Knaben des Prinzen (es hatte nemlich Herr Wagenſeil den Vorſchlag gethan, aus der Unterthanen Kinder zwen feine Knaben, die ſchon bereits etwas erzogen und gelernet, zu beſtändiger

diger Geſellſchaft und Aufmunterung des Prinzen zeitig zu erwehlen und herbey zu ſchaffen, ſolten es auch Bauren Söhne ſeyn) ſo, wie ſupponiret wird, der Lateiniſchen Sprache nunmehro ziemlich kundig ſind, in Gegenwart ihres Herrn (neml. des jungen Prinzen) ſtets unter ſich und auch mit ihm ſo reden, daß ſie das vornehmſte Lateiniſch nennen, und zwar die Subſtantiva, Adjectiva und Pronomina nicht anderſt, als in dem Caſu recto Nominativi, die Verba in dem Infinitivo exprimiren, auch wann es gleich nach der Lateiniſchen Sprache ungereimt heraus käme; ganz aber Lateiniſch zu reden muß dieſer Zeit noch unterlaſſen werden. Demnach ſchwatzen die Jungen zum Beyſpiel auf folgende Weiſe: Wo iſt unſer canis? der canis will bibere: ich bin famelicus: ich bin laſſus: ich will exire: der panis iſt nicht bonus: die nox kömmt, man muß dormire in dem lectus: man muß morgen früh ſurgere: komm, laſſet uns ludere: ich kann nicht mehr edere: ille iſt ganz aegrotus: illi gehen in den hortus. Princeps, es kömmt da eine epiſtola, auf die müſſet ihr cito etwas reſpondere, u. a. w. Das dieſes ein leichter und herrlicher Behelf ſey eine fremde Sprache zu lernen, wird mit der ganzen Jüdiſchen Nation in Teutſchland und Pohlen erwieſen, als bey welcher ſolche zu aller Zeit üblich geweſen, und auch noch iſt, und wodurch derſelben Weiber und Kinder zu einer ſolchen Erfahrenheit in der Hebräiſchen Sprach gelangen, daß, wer ſie reden höret, nicht anderſt meynet, als ſie reden pur Hebräiſch, da ſie doch nur einige Sachen Hebräiſch bemerken, das andere aber Teutſch, wiewol mit einem corrumpirten Accent, benennen.

Pag. 24: Wie des Prinzen Schlaf-Gemach und des Chirons Zimmer ſollen angerichtet und verſehen werden, iſt unnötig zu erinnern. Nicht weit von dieſen Zimmern muß eine ſchöne lange Galerie ſeyn, damit der Prinz und Chiron nach eingenommener Mittags- und Abend-Mahlzeit, oder ſonſten nach Belieben, daſelbſten auf- und abgehen, und mit einander Unterredung halten können. Die beyden Knaben, ſo dem Prinzen bishero gedienet, können noch ferner bey ihm bleiben, und weil ſie ihm die allermeiſten Lateiniſchen Wörter nunmehro werden beygebracht haben, mögen ſie nun rechte Senſus formiren, und Fleiß ankehren, damit das decliniren und conjugiren der Prinz gleichſam par raillerie und öfters nachſagen (welches auch ſchon eher geſchehen ſollen) lerne. Hinweg aber mit dem Donat, wie auch der Grammatic, und ſolte es des alten Mönchs Ratherii ſeine Grammatic ſeye, welche er Sparadorſum genannt, um ihrer Leichte willen, daß ſie gar geſchwind zu begreifen, und demnach machte, daß die Praeceptores der Rücken ihrer diſcipulorum mit Schlägen ſchoneten.

Pag. 57: Prinz, Ihr ſeyd nun durch das lange und ſtete Reden mit euren Knaben in der Lateiniſchen Sprache ziemlich fertig, und dieſe Erfahrenheit in derſelben muß ſtets unterhalten werden. Doch iſt nicht von nöten, daß ihr euch mit dem Cicerone, Terentio, Plauto, Virgilio, Ovidio und andern dergleichen Auctoribus, durch welche die Jugend in Schulen gemartert wird, und aus ſolchen viel auswendig lernen muß, plaget. Solche Bücher gehen euch nichts an, und gehören für die, welche nach der gemeinen Art den Unterricht empfangen. Euch iſt genug, wenn ihr in der Lateiniſchen Sprache, was ihr wollet, mit gemeinen klaren Worten, ohne Fehler ausreden könnet, und wäre eine Sunde, wenn ihr etliche hundert Phraſes lernen ſoltet, davon ihr

etwan eine einige euer Lebtag anbringen könnet. Jedoch müſſen wir bisweilen in einem Lateiniſchen Buch etwas leſen, damit ihr auf ſolche Weiſe alles, was euch hernach vorkommet, verſtehen lernet. Ich habe zu deſſen Ende des Julii Frontini, wie auch des Polyaeni aus dem Griechiſchen überſetzte libros Strategematum, des Curtii Alexandrum Magnum, des Livii Hiſtoriam Romanam, und, damit man nicht blos bey den alten bleibe, die mit ſchönen Kupfern gezierte Hiſtoriam Sueciam, wie auch Brandenburgicam Pufendorfii zur Hand geſchaffet. Dieſe Bücher ſchicken ſich für euch, und ſolche wollen wir, wann es euch gelegen ſeyn wird, nach und nach mit einander durchgehen. Aus denenſelben werdet ihr nicht allein, ſo viel euch von der Lateiniſchen Sprache zu können von nöten iſt, gar wol erlernen, ſondern auch darinnen Sachen leſen, die euch euer Lebtage in eurem Krieges-Weſen können nütz ſeyn.

Es iſt die Lateiniſche Sprache etwas ſchwer, und hat man viel zu thun, bis man recht darinnen fortkommet. Zwar hat der bekandte Abt Johannes Trithemius in ſeiner Polygraphia ſich vermeſſen, einem in zwo Stunden die Lateiniſche Sprache beyzubringen, und höret nur Wunders halben, was er von ſich berühmet. Tertius liber docet artem, per quam poſſum hominem idiotam, ſcientem tantum linguam maternam, qui numquam novit verbum Latini ſermonis, in duabus horis docere, ſcribere, legere, et intelligere Latinum ſatis ornate et diſerte, quantumcumque voluerit, ita, ut, quicumque viderint ejus litteras, laudent verba, intelligant Latine compoſita. Allein der P. Athanaſius Kircherus zeiget in ſeiner Polygraphia an, daß des Trithemii große Sachen, die er von ſich ausgiebt, nichtig und falſch ſeyn, oder wenigſtens in aequivocationibus, und alſo oft in gar ſchlechten liederlichen Dingen beſtehen, denen er doch, um ſich in Anſehen zu bringen, und die Leute glauben zu machen, als wenn er ſeine Wiſſenſchaft durch Hülfe der Zauberey, oder ſonſt übernatürlich erlanget hätte, erſchröckliche Geiſter-Namen beygefüget. Dann wie iſt es möglich, daß ein Menſch in zwo Stunden die Lateiniſche Sprache verſtehen lerne? Kann er doch in ſolcher Zeit kaum den vierten Theil der Lateiniſchen Wörter leſen; geſchweige, daß er ſie, und was ſolche heiſſen, im Gedächtnis behalte. Und geſetzt, er lerne alle Wörter in zwo Stunden, wiſſe auch alſo, was penna, domus, pater, fructus, ſpecies, amo, doceo, lego, audio, &c. heiſſet; wie mag er, was pennarum, domibus, patre, fructibus, ſpecierum, amabo, docebis, legebam, audimus, ſagen will, verſtehen? Gehet es demnach mit dieſem Können der Lateiniſchen Sprache nur materialiter, wie es der Kircherus nennet, nicht aber formaliter zu; das iſt, man ſchreibet etwas Lateiniſches, weiß aber nicht, was ſolches eigentlich bedeutet. Gerade, als wann einer, der was Lateiniſches ſchreiben will, ſelbiges erſt in ſeiner Sprache, ſo viel möglich, in Caſibus rectis und Infinitivis concipiret, und darnach ein jedes Wort in einem Lateiniſchen Lexico aufſuchet, und ſo zu Papier bringet, welches gar zu kahl heraus kömmt.

Pag. 61. Man kann die Knaben, die bisher zur Lateiniſchen Sprache gedienet, zu andern Verrichtungen gebrauchen, und an deren Stelle erſtlich ein Paar Franzoſen, und wenn ihr euch zwey oder drey Jahre in der Franzöſiſchen Sprache geübet, hernach ein Paar Italiäner annehmen. Es müſſen derſelben allezeit ein Paar ſeyn, damit ihr ſie ſtets reden höret, und deſto eher den drit-

ten

ten Mann abgeben könnet. Die Confuſion zu vermeiden, iſt es beſſer, eine Sprache nach der andern zu lernen. Sonſten laſſen ſich auch wol mehr Sprachen auf einmal begreifen. Robertus Gentilis, des bekandten Alberici Sohn, konte in dem ſiebenden Jahre ſeines Alters, ſchon fertig Lateiniſch, Franzöſiſch und Engliſch parliren. Dann der Vater redete nichts anders, als Latein, mit ihm; die Mutter, eine gebohrne Franzöſin, gebrauchte ſich gegen ihn der Franzöſiſchen; und von dem Hausgeſinde, wie auch übrigen Leuten, weil zu Oxfurt in Engelland der Aufenthalt war, hörete er nichts, als Engliſch. Prinz, ihr habt mehr zu thun. Lernet lieber eine Sprache auf einmal, und dieſelbe recht: darnach kann man zu der andern ſchreiten.

3. Sequuntur Miſcellanea illa, quae mihi quidem in perluſtratione hujus libri notabiliora videntur. Sunt inter eruditos, qui optant, ut ab aliquo colligantur ea, quae paſſim in ſcriptis Wagenſeilianis occurrunt vel ab ipſo Auctore in ſuis ipſius peregrinationibus ſollicite adnotata, vel omnino ſapienter ab ipſo et acute dicta, ut ſeparatim edi referrique poſſint ad cenſum eorum librorum, qui vulgo dicuntur libri in *ana*. Tentabimus ergo nunc hujusmodi aliquam ſyllogen, ſaltem ex hoc libro, quem prae manibus habemus, inſtituendam, ut Lectori noſtro demus guſtum quendam, unde de reliquis judicium ferat: quamlibet lubentiſſime fateor, me haud conſectatum eſſe omnia, quae hoc, quem agimus, cenſu venire poſſint, ſed quaedam modo potiora, et quae nobis ſaltem prae aliis arriſerint. Miſſas de conſulto facimus aevi recentioris Inſcriptiones, quas Auctor praecipue apud Italos elegantiores et notabiliores animadvertit, multaque alia, quae rectius ex ipſo libro cognoſcuntur, hujusmodi deliciis refertiſſimo.

Pag. 15. Dieſem Erzieher, (neml. des Prinzen) muß man keinesweges den Namen eines Praeceptoris, Informatoris, oder Hofmeiſters, auf daß es nicht ſchulhaftig, oder nach gemeiner Art heraus komme, beylegen. Damit es etwas beſonders ſey, auch nicht jedermann verſtehe, was man anzuzeigen gewillet, ſondern ſich was ungewöhnliches einbilde, nachdem ohne das bey einem Hofe viel fremde Namen tragende Bediente gefunden werden, alſo nenne man ihn den Chiron. Der Chiron war ein Centaurus, und hat in ſeiner Belehrung den halbgöttlichen Herculem, den unvergleichlichen Achillem, und den heilwertigen Aeſculapium gehabt. Dieſer Urſach halben iſt von den Alten der Chiron ſo hoch geehret worden, daß ſie ihn bis an die Sterne erheben, unter welchen er in dem Zodiaco durch den Namen des Sagittarii bekandt iſt. Daher kommt auch, daß ein gar gelehrter und geſchickter Mann per antonomaſiam durch den Namen Chiron angezeiget wird, und hat in dieſem Verſtand der Virgilius ſolches Wort gebraucht, wann er bald bey Ende des dritten Buchs ſeiner Georgicorum von dem kranken Vieh ſaget:

> Praeterea nec jam mutari pabula refert:
> Quaeſitaeque nocent artes: ceſſere magiſtri,
> Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

Solches hat auch Sarisberienſis in lib. de nugis curialium gethan, wann er ſetzet: Domi Chirones habuerunt, unde haec diſcerent. Sonderlich iſt hier anzuziehen, daß Matteo del Teglia dem Büchlein, darinnen er den Hofmei-

ſter

ſter, ſo einem jungen Prinzen auf Reiſen in fremde Länder zugegeben, abrichter, zum Titul gegeben: Il Chirone itinerante, overo inſtruzione, per un Ajo deſtinato ad aſſiſtere a' viaggi di giovine Principe.

Dem Chiron, damit er von dem jungen Prinzen geliebet und geehret werde, auch ſonſt bey jedermann hoch gehalten und im Anſehen ſey, muß der alte Fürſt und Vater die Würde eines Raths, mit allen denen Praerogativen, ſo eine ſolche Ehrenſtelle erfordert, conferiren. Denn wer iſt würdiger, für einen Rath zu paſſiren, als der, in welches Händen ein Fürſt ſeinen größeſten Schatz, ſeine Hoffnung, ſeine Freude und die künftige Wolfahrt des ganzen Landes vertrauet? Daran liegt oft eine große Urſach, daß durch die Praeceptores und Hofmeiſter bey vornehmen Kindern ſo wenig Nutzen geſchaffet wird, weil ſie ſchlecht und verächtlich gehalten werden, und wie bey andern Leuten, alſo auch vornemlich bey ihren Diſcipulis keinen Reſpect haben. Der Vater, ſo geringer, als ein Fürſt, doch aber bemittelt, kann den Chiron zu einem Pfleger, Verwalter oder ſonſt etwas anſehnliches machen, oder als einen guten Freund zur Geſellſchaft bey ſich haben.

Pag. 26. Der Chiron macht billig den Anfang ſeines Unterrichts, als ferne es der zarte Sinn ſeines Prinzen zu begreifen vermag, von der Gottesfurcht und Tugend, und ſagt, giebt es auch immerzu mehr und mehr zu verſtehen:

Prinz, man findet leider! bevorab an den Höfen, Leute, die gar keinen Gott glauben, ſo Atheiſten genennet werden, welche, wie eine Schlange, zu fliehen, denn ſie ſind alle böſe, führen gemeiniglich ein verruchtes Leben, und wolten deswegen gern, daß kein Gott wäre. Ach Prinz! merket ja wol, denn es iſt von nöten, und in dem beſtehet unſere höchſte Weisheit: Gott iſt ein Geiſt, das iſt, ein geiſtlich, vernünftig Weſen, ewig, allmächtig, weiſe, gerecht, gütig, barmherzig, der an allen Orten gegenwärtig iſt, und alles, was wir thun, reden und gedenken, anſiehet und erkennet. Ich kann euch die Sache nicht beſſer zu verſtehen geben, als durch einen Baum. Sehet nur eine große, dicke und belaubte Eiche an. In der ſteckt eine wunderbare Kraft, welche alle Wurzeln, und deren mindeſtes Zäſerlein durchdringet, in dem Stamm, in allen Aeſten, und einem jeden Blatt, es ſey ſo gering, als es immer wolle, ſeine Wirkung hat, ſo daß an dem ganzen Baum nichts zu finden, und ſolte es auch kleiner, als die Spitze einer Nadel ſeyn, ſo dieſelbe nicht empfindet; ſintemalen ſo bald etwas, es ſey groß oder klein, von dem Baume abgeſondert wird, ſolches mit dem Saft auch alle Kraft verleuret. Nun, ſo verhält ſich die unendliche göttliche Kraft gegen die Welt, und was in der enthalten. Sie beſeelet alles, ſie durchkreucht alles, und nichts kann ohne dieſelbe einen Beſtand haben. Denn, daß ein ſolcher Gott ſey, iſt ſo gewiß, daß auf der Welt nichts gewiſſers ſeyn kann. Es ſehen es unſere Augen, es greifen es unſere Hände, es fühlet es unſer Herz und Gewiſſen.

Solcher willen iſt

1. Niemals keine Völkerſchaft gefunden worden, die nicht ſolte einen Gott geglaubet haben. Der hochgelehrte Grotius in dem herrlichen Büchlein von der Wahrheit der Chriſtlichen Religion redet hievon gar ſchön, und ſind deſſen

Worte

Worte wehrt, daß ich ſie euch oft vorſage, damit ihr ſie lernet, wie ich faſt das ganze Buch meinem Gedächtnis eingedrucket.

Durchreiſe, was du wilt, bis hin an Zembla Strand,
Bis wo ſich enden muß der Magellaner Land;
Beſchaue wol das Theil der unbekandten Erden,
Und die durch Schiffer Kunſt noch jetzt gefunden werden,
Kein Volk das wirſtu ſehn, ſo weit man ſieht und hört,
Bey welchem gar kein Gott nicht ſolte ſeyn geehrt, ꝛc.
Man ſiehet dieſe Lehr auch gleichfalls kräftig ſchweben,
So wol wo Weisheit iſt, als wo die Albern leben.
Der Tartar wilder Art, der haufenweiſe trabt,
Viel tauſend Meilen lang durch Pferde Blut gelabt,
Der Grieche, deſſen Witz in alle Bücher dringet,
Und der den Tiger trinkt, und der, wo Nil entſpringet,
An fernen Orten wohnt: Das Abyßiner Reich,
Und die von Mexico ſind disfalls alle gleich.
Wie kan dis Lügen ſeyn?

Die einzelen Perſonen, ſo dann und wann die Gottheit geleugnet, ſind entweder nicht bey geſunder Vernunft geweſen, oder ſie haben wider ſich ſelbſt und ihr Gewiſſen geredet, auch ihre Lügen erkandt, ſo oft ſie in eine Gefahr und Noth gerahten, oder Gott im Himmel gedonnert, u. ſ. f.

2. Dieſes große, ſchöne, herrliche Welt-Gebäu, man ſchaue es an, wo man wolle, überzeugt uns, daß es müſſe einen vollkommenen, weiſen und allmächtigen Meiſter gehabt haben, ſintemalen aller Menſchen geſammte Macht nicht fähig iſt, für ſich ein einiges Gräslein hervor zu bringen. Alle Dinge haben ihre Urſach, von welcher ſie herkommen und gezeuget werden. Man hat nie gehöret, daß aus ungefehr und ſonder Bemühung einiger Menſchen das Haus mit ſeiner Zugehör ſich hervor gethan; daß eine Uhr ſich dargeſtellt; daß ein Ochs gefunden worden, ſo nie kein Kalb, welches eine Kuh geworfen, geweſen: ja, es iſt nicht einmal ein großer Berg von ſich jemals entſtanden. Wie ſolten dann die mit Bäumen, Kräutern, Blumen, allerhand Steinen, Metallen, Bergen, Hügeln, Wäldern, Meeren, Flüßen, Brunnen gezierte Erde keinen Schöpfer haben? Wie kann der mit Sonne, Mond und Sternen hellglänzende Himmel ſich, der Erden zu Nutz, von freyen Stücken über ſelbige ausgebreitet haben? u. ſ. f.

3. Der Thiere und ſonderlich des menſchlichen Leibes, von Fleiſch, Beinen, Adern, und Nerven ſo wunderbar zuſammen geſetzte Structur, da nirgend das mindeſte zu finden, ſo nicht ſeinen Nutzen geben, und unentberlich ſeyn ſolte, an der nichts zu erſinnen, ſo auf eine Weiſe getadelt, oder verbeſſert werden könte, muß durch eine unendliche Weisheit ſo eingerichtet worden ſeyn, u. ſ. f.

4. Die erſte Vereinigung der Seele mit dem Leibe kann nicht anderſt, als von einem Gott, herkommen, ſintemalen ſie mit keinem natürlichen Bande verknüpfet, einander nicht ſelbſt halten, und wann ſie ſich trennen ſollen, durch

durch aller Menſchen Macht nicht können einen einigen Augenblick zuſammen zu bleiben gezwungen werden. u. ſ. f.

5. Die Erhaltung des Himmels, der Erden, und aller Creaturen, welche ſie ſich ſelbſt nicht geben können, und doch unaufhörlich geſchiehet, muß von dem allgewaltigem Erſchaffer herrühren, auf die Weiſe, wie die Sonne uns nicht allein das Tagelicht giebt, ſondern auch den ganzen Tag über erhält, ſo, daß nach ihrem Untergang die Finſternis einbricht, in der wir nichts ſehen können.

Dieſe fünf *Demonſtrationes* ſind klar und unwiderſprechlich, gebrauchet ſich auch einiger der heil. Apoſtel Paulus ſelbſt, daß wie alſo des *Carteſii Demonſtration*, durch welche, wie er ſelbſt in ſeinen Send-Briefen rühmet, daß ein Gott ſey, weit gewiſſer gemacht wird, als die Wahrheit einiger *Geometriſchen Propoſition*, ſeyn kan, und die er blos NB. deswegen zu *communiciren* Bedenken getragen, weil er gezweifelt, ob ſie andere ſo gut, als er, verſtehen würden, wol entbehren können.

Nun, Prinz, dieſen ewigen, allmächtigen, weiſen, gerechten, gütigen und barmherzigen Gott, der Himmel und Erde gemacht hat, und noch erhält, der uns erſchaffen, der unſer Leben in ſeinen Händen hat, ohne den wir nichts thun, reden oder gedenken mögen, und von dem wir ſtets allerhand Gutes reichlich empfangen, ſind wir ſchuldig, unſer Lebelang zu fürchten, zu ehren, und ihm zu vertrauen.

Pag. 40. Es bezeuget Ericus Schroederus in der Vorrede ſeines Lexici Latino-Scandici von den Finnländern, daß, weil ihre Sprach des Buchſtabens F ermangelt, auch kein Wort hat, ſo ſich von B. D. G. oder zween Conſonantibus anführet, wenn ſelbige Völkerſchaft nicht in erſter Kindheit zu der Schwediſchen Sprach angewehnet, ſie hernach bey zugenommenem Alter, keine ausländiſche mehr reden lernen könne, wovon er ſelbſt, oder vielmehr der Andreas Buraeus, deſſen Worte er anziehet, verdienet gehöret zu werden: Finnones in tota ſua lingua carent littera F, nec ullam habent dictionem, quae incipit a B, D, et G, vel a duabus conſonantibus. Quae res Finnones ad diſcendum alias linguas inhabiles facit, niſi hoc vitium ab ineunte aetate arte corrigatur. Si enim in pueritia non addidicerint aliam linguam, adultiores facti non poſſunt diſcere pronuntiationem earum vocum, quae a praedictis litteris, vel a duabus pluribusve conſonantibus incipiunt, ſed priores conſonantes ſemper elidunt, ut pro *Grex* dicant *Rex*, pro *Gratus*, *Ratus*, pro *Spes pes*, *Prodere rodere*, *Dominus tominus*, pro *Guberno cuperno*, pro *Filius vilius*. Ideoque Nobiles, Mercatores et Sacerdotes, ruſtici etiam ditiores, curant, ut eorum filii ab incunabulis Suecicam addiſcant linguam, eaque ratione eos ad aliarum linguarum proprietates pronuntiationemque ſeſe accommodare adſuefaciunt.

Pag. 58: Prinz, ich will euch in weniger, als einer Viertheil Stunde eine weit anſehnlichere Kunſt lehren, wie man nemlich in allen, oder doch den meiſten Sprachen, ſo in der Welt üblich ſind, groſſe, lange, in freyen ungezwungenen Red-Arten, und welche gebührend flieſſen, Orationes und Briefe ſchreiben könne. Und dieſe Kunſt habe ich einem abgelernet, der ſich damit

groß

groß machte, und das Herz hatte, Griechiſche und Hebräiſche Orationes drucken zu laſſen, wodurch die unverſtändigen Leute, das iſt, der unzählbare Hauſe derer, ſo die Sachen zu Geſichte bekamen, bethöret wurden, und gänzlich glaubten, der impoſtor ſey ein groſſer Grieche und Hebräer, wie nemlich der Eſel beym Aeſopo, ſo in eine ungefehr gefundene Löwen-Haut gekrochen war, für einen Löwen gehalten wurde, da doch dieſer nur ein Eſel, und jener nichts, als ein Betrüger war. Es braucht nemlich nicht mehr, als daß einer die Lateiniſche oder Teutſche Bibel wol im Kopfe habe. Wann er nun in einer fremden Sprache etwas ſchreiben will, ſo verfaſſet er ſeine Gedanken durch lauter Expreſſiones der heil. Schrift, welche von keiner Sache in der Welt fehlen können, henget dieſelben an einander, und machet einen Centonem. Folglich ſuchet er die gebrauchten Phraſes in derjenigen bibliſchen Verſion, welche in der Sprache, ſo er zu ſchreiben geſonnen, verabfaßet, wie dann die heil. Schrift faſt in allen Sprachen zu haben. Die Parallel-Phraſes nun werden zu Papier gebracht, und alſo iſt die Oration oder der Brief verfertiget. Zu gemeinen Briefen kann das Neue Teſtament genug ſeyn, und wer in demſelben wol beſchlagen, und des Eliae Hutteri große Edition des Neuen Teſtaments bey handen hat, wird gar leicht auf gezeigte Art Syriſche, Hebräiſche, Griechiſche, Lateiniſche, Teutſche, Böhmiſche, Italiäniſche, Spaniſche, Franzöſiſche, Engelländiſche, Däniſche und Polniſche (dann dieſe Verſiones ſind alle daſelbſt zu finden) Briefe zu ſchreiben vermögen. Beſitzet jemand die Biblia Polyglotta Anglicana, kan er nach gleicher Weiſe Syriſche (mit ihren wahren Buchſtaben, dann in des Hutteri Neuen Teſtament wird dieſe Sprache nur mit Hebräiſchen exprimiret) Samaritaniſche, Arabiſche, Perſiſche, Aethiopiſche Briefe, wenn er nur die fremden characteres nachzureißen fähig iſt, ausfertigen.

Pag. 79: Lernet von mir zur Luſt eine einfältige Mechaniſche Art, die Höhe eines Dinges leicht und geſchwind abzumeſſen, welches Kunſtſtücks ich in Italien, Spanien und andern Orten in der Fremde, viele, ſo große Mathematici ſeyn wollen, unberichtet angetroffen. Wann ihr zum Beyſpiel die Höhe eines Baums wiſſen wollt, ob er zu eurem Vorhaben dienlich, ſo gehet von demſelben vor euch weg, ſtecket den Kopf zwiſchen die Beine, ſehet in die Höhe, und wann ihr die Spitze erblicket, ſo ſtehet ſtille, und meſſet, wie viel von dem Ort Schuhe bis an den Baum ſeyn, und ſo habt ihr ſeine Höhe. Es hat dieſes ſeinen Grund in der Geometrie, und geſchiehet ſolche, wie alle andere Abmeßung, per Triangulum.

Pag. 87: Man hat berichtet, daß ein vornehmer Teutſcher Fürſt, ſo nicht vor gar langen Jahren gelebet, ſeiner Prinzen Hofmeiſter befohlen, alle Mitwoch und Samſtags Nachmittag mit den Prinzen zu den Handwerkern herum zu gehen, und auf ihre Arbeiten genaue Achtung zu geben. Ein noch lebender kluger und verſtändiger Fürſt iſt der beſtändigen Meynung, es ſolle ein jeder Edelmann ein Handwerk lernen, damit, wann er irgend im Krieg, ſonderlich wider die Ungläubigen, gefangen wird, er in der Dienſtbarkeit ſich etwas zu ſeiner beſſern Unterhaltung verdienen, und auch, indem er für einen Handwerker gehalten wird, deſto eher und leichter zu ſeiner Freyheit wieder gelangen könne. Was meynet ihr wol, Prinz, daß ſolchergeſtalt für ein Hand-

werk

werk zu lernen ſey? Es muß nemlich eines ſeyn, dazu man keines groſſen Werkzeugs benötiget, dann deſſen würde man unter den Barbaren nicht habhaft werden können. Ich habe eben dieſes viele zur Kurzweil gefragt, und faſt alle ſind auf die Schneiderey gefallen, weil ein Schneider keiner andern Werkzeuge bedürftig, als einer Scheere, Elle, Nadel, Faden, Kreide, und eines Fingerhuts, und werden die Schneider auch ſonſt gern zu Laquaien und Kammerdienern angenommen. Allein ihr Handwerk iſt hergegen ſchwehr, und wird ein Edelmann nicht leicht die Gedult haben, das Zuſchneiden, Benehen, Steppen, Verbrehmen und Stücken ſo zu lernen, daß er ſich für einen Schneider könne ausgeben. Mich deucht nichts leichters und bequemers zu ſeyn, als das Haffner-Handwerk. Denn Tabacks-Pfeifen, Schüßeln, Teller, Krüge, Häfen, Lampen zu machen, iſt gar leicht begriffen, und bedarf man hiezu, wann ſie nicht gar zierlich ſollen gemacht werden, faſt keines andern Werkzeugs, als ſeiner bloßen Hände; der Materie aber, nemlich einer lettichten Erde, kann man überall habhaft werden, und Niemand mag der Haffner Geſchirr entrathen. — —

So laſſet uns nun, Prinz, bey müßigen Stunden die Handwerker fleißig beſuchen, und dürfet ihr euch nicht eben zu erkennen geben, oder, wo ihr bekandt ſeyd, muß man befehlen, daß ſich Meiſter und Geſellen nicht irren laſſen, ſondern in ihrer Arbeit ungeſäumt vortfahren. Auf dieſe Weiſe werdet ihr, eurer Fähigkeit nach, ſo viel erlernen, daß ihr von allen bey uns gebräuchlichen Handwerken eine Wiſſenſchaft habet, und vernünftig von denſelben reden könnet; ja, ihr werdet auch viele ganz und gar begreifen. Dann daß insgemein einer, ſo ein Handwerk können will, ſich zu einem Meiſter verdingen, ferner nach deren Ledigung als ein Geſell arbeiten, in der Fremde herum wandern, und endlich ſein Meiſterſtück machen muß, das iſt nur in den Städten, der Ordnung halben, und die Verwirrungen zu vermeiden, ſo eingeführet worden. Man muß auch unter der Notdurft, dazu die Sachen, ſo zu verfertigen, dienen ſollen, welche geſchwind kann begriffen werden, und deren Nettigkeit, ſo zu erlernen, Zeit, Fleiß und Uebung erfodert, einen Unterſcheid machen.

Pag. 133: Der Kayſer Juſtinianus hat eine heilſame Verordnung gemacht, welche in l. 3. C. de aleat. et alearum luſu enthalten, und ſind ſonderlich folgende Worte ſehr merkwürdig: Commodis ſubjectorum proſpicientes, hac generali lege decernimus, ut nulli liceat in publicis et privatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in ſpecie, et, ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur, et competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum heredibus, aut his negligentibus a patre aut defenſoribus illius civitatis: vel recipiat fiſcus, non obſtante niſi quinquaginta annorum praeſcriptione. Es war auch lange vorher ſchon von dem Rahte zu Rom, wie der Jureconſultus Paulus in l. 2. Dig. de aleat. bezeuget, um Geld zu ſpielen verboten, und gewieſen, wie man zu müßigen Stunden ſpielen ſolle; Senatusconſultum vetuit in pecuniam ludere: praeterquam ſi quis certet haſta, vel pilo jaciendo, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando; quod virtutis cauſa fiat. Laſſet, Prinz, dieſes Geſetz euch gegeben ſeyn.

Pag.

Pag. 138: Es gehen in Teutſchland groſſe Misbräuche mit den Wapen vor, und meynet man, es habe nichts zu bedeuten, es ſey das Wapen beſchaffen, wie es wolle, da bey andern Völkern bloß nur von den edlen Vorfahren oder durch eigene Tugend erworbene Wapen zu führen erlaubt iſt. Jedoch, recht davon zu reden, ſo gehöret auch bey uns die Wapen-Ertheilung unter die Reſervata eines Römiſchen Kayſers, und ſollte dieſemnach von Rechts wegen das Privilegium ein Wapen zu führen entweder von ihm ſelbſt, oder doch von einem, der ſolche Macht in deſſen Namen zu verleihen hat, erhalten werden. Unter dieſen ſind nun auſſer dem Römiſchen König und Vicariis des Reichs, ſonderlich die ſogenannten Comites Palatini, welchen auch öfters Gewalt ertheilet wird, über aller und jeder, wes Standes oder Würde ſie ſeyn mögen, Wapen genauen Bericht einzuziehen, aus was Urſach und Zulaſſung eines und das andere von ihnen geführet werde, und, da einig falſum heraus kömmt, oder ſonſt kein beweislicher Titel, warum man dergleichen Wapen habe, beygebracht werden kann, ihnen ihre Wapen zu nehmen und zu caſſiren, wozu denn alle und jede Obrigkeiten, deren Hülfe ſie anrufen werden, Vorſchub und Beyſtand leiſten ſollen, unverhindert aller gerechtſamen Gewohnheiten, Privilegien, ſo darwider von jemand beygebracht werden möchten.

Pag. 149: Ein Mittel, durch welches verhütet werden kann, daß die Kinder-Blattern keine Maale hinterlaſſen. Um das Frauenzimmer, dem hieran ſonderlich gelegen, mir unendlich verbunden zu machen, will ich ſolches auch durch den Druck zur allgemeinen Wiſſenſchaft bringen, und wird mir eine der Zeit in Regenſpurg ſich aufhaltende, mit Gottesfurcht und Tugend gezierte, von jedermann belebte, hochadeliche Frau J. P. V. L. meine groſſe Gutthäterin, der das Geheimniß von einer Gräfinn in Wien, ſo 100 Ducaten dafür bezahlet, kund worden, und von welcher es auf mich kommen, hoffentlich die Erlaubniß, ſo ich mir erbitten will, hierzu geben. Ich will das Buch aus meinem Cabinet holen, und das Recept euch daraus vorleſen:

Nimm 4 Loth Silber-Glätt, das muß an einem Stück ſeyn, und lege es in ein Kohl Feuer, daß es ganz glühend wird. Hernach zu Pulver gemacht, ein halbes Seidlein Roſen-Eſſig daran gegoſſen, und ſieden laſſen, bis der dritte Theil eingeſotten iſt. Alsdann 2 Löffel voll Roſen-Oel genommen, und 2 Löffel voll von dieſem Glätt-Eſſig in einem ſteinernen Mörſer wol unter einander zerrieben, daß es gar ein glattes Sälblein wird. Alsdann den Tag dreymal die Blattern, wann ſie anfangen zu dorren, damit eingeſchmieret. Es iſt hoch bewährt. Den übrigen Eſſig aber muß man aufheben, damit man alle 3 oder 4 Tage eine friſche Salbe machen möge.

Pag. 153: Ich habe zwo Münzen, welche ich nicht zwar der Seltenheit halben, und als wann ſie wenig gefunden würden, ſondern wegen der Wichtigkeit ihres Inhalts, allen andern vorziehe; ſind ſie demnach wol werth, daß ihr ſie fleiſſig betrachtet. Da iſt nun erſtlich dieſe, welche, wie ihr ſehet, auf der einen Seite das Haupt des Kayſers Auguſti, auf der andern des Jani zugeſchloſſenen Tempel abbildet. Man hat nach der Schlacht bey dem Vorgebirge Epiri, Actio, in welcher Antonius und Cleopatra eine groſſe

Niederlage erlitten, und worauf hernach Friede in dem ganzen Römiſchen Reiche erfolget, auch des Jani Tempel zum drittenmal nach ſeiner Erbauung geſchloſſen worden, (dann das erſtemal geſchah es unter der Regierung des Königs Numae, welcher ſolches Tempels Urheber war, und das zweytemal nach Endigung des andern Carthaginenſiſchen Krieges) ſolche gepräget. Um dieſe Zeit nun iſt Chriſtus unſer Heiland, als der rechte Friedens-Fürſt in die Welt kommen, welchen Umſtand, daß nämlich, wann er würde gebohren werden, allenthalben Ruhe und Friede ſeyn ſolte, die Propheten zuvor verkündiget hatten. Dieſe andere Münze iſt des Kayſers Flavii Veſpaſiani, und zeiget uns außer des Kayſers Bildniß, das arme Jüdiſche Land in Geſtalt eines klagenden und weinenden Weibes unter einem Palm-Baum ſitzend, hinter welcher ein kühner und muthiger Krieges-Held in der rechten Hand einen Spieß, in der andern einen Scepter führend, ſtehet, und iſt dabey geſchrieben IVDAEA CAPTA. Da haben wir ein ſtetes Denkmaal der nach Chriſti Weißagung gänzlich zerſtörten Stadt Jeruſalem, des zernichteten Jüdiſchen Regiments, aufgehobenen Levitiſchen Gottesdienſtes, und Zerſtreuung der Juden in alle Welt. Und alſo iſt dieſe Medaille ein klares Zeugniß der unfehlbaren Wahrheit unſerer heiligen Chriſtlichen Religion.

Pag. 154: Es kommt jetzo ſehr auf, über alle denkwürdige Begebenheiten, ſo ſich irgendwo in der Welt zutragen, ſchöne Gedächtnißmünzen zu prägen, und werden ſonderlich in Nürnberg und Augſpurg, als gemeinen Wohnſtädten guter Geiſter und Künſtler, dergleichen viel verfertiget. Wann ſie ſollen geſchätzet werden, ſo müſſen ſie nicht allein von einem wohlgegrabenen Stempel herkommen, ſondern auch etwas ſinnreiches, ſo, daß mehr verſtanden, als mit Worten angezeiget wird, enthalten, und die Worte der Obſchrift, wann ſie nicht eine Jahrzahl begreifen, ſollen, wo möglich aus heiliger Schrift, oder einem alten Poëten entnommen ſeyn.

Pag. 179: Ablaß betrifft nicht ſowol die Sünde ſelbſt, denn von denen wird man durch die Beicht und Abſolution befreyet, als die nach nach Vergebung der Sünden in dieſem Leben oder in dem Fegefeuer zu leiden annoch übrige Strafe.

Pag. 197: Zu den Reichs-Saſſen können auch nicht unfüglich gezogen werden die freyen unmittelbaren Reichsdörfer, als Stuffelheim, Gedromſtein, Gamb, Megliz, Sonnfeld, Bochsheim und andere, ſo mit Hoch- und Niedergerichten begabet, und allein der Kayſerl. Maj. unterworfen ſind, von deren Beſchaffenheit aber, ſo viel mir wißlich, niemand ausführlich geſchrieben.

Pag. 223: Ich lebe der Hoffnung, daß, nachdem man nun eine Zeithero ſo lang mit dem zwar ſchönen, und auch nützlichen Studio rei nummariæ obgelegen, und, anderes zu geſchweigen, ſich bemühet, ſo gar aus den Nummis ſequioris ævi die ganze Folge einiger Könige und Fürſten ſamt ihren Thaten vorzuſtellen, es werden ſich dermaleins mit gutem Verſtande und Geſchicklichkeit begabte Männer auch hinter die neuen Incriptiones machen, dieſelben ſorgfältig zuſammen tragen, und ſie zu Nutzen der Hiſtorie und anderer Denkwürdigkeiten anwenden. Und könnte ich außer den Lateiniſchen, die ich colligiret, ſonderlich mit den Hebräiſchen, welche niemand, als der ſie nicht

verſte-

verſtehet, verachten kann, wohl an die Hand gehen. Denn ich habe deren eine ziemliche Quantität in Deutſchland, wie auch in Frankreich zu Metz und Avignon geſammlet; alle in Italien aber befindliche hat mir mein lieber Freund, des Groſsherzogs von Toſcana Rath und Bibliothecarius, der hochzuehrende Herr Antonius Magliabechius, welcher ſich freuet, wenn er jemand einen angenehmen Dienſt leiſten kann, nachdem er Bericht empfangen, daſs mir ein Gefallen dadurch geſchehe, freywillig zugeſandt. Jedoch, Prinz, iſt meine Meynung nicht, daſs man deswegen hinführo die alten Inſcriptiones ganz und gar verwerfen ſolle. Man trifft noch zuweilen eine an, welche verdienet von dem Untergange befreyet und im Gedächtniſs behalten zu werden.

Pag. 226. ſqq. Die Hauptregel, ſo wir zum Grunde und Leitſtern unſerer ganzen Wanderſchaft ſetzen müſſen, iſt dieſe: **Daſs kein einziges Dorf in der ganzen Welt ſey, woſelbſt wir nicht etwas ſehen können, ſo uns vorhero nicht zu Geſichte kommen, und daſs auch nirgendwo ein Menſch, dem die geſunde Vernunft beywohnet, anzutreffen, von dem nicht etwas, ſo uns unbewuſst, zu erfahren und zu lernen.**

Hieraus kömmt, daſs man oft an geringen Orten Sachen von hohen Werth, ſo von unverſtändigen Leuten verächtlich und faſt für nichts gehalten werden, antrifft, und dieſelben um ein ſchlechtes Geld an ſich bringen kann. Wie viele rare und ſtattliche nicht allein gedruckte Bücher, ſondern auch Manuſcripti Codices, kunſtreiche Gemählde, ſchöngeſchnitzte oder gehauene Bilder, und andere herrliche Dinge ſind um ein bagatelle auf den Trödelmärkten erkaufet worden? Prinz, ich will euch ein ſich hieher ſchickendes Beyſpiel erzehlen. Merket, wie es mit der in der ganzen gelehrten Welt ſo hoch geſchätzten Menſa Iſiaca hergangen. Es iſt ſolche ſonder Zweifel das älteſte Monumentum, ſo irgendwo in dieſem ganzen Erdkreiſe zu finden, indem ſie nemlich, nach glaubhafter Anzeigung des Kircheri, in ſeinem dritten Tomo Oedipi Aegyptiaci, noch vor des Cambyſis Einfall von den Hierogrammatiſtis in Aegypten gemacht werden. Sie war in Folge der Zeit, ungewis, wann und mit was Gelegenheit nach Rom, und, wie vermuthlich, in den Päbſtlichen Schatz gekommen. Als aber An. 1527. ſelbige Hauptſtadt durch Anführung Caroli Herzogs von Bourbon eingenommen und geplündert ward, hat ein Schlöſſer die Menſam Iſiacam von einem Soldaten, dem ſie in der Beute zu Theil worden, erhandelt. Von dem Schlöſſer iſt deren der berühmte Cardinal Petrus Bembus habhaft worden, dem, nach dem Tod, in dem Beſitzthum, der Herzog von Mantua gefolget. Nachdem nun, wiewol lange hernach, das iſt, 1630 auch Mantua von des glorwürdigſten Kayſers Ferdinandii II. Kriegesheer die Eroberung und Plünderung erlitten, iſt damals die Menſa Iſiaca verlohren gangen, und war kein Menſch zu finden, der von derſelben einige Nachricht hätte geben können. Ich habe des Kircheri vorernanntes Buch beyhanden, damit ich euch die Menſam Iſiacam, ſo darinnen gar ſchön in Kupfer geſtochen zu ſehen, weiſen möge, will aber vorhero das, was ich von derſelben geſaget, mit des Kircheri Worten bekräftigen. Sehet, er ſchreibet: Tabula Iſiaca ſic dicitur, quia Iſiacae, hoc eſt, Aegyptiacae Theologiae ſummam continet: Bembina dicitur, eo quod Bembus Cardinalis, ſummo reipublicae litterariae bono, eam primus ab interitu vindicatam orbi protulerit,

tulerit. Nam a fabro quodam ferario, qui illam in Borboniana Urbis direptione comparaverat, pretio non contemnendo redemtam, veluti admirandum quoddam veteris ſapientiae monumentum, in muſeo ſuo, rebus omnibus ad litterarum antiquitatumque notitiam ſpectantibus inſtructiſſimo, usque ad mortem conſervavit. Quo fatis functo, tandem Duci Mantuae ceſſit, in cujus Gazophylacio inter illuſtrium antiquitatum monumenta adſervata fuit usque ad annum 1630, quo in miſeranda Mantuanae urbis direptione ita evanuit, ut, tametſi ſummo ſtudio inſtitutum ſit, ut ſciretur, quid tandem de ea factum ſit, in hunc usque diem nemini explorare licuerit. Daß die Menſa Iſiaca auf dieſe Weiſe umgekommen, hat ein groſſes Trauren bey den Gelehrten verurſachet, und nur des Peireſcii zu gedenken, ſo berichtet von ihm Gaſſendus in Erzählung ſeines Lebens: Mantuae quum foret, jam multa vidit atque adnotavit in Ducis Cimeliarchio, ut quum ſuperioribus annis accepiſſet direptum fuiſſe, Germanis urbem vaſtantibus, vix ſeſe conſolari per multos dies potuerit, tantam dicebat factam jacturam. Der Context giebt, daß er ſonderlich die Menſam Iſiacam, welche von ihm in der Mantuaniſchen Kunſtkammer war geſehen worden, beklaget. Jedoch konnte man ſich mit dem in etwas tröſten, daß wenigſtens die in Kupfer geſtochenen Abbildungen ſolches Cimelii, ſo Aeneas Vicus Parmenſis auf Veranlaſſung des Torquati Bembi, und der Bayerſche Canzler Joh. Fridericus Herwartius in dem Theatro Hieroglyphicorum herausgegeben, vorhanden waren, nach welchen hernach der Kircherus die ſeinige verfertigen laſſen, und dieſem iſt ohnlängſt der Olaus Rudbeckius nachgegegangen, wo dem der Nachſtich dem andern Tomo der Atlanticae einverleibt worden, und hat dieſer ſich ſelbſten (ob es bey andern auch angegangen, laſſe dahin geſtellet ſeyn) können dahin bereden, daß die Menſa Iſiaca der bloſſen 12 Monaten des Jahrs Anzeigung enthalte, da doch vorhero, wie er geſehen und geleſen, Laurentius Pignorius und der P. Kircherus ganz andere Sachen und groſſe Hieroglyphiſche Geheimniſſe herausgebracht hatten. Inſonderheit hat Kircherius behauptet, hanc menſam nihil aliud fuiſſe, niſi totius Aegyptiacae Theologiae tum practicae, tum theoreticae, epitomen quandam et anacaephaleoſin. Und kann dieſes auch niemand in Zweifel ziehen; welcher ihm Glauben zufüget, wann er in dem Capitel de Argumento Tabulae ſeu Menſae Iſiacae ſich alſo heraus läſſet. Docet menſa haec, primo, omnem triplicis Mundi, Archetypi, Intellectualis et Senſibilis conſtitutionem; quomodo videlicet Paterna Mens, ſeu ſuprema divinitas, veluti ex centro quodam, in univerſam mundorum, tam ſenſibilium, quam inſenſibilum circumferentiam agitata, omnia moveat, omnia animet, ac omnia triadis ſuae charactere inſigniat. Deinde, quomodo per fundum paternum ex tribus triadibus conſtitutum (quod fundum non nulli Iynga, quidam ἀσιμοχὶν παντόμορφον; alii, uti Platonici, Mundi animam; Philo σοφίαν κοσμοτεχνῆτιν appellant) univerſa moderetur: et quomodo unaquaeque trias, Patre, Potentia et Mente, triade perfectiſſima, fontanae triadi fidei, veritatis et amoris complicata exiſtat. Vide: bis quoque in hac menſa divinarum Poteſtatum (quae ſunt divinae ac ſupremae Mentis, Jyngisque Paternae adſeclae et adminiſtrae, quaeque ex Paterno fundo, veluti ex uberrimo quodam Oceano in omnes Mundi ſemitas diſperguntur) ordinem, diſpoſitiones,

tionem, adminiſtrationem et praeſidia. Heic ſpectantur Mundorum Rectores, ſinguli ſuis notati inſignibus, ignei, aetherei et materiales. Heic fontium Patres, quorum cura eſt, principia rerum omnium diſponere et conſervare, inviolabiles naturae leges fundare. Spectabis, Lector curioſe, eorum Numinum, quae Antiqui Zonia et Azónia, id eſt, quae nulli certae Sphaerae alligantur, concatenatas ſeries, ſingula ſuis inſignibus adornata, et in triadas quasdam ſub feminino et maſculino ſexu, ad Paternae Mentis exemplar diſpoſita, et ad ſupremi Numinis vultum converſa.

Prinz, bonum factum! Die ganze Reſpublica Litteraria iſt mir ein gutes Butterbrodt ſchuldig; dann ich habe derſelben die gute Zeitung zu bringen, wie es mit der Menſa Iſiaca beſchaffen, und wo ſie für jetzo anzutreffen. Nachdem Mantua von dem Kayſerlichen General Colalto A. 1630 erobert, und von den Soldaten ausgeplündert worden, iſt ſie, Gott weiß, auf was Weiſe, nach Turin in Piemont, die Reſidenzſtadt Seiner Königl. Hoheit von Savoyen, unter der Regierung Herzogs Victoris Amadei gekommen. Allda, weil ſich niemand fand, der da wußte, was ſie auf ſich hätte, und was damit anzufangen, iſt ſolche in die Kammer des Schloſſes, in welche man das alte Gerümpel und Eiſenwerk hinein wirft, geſchmiſſen worden. Woſelbſt, als ſie lange Jahre gelegen, iſt deren endlich des Victoris Amadei Witwe Chriſtinae, des großen Königs Henrici IV. aus Frankreich Tochter Leib-Medicus, mein guter Freund, ungefähr anſichtig geworden; welcher ſich über ſie erbarmet, und ſolche in eine Kammer des obern Stockwerks des Pallaſts bringen laſſen. Allda hat er ſie mir gezeiget, und iſt ſelbige mit hellglänzendem Metall, mit von Silber und Gold eingelegten Figuren ganz unverſehret, ſo herrlich und ſchön anzuſehen, als wann ſie erſt neu wäre verfertiget worden. Es iſt dieſe große Sache bishero noch unbekannt geblieben, indem auf der, ſo ſie gefunden, ſelbſt nicht viel daraus gemacht, und ein etwas ſchlechtes Urtheil davon geführet, dem ich eine mehrere Erklärung gethan.

Pag. 250: Als ich zu Marſeille in Frankreich etwas früh in der Herberge ankam, befahl ich, man ſollte mir in dem Camin ein Feuer anmachen. Hierauf kam eine nicht übel geſtallte Weibsperſon, des Wirths Tochter, und bat, ich möchte mich gedulden, es ſey noch kein Feuer im Hauſe vorhanden, ſie ſie wollte aber eines aus der Nachbarſchaft hohlen, und mich vergnügen. Als ſie wieder kam, ſagte ich: Mademoiſelle, es iſt mir leid, daß ihr euch ſelbſt bemühen müſſet, es könnte wol jemand anders einheizen, und woher habt ihr Feuer gehohlet? in Deutſchland, von wannen ich her bin, hohlen ſo ſchöne Jungfrauen, wie ihr ſeyd, nicht gern Feuer außer Hauſes, damit ſie keinen unholden Namen bekommen. Ihre Antwort war: Herr, in Frankreich hat das Feuerhohlen nichts zu bedeuten: ich muß aber ſagen, wie es mir mit dieſem Feuerhohlen ergangen. Damit ich zu dieſer Unzeit, da man noch kein Feuer anzumachen pfleget, nicht lange vergeblich herum gehen dürfte, begab ich mich zu unſerm Nachbar, einem alten Doctor, von dem ich wußte, daß er, als gar erfrohren, gewöhnlich bey dem Caminfeuer ſtudire. Nachdem ich nun an ſeinem Zimmer angeklopfet, und er mich hinein gehen hieß, bat ich, er möchte mir vergönnen, daß ich ein wenig Feuer aus ſeinem Camin nehmen dürfte. Gar gern, antwortete er, wo wollt ihr aber mit dem Feuer

hin, habt ihr doch nichts, darinnen ihr ſolches aufbehalten könnet? Ihr werdet es ſchon ſehen, Herr Doctor, verſetzte ich, und gieng hin, nahm mit der rechten Hand ein wenig Aſche von den Caminheerd, thät ſolche in die linke, legte mit der Feuerzange eine glüende Kohle darauf, und wollte nach genommenem Urlaub meines Weges gehen. Der Doctor mich freundlich anlachend, ſagte: Gehet hin, Mademoiſeille, ich bekenne, daß ich euch höchſt obligirt ſey, denn ihr habt mich gelehret, was ich aus allen Büchern dieſer ganzen Bibliothec nicht würde erlernet haben. Ich bin, ſagte ich, Mademoiſelle, euch gleichfalls einen Dank ſchuldig, daß ihr mir eure ſchöne Invention das Feuer zu hohlen wißlich gemacht, und wollte ich ſie nicht um viel Geld vermiſſen.

Pag. 237: Was die Recommendationen anlanget, können uns ſolche gar wol zu ſtatten kommen, wenn wir uns von einem Orte zu dem andern dergleichen ertheilen laſſen, auf daß wir jemand haben, der uns an die Hand gehe, und, wo es verlangt wird, Addreſſe mache. Dannenhero dürfen ſie eben nicht allezeit an vornehme Leute, gerichtet ſeyn, als welche nicht viel Zeit haben mit Fremden umzugehen, und ſie herum zu führen, und iſt es ihnen auch deswegen nicht zuzumuthen. Ich habe auf meinen Reiſen die Ehre gehabt, von groſſen und anſehnlichen Herren, auch ohne Recommentation, wol aufgenommen zu werden, und viel Höflichkeiten von ihnen zu empfahen, weil ich, als vorhero mich wol informirend, bey den Edlen zwar Diſcurſe von ihrem Geſchlecht, und den löblichen Thaten ihrer Vorfahren angefangen, mit den Gelehrten aber, von ihren heraus gegebenen Schriften mich unterredet, und allezeit viel Lobes, doch ſo, damit ich für keinen Schmeichler gehalten würde, mit einflieſſen laſſen. Und dieſes hat mich angenehmer gemacht, als wann ich mit vielen Recommendationen wäre aufgezogen gekommen: Denn wer iſt nicht froh, wann er vernimmt, daß ſein und der ſeinigen Name und Meriten bey entlegenen Fremden bekannt ſind? Ich habe dieſes Stücklein dem Plinio ſecundo abgelernet, da er an ſeinen Arrianum ſchreibt: Omnes, qui gloria famaque ducuntur, mirum in modum adſenſio et laus a minoribus etiam profecta, delectat Te vero Marcellianus ita reveretur, ut judicio tuo plurimum tribuat. Accedit his, quodſi cognoverit factum ſuum iſto usque penetraſſe, neceſſe eſt, laudis ſuae ſpatio et curſu et peregrinatione laetetur.

Pag. 239: Bey uns Teutſchen iſt ſonſt die Gewohnheit, daß man mit Ueberreichung eines ſogenannten Stammbuches bey den Fremden ſich eine Addreſſe zu machen ſuchet. Nachdem aber ſolche Bücher gar zu gemein geworden, und man allerley Leute, von denen manche in ihren Gedenkſchriften des decori vergeſſen, einſchreiben läſſet, kömmt man bey vornehmen Leuten nicht allezeit wol damit an. Es ſollen auch nach Martini Zeileri Obſervation die Engelländer durchgehends ihre Namen nicht gerne in die Stammbücher einſchreiben. Jedoch habe an den Italiänern das Widerſpiel vermerket, welche den Gebrauch der Stammbücher gegen mich gelobet.

Eadem Pag: Ich weiß nicht, warum von den Franzoſen ein kleiner Hund Epagneul genennet wird: Dann von dem Abſehen auf Spanien kann der Name nicht herkommen, ſintemal ich in ganz Spanien keinen ſchönen Hund geſehen, und in Biſcaja das Frauenzimmer an ſtatt der Hündlein kleine mit

Bän

Bändern gezierte Span-Körblein mit ſich herum träget, und an ſolchen ſowol zu Hauſe allein, als in öffentlichen Geſellſchaften ſich ergetzet.

Pag. 242: Es bewähret der Chiron aus der H. Schrift und ſonderlich dem 20ten Capitel Deuteronomii, aus der geſunden Vernunft und aus dem Recht aller Völker, daß falſch und unwahr ſey, wann man insgemein ſagt: Inter arma ſilent leges. Er läßt des großen Cn. Pompeji Bildniß in des Prinzen Gemach aufhenken, und ſolchem, das von dieſem Helden ſo belobte Zeugniß des Ciceronis in der Oratione pro Balbo, welches der ruhmwürdigſte Hugo Grotius ſo hoch gehalten, daß er bloß ſelbigem zu Gefallen, ſeinem uns ſo lieben Buch, in welchem ob er zwar das ganze Recht der Natur und Völker behandelt hat, doch nur De Jure Belli et Pacis den Namen geben wollen, beyfügen: Equidem exiſtimo, cum in omni genere ac varietate artium, etiam illarum, quae ſine ſummo otio non facile diſcuntur, Cn. Pompejus excellat, ſingularem quandam laudem ejus et praeſtabilem eſſe ſcientiam in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, Regum, exterarum nationum, in univerſo denique *Belli Jure et Pacis*.

Pag. 247: Es berichtet der Chiron, wie er die Gnade gehabt, aus Seiner Hochfürſtl. Durchl. Pfalzgrafen Adolph Johann von Zweybrück, deſſen zween Hochgebohrnſten Prinzen er eine Zeitlang vorgeſtanden, eigenem Munde zu vernehmen, daß ſein mächtiger großer Herr Bruder, der Pfalzgraf Carl Guſtav, als noch declarirter Erb-Prinz in Schweden, ehe er zu der Cron und Regierung gelanget, von ſich glauben gemacht, man werde ihn auch unter die Zahl der unmäßigen Jäger künftig zehlen müſſen, als der ſich des Königlichen Hofes äuſſerte, und ſein Schloß, wohin er ſich retirirte, mit Hunden angefüllet hatte, Tag und Nacht im Walde ſteckte, auch wann die Schwediſchen Grandes zu ihm kamen, und von Staats-Sachen ſich mit ihm berathſchlagen wolten, allezeit den Diſcurs abbrach und von den Jagden zu reden anfieng. Allein dieſes ſey nur eine finte geweſen: Denn ſo bald die Königinn Chriſtina reſigniret, und er zum König gekrönet worden, ſey kein Hund mehr um ihn zu ſehen geweſen, und aus dem Jäger ein Mars geworden, der gewaltige Kriege geführet, und habe er auch wider aller Menſchen, ſonderlich aber der Grandes in Schweden Vermuthen, das Königreich Schweden in ein ganz ander Model gegoſſen.

Pag. 254: Es komme oft, fährt er fort, einer, der das Glück hat, ungefähr und um ein ſchlechtes Geld wunderlich zu herrlichen Pfennigen und Antiquitäten, davon er dem Prinzen einige Beyſpiele erzehlen wolle. Dem höchſtanſehnlichen und unſterbliches Lobes, welches ihm auch ohne Zweifel bleiben wird, verdientem Nürnbergiſchen Triumviro Herrn Carl Welſer, ſo vor wenig Jahren geſtorben, und den man an bloßen Römiſchen Gelde für reich hätte halten können, wenn er auch zu den alten Zeiten, da ſolches gäng und gebe war, gelebt hätte, habe einſten ein Bauer drey ſilberne wol conditionirte Peſcennios Nigros gebracht, ſo er aus der Erde gegraben, und weiter nichts dafür, als was das Silber betrüge, verlanget, ſo etwa einen halben Reichsthaler machen möchte, da doch dieſe Pfennige unter die rareſten Münzen gezehlet, und in einer geſchriebenen Verzeichniß des Werths aller alten Römiſchen Münzen, ſo er, Chiron, von Rom mit ſich gebracht

habe, das Stück zu 100 Cronen gewürdiget werde. Mit dem berühmten Peireſcio, Rathherrn von Aix in Provence habe ſich ſo was ſeltſames zugegetragen, daß ſich nicht allein der Gaſſendus in Beſchreibung deſſen Lebens, wie billig, ſehr darüber verwundere, ſondern auch der Peireſcius ſelbſt, ſo oft ers erzehlet, dabey bezeugt habe, daß, wann ihm ſolches nicht ſelber wiederfahren, er es keinem andern, der es von ſich ſagte, glauben würde. Es war der Peireſcius mit einem Bürger von Aix, Jacobo Raynerio, auf der Reiſe nach Nismes begriffen, und hatten ſie in einem Dorfe, um daſelbſt zu übernachten, eingekehret. Nachdem ſie ſchlafen gegangen und ihre Ruhe pflegten, fing der Peireſcius nach einer Weile ein lautes Gemurmel an, worüber der Raynerius erwachte, und den Peireſcium aufweckend fragte, ob er ſich etwa nicht wol befinde? Gar wol, antwortete der Peireſcius; aber ihr habt mich durch euer Aufwecken um einen angenehmen Traum gebracht. Mich deuchte nämlich, als wann ich zu Nismes wäre, und mir daſelbſt ein Goldſchmied eine goldene Münze des Julii Caeſaris brächte, nur 4 Cronen dafür begehrend: Und, wie ich eben in dem Begriff war, das Geld auszuzahlen, hat euer Aufwecken gemacht, daß mir der Goldſchmied aus den Augen, und die Münze aus den Händen verſchwunden. Der Peireſcius, ferner auf den Traum keine Acht habend, fähret bey angebrochenem Tage nach Nismes, und kömmt im Herumgehen daſelbſt zufälliger Weiſe an einen Goldſchmied, welchen, als er gefraget, ob er nichts neues und rares zu verkauffen habe, ja! antwortete dieſer, ich habe einen guldenen Julium Caeſarem, worauf ſich der Peireſcius ſolchen zeigen laſſen, und gefragt, wie er ihn halte? Als er nun zur Antwort bekommen, er halte ihn um 4 Cronen, zahlte der Peireſcius das Geld dafür aus, voller Verwunderung, daß ſein Traum ſo eingetroffen. Es war auch dieſe Begebenheit billig verwunderns werth, und raiſonniret der Gaſſendus hierüber gar wol: Mira haec (ſors.) Nam facile quidem (Peireſcius) cogitare Nemauſum potuit, quo ſequente luce erat acceſſurus; potuit illud Julii numiſma, quod vigilans ſaepius exoptaverat; potuit id repertum in ea civitate, in qua tot Romanae antiquitatis veſtigia: potuit item Aurificem, ad quod genus hominum vulgo referunt, qui talia effodiunt: potuit valorem mediocrem, quo Aurifices potius, quam Antiquarii iſta pendunt: potuit ſcutatorum quatuor, quo moderato pretio Aurifex poſſet eſſe contentus: denique potuit Aurifex, et Nemauſi quidem, atque eo pretio habere nummum: verum haec omnia concurriſſe, et eventum ſomnio ita reſpondiſſe, admirabile prorſus eſt.

Pag 282. Der Chiron zeiget dem Prinzen allerhand alte Römiſche Münzen von Kupfer, Silber und Gold, und giebt dabey Bericht, das mehrentheils, wie der Augenſchein weiſe, auf der abgekehrten Seite die Bildniſſe der Götter zu ſehen ſeyn. Solchemnach finde man auch einige, welche die Götter des ihm beliebten Wolllebens, den Bacchum nämlich und die Cererem vorſtellig machen. Jedoch treffe man die mit des Bacchi Bildniß etwas ſelten an, und, ſo viel ihm bewußt, werde auch nicht leicht der Name Bacchus, ſondern *Libero Patri* darauf geleſen. Ein ſolcher ſey gegenwärtiger des Septimii Severi, ſo den Bacchum nackend, einen mit Laub bekleideten Spieß in Händen haltend, ſammt beyliegendem Pantherthier aus einem Becher den

Wein

Wein verſchüttend geſehen, und habe man das Pantherthier dem Baccho billig zugeeignet, weil ſolches unter allen Thieren faſt allein dem Wein ergeben, und von den Jägern faſt nicht anders gefangen werde, als daß ſie ihm Wein vorſetzen, in welchem es ſich ganz voll ſäuft, und alſo, der Sinnen beraubt, greifen läßt. Es werde der Bacchus von unſern Malern und Bildhauern zur Ungebühr, als ein dicker, feiſter Mann, der auf einem Weinfaß ſitzet, und ein volles Glas Wein in der rechten Hand hält, geſtaltet. Auf ſolche Weiſe ſey er in alten monumentis niemals, ſondern meiſtens, wie ein ſchöner Jüngling, zu ſehen; außer daß ihm bisweilen Ochſen-Hörner an der Stirn angemacht worden, worüber die Gelehrten wegen der Urſach ſtreitig ſeyn; dann etliche ziehen ſolche daher, weil er des gehörneten Jovis Ammonis Sohn; andere, weil er am erſten, wie man das Land mit Ochſen pflügen ſolle, den Menſchen Bericht gegeben; noch andere, weil der Wein die Leute wild, frech, zankend und ſtößig mache: und letzlich einige, weil man ehemals die Trink-Geſchirr aus Hörnern gemacht. Die Münzen mit der Cerere betreffend, ſo ſeyn ſolche gemeiner, als des Bacchi, und finde man ſelbiger Göttin, wie gegenwärtig zu ſehen, bald *Ceres* bloß allein, bald *Ceres Auguſta*, oder auch *Ceres Frugifera* beygeſchrieben.

Pag. 284: Müſſe er (der Prinz) demnach merken, daß die ordentlichen Faſttäge, welche ein jeder Catholiſcher Chriſt zu halten verpflichtet, und deren Uebertretung für eine Tod-Sünde gerechnet wird, ſeyn die vierzig Tage vor Oſtern, die Quatember, und die Vigilien, ſo der Apoſtel- und wenig andern Feſttagen vorgehen. Das vierzigtägige Faſten vor Oſtern, Iejunium Quadrageſimae ſey, der gemeinen Meynung nach, zur Ehre des Leidens unſers Herrn und Seligmachers Chriſti, von den Apoſteln ſelbſt eingeſetzet worden, ſintemal der 68ſte Canon Apoſtolorum befehle: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor, ſacram quadrageſimam Paſchae, aut quartam feriam, aut paraſceven non jejunaverit, deponitor. Um die Quatember oder Aenderungen der vier Jahrs-Zeiten, das iſt, in dem Martio, Junio, September, und December, und zwar allemal an einer Mittwoch, faſte man, damit bey dieſem Saiſons-Wechſel Gott gebührend angeruffen werde, et ſicut annus per quatuor volvitur tempora, ſic et quaternum ſollemne agatur jejunium, wie des Pabſts Calixti Worte in dem Can. I. diſt. 67. lauten. Hiezu komme, weil nach dem Quatember die Ordinationes der Geiſtlichen geſchehen, daß ſolcher willen die Kirche auch deswegen faſte und bete, damit keine unwürdige oder gar ſchädliche Perſonen zu den heiligen Würden und Aemtern gelangen mögen. Die Tage vor den Apoſtel- und andern großen Feſttagen ſeyn Vigilien genannt worden, weil man vor Zeiten die ganze Nacht ſich auf den inſtehende Feſt durch Wachen und Beten bereitet. Nachdem aber unter dem Weizen oder den Frommen ſich auch das Unkraut der Böſewichter eingefunden, welche bey dieſer Gelegenheit die Werke der Finſterniß verübet, habe man das Wachen abgeſchaffet, und an deſſen Statt das Faſten eingeführet.

Pag. 288: Ferner belehret der Chiron, daß auch ganzen Nationen zu Linderung der harten Faſten gewiſſe Privilegien zugeſtanden worden. Als nämlich den Teutſchen, weil ſie an vielen Orten des Oels, guten Obſts und der Fiſche ermangeln, auch der Hand-Arbeit ſehr obliegen, ſey von den Päbſten

 erlaubt;

erlaubt, an den Faſttägen Eyer, Milch, Butter, Käs, und nach Gelegenheit auch etwas Speck zu eſſen. Die Spanier, weil in dem Mittellande faſt gar keine Fiſche bey ihnen zu finden, ſeyn befugt an den Samstägen mit der ſogenannten Greſſura, das iſt, den Köpfen, Füſſen und Eingeweide der Erdthiere ſich zu ſättigen. In Frankreich dürfe man auch an den Faſttägen einen gewiſſen ſchwartzen, gefiederten, einer Endte gleichenden Vogel insgemein la Macreuſe zu Paris, von etlichen le diable le mer genannt, ſpeiſen, wiewol dieſes Privilegium nicht ſo ſehr von den Päbſten, als der Natur ſelbſt herkomme: dann wie die Franzoſen insgemein die Urſach geben, ſo habe ſolcher Vogel ein gar kaltes Blut, und ſchreibe dannenhero Sieur Richelet in ſeinem Lexico; La Macreuſe eſt une ſorte d'oiſeau, qui reſſemble en quelque ſorte au canard, et qu'on mange les jours maigres et le carême, à cauſe d'un ſang fort froid, et qu'il paſſe pour une maniere de poiſſon. Wobey der Chiron bezeugt, wie ihm leid ſey, daß er ſich in Frankreich bey den Gelehrten nicht beſſer wegen dieſes Vogels informiret; dann man finde in den Thier-Büchern, welche er der Zeit zu Handen bringen können, ganz nichts davon aufgezeichnet, glaube aber, daß man nicht ſagen ſolle, die Macreuſe habe ein kaltes Blut, ſondern daß ſie ein rechtes Fiſch-Blut habe, und demnach ein Fiſch ſey, quia anima carnis in ſanguine eſt Levit. 17. v. 11. Dann welches auch vielen Phyſicis unbekannt ſey, das Blut der Fiſche ſey ſeiner Natur und Eigenſchaft nach toto genere von dem Blute der Erdthiere entſchieden, ſintemal der Erdthiere Blut, ſolte es auch nur von kleinen Vögeln ſeyn, dufte und ſulze ſich, oder, wie es die Juden nennen, geliefere alſobald; deren keines aber ſey an dem Fiſch-Blute wahrzunehmen, wann man gleich einen Wallfiſch abſteche; und ſolcher willen ſey den Juden, welchen das Blut-Eſſen in ihrem Geſetz ſo hoch und grauſaum verboten, nichts deſtoweniger das Fiſch-Blut zu eſſen wol erlaubt, daß alſo zwiſchen der Erdthiere und der Fiſche Blut nothwendig ein eſſentiale diſcrimen, ſo in der Natur ſtecket, und vielleicht nicht kann beſchieden werden, ſeyn müſſe.

Pag. 292: Er (der Chiron) bereitet ihn (den Prinz) auch zu den künftigen Reiſen durch die Artem Apodemicum oder Wanderkunſt, und erzehlet ihm ſonderlich, daß, wie er zu Rom geweſen, ein Oeſterreichiſcher junger Graf, eines groſſen und vornehmen Kayſerlichen Miniſtri Sohn, ihn, weil ſein Hofmeiſter abweſend war, mit ſich zu der Päbſtlichen Audienz, welche er ſich ausgebeten hatte, genommen. Es habe aber damals Alexander VII. den Päbſtlichen Stuhl beſeſſen. Als ſie nun in des Pabſts Gemach, nach Ablegung der Degen und Hand-Schuhe, wie gebräuchlich, gelaſſen worden, und der Herr Graf durch den Fuß-Kuß die gewöhnliche Verehrung abgeleget, habe der Pabſt ihn angefangen zu fragen: Quid agit bonus Imperator? der Herr Graf, ſo ſonſten der Lateiniſchen Sprache wol erfahren war, in Ermeſſung aber, daß er vor Chriſti Statthalter, und der Catholiſchen Kirche allgemeinem Haupte kniete, und dazu als ein junger Cavallier, habe für Zittern und Beben nicht gewußt, was und wie er antworten ſolle, und dannenhero geſagt: Stat beniſſime. Worüber der Pabſt lächelnd, weil er wol geſehen, daß mit dem Herren Grafen nicht viel zu reden ſey, ſich alſo ferner in Diſcurs herausgelaſſen, ſagende: Mein Herr Graf, ihr ſeyd in die Fremde,

um

um etwas zu ſehen, gereiſet; ihr müßt aber nicht allein die Städte äußerlich anſchauen, ſondern auch der Einwohner Sitten erlernen. Der unter den Heiden allerweiſeſte Homerus hat ſeine Bücher von dem klugen und weit herum gewanderten Ulyſſe dergeſtalt angefangen:

> Dic mihi, Muſa, virum, captae poſt moenia Trojae
> Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Sehet, er ſetzet die Städte und die Sitten der Einwohner, ſo in ſolchen gewohnet, zuſammen, zu verſtehen geben, daß der Ulyſſes nicht minder dieſe, wol beſchauet. Thut ihr auch dergleichen, und folget dieſem Beyſpiel. Ein ſolches habe ich mir ſelbſt auf meinen Reiſen, als eine Regel, ſeyn laſſen; denn ich bin auch gereiſet, und zwar meiſt in dem Dienſt des H. Stuhls, ſintemal ich als Legatus nach Ferrara, als Inquiſitor nach Malta, und als Nuntius in Teutſchland geſchickt worden. Allein merket, bitte ich, mein Graf, man muß die Sitten der Leute nicht allein erforſchen, ſondern auch die guten annehmen, die böſen fahren laſſen. In Teutſchland habe ich etwas in Acht genommen, welches mir außer andern ſehr wol gefallen; dann daſelbſt ſind die Leute in den Kirchen ſehr andächtig, warten bloß des Gottesdienſtes ab, und enthalten ſich der Ueppigkeiten. Laſſet es euch nicht irren, daß ihr ein widriges in Italien und ſonderlich zu Rom antreffet. Ich kann es nicht ändern; doch werdet ihr ſehen, daß es wenigſtens in meiner Capelle gar ſtill und con un bel decoro hergehe.

Pag. 307. ſqq. Es wird mir erlaubt ſeyn, hiebey Anregung zu thun, was gutes ein wolbeſtelltes Stadt-Regiment, wann man es recht betrachtet, enthalte, und daß einer mit tauſend Thalern jährlicher Einkünfte daſelbſt das ausrichten könne, was ein Menſch, wann er für ſich mit ſeiner Familie von Städten, Dörfern und Gemeinſchaft anderer Leute ganz abgeſondert lebte, mit Millionen nicht zu wege bringen würde, welches zwar ſo geredt zu ſeyn ſcheinen wird, daß es mehr ein Gelächter erwecken, als einen Glauben finden ſolle. Allein laſſet uns bedenken: wann ich in einer guten Stadt wohne, und des Jahrs tauſend Thaler zu verzehren habe, kann ich nach Gefallen Geiſtliche erwählen — Bin ich krank, oder fehlet mir ſonſt etwas, laſſe ich einen Bader, Wundarzt und meinen Medicum beruffen, die mich curiren, und deren Recepte ſchicke ich in die Apotheker. Wil ich etwas bauen oder in meiner Wohnung verbeſſern laſſen, beruffe ich die Baumeiſter, Zimmerleute, Stein-Metzen, Maurer, Tiſchler, Glaſer, Schlößer, und zeige ihnen an, was ſie zu thun haben. Wil ich mich kleiden, laſſe ich Sammet, Tuch, einheimiſche und fremde köſtliche und geringe Zeuge, Strümpfe, Hüte von den Krämern, Ringe von den Gold-Schmieden hohlen. Wil ich ein Gaſtmahl halten, und mich mit guten Freunden ergetzen, geb ich dem Koch oder der Köchin befehl, was ſie ſollen bereiten; man hohlet Ochſen- Kalb- Schweinen-Fleiſch von dem Metzger; Gänſe, Hüner, Tauben und anderes Geflügel; allerhand Fiſche, Wildprät, Kräuter, Salat, Früchte von dem Markte; verſchiedene Arten Weins und Biers von den Wirthen; Salz; Zucker, Gewürz, Confituren von denen, ſo damit handeln. Die Muſicanten kommen auf mein Winken, und laſſen ſich mit Vocal-Stimmen, wie auch auf man-

cherley

cherley Saiten-Spiel hören. Wil ich Briefe an was Orte der Welt es ſeyn mag; ſolte es bis in America, oder dahin, wo der Pfeffer wächſt, ſeyn, abſchicken, ſo laufen die Courier und Boten ab, ſolche zu überbringen; andere berichten mich, was irgendwo geſchehen. Iſt mir die Weile lang, ſo habe ich zu deren Verkürzung verſchiedene mit ſchönen fremden Gewächſen, mit Statuen und Fontainen, und mit allerhand Waſſer-Vögeln, Fiſchen, wimmlenden Weyern gezierte Luſt-Gärten, wie auch Comoedien, Feſt-Schulen, Thée- Caffé- und Ball-Häuſer, Buchläden, Börſen. Meine Kinder beyderley Geſchlechts laſſe ich abrichten in Künſten, Wiſſenſchaften und Exercitien. Wil ich aus- und über Land fahren oder reiten, befehl ich die Caretten und Chaiſen anzuſpannen, Prang-Pferde oder Klepper zu ſatteln. Wil ich mich oder ſonſt etwas abmahlen, ſchicke ich den Malen einen Boten; Knechte, Mägde ſind mir nach meinem Gefallen zu Dienſte, und in Summa, der Bequemlichkeit iſt kein Ende. Ja wann man es recht betrachtet, ſo kann ich mit Wahrheit in einer wolbeſtellten ziemlichen Stadt mich berühmen, ich habe meinen Leib-Medicum, Leib-Barbierer, Hof-Maler, Hof-Capellen, meinen eigenen Beichtvater, meine eigene Handwerks-Leute, meinen Apotheker, meine mit Wein und Bier angefülleten Keller, meine Buchdruckereyen, meine Cammer-Couriers, meinen Marſtall, meine Luſt-Häuſer und Gärten, meine Comoedianten, Muſicanten, Nacht-Wache ꝛc. Wobey kein Bedenken gilt, daß nicht minder andere eben der Leute, ſo mir an die Hand gehen, und meinen Befehl vollziehen, ſich gleichfalls bedienen: Denn auch Könige und Fürſten, die ihre ganz und gar eigene und auf ihren Leib beſtellte Geiſtliche, Medicos, Kauf- und Handwerks-Leute, Köche, Muſicanten, Poſtillonen ꝛc. beſoldet halten, verwehren keines Weges, daß dieſe nicht auch andern, ſo es verlangen, zu Dienſte ſtehen ſolten, daß die Unterthanen nicht in ihre Kirchen gehen, ihre Schau-Spiele und Luſtbarkeiten mit anſehen und anhören, durch die Nacht-Wachen ſicher ſchlafen, von dem Ueberfluß der Victualien, ſo anders woher gehohlet werden, ſich verſehen ſolten. Nur iſt der Unterſchied, daß Könige, Fürſten, oder ein Stadt-Rath, mir die benannte und andere Leute, mit ihren großen Beſoldungen unterhalten, die nothdürftigen Sachen mit ſchwehren Unkoſten bringen laſſen müſſen, und ich, der ich eben ſo wol, als ſie, oftmals auch beſſer, hiedurch bedienet werde, gehe leer aus, und darf mich um nichts bekümmern, ſondern nur den Potentaten die Sorge überlaſſen. Nun hergegen, welche Schätze würden gnugſam ſeyn, daß ein in Einſamkeit für ſich lebender alle erzehlte avantages zuwege bringe? wann er müßte durch eigene Bauleute ſich eine Wohnung zurichten, eigene Geiſtliche, Medicos, Handwerks-Leute, Köche, Comoedianten ꝛc. beruffen, ſich Apotheken, Papier- und andere Mühlen, Brau-Häußer, mancherley Werkſtätte, Druckereyen anrichten: Wann er ſo, wie es in der Welt hergehe, Zeitungen einzuhohlen, oder ſeine Briefe zu beſtellen, ſtets expreſſe laufende oder reitende Boten ausſchicken, wann er Bergwerke zu Ausgrabung der benöthigten Metallen ſich ſchaffen, Schiffe zu des Gewürzes aus andern Theilen der Welt Herbringung, ausſchicken: in Wäldern Jagden, in Flüſſen und Meer-Waſſern Fiſchereyen anzuſtellen ſich genöthiget befände. Und wer wolte alles, was zu Erſetzung des Mangels, dem ein Einſamer unterworfen, erfordert wird, erzehlen? Hiebey fällt mir ein, was mir einſten des annoch, ſo viel

mir

mir wißlich, lebenden Spaniſchen Generals und damals der Chur-Bayeriſchen Kriegs-Macht vorgeſetzten Herrn Grafen von Berſo Excellenz, wie ich zu Ingolſtadt, allwo ich meinen Bruder, den Commendanten daſelbſt, beſuchte, bey ihm zur Tafel war, erzehlet. Es ſagten Seine Excellenz, wie ſie in längſt-vergangener Zeit einſten zu Brüſſel von Seiner Hoheit dem letztverſtorbenen Prinzen von Condé ſeyn zur Tafel berufen worden, und nachdem ſich unter denen, ſo dem Prinzen bey der Tafel aufwarteten, auch der bekannte Zeug-Vater der Praeadamiten, Iſaacus Peyrerius, befand, habe der Prinz nach andern Unterredung, den Peyrerium erſehend, ihn gefragt, wie es um ſeine Praeadamiten ſtehe, und ob er noch der beſtändigen Meynung ſey, daß dergleichen geweſen? Hierauf hätte der Peyrerius geantwortet, daß er ſolches veſtiglich glaube, und des Prinzen Eßmeſſer, welches ſchlechthin nach Engliſcher Art in einer Klinge vom Stahl, und einem Hefte von Helfenbein beſtund, von dem Tiſch genommen, und weiter geſagt: Es iſt aus der Heil. Schrift richtig und unlaugbar, daß der Cain, Adams Sohn, eine Stadt erbauet habe. Wie hätte er aber das vollbringen können, wenn damals die Welt in ſehr wenigen Perſonen, und etwa nur in ſeinen Brüdern, Schweſtern, deren Kindern und höchſtens denen zur Arbeit tüchtigen Enkeln beſtanden wäre? Dann ich will erweiſen, daß mehr als 100000 Perſonen bemühet geweſen, ehe nur dieſes Meſſer hat können verfertiget werden. Ich ſagte: Es hat ſonder Zweifel der Peyrerius, ſo mir nicht unbekandt war, anzeigen wollen, daß man das Eiſen zu ſolchem Meſſer mit allerhand Inſtrumenten, zu deren Bereitung viel tauſend Menſchen Hand angeleget, aus der Erden graben und ziehen müſſen; daß es hernach mit Herbeyſchaffung des Holzes und Gebrauch anderer Werkzeuge, ſo vorher viele Menſchen mit Mühe gemachet, in hiezu verfertigten Werkſtätten geſchmelzet, geſchmiedet und gehärtet worden. Daß man Schiffe in Indien geſchicket, das Helfenbein zu holen, welche vorher gebauet, und mit Segeln, Maſtbäumen, Stricken, Compaſſen und anderer Nothdurft verſehen werden müſſen; der Elephant, von welches Zahn das Heft hergekommen, ſey mit Ausſchickung einer großen Volks-Menge gejaget, gefangen, gefallet und ertödtet worden, wozu man abermals viele Inſtrumenta gebraucht, u. ſ. f. daß demnach freylich die von dem Peyrerio bedeutete Anzahl Leute heraus kommet. Und läßet ſich nicht einwenden, daß die ſo große Bemühung nicht wegen des Meſſers allein geſchehen; dann gnug iſt, daß das Meſſer durch ſolche ſein Weſen erlanget, und ohne ſo vieler Menſchen Arbeit nicht wäre auf die Welt und zum Stande gekommen. Wie dann auch nichts anders in Conſideration kömmt, als was eigentlich zu der production des Meſſers immediate concurriret und keine Cauſae remotae regardiret werden.

Demnach hat der Peyrerius nicht ſagen wollen, daß 100000 Menſchen an Verfertigung der Meſſerklinge, und deren Helfenbeinern Haft, Hand angeleget, ſondern nur, daß, wann nicht 100000 Menſchen zu Bereitung des Eiſens, wovon die Klinge und Ertödtung des Elephanten, wie auch Herbeyſchaffung deſſen Zahns, wovon das Heft gemacht worden, wären bemühet geweſen, würde das Meſſer niemals zur Welt gebracht worden ſeyn, und dieſes iſt ſo fern der Wahrheit gemäß. Im übrigen, wenn ich zugegen geweſen wäre, wie dieſes mit dem Peyrerio vorgieng, hätte ich ihn gebeten, weil er

meynete,

meynete, man könne die Schwierigkeiten, ſo er wegen des Cain machet, ohne Praeadamiten zuzulaſſen, nicht auflöſen, möge er mir doch, ehe ich Satisfaction zu leiſten mich bemühe, zuvor ohnbeſchwehrt ſagen, woher der erſte von ſeinen arbeitſamen Praeadamiten ſeine Zange genommen? und würde er vielleicht mehr über meiner, als ich über ſeiner Difficultaet, perplex worden ſeyn. Dann die meinige iſt auch nicht gering, ſintemal unter allen mechaniſchen Inſtrumenten nichts ſo nothwendig, als eine Zange: es kann aber keine Zange ohne Beyhülfe einer andern Zange gemacht werden, und ſolcher Urſach willen, um ſich aus der Sache zu helfen, dieweil kein progreſſus in infinitum ſtatt hat, ſind etliche unter den alten Juden im Talmud der beſtändigen Meynung geweſen, Gott habe in der erſten Schöpfung nebſt den Creaturen, die wir ohnſtreitig aus nichts erſchaffen zu ſeyn bekennen, auch eine Zange hervorgebracht: daß alſo, wie dieſe wollen, die Zange unter allen Inſtrumenten, deren wir uns im menſchlichen Leben gebrauchen, dieſes beſondere hat, daß ſie unmittelbar von Gott erſchaffen worden.

Pag. 316: Des Herrn Grafen Excellenz fingen hierauf an und fragten, was ich davon hielte? Er ſey der gänzlichen Meynung, daß man heut zu Tage den Tacitum, Virgilium und andere alte Auctores in den vielen Commentariis, ſo über ſolche geſchrieben werden, oft viel vernünftiger und gelehrter mache, als ſie geweſen, und ihnen Meynungen beymeſſe, welche ihnen nie zu Sinne gekommen. Denn, wenn man betrachte, was nicht allein in Teutſchland Förſtnerus und Boeclerus, ſondern bevorab der Spanier Don Baldaſſar Alamo Varienti und der Italiäniſche Trajano Boccalini über den Tacitum geſchrieben, ſey kaum möglich, daß der Auctor alle die Politiſchen Geheimniſſe ſolte intendiret haben, ſo dieſe Commentatores herausgebracht. Mit dem Virgilio und deſſen ſo vielen Auslegern, ſonderlich dem Jeſuiten Johanne Ludovico de la Cerda von Toledo, der mit ſeinen Anmerkungen zween groſſe Tomos in Folio angefüllet, habe es eine gleiche Bewandnis. Ich antwortete, daß niemand, der die Sachen wol erweget, anderſt, als Ihre Excellenz, Beyfall geben könnte: und ſey bey mir außer Zweifel, daß ſo wenig der Tacitus wie er ſeine Annales zu ſchreiben angefangen, an das Versmachen gedacht, ob gleich die erſten Worte:

Vrbem Romam a principio Reges habuere:

einen richtigen Hexameter darſtellen: eben ſo wenig habe er auch auf dasjenige reflectiret, ſo aus ihm erzwungen wird. Von dem Virgilio werde von dero Excellenz nicht unbillig ein gleiches Urtheil gefället, welchen wegen der vierten Ecloga, ſo da anfänget:

Sicelides Muſae, paullo majora canamus:
Non omnes arbuſta juvant humileſque myricae;

Die Altväter Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, und unter den neuern Sannazarius faſt beydes zu einem Propheten und auch Evangeliſten gemachet, und den gröſſeſten Theil ſolches Carminis auf Chriſtum unſern Heyland gedeutet: auch ſage man, daß zween Heiden, Secundianus und Marcellianus, bloß, weil man ihnen ſelbiges zu Gemüth geführet, von ihrem Irthum zu dem

Chriſt-

Chriſtlichen Glauben ſeyn gebracht worden; da doch angeregte Ecloga wahrſcheinlich nichts anders ſey, als ein Genethliacum oder Glückwünſchungs-Gedicht an den Aſinium Pollionem, Römiſchen Bürgermeiſter über die Geburt eines Sohns, den er Saloninm genannt, wie ſie denn in ſolchem Verſtande nicht allein von dem Servio, ſondern auch denen nachgefolgten mehrern Chriſtl. Interpretibus genommen werden. Im übrigen ob zwar der Martialis in ſeiner Vorrede über librum 2 Epigrammatum ſagt; Improbe facit, qui in alieno libro ingenioſus eſt; ſey es doch nicht böslich gehandelt, wenn man einem Auctorem, auch über ſein Verdienſt, als weiſe und vernünftig darſtellig macht, und ihm nicht allein, ſondern auch ſich ſelbſt eine Ehre dadurch zuziehet. Es geſchehe aber auch oft, fügte ich hinzu, daß man auf eine ganz contraire Weiſe, etwas, ſo in guter Meynung geſchrieben, übel ausleget, und ſolchem einen böſen Verſtand, der dem Auctori nie zu Sinne gekommen, unverantwortlicher Weiſe andichtet.

Pag. 317. ſeq. Des Herrn Grafen Excellenz fragten weiter, ob ich ihr nicht aus einem Zweifel helfen könnte, in dem ſie lange bishero geſtanden, woher es nemlich immermehr komme, daß wir mit der Lateiniſchen Sprache mehr delicat ſind, und in ſolcher eine gröſſere Nettigkeit und beſſere Erfahrenheit erfordern, als in den übrigen allen. Wann ein Fremder, ſagten ſie, in Ausredung oder Schreibung, zum Beyſpiel, der Franzöſiſchen, Italiäniſchen und Spaniſchen Sprache einen Fehler begehet, er mag ſo grob ſeyn, als er wolle, alteriret man ſich nicht darüber, ſondern hält ihm, weil es ſeine natürliche Rede Art nicht iſt, was er pecciret, gern zu gut. Ja, es ſind die meiſten Franzoſen, ſo nicht gelehrt, in ihrer eigenen Sprache, weil man ſelbige anderſt ſchreibet, als ſie geredet wird, der Rechtſchreibung ganz unerfahren, und hat man oft lange zu thun, ehe man das errathen kann, ſo ihre Briefe anzeigen wollen. Und was noch mehr? ſo iſt in unſrer Teutſchen Mutterſprache nicht einmal eine Orthographie noch bis auf gegenwärtige Zeit nur in den gemeineſten Wörtern ausfündig gemacht worden, daß demnach ein jeder ſchreibt, wie es ihm einfällt, welches man alles ſo hingehen läßt, ohne ſich deſſen im geringſten zu mocquiren. Aber, wenn jemand, von was Nation er auch ſeyn mag, in der Lateiniſchen Sprache, die doch allen gleich fremd iſt, ſich verredt oder verſchreibt, es geſchehe auf was Weiſe es wolle, entſtehet alſobald ein Gelächter, man machet gleichſam eine Todſünde daraus, beſchimpfet einen öffentlich, und beklagt den Priſcianum, daß er ſo einen Puff erleiden müſſen. Solchergeſtalt wann die Knaben in unſern Schulen in Concipirung ihres Teutſchen Arguments etliche Dutzend Fehler begehen, wird daſſelbe niemals geahndet; ſo fern aber in die Lateiniſche Verſion ein einiger, wie gering er ſeyn mag, einſchleichet, wird ſolcher allezeit mit Worten, und oft auch mit Schlägen von dem Praeceptore hart geſtrafet. Meine Antwort war, wie ich ſehr erfreuet ſey, daß dero Excellenz ihre höchſtvernünftige Gedanken mir zu eröffnen geruhen wollen, und daß kaum zu erſinnen ſey, wer der vorlängſt abgeſtorbenen todten Lateiniſchen Sprach ein Privilegium, daß man ſie ohne Vitio reden und ſchreiben müſſe, vor denen, ſo in der Welt gangbar und lebend ſind, gegeben habe, oder woher dieſe Ketzerey den Anfang genommen. Doch wenn mir erlaubt meine Muthmaßung zu entdecken, ſo mögte deſſen

vielleicht

vielleicht eine Urſach ſeyn, daß in der Jugend man zu der elegantia Latini ſermonis angehalten werde, und ſolcher Willen die damals empfange Impreſſion und praejudicium, von dem, was derſelben zu widet, zu abhorriren, einem ſtetig hernach anhange. Hiezu kommen daß die Gelehrten, weil ſie mehrmalen ſonſt wenig geachtet werden, über ihre Sprache halten, damit ſie ſich etwas in Anſehen ſetzen, und hiedurch gleichſam einen Vorzug über die ſonſt hochgeachteten Politicos bekommen mögen; wann ſie dieſen ihre Soloeciſmos und Barbariſmos vorzuwerfen wiſſen. Nichts deſtoweniger könnten ſie dem Pöbel in Ungarn und Polen nicht wehren, daß er ſich nicht ſeines corrupten Lateins gebrauchen, und glauben ſolte, daß er ſehr gut und beſſer, als die Ciceroniani, rede; wie auch der Don Diego Sarmiento d' Acunha Graf von Gondemar, Spaniſcher Botſchafter an den König Jacobum von Groß-Britannien, gethan, welchen, wie der König, ſo ſtets mit ihm Latein redte, deſſen jener aber ſchlecht erfahren war, einſten fragte, wo er doch ſein Küchen-Latein gelernet hätte? ſich, als von dem König wol gelitten, die Freyheit nahm zu antworten, daß er viel beſſer Latein, als Ihro Majeſtät, redte, ſintemal ſein Latein Königliches, das aber, deſſen Ihro Majeſtät ſich gebrauchten, ein Pedanten-Latein ſey, worüber der König ſich des Lachens nicht enthalten konnte. Es hätte der Don Sarmiento zu ſeinem Beweis anführen können, was die Canoniſten lehren, daß nemlich eines weltlichen Fürſten und Königs Lateiniſches Reſcript nicht für ſuſpect zu halten, wann gleich Fehler wider die Grammatic darinnen befindlich, wiewol es mit den Päbſtlichen Reſcriptis, weil ſie durch viele Hände gehen müſſen, eine andre Beſchaffenheit habe. Im übrigen ſtreiten, ſagte ich, die Gelehrten nicht allein für ihr Latein, tanquam pro aris et focis, ſondern auch für die Griechiſche und Hebräiſche Sprache, und laſſen auch in dieſen keinen Fehler, weder im Reden, noch im Schreiben ungeahndet begehen, ob ſie gleich, ſo viel das Reden betrifft, mehr als die Lateiniſche, erſtorben, und gleichſam gar zu Grabe getragen ſind. Ficht demnach die Gelehrten das, was mit den lebendigen Sprachen geſchiehet, wenig an.

Pag. 321. Des Herrn Grafen Excellenz unterbrachen meine Rede, und ſagten: Ich ſehe, meine Frau Gemahlin macht eine abſonderliche Eſtime von dem Herrn: worauf ich verſetzte, daß ich mir ſelbſt mit ihrer zutragenden Gnade flattiren dörfte, indem ſie mich auch einſten gewürdiget, deren durch einen gnädigen Hand-Brief zu verſichern. Allein, ſagten ferner Seine Excellenz, es war eine Zeit, da ſie den Herrn nicht ſo wol, als jetzo, hätte leiden mögen; denn ſie iſt ehemals in dem Wahn geweſen, Lutheraner, Jud, Heid, Türk, ſey alles nur ein Ding. Ich erſtaunend, machte das groſſe Creutz für mich, und ſagte: Das wird Gott nicht wollen, daß Ew. Excellenz meynen ſolten, Jud, Heid, Türk und ſo genannte Lutheraner ſeyn einer ſo unglaubig, und ſo wenig ein Chriſt, als der andere: und gewis, alles und jedes, was ich glaube, glauben auch Ew. Excellenz; und iſt der Unterſcheid, daß ſie über das, ſo ich glaube, noch etwas mehrers für wahr halten; welches ich kürzlich zu verſtehen gab. Wozu Ihre Excellenz ſagten, Sie habe freilich ehemals die Meynung gehabt, daß unter einem Juden, Heyden, Türken und Lutheraner kein Unterſcheid ſey, alldieweil ſie an Orten erzogen worden, wo ſie lauter Ca-

tholiſche

tholiſche Leute geſehen, und von keiner andern Chriſtlichen, als der Catholiſchen Religion, Wiſſenſchaft empfangen. Sie ſey aber jetzo eines andern berichtet. Was im übrigen die Lehr-Punkte anbelange, laſſe ſie alles dahin geſtellet ſeyn: doch könne man nicht leugnen, daß auch diejenigen irren, welche der Sache zu wenig thun; welches ich nicht anderſt, als mit einem ehrerbietigen Stillſchweigen und tiefen Reverenz beantwortete.

Pag. 327: Mit Ueberhäufen und Eilen läſſet ſich (bey Unterweiſung der Jugend) nichts fruchtbarliches ausrichten. Wer in eine Flaſche vom engen Munde häufig viel eingießen will, richtet nur eine Verſchüttung an, und ein Stein wird nicht durch die aufgegoßene Menge des Waſſers ausgeholet, ſondern nur durch die nach und nach auf denſelben gefallenen Tröpflein.

P. Franciſci WAGNERI S. I. *Vniverſae Phraſeologiae Latinae corpus congeſtum.* Aug. Vindel. et Francof. 1718. 8. Recuſum Ratisbonae 1740. 4.

Jo. Georgii WALCHII *Hiſtoria Critica Latinae linguae.* Prodiit auctior editio altera Jenae 1716. 8. Multis acceſſionibus auctior Lipſiae 1729. 8.

Doctorem ubique agit tum moderatum, tum bonarum litterarum periſſimum. Praemiſit *Prolegomenis* de Philologiae indole ſtudiisque illius rite inſtituendis. *Cap. 1.* agit de origine et fatis L. L. *Cap. 2.* de ſtili cultioris Romani ratione; *Cap. 3.* de praeſtantia L. L. itemque diſcendi ratione; *Cap. 4.* de Grammaticis Latinis; *Cap. 5.* de Latinis Lexicis; *Cap. 6.* de lectione atque interpretatione auctorum L. L. generatim; *Cap. 7.* de editionibus veterum auctorum Latinorum; *Cap. 8.* de Criticis Latinis; *Cap. 9.* de lectione antiquorum ſolutae orationis ſcriptorum; *Cap. 10.* de lectione Poëtarum Latinorum; *Cap. 11.* de lectione ſcriptorum Chriſtianorum; *Cap. 12.* de lectione ſcriptorum recentiorum; *Cap. 13.* de obſervatione L. L. *Cap. 14.* de imitatione; *Cap. 15.* de variis ſtili cultioris exercitiis atque augmentis; ſuccedit tandem *Diatriba de litteris humanioribus.*

EIVSDEM de *Scepticiſmo Critico* Sermo inſertus Tomo I. Miſcell. Lipſ. p. 334.

De Criticorum conatibus non adeo magnifice ſentit, et naevos, qui in ipſo artis ipſorum exercitio ſeſe exſerunt, notat, parum certitudinis arti Criticae omnino deferens.

EIVSDEM Obſervatio *de Nugis et Bellis Grammaticorum.*

Inſerta eſt *Miſcellaneis Lipſienſibus ad incrementum rei litterariae Lipſ. 1716. editis*, eorumque *Tomo I* p. 42. ſeqq. et, quia lectu eſt digniſſima, huc voluimus translatam; ſic autem habet:

Quamvis eruditos et litterarum cultores decet, omnia placide agere, et veritatem bona mente partim propagare, partim ei ita favere, ut illa nihil dulcius ſuaviusque habeant; ſaepius tamen inveniuntur, qui altercationibus mire indulgent. Quod teſtantur bella, quae a Muſarum doctoribus geruntur, quippe qui arma contra ſe invicem habent, et hoſtes ſibi modo vulneribus, modo etiam morte adficere, ſaltem in triumphum ducere cogitant. Quae eruditorum bella diverſi generis ſunt, ſive animum advertamus ad ipſos hoſtes, qui propenſionibus animi differunt, ſive ad ipſa arma, quae ſunt modo injuriarum cumuli, modo veritatis argumenta, ſive ad originem, ſive ad finem illorum. Quod ad originem harum pugnarum attinet, non negandum eſt, res ſaepius eſſe maximi ponderis, de quibus pugnant, et ex quarum controverſiis commodum poteſt exſpectari, ſi modo omnia placide agant, et veritatis promovendae curam habeant ſibi cariſſimam. Sed qui famae ſtudent conſulere, ipſo animo ad altercandi ſtudium inclinant; alios de rebus, quae nullius uſus ſunt, provocant ad certamen; illi male conſumunt temporis ſpatium, nec vere eruditi nomen prae ſe habere merentur. Ad quod poſtremum contentionum genus Grammaticorum bella jure meritoque poſſunt referri, qui occupati ſunt in rebus Grammatices, Philologiae et Critices, prout veteres Grammatici erant Philologi, Critici, Poëtarum interpretes, codicum ſcriptorum Cenſores, quod nomen et Critici acceperunt; v. Horatius L. 2. ep. 2. v. 109. Arte Poët. v. 173. *)

Hujuscemodi ingenia primum ſaepe omne vitae ſuae tempus in nugis Grammatices conſumunt, et ingentes de illis libros, veluti praeclariſſima ingeniis monimenta, elaborant, prout *Agnus Benedictus Sanrey* a) integrum librum ſcripſit *de recta nominis Paracleti pronuntiatione Pariſ. 1650. 8. Nicanor*, Grammaticus Alexandrinus, qui fortaſſe etiam Alexandri hiſtoriam prodidit, *ſex libros* elaboravit *de puncto Grammatico. Meſſala Corvinus de littera S.* copioſe diſſeruit, teſte Lipſio de recta Lat. linguae pronuntiatione, pag. 10. *Martinus Fogelius* de *Germanorum litt. B.* v. Almeloveen in Bibl. promiſſ. pag. 22. *Samuel Schmidius de vera et genuina diphthongorum AE et OE ſcriptura, Quedlinb. 1677. 8.* Quo ſpectant verba *Alethophili Sinceri Schediasmate de Scarabaeis Criticis et Hypercriticis* pag. 9: ›Quantam utilitatem erudito orbi prolixa et taediosa ejusmodi ſcripta adferunt? qualia ſunt de verbo *Cerno* b), de Formula *impraeſentiarum* c), de *Graeco Ablativo* d), de Reciproco *Sui*

*) Qui plura deſiderat de his Grammaticis, adeat ille *Pitiſci* Lexicon Antiq. Rom. P. 1. *Sanctii* Minervam p. 15. 16. *Voſſii* Ariſtarchum pr. *Woweri* Polymathiam.

a) Conf. *Lilienthalium* de Machiavell. litt. p. 115. et Excellent. *Menkenii* Declam. de Charlataneria eruditorum p. 74. b) Reſpicit ad controverſiam inter viros celeberr. *Ludolph. Kuſterum* et *Jacobum Perizonium*. c) De hac formula diſputavit Cl. Vir *Dn. M. Hechtius, Vitemb. 1709.* d) *Biſchoff.* in Cadmo p. 65. diſſerit *de Graeco Ablativo adjiciendo.* De *Chriſt. Daumii* Diatribe *de*

Sui e), de Praepoſitione Graeca ἐπὶ, *f*) etc. Profecto parvam vel nullam. Breviter ejusmodi res expediri poteſt: non opus eſt multis verbis.

Deinde amant quoque contentiones, et judicio interdum haud valentes praelia ineunt cum aliis de rebus ſuis, id eſt, Orthographiae, Etymologiae, Syntaxeos, puritatis vocis cujusdam, ſcripturarum Codd. MSS. et quae alia ſunt harum nugarum. Ex veteribus elegans exemplum prodit A. Gellius lib. XIV. cap. 5. N. A. de caſu vocandi vocis *egregii*. *Marius Nizolius*, Brixellenſis, cum *Marco Antonio Majoragio*, Prof. Eloq. Mediolanenſi, agitavit haud levem controverſiam, quoniam exemplo Nizolii non tam religioſe imitabatur Ciceronem: vid. *Joannis Imperialis* Muſeum Hiſtoricum et *Freherum* in Theatro ſuo P. IV. pag. 1455. *Franciſcus Poggius*, Florentinus, ſtudio altercandi multum deditus erat: ſed quum *Trapezuntio*, viro Graeco, malediceret, accepit ab eo duplicem colaphum, eumque haud leviorem: idem *Poggius* aluit animum haud amicum *Laurentio Vallae*, qui inter ſe invicem pugnarunt de ſyllabis et vocabulis, prout *Valla* dialogos ſcripſit contra *Poggium*: vide *Thorſchmid*. Diſſ. *de meritis Poggii in rem litterariam pag. 10. 11. Franciſcus Philelphus* contendens de ſyllabae modulo cum *Timotheo* graeculo, ita cum eo pactus eſt, ut, ſi vinceretur Philelphus, pecunia lueret; ille vero victus barbam ſibi evelli novacula pateretur; quod et magno ludibrio graeculi hominis factum eſt: vide *Thorſchmid*. c. 1. et *Menkenium de Charlataneria eruditor. pag. 74.* Quantum bellum, idque Grammaticale exarſerit inter *Ciceronianos*, qui venerabantur Ciceronem ſuperſtitioſe, et inter *Philippicos*, qui cum Philippo Melanchthone in Ciceronis verba jurare nolebant, ex hiſtoriarum litteris patet: adi *Eraſmi Ciceronianum* ſ. *Dialogum de optimo genere dicendi*, et *Jani* Diſſ. *de nimio latinitatis ſtudio p. 20. 21. Angelus Baſſus*, a patria dictus *Politianus*, eodem et ingenio et animo erat corrupto, quoniam de rebus nullius uſus ſemper, idque gravius, et magno fervore diſputabat. Hinc *Mornaeus* de V. R. C. ita de eo: *Politianus ſcripturarum lectionem plane rejiciebat; videamus, quid idem in pretio haberet: diſputavit, quam diu vixit, dicendumne eſſet Vergilius*, an *Virgilius*; *Carthaginenſis*, an *Carthaginienſis*; *primus*, an *preimus*, *et, ſi quid otii ab iſtis nugis ſuperfuit, epigramma aliquod Graece compoſuit in Cupidinis aut praepoſterae Veneris laudem:* adde *Joh. Ludov. Vivem de Ver. Rel. Chriſt. l. 2. p. 153. Trajanus Boccalanus Relat. ex Parnaſſo l. 44. p. 119.* commemorat, quod grave bellum quondam fuerit de ſcriptura vocis *conſumtus*, num ſcribenda ſit *conſumptus* cum P, an *conſumtus*? quod exitaverit *Paullus Manutius*, quive *Dionyſio Lambino* ſubinde damnum attulerit. Qui *Lambinus* quum *Paullo Manutio* ſe opponeret, ei Manutius non ſolum lapidem vetuſtum demonſtravit; ſed quum illum accuratius in-

de Nullitate Aoriſti 2. et Futuri 2. vid. Dn. *Ludovici* Hiſt. Scholar. P. 3. p. 129. *e*) Huc ſpectat *Laur. Vallae libellus* ad Joh. Tortellium *de Reciprocatione Sui* et *Suus* p. 566. Eleg. edit. Cantabr. *f*) Vide Dn. *J. C. Herzogii* Diſput. *de primario ſignificatu Praepoſ.* ἐπὶ, Lipſ. 1705. 4.

introſpiceret, naſum quoque ad iſtum ita alliſit, ut ſubinde magnum dolorem is perceperit. Noſtra aetate ejusmodi exempla in medium proferre poſſumus, *Clerici* et *Burmanni*, *Küſteri* et *Perizonii* de voce *Cerno* diſputantium; *Perizonii* et *Francii*, item *Huberi*, *Mabillonii*, *Ruinarti*, *Germonii* de Codd. MSS. auctoritate; *Cellarii* et *Olai*, it. *Andreae Borrichiorum*.

Hi ſunt fructus elegantiorum litterarum, quae cum Philoſophia, fonte verae eruditionis, haud conjunguntur. Namque quum hujusmodi ingenia Philoſophiae litteras parvi faciunt, et in ea verſantur opinione, litteras Latinas et Graecas praeſidium eſſe aliarum ſcientiarum et fontem, unde vera eruditio poſſit hauriri; intellectus eorum male ſanus, et voluntas inculta nec emendata ſemper jacet: id enim munus verioris Philoſophiae eſt, ut animum noſtrum a morbis liberet, qui eum circumdederunt, et partim intellectum, partim voluntatem priſtinae valetudini reſtituat. Sed quid mirum, quum tales Grammatici de cultu Philoſophiae adeoque intellectu ſanando numquam cogitant, quod tam prave de praeſtantia litterarum humaniorum ſentiant, quaſi ab illis omnium aliarum Muſarum felicitas dependeat, atque multa is praeſtet, qui de littera B. ſ. de Graeco Ablativo, de voce *Cerno* diſputet diligenter. Qui ita ſentiunt, veram eruditionem non guſtarunt, quae reſpicit ad emendationem cum intellectus, tum voluntatis, id eſt, ſenſum veri et falſi, et bene temperatum ac naturalem amorem: quod praeſtat Philoſophia. Quid mirum, quando fervore animi et ab omni modeſtia remoti cum aliis diſputant? Namque animum ſuum litteris Ethices, quae voluntatis morbis adfert medelam, numquam exercuerunt.

Alia exempla ſubjicere poſſem cum vetuſtioris, tum recentioris aetatis: dantur enim plurimae nugae, ſive reſpicias ad Orthographiam, ſive ad Etymologiam, ſive ad Syntaxin. Quod ad Orthographiam ſeu ſcribendi rectam conſuetudinem attinet, legi poteſt *Johannes Tortelius de Aretio* ſeu *Aretinus*, qui Eccleſiae Romanae Subdiaconus claruit A. C. 1420. *de Orthographia* et *Lima Georgii Vallae in eandem*, *Venet.* 1495. *fol.* item *Commentariis Grammaticis de Orthographia dictionum e Graecis tractarum*, *Venet.* 1484, quorum meminit *Cornelius a Beughem de Incunabilis typographiae p.* 136. Nugae ſcribendi erant Monachorum modi, quibus contrahebant litteras et ſyllabas, prout exemplum videri poteſt apud *Lomeierum de Bibliothecis p.* 122 et Magnif. *Rechenbergium de ineptiis clericorum Romanenſium litterariis p.* 551. *Exercitatt.* Nugas Etymologicas praeter alias exhibet *Johannes a Janua*, qui dictus alioquin *Johannes Balbus* ſ. *de Balbis*, ſcripſitque *Dictionarium* ſ. *Vocabularium:* huic dicitur *aſoriſmus* quaſi *cporiſmus* a *poris*, qui ſunt apertiones parvae et ſubtilia foramina corporis: *beſtia* à *beth*, i. e. *domus* et *ſto*, quia beſtia non dicitur, niſi quae manſione hominum utitur. *Brachium* a βαρὺ, quod eſt *forte* vel *grave*, quia ceteris membris fortius ſit. *Coelum* ex *caſa* et ἥλιος *ſol*, quia ſit *caſa ſolis*. *Diadema* ex *dya*, *duo*, et *demo*, quia *duo demat*, ſcilicet principium et finem, vel ex *dya*, *duo*, et *demas*, id eſt, *ornans*, quia utramque partem capitis ornet, vel a *dia*, id eſt, *de* et *demos*, id eſt, *conjungere* vel *ligare*. Habebis plura apud

Zwin-

Zwingerum Oratione de barbarie ſuperiorum ſaeculorum, quae adjecta *D. Götzii Principi Graece docto p. 130. 131.* Sunt adhuc alii ingenio meritisque graviſſimi viri, qui ſtudio Etymologico multum tempus conſumſerunt: ſed licet niterent incredibili litterarum ſcientia, famaque nominis terrarum, praecipue Muſarum orbem, implerent; propoſuerunt tamen, quae ad nugarum claſſem jure ſuo et merito poſſunt referri. Idem teſtatur *Morhoſius Polyhiſtore litterario tom. I. lib. IV. cap. 10. §. 2.* de Grammaticis Dionyſii Gothofredi: *Quamquam, ſi verum fateri velimus, auctores hi Etymologiam potius tractant, quam ut artis Grammaticae regulas pertractent, ſuntque in iis etymologiis multa eorumdem deliria: quum nemo infelicius in hoc ſtudiorum genere ſit verſatus, quam ipſi Romani, ut ſunt plerique nationis vernaculae Grammatici peſſimi verborum interpretes.* Ad Syntaxin pertinent ſoloeciſmi Grammatici, in quibus colligendis non nulli fuerunt diligentes, qui, his muniti armis, plane ſibi perſuadebant, ſe de hoſtibus poſſe triumphare. In his ſtercoribus verſabatur diligens *Caſpar Scioppius*, qui appellatus eſt *canis grammaticus;* et videri poteſt *Scaligeri Hypobolimaeus.* Conf. *Morhoſii Polyhiſt. c. I. § 4. Paſchium Invent. nov. — antiquis p. 21, Baelii Dictionarium* voce *Schoppius,* et *Menkenium de Charlataneria eruditorum* p. 42. Subjicere poſſem nugas Philologorum, Criticorum, et alia Grammaticorum bella, e. g. *Cruſii* et *Friſchlini* de Graeco ablativo et aliis Grammatices argumentis:*) Sed ſtudebo brevitati. Tantum vero abeſt, ut virorum, quos attigi, meritis aliquid velim detrahere, ut iſta pro dignitate, et, quo decet, cultu venerer. Sumus homines, et affectibus, quibus in litteras, quas praecipue excolimus, et quarum cultu quis adſecutus clarum nomen eſt, ferimur, multum interdum damus atque indulgemus. Proficiſcitur hic paedantiſmus ex vitio intellectus et voluntatis, ita, ut interdum magis intellectus, interdum magis voluntas, ſit in cauſſa. *Jacobus Facciolatus* orat. *de Grammaticis pag. 9.* edit. noſtrae ait: *Quam indecorae, quam pudendae, quam prope inſanae fuere contentiones illae Poggii cum Valla, Politiani cum Merula, Scaligeri cum Eraſmo, de rebus his minutiſſimis, quaſi de aris et focis. Quam illa ridicula Franciſci Philelphi cum Timotheo quodam Graeco, qui de vi ſyllabae pugnantes, ea lege in aciem ex*

*) Prodiit *Martini Cruſii Defenſio neceſſaria adv. Nicod. Friſchlini Dialogos*, Baſil. 1587. 8. *Juſta, vera et poſtrema Reſponſio ad Nicod. Friſchlini ſceleſtiſſimum celeſtiſſimum* ibid 1588. 8. *Reſponſio adverſus Poppyſmi Grammatici Dialogum 3. Friſchlini*, Francof. 1599. 8. *Libri duo ad Nicod. Friſchlinum:* 1 continentur *Animadverſiones in Grammaticam ejus;* 2 ad ejusdem *Strigil in Grammaticam Antiſtrigilis*, Argent. 1599. 8. *Nicodemi Friſchlini Prodromus in ſecundum celeſtiſſimi Grammatici Dialogum adv. Mart. Cruſium*, Vrſellis 1588. 8. *Strigilis Grammatica*, Argentorati 1594. 8. *Poppyſmus Grammaticus pro ſtrigili ſua Grammatica adverſus Mart. Cruſium*, Pragae 1587. 8. *Poppyſmus Grammat. Dialogus tertius contra Antiſtrigilim Cruſii*, Vrſellis 1596. 8.

compoſito deſcenderunt, at victus barba mulctaretur! O magnas nugas magno conatu actas! O vos miſeros, quicumque ab his, tamquam ex tripode, de Lat. linguae ratione reſponſa petitis! Cicero libro primo de officiis monet, ne nimis magnum ſtudium multaque opera in res obſcuras atque difficiles, easdemque non neceſſarias, conferatur. Plura de hoc argumento exhibet *Hiſtoria* noſtra *Critica Latinae linguae cap. IV. de Grammaticis.*

Joſiae WEBBE *Vſus et auctoritas*, ſeu *Carmen Hexametrum et Pentametrum.* Londini 1626. 8.

Ita particulas et verba Ovidiani poëmatis digeſſit ſub ſuis pedibus, ut jactet, hoc artificio quemcumque artis Oratoriae et Poëticae ignarum orationem et poëma poſſe ſcribere: quod etſi per inanem jactantiam adfirmatur; metrorum tamen et pedum inventionem faciliorem reddit: qua in re praeivit *Bucellino* et *Balbino*; de quibus vide ſupra ad *Bucellinum.*

Jo. Adami WEBERI *Lexicon Encyclion*, II. Tomis. Chemnitii 1734, 1745. 8 maj.

Admodum locuples latinitatis penu eſt: admiſcet etiam ex *Gloſſario Fresniano* medii aevi vocabula ea, quorum in orbe erudito hodie frequentior eſt uſus.

EIVSDEM *Introductio in Hiſtoriam Latinae linguae.* Chemnitii 1736. 8.

Liber, lingua conſcriptus vernacula, elegans et lectu valde jucundus eſt et utilis. Recenſet Auctor L. L. fata, natales, incrementa, ἀκμήν, decrementa et ἀνάστασιν ordine Chronologico et ſecundum ſingulos cujusvis aetatis periodos. Primo conſtituit aetatem auream, ad eamque refert L. L. Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, Aetatem virilem; deinde argenteam, aeneam, ferream, ligneam, luteam: ſubjungens his L. L. ἀνάστασιν ſ. Reparationem, ejus tres faciendo aetates, Primam, Mediam, Novam.

Henningi WEDEMANNI *Liber Partitionum ſyntaxeos et elocutionis.* Luneburgi 1638. 8.

Godofredi WEGNERI *Nucleus Cornelii Nepotis Scholaſticus, Phraſes et ſententias ex eo potiſſimum exhibens.* Francoſ. ad Oderam 1691. 8.

M. Melchioris WEINRICHII *Aerarium Poëticum*, hoc eſt, *Phraſes et nomina Poëtica, tam propria, quam appellativa, Poëtarum Latinorum, cum veterum plerorumque omnium, tum recentiorum quorumdum, et praeſertim Friderici Taubmanni, ſaeculi noſtri Poëtae praeſtantiſſimi: titulis Latino-Germanicis ordine doctrinae,*

doctrinae, cujuslibet diſciplinae proprio, ita congeſta, ut praeter haec inſtar locorum communium etiam haberi poſſint: nunc ſextum reiterata editione infinitis in locis emendatius, terſius, ut et Italorum, Belgarum, Gallorum, Germanorum, Scotorum, Hungarorum, quos Janus Gruterus ut plurimum collegit, Chriſtianorum aeque ac gentilium illuſtriſſimorum plusquam DC Poëtarum pulchre loquendi modis: novis item CCXXX titulis exauctius protractum e forulis ſcholaſticis M. Joſephi Clauderi Sen. *Poëtae Chriſtiani.* Francof. 1647. 8. Prodierat antehac Lipſ. 1624, 1632, 1637. Francof. 1644, 1647. prodiit etiam poſthac Francof. 1652, 1653, 1664, 1682. 8.

Vt vel ex ipſo titulo patet, e recentioribus non minus, quam veteribus Poëtis hunc ſuum theſaurum congeſſit. Exagitat ea proptor Auctorem *Vincentius Fabricius* in *Pranſu Parato* i. e. Satyra in Poëtas eorumque contemtores, Amſtelodami edita. Auctor, Scholae Thomanae ap. Lipſienſes ConRector, ex recentioribus Poëtis Friſchlini potiſſimum et Taubmanni carmina potiſſimum delibavit: at Clauderus, libri amplificator, hujusmodi farraginem addidit multo locupletiorem.

EIVSDEM *Oratio de horrida ſuperioris Pontificiae, et florida excultaque noſtrae Lutheranae aetatis latinitate.*

Joh. Mich. WEINRICHII *Erleichterte Methode, die humaniora mit Nutzen zu treiben.* Coburgi 1721. 8.

Libellus lectu digniſſimus. Auctor tum quidem Inſpector Lycei Meinungenſis fuit, judicio pollens, et rei litterariae callentiſſimus.

Chriſtiani WEISII de *Poëſi hodiernorum Politicorum* ſive *de argutis Inſcriptionibus.* Weiſſenfelſae 1678. 8.

Vt ſunt Weiſiana ſtili praecepta; ſic et heic animadvertas horum veſtigia, nec a veteribus calcata, nec ducentia ad genuinae latinitatis normam.

Erici WEISMANNI *Lexicon bipartitum Latino-Germanicum et Germanico-Latinum, in quo latinitas priſca et pura, quoad vocum origines, ſignificationes, phraſeologiam et uſum proverbialem, Poëticum, Mythologicum, ex probatiſſimis Lexicographis, Eraſmi Chiliadibus, variorumque Criticorum monumentis methodo perſpicua explicatur.* Editio quinta, auctior et emendatior, cui quam ampliſſima facta ſit acceſſio, praeſertim in iis, quae

quae notitiam naturae et Botanices ſpectant, Praefatio docet. Francofurti ad Moenum 1703. Stutgardiae 1715. Noviſſime prodiit Stutgardiae 1732. 4.

Auctores, ex quibus Lexici bujus utriusque Partis, Analyticae pariter ac Syntheticae, paginae coaluerunt, ſunt ſequentes claſſici: Cicero, Plautus, Terentius, Caeſar, Salluſtius, Virgilius, Ovidius, Horatius, Juvenalis, Perſius, Martialis, Catullus, Varro, Columella, Cato, uterque Plinius, Seneca, Livius, Tacitus, Suetonius, Lucretius, Statius, Juſtinus, Curtius, Quintilianus. Libri, quibus auctor ſe adjutum eſſe profitetur, ſunt *Martinii Etymologicum*, *Nizolii Theſaurus*, *Friſii Dictionarium*, *Corvini Fons latinitatis* vere Criticus, *Taubmanni curae Plautinae*, ex medulla Philologorum concinnatae, *Friderici Wendelini* Farrago Phraſium, *Parei* Lexica Ciceroniano-Comica. Lexicon voluit Auctor dare in manus juvenum, ſtudiis eorum ſatis aptum. Lexica magnae molis adeſſe quidem ait, ſed quae univerſae linguae myſteria inde usque ab ſtirpe repetant, et ſubſerviant ſcholis, non ad diſcendas voculas, ſed ut evolvi poſſint, ſi quid vel obſcurum in autorum lectione vel ignotum alia ſine ordine et arte derivandi eſſe conſcripta; alia Latinam linguam non niſi Latinis explicare verbis; alia voces ſynonymas interpretari, nec propriam ſingularum vocum explicationem oſtendere; alia ſolarum vocum exponere farraginem ſine norma uſus et applicationis, quae via pariter ſterilis ſit et arida; alia loquendi modos certis titulis, omiſſa ſimplicium doctrina, ſubnectere, quae ratio manca ſit et inſufficiens; alia linguae indolem non inveſtigare ſatis; alia ex unius auctoris lectiuncula, tamquam ex amne oceanum, univerſam latinitatem propinare, quum tamen veteres diverſo ſaepe dicendi modo, ac diverſo plane argumento utantur, et Hiſtorias Hiſtorici, Epiſtolas et Oratoria Cicero, Moralia Seneca, rem ruſticam et Oeconomicam cum Varrone Columella, Mechanica Vitruvius, Naturam Plinius Major, Bellica Vegetius, Sermones familiares Comici, ſua etiam Poëtae peculiari ſermonis indole ſcripſerint; ita, ut ad linguam recte colendam, aut auctores tam diverſos percurrere, aut, quae ipſi copioſius adſerunt, ex Lexico quodam Phraſeologico indagere, ſimulque auctore claſſico, velut ſcriptionis regula, uti ſit neceſſe. Quare conſultum fore ſcholis putavit Weismannus, ſi in Lexico hoc ſuo geminas vocum origines monſtret, ſignificationem propriam et tropicam ſubjiciat, claſſico-Phraſeologicam copiam exhibeat, et denique uſum in Proverbiis et ſententiis locupletem doceat, ſicque rationem feliciter legendi auctores, orationisque puritatem uno negotio atque uno faſce complectatur. Vocibus genuinum uſum et conſtructionem adjicit: phraſes addit, non quidem omnes, ſed tamen ea methodo digitoque indice, ut judicium diſcentis poſſit unius phraſeos uſum ad varia objecta applicare. Praeſertim id operam dedit, ut adverbiorum, conjunctionum et praepoſitionum varium uſum et ſignificatum oſtenderet. Vltra 25 Centurias Adagiorum ex aureis Eraſmi Chiliadibus inſperſit. Praecipua nomina propria urbium, virorum, montium, fluminum cet. in *Partis Prioris Sectione altera*, velut in tabella deſcribit, ut tiro inde ſublevetur in Poëtis

et

et ſcriptoribus aliis intelligendis occupatus. Obſoleta et minus Latina, et terminos, quos vocant, technicos in *utraque* *Parte* omiſit: herbarum potius, arborum, florum, lapidum, animalium, aliarumque rerum, quae ad Phyſicorum ſcholas pertinent, ratione habita, ex auctoribus variis, praeſertim Botanicis, inter ſe ſaepe multumque collatis, maxime *Voſſio*, *Lonicero*, *Franco*, *Paullino*, quid hoc in genere utile et certum ſit, in *Parte utraque Lexici* ſui diſquirit, et, quae nomina rebus inſigniendis conveniant, in tanto appellantium diſſenſu explicat.

M. Chriſt. WEISSBORNII *Statera latinitatis dubiae et variate ſ. Series vocabulorum, de quorum latinitate dubitari ſolet, ut et quaedam artificia unam eamdemque ſententiam variis variandi modis, ad facilitandam emendatioris ac elegantioris ſtili culturam.* Lipſiae 1709. 8.

M. Chriſtiani WEISII *De ſtilo Romano libri quinque*, quorum *Primus* de ſtilo univerſim, reliqui ſigillatim, *Alter* de illius puritate, *Tertius* de perſpicuitate, *Quartus* de dignitate, *Quintus* de nitore et elegantia exponit. Chemnitii 1724. 8.

Quod ab aliis ſparſim, vel cum moleſtis digreſſionum ambagibus hac in ſtili diſciplina praeceptum fuit, horum monita in unum collecta heic exhibentur. Complexus Auctor omnia, quae huc ſpectant, eſt, certo ordine, brevibus verbis, ſuperfluis alienisque amputatis.

LIBRI I.

De ſtilo univerſim

Caput I.

de eo agit,

Quid ſonet vox ſtili, et que ſint praecipuae ſtili excellentiae.

Caput II.

De ſtili Romani excolendi neceſſitate et exculti utilitate egregia.

Caput III.

Quo ordine auctores claſſici ſint legendi.

Caput IV.

De Scioppii et Heineccii conſiliis, quo ordine auctores claſſici legi debeant.

Caput V.

Quid in ipſa auctorum lectione ſit obſervandum.

Caput VI.

De imitatione auctorum claſſicorum.

Caput VII.

De variis ſtili exercitiis.

Caput VIII.

Num Colloquia Latina ſtilum corrumpant.

LIBRI II.

Sigillatim tradentis de ſtili puritate

Caput I.

docet,

Quid ſtili puritas ſonet.

Caput II.

Quaenam vocabula in ſtili puritatis ſtudio vitari debeant.

Caput III.

De impuritate ſtili ex inuſitatis univerſim, tam priſcis et antiquatis, quam temere novatis.

Caput IV.

Quae vocabula nova ſtili puritati nihil obeſſe credenda ſint.

Caput V.

Quomodo non nulla impurioris novitatis purius et latinius reddi poſſint.

Caput VI.

Quae peregrina, nimis rara et Poëtica ſint vocabula, a quibus in ſtilo abſtinendum.

Caput VII.

Quomodo a ſordidis, turpibus et obſcenis vocabulis pura ſit ſervanda oratio.

Caput VIII.

De proprietate et ſignificantia vocabulorum.

Caput IX.

Num Graeca Latinis frequenter interſpergere liceat.

Caput X.

De verborum delectu.

Caput XI.

De puritate circa Orthographiam tenenda.

Caput XII.

De puritate pronuntiationis, neque minus de barbariſmis et ſoloeciſmis.

Caput XIII.

De puritate formularum Latini ſermonis.

Caput XIV.

De Latiniſmis et Germaniſmis.

Caput XV.

De puritate circa particulas obſervanda.

LIBRI

LIBRI III.

De perſpicuitate ſtili.

Caput I.

docens,

Quam neceſſaria ſit perſpicuitatis in Oratione cura.

Caput II.

De cauſis obſcuritatis in ſtilo, et praecipue de verbis parum propriis.

Caput III.

De parum recto ordine et concluſione in longum dilata, ut cauſis obſcuritatis.

Caput IV.

De aequalitate ſtili, perſpicuitatis cauſa diligenter tenenda.

Caput V.

Qua via ad ſtilum perſpicuum proxime perveniatur.

LIBRI IV.

De dignitate ſtili.

Caput I.

exponit,

Quid ſonet dignitas ſtili, et quid poſtulet.

Caput II.

De dignitate ſtili ex veritatis ſtudio.

Caput III.

De dignitate ſtili ex prudentiae ſtudio.

Caput IV.

De dignitate ſtili ex honeſtatis ſtudio.

Caput V.

De dignitate ſtili ex obſervato decoro.

Caput VI.

Quid decorum ſtili Rhetoricum circa varia dicendi genera et illorum characteres poſtulet.

Caput VII.

Quomodo dignitati ſermonis ex ſervato decoro politico conſuli debeat.

Caput VIII.

De dignitate in dictione ludicra et ſententioſa conſtanter ſervanda.

Caput IX.

De dignitate ſtili ex oratione affectuoſa.

LIBRI

LIBRI V.

De elegantia ſtili,

Caput I.

explicat,

Quid elegantia ſtili heic denotet.

Caput II.

De elegantiis ſtili Grammaticis tam univerſim, quam per collocationem maxime.

Caput III.

De elegantiis ſtili Grammaticis per additionem.

Caput IV.

De elegantiis ſtili Grammaticis per abjectionem.

Caput V.

De elegantiis ſtili Grammaticis per variationem.

Caput VI.

De elegantiis ſtili Rhetoricis per tropos et figuras.

Caput VII.

Quid de iſtis figuris, quas in libellis Rhetoricis receptas invenimus, ſit ſentiendum, et quis rectus illarum ſit uſus.

Caput VIII.

De elegantia ſtili Logica et dictione arguta.

Caput IX.

De numero Oratorio.

Caput X.

De ſuavitate ſoni.

Caput XI.

De elegantia verborum ex rebus, quas notant.

Atque ex hoc libri conſpectu facile intelligi poteſt, Auctorem nihil praetermiſiſſe, quod ſcitu neceſſarium ſit, et ad hanc diſciplinam pertineat. Id unum forte in eo reprehendi poſſit, quod non ſatis puro et exaſciato ſcripturae genere utatur, et non numquam etiam ſic ſentiat atque exiſtimet, ut gaudere Criticorum ſuffragiis magnopore nequeat.

Succenturiari huic Opuſculo Weiſſiano poſſumus Anonymi cujusdam *Tractatum de ſtili moderni Elegantia addiſcenda facili methodo adornatum in uſum Romanae eruditionis cupidae juventutis, Lipſ. 1718. 8:* qui Capp. VIII. continetur; *Cap. 1.* de Stili natura. *Cap. 2.* de Stilo Epiſtolographico. *Cap. 3.* de ſtilo Didactico. *Cap. 4.* de ſtilo Hiſtorico. *Cap. 5.* de ſtilo Oratorio. *Cap. 6.* de ſtilo acuto et ſententioſo. *Cap. 7.* de ſtilo Encomiaſtico. *Cap. 8.* de ſtilo Florido.

Macri

Macri Friderici WENDELINI *Medulla priſcae puraeque latinitatis Latino-Germanica, quà omnes linguae Latinae phraſes e purioribus et claſſicis omnibus ſcriptoribus, quorum in ſcholis admittitur auctoritas, plene planeque ſecundum ſeriem verborum et particularum omnium repraeſentantur, et Germanice redduntur, ita, ut longe copioſior et expeditior, quam antehac, Phraſiologia exibeatur, diſcentium ſtudiis uſibusque accommodatiſſima, olim privatae inſtitutioni nata et deſtinata ſtudio opera cujusdam Philolatini optatos inſtitutionis hujus ſucceſſus experti, jam publicis privatisque ſcholis donata et Indice Germanico locupletiſſimo, qui omnia haeſitantium et querentium tironum vota explere facile poſſit, inſtructa ab* Andrea Joſaeo. Serveſtae 1638. Marpurgi 1665. Editio quinta Francofurti 1660. Editio ſexta 1667. 8.

Excerpſit Auctor hanc *Medullam* ſuam ex *Curionis Foro Romano*, quo lectorem remittit, ſi forte auctoritatem hujus vel illius locutionis exigat, quum ſine indicio locorum, ubi ſingulae loquendi formae exſtent, ſint congeſtae. Liber non contemnendus eſt, de quo in Praefatione *Wendelinus* multa magnificaque promittit, putatque, ex nullo libro commodius addiſci poſſe linguam Latinam, quam ex hoc; ſi quidem perpetuae inſtituantur imitationes et ſermones continui ex iſtis locutionibus connexi, qui, Germanica propoſiti linqua, in Latinam converti debeant. Sed, quod primarium eſt in imitatione, heic deficit: ſermonis ſcilicet nexus, unde potiſſimum pendet omnis linguae genius: deinde ſermones ita concinnati neſcio quid inepti ſapiunt, ſi ſecundum ordinem iſtum alphabeticum inſtituantur, quod ταυτόλογον et jejunum videtur. Quamquam enim obtendit *Wendelinus*, longo tempore opus eſſe, ſi ex lectione proficere velimus; omniumque rerum latinitatem uno auctore minime comprehendi: tanti tamen omnino res eſſe videtur, ut plus temporis illi impendatur ab initio, quam ut immatura feſtinatione iſta tela praeter rem abrumpatur. Deinde poſtquam ſtructura ſermonis ex lectione auctorum ſatis in ſolido locata eſt; facile in ceteris, ubi auctores deficiunt, Lexicorum opem implorare poſſumus. Sic *Morhofius* Polyh. Tom. I. pag. 823. judicat. Interim quod promiſit Auctor, egregie in diſcipulis diſcendi cupidis praeſtitit, praeſertim in Chriſtiano Juniore, Principe Anhaltino-Bernburgenſi latine doctiſſimo, Principis hodie regentis, Victoris Friderici, Abavo. Id enim Morhofiano judicio addimus, vehementer poſſe utilem eſſe hunc librum, ſi eum ita uſurpes, ut inde recognoſcas, an Adjectiva et Adverbia, quae ſe tibi inter ſcribendum offerunt, verbo illi vel Nomini Subſtantivo, quo malis potiſſimum uti, ſatis et ex auctoritate veterum congruant.

Johannis WERDENAE *Dictionarium.* Colon. 1512. 8 maj.

Daumius

Daumius de cauſis amiſſ. rad. L. L. c. 23. p. 84. hoc Dictionarium et *Joh. Reuchlini Breviloquum*, non abiicienda putat eſſe, quamvis ceteroquin eorum numero veniant, quae multum ſcoriae admixtum habent, quum primis renatarum litterarum temporibus in lucem emiſſa ſint. *Quae enim*, ait Daumius, *in hiſce libris habentur: aperte barbara excipio: ea ex variis auctoribus, tum veteribus, tum recentioribus, quorum plurimi etiamnum ſuperſunt, comportata videmus. Quae ſola inibi exſtant, ex auctoribus vel adhuc ineditis, vel plane amiſſis conſervata remanſerunt. Sic autem hoc Werdenae Dictiorium, omiſſo auctoris nomine inſcribitur:* Dictionarium, quod Gemmam Gemmarum vocant, nuper caſtigatum, etc.

Sam. WERENFELS *Diſſertatio de meteoris orationis*, quae inter *Diſſertationes ejus, duobus Voluminibus Amſtelodami 1716 junctim editas Tomo I. p. 271. ſeqq.* exſtat.

Separatim primitus prodierat una cum *Diſſertatione de Logomachiis eruditorum*. Amſt. 1702. 12.

Jo. Fr. WERKMEISTERI Progr. *de neceſſitate ſtudii latinitatis in ſcholis*. Deſſav. 1732. 4.

Petri WESSELING *Obſervationum variarum libri II.* Amſt. 1727. 8.

Bernhardi WIDEMANNI *De proprietate et differentiis Latini ſermonis*. Genevae 1602. 8.

Jacobi de WILDE *Selecta numiſmata antiqua*, cum figg. aen. Amſtel. 1692. 4. cum tabb. aen.

EIVSDEM *Selectae Gemmae antiquae*, cum figg. Amſtel. 1703. 4.

Exponit numiſmata et gemmas, quibus muſeum ipſius ornatum fuit. Structura nummophylacii, quam initio Tractatus prioris ex aere effigiatam repraeſentat, ad artis regulas et ad diſciplinae numiſmaticae modum elegantiſſime exacta eſt.

Jodoci WILLICHII *Orthographia* et *Quaeſtio de pronuntiatione*. Lipſ. 1530. Francof. 1637. 8.

EIVSDEM *Liber de rerum et verborum copia comparanda*. Argentorati 1550. 8.

WOLGEGRÜNDETE *Vortheile zur Lateiniſchen Sprache*. Halle 1722. 8.

Octaviani

Octaviani VVLPELLI a Sancto Angelo Metaurenſe *De Praepoſitionum, Adverbiorum et Conjunctionum ſignificatione libellus, ad Sereniſſimum Franciſcum Mariam Secundum, Vrbini Ducem Sextum.* Vrbini 1595. 4.

Chriſtophori WOLLII *Epiſtola Critica de Hebraiſmis Vlpiani ICti* ad V. C. Jacobum Henricum Bornium. Lipſ. 1735. 4.

Olaus WORMIVS *De lingua Latina, ejusque auctoribus.* Hafniae 1703. 4.

Bonaventura VVLCANIVS: *vid. ſupra Labbeum.*

Dan. WÜLFERI *Diſſertatio Philologica, in qua, quid uſus poſſit in Latinis antiquandis et recipiendis viciſſim verbis Latinis, praecipue oſtenditur.* Norib. 1646. 4.

EIVSDEM *De emendata Latine loquendi conſuetudine et uſu.* Norib. 1645. 4.

Baſilii ZANCHII *Verborum Latinorum Epitome.* Romae 1541. 4.

Quam peritus auctor fuerit Latinae linguae, vel inde exiſtimari poteſt, quod Theſaurum Nizolii locupletaverit non ſine nominis ſui gloria.

Joach. ZEHNERI *Tractatus Grammatici.* Lipſ. 1663. 8.

EIVSDEM *Sententiae inſigniores*, verſae a *Sculteto.* Lipſ. 1664, 1697. 8.

Juſti ZINZERLINGII Thuringi *Criticorum Juvenilium Promulſis: qua in complura Ciceronis, Taciti, Ovidii, Senecae utriusque, Papinii, Val. Flacci, Claudiani, aliorum, loca notantur, emendantur, illuſtrantur.* Subjunctae ſunt in calce libelli *ejusdem Diatribae duae:* I. *Nobile quoddam Problema Proſodiacum excutiens.* II. *Tria inſignia Metaphorae reciprocae exempla exhibens.* Ad exemplar Lugdunenſe in Galliis, 1610. 8.


Hanc *Promulſin Zinzerlingii Syntagmati Critico Schminkiano* inſertam, vide ſupra ad *Schminkium.*

Nec

Nec proletaria, nec aliis magnopere decantata ſunt, quae non ſine acuminis ingenii et exquiſitae eruditionis nota ab Auctore in orcheſtram producuntur.

* * *

Atque his Scriptoribus tandem adjungendi etiam ſunt *omnes Critici*, quorum ſingulares Obſervationes tum paſſim ὡς ἐν παρόδῳ occurrunt, tum etiam Voluminibus a nobis omiſſis collectae atque ſic conjunctim editae ſunt; *omnium* item *auctorum*, quos vocant, *claſſicorum Interpretes et Commentatores* in Latinarum litterarum cognitione celeberrimi. Inter illos autem libros, quos hactenus nominatim produximus, ſunt, quibus nullum prorſus judicium vel elogium addidimus: quorum quidem alii viſi ſunt nulla noſtra laude indigere, quum ſuo ipſorum ſplendore ſe abunde commendent, atque omnino in publica luce poſiti videantur eſſe; alii ſolo tantum titulo nobis innotuerant, ut proinde, quam ſingularem laudem haberent, definire haud noſtrae eſſet facultatis; alii denique propter tenuiorem ſortem ſuam ſolo cenſeri nomine etiam atque etiam ipſimet poſtulabant.



1942